


31



2 400 40 

de la comp^e de Jess de granada B^{re}

PZ-5987

Ifidori Clarij
EPISCOPI FVLGINATIS
IN EVANGELIVM
SECVNDVM LVCAM

ORATIONES QVINQVAGINTAQVATVOR.

In quibus, præter verborum elegantiam, & sententiarum grauitatem,
innumerosq; ferè, tum veteris, tum noui Testamenti obstruiores
locos illustratos; quod maximum, & præcipuum est,
pietas Christiana in primis elucefcit.

N. VNC PRIMVM IN LVCEM EDITAE.

CVM PRIVILEGIO.



V E N E T I I S,
Apud Franciscum Franciscium, Senensem.
M. D. L X V.

21185781x

ANDREAE PAMPVRO

A S V L A N O
DIVI GEORGII MAIORIS

VENETIARVM ABBATI,

ET

Totius congregationis Casinensis
Præsidi designato,

BENEDICTVS GVIDIVS MONACHVS

S. P. D.



QVAM pulchrum, ac præstabile Dei donum sit, Præsides bonus, ac gregis tuendi, qui suæ cura, & fidei commissus sit, studiofus, præfectura tua ANDREA PAMPVRE declarat. nam cum præclara hæc nostra Casinensis societas, adeò prudenter à maioribus sit constituta, ut nihil, quod uel ad morum honestatem, uel ad totam piè, sanctèq; degendam uitam, atq; ad cælestis regni præmia promerenda post mortem conferat, desideretur; plurimum tamen interest, qui Præsides in ea sit: idq; cum antea sæpius, tum uerò maximè in præsentia comprobatum est. Ac ne uidear ex ullius reprehensione laudes tuas aucupari, præteritorum temporum incommoda libenter præteribo: neque enim ea est aut bonitas, aut uirtus tua, quæ ad agumentum
a 2 sui,

sui, ullam cum alijs collationem requirat. Satis per se magna est, satis illustris. Te Præside, & moderatore (quæ tua maxima laus est) acriore cura nunc, quàm antea fecerit, domus nostra eruditam iam incipit ad plures egregias artes florentem iuuentutem alere. siquidem tu ipse & literarum studijs delectari, & ea nunquam intermittere consueuisti. Cum uerò ab initio præfecturæ tuæ complures domus nostræ uiros tum uitæ, et morum sanctitate, tum omni literarum genere insignes, undecunq; accersitos tibi adiungendos, atq; omni dignitate honestandos esse putaueris; iam tum magna nobis omnibus oblata spes est, fore ut consilio, & ductu tuo Casinensis familia propediem in antiquum decus restitueretur: ita enim qui eiusmodi sunt, complecteris, ita omni amore, ac beneuolentia prosequeris, ut cum nullo hominum genere libentius uiuas, nulli ad te aditus faciliores sint, nulli tua magis liberalitas pateat. sed tu his non contentus, quum intelligas literarum cognitionem, eam esse, quæ animum ab omni sorde purgatum, apprimè possit ornare, omnem curam, omne studium, omnes neruos in id unum intendis, ut nostrorum hominum plura egregia, ac præclara diuersi generis monumenta è tenebris in lucem eruta, ad communem studiosorum utilitatem imprimantur. credo scilicet, id à te diuinitus duplici ratione factum, altera, ut pro tua benignitate omnibus in commune consuleres: altera, ut ordinis nostri dignitatem constanter sustineres, atq; defenderes. qua de re antequàm ulterius progrediar, pauca hoc loco dicerè, ut cum inanes quasdam calumnias diluisssem, quas impuri quidam nostri seculi homines nõ nostro modo ordini, sed omnibus planè cænobitis importunè non minus quàm perfidiosè inuerrunt, omnibus ostenderem, monachos omnes eos esse, quos in pri-

mis

mis siquid ratio cuiusquam ualet, hoc uelut cæterorum promeritorum, & beneuolentiæ cumulo prosequi boni omnes debeant: sed quia disceptatore te utor sapientissimo, atq; humanissimo uiro, omit tam ingenuo quodam pudore detentus, quæ in totum istud calumniatorum genus iactari possent, tum ne in his diutius quàm par est, morer; tum ne familiae nostræ causam, coràm te tractandam uidear suscepisse. Id tantum contendam, monachos omnes, atq; ad eò etià nosmet ipsos hodie eos esse, à quibus homines plurima tum uitæ commoda, tum beneuiuendi exempla, sibi comparare facile possint. Quid enim aliud sibi uolunt quotidiana illa diurna, atq; nocturna sacra, in quibus peragèdis integros penè dies, ac noctes consumimus? quid diuinæ rei à primo mane ad meridiem frequens cultus? quid, quotidiana munera? quid item reliquorum domesticorum operum labor assiduus? Sed quid ego hæc tibi commemoro? non ne piæ ille largitiones, quæ in pauperes, & miseros homines, quos uel durior egestas, uel atrocior & fædior afflixerit morbus, non statis tantum diebus singula quaq; hebdomada, sed quotidie etiam à nobis peramanter fiunt (ijs enim alendis, fouendisq; opportuna manu semper occurrimus) uel solæ satis esse possunt, quæ nostram in omnes, præcipuè uerò in pauperes, & egenos beneuolentiam abunde testentur? Et id quidem (si dicere fas est) insigniore aliqua nostra cum laude, quod cum nobis omnibus, qui Diuum BENELECTVM sequimur, uictu, & uestitu, ex illius placitis frugi, & moderatissimus, erga pauperes demum ueluti contemptis opibus pietate singulari, profusissimè largiamur. nimius in hac parte sim, si omnia singillatim dicèdo persequar, quæ à nobis quotidie hoc in genere summa cū caritate præstatur. Quod autè monachos aiunt nullis omni-

no literarum studijs operam impendere uideant. quæso homines grauisissimi, ac huius ordinis censores, quid dicant. Si enim superiorum temporum memoriam animo, ac cogitatione complectantur, non solum, ueteres illos, AFROS, CONSTANTIOS, REMIGIOS, PASCHASIOS, HENRICOS, OTFRIDOS, RODVLPHOS, AMMONIOS, RUTPERTOS, BERTHORIOS, DIACONOS, ac innumeratos penè alios reperient, quorum memoria, quod ipsi nunquam existimarent, omnium scriptis, ac uoce celebratur. Sed si ad patrum nostrorum etatē quandoq; descendunt, CORTESIOS, LUCIANOS, MARCOS, INNOCENTIOS, THEOPHILOS, HONORATOS, CHRYSOSTOMOS, BENEDICTOS, cæterosq; offendunt, quos uita, et morum sanctitas, ac præclara simul sacrarum literarum, et nobilissimarum scientiarum gloria tantopere illustrauit, ut mirum non sit, si plures non modo summos Pontifices, et Cardinales, sed innumerabiles omni laude dignos Antistites una Casinensis societas protulit, quàm omnes propè totius Europæ ciuitates. Quin, si ad eos, qui adhuc superstites sunt, respicias (defendendi nostri ordinis, non gloriandi causa loquor) non deficient ISIDORI, CHRYSOSTOMI, ANGELI, AMBROSII, BASILII, MARCI, THEOPHILI, PROSPERI, quorum omnium præstans in omni studiorum genere doctrina tanta est, ut unusquisque eorum et ad suam exornandam patriam, et ad omnem illustrandam congregationem Casinensem, satis esse uideatur. Sed quid dicam de AVGVSTINO LOSCO, et EUTYCHIO CORDES Casinensibus Theologis? qui proximo

proximo hoc æcumenico Tridentino Concilio, admirabili eloquentia cum summa sacrarum literarum cognitione coniuncta, ita claruerunt, ut non Casinensem modo familiam illustrasse, sed seipsos doctrina, et memoria felicitate supergressi fuisse uideantur. Nec uerò minus præstitisset Stephanus Catanæus uir doctissimus, si ei diutius Tridenti consistere, et commorari contigisset. Quam ob rem desistant tandem hi, quicunq; sunt, uel inuidiæ stimulis excitati, et tantum non in rabiem acti, ceu uillatici canes, qui honestissimum quenq; allatram, monachos carpere, et illis otium, et inscitiam obicere, ne dum alijs quicquam temere obijciunt, ipsi se eidem culpæ obnoxios esse fateantur. Unus hic, quem modo præmanibus habemus ISIDORVS Clarius satis esse potest, ad retundendam omnium audaciam, et garrulitatem. Fuit enim ISIDORVS, ut tu probè nosti Præses amplissime, Clario Brixiani agri oppido mediocribus parentibus oriundus: sed ab eximijs animi dotibus, et singulari sacrarum literarum, et eloquentiæ laude nobiliter honestatus, à PAVLO III. Pontifice Maximo ex monacho Casinati Fulginensis Episcopus, nequaquam eius honoris appetens designatus, quo munere cum iam decennium summa cum laude functus esset, uir omni æuo dignus sexagenario maior obiit: tanto honorum omnium dolore, tanto ipsius Pontificis, qui illum, nisi importuna morbi uis rapuisset, primò quoq; tempore in Cardinalium Collegium cooptare destinauerat, mærore, tanto demiq; totius Fulginensis populi, luctu, suspirijs, ac gemitu, cum ex sanctissimè ante acta uita, illum inter cælites receptum constanter affirmarent, ut non Antistitem, sed parentem ciues amisisse uiderentur. ferunt, qui cum Fulginiæ aderant, per eos dies,

eos dies, quibus illi de more iusta soluebantur, nullius se Antistitis funus, maiori gentium concursu, ac pietate efferrī perspexisse: cum certatim uiri, & mulieres ex urbe, atq; agro, tam frequentes ad celebrandas ISIDORI exequias conuenirent, ut omnes ferè admirabundi, non modo illius ossa pluribus donarijs uenerarentur, sed etiam uestium frustra religiosè diriperent: quum tactis religione animis quisq; demum se pluribus ærumnis tuum fore arbitraretur, si frustulum ex ueste, reliquijsq; sanctissimi Antistitis secum, amuletis ceruice suspensis, gloriosè gestaret. Sed ISIDORVS, quum in suggestu uerè admirabilis, omnium iudicio oratoricæ facultatis palmam meruisset, etiam domi lepidissimis sermonibus laudem tulit. erat enim eius ingenium exquisito literarum omnium, sed Græcarum, et Hebraicarum potissimum delectu, grauius instructum sic ut in omnes materias, per amplas illi opes alacris, & expedita memoria suppediaret. facundia porrò tanta, tam eleganti, tam ornata, ut omnes eius orationes ostendunt, uarijs eloquentiæ flosculis distinctæ, ut eo orante, ubiq; uel maxima templa complerentur. extant plures eius diuersi generis orationes, inter quas eæ potissimum, quas eruditionis ac pietatis Christianæ plenas in diuum LVCAM edidit, nunc sub tuo nomine Præses amplissimo in manus hominum perueniunt. Extraordinariæ uerò reliquæ, sermonesq; item ad populum Fulginensem, & Synodales illæ conciones pulcherrimæ, quas in Tridentina Synodo sub PAVLO III. Pontifice Maximo fœlicis ingenij festinata fecunditate habuit, à nobis postmodum edentur, iucundiore fortasse ISIDORI cum laude, quod illas diuina Angeli Sangrini Poemata, et doctissima Hilarionis commentaria in Matthæum, Ambrosij

eruditæ

eruditæ versiones Cyrilli in Pentateuchum, & præclara Prossperi Martinengij Commentaria in Pindarum, quæ mihi nuper imprimenda tradidisti, quos homines ISIDORVS mirificè dilexit, propediem antecedent. Nunc præclara hæc, quæ in lucem damus, cum alumni congregationis Casinensis, & illius hominis sint, qui non Latinas tantum, sed Græcas, & Hebraicas literas admirantibus Iudeis in Cænobio hoc nostro monachus solertissimè didicit, & ex his fructum uberem consecutus est, non alteri quàm tibi eiusdem congregationis PRÆSIDI, optimè de literis, optimè de ipso ISIDORO, optimè demum de uniuersa nostra familia merito studiosè dicantur. namq; ut supra memorauimus, cum ordinis nostri existimationem uera uirtute sustineas, & graui, constantiq; iudicio, non literis solum, bonisq; artibus, sed literarum etiam hominibus impense faueas, operæ pretium me facturum existimaui, si ISIDORI nostri, uel potius tui scripta nunc sub tui sacri nominis tutela ederentur. cum enim tibi ab ineunte ætate perpetuæ comites affuerint rarissimæ uirtutes, innocentia, modestia, fides, & sine oris tristitia pietas, adiecisti demum sacrarum disciplinarum cognitionem, quæ est una omnium uirtus summæ existimationis Præside dignissima. Quo factum est, ut non solum plures Antistites diuitijs, ac natalibus florentes facile superaueris, sed nos omnes, atq; uniuersam Casinensem congregationem perpetuo tibi indissolubilis nexus obsequio deuinxeris. Quantum enim illud est, quod cum superioribus annis Casinensis familia Roma, magna litium, et grauissimarum controuersiarum mole premeretur, tu unus, cui rerum procuratio tradita fuerat, Romam profectus (erat tum tertius, ni fallor, PAVLI III. Pont. Max. annus)

breui

brevi cuncta; quæ obscuris pridem ab aduersarijs iuris canillationibus fuerant inuoluta, adeo opportuna intra quadriennium celeritate explicasti, ut magna nos, magna omnem ordinem Casinensem cura, ac molestia subleuares. Quam ob rem et Diui Nicolai in Venetiarum littore Cœnobio Abbas Patrum iudicio quamprimum præfectus fuisti, & paulo post, cum Romæ monachi te ob spectatam solertis ingenij vim expeterent, eò Abbas præfectus, breui tempore uirtutem tuã ostendisti: tanta quidem tua cum laude; ut mox Perusiæ ad res Cœnobij illius, quod Diui PETRI dicitur, penè collabentes restituendas, Patres te opportunè destinarent. Ubi rebus apè cõpositis, Romam iterum missus, tantum tibi nominis, ac gloriæ comparasti, ut spectata uirtutis merito Patres te Diffinitorem eligerent; quæ dignitas apud nos talis est, ut post Præsidentem neminem illi anteponamus. Eo modo probatissimi nominis fama fruente, ac iam breui de nobis omnibus optime meritum, Patres, Diui BENEDICTI Abbatem te in Mantuano agro constituerunt: Vbi Deus bonæ quàm præclara nondum elapso quinquennio, tuæ eximie uirtutis, et solertis ingenij monumenta reliquisti: nimirum ære alieno, quod Monasterium illud varijs præteritorum temporum calamitatibus iactatum iam grande constauerat, quamprimum dissoluto, patres illos singulari letitia recreasti, effecistiq; ut quibus illi in hanc diem fruuntur, quietis, et libertatis post Deum optimum max. auctorem te solum proficiscantur, & celebrent. Id quod etiam ij, qui Mediolani sunt, quibus per annum Mantua discedens præfuisi, constanter affirmant. enim uero præclara uirtus, & singularis animi tui uis, adeo tibi prosperè fortunam, atq; animos hominum conciliauit, ut cum nihil

prorsus

prorsus requirās, uel appetas, sed in altitudinem studiorum abditus, cetera omnia contempnas, ad honores tamen nō mortalium fauore, sed occultiore quadam syderum ui, atq; adeo diuino consilio rapi uidearis. Siquidem ad te, uno, eodemq; tempore et suprema nostri ordinis præfectura delata est, et proximis comitijs, diui Georgij maioris, quod uehementer optabamus, Abbas designatus es. Quare cum eorum in te plurimum debeamus, quod hoc munus, cui administrando à Patribus (nobis id enixè petentibus) destinatus es, non recusaueris; magis tamen propterea tibi debemus, quod, PLACIDO Asulano ueteris Christianæ disciplinæ moribus uenerabili uiro, à Patribus tibi Mantuæ suffecto, tam alacriter, tamq; prompto animo ad nos te contulisti, ut nos dignos planè existimasse uidearis, quæ tua & præsentia, et consuetudine fruere mur. nam, simulac Cœnobij nostri Abbas pronuntiatus es, mira in cunctis quædam animi, ac mentis alacritas repente oborta est; ita species animorum inopinatè quadam gaudiorum serenitate conuersæ, ita desiderata quadam nouitate redintegrari omnia uisa sunt. Et sanè quantum cognosci potest, nihil iam dudum ardentius, nihil magis cupidè aduentu tuo nos omnes desiderabamus: quod tu quoque perspicere potuisti. Uidisti enim, quàm dulci, quàm amabili affectu, plurimi ex nostris monachis te nondum ex agro Mantuano digressum, & priuatim, & publicè adierint: uidisti quàm crebris, ac penè quotidianis literis admonitus, stimulatus, atque impulsus fueris, ut aduentum tuum maturares: quod præfecto non aliunde, quàm ex nostrum omnium desiderio prodire potuit. id quod tuus in hoc Monasterium ingressus luce clarius demonstrauit: ita enim omnes te letabundi exceperimus, ita honorifice complexi sumus, ut non

Præses,

preses, sed numen aliquod aduentasse videretur. Et merito quidem: nam & si magna te fama precesserat; maior tamen inuentus es. uno quidem ore omnes summum te virum predicabant: sed eares magis ex aspectu tuo, & rebus, quas decem, quibus nobiscum es, mensibus peregisti, quam ex fama iam nobis innotuit. Quam ob rem tu quidem perge rem nostram, nostraq; omnia, ut cepisti, alacriter fouere. nos quantum in nobis erit, ad minimum quenq; nutum obsequentiissimi, pacati, quieti, tranquilli, eum tibi cultum exhibebimus, qui tibi tali, ac tanto viro, deq; nobis omnibus tantopere merito, prestare par erit. Nunc ISIDORI nostri orationes suscipe, & susceptas, quo cuncta soles favore prosequere: ut si laudare quidam (ut sunt hominum ingenia) aut propter imperitiam non poterunt, aut propter malevolentiam nolent, eos a consilio detrahendi tua deterreat auctoritas. Vale.
Venetijs, Octauo Calen. Maij. M. D. LXV. ex Cœnobio Dini Georgij Maioris cognomento.

ORATIONVM ISIDORI CLARII

IN EVANGELIVM SECVNDVM

L V C A M

I N D E X.



Quo primum tempore.
 Fuit in diebus Herodis.
 Non putabam cum hanc.
 In mense autem sexto.
 Mirari iure possum.
 Et ait M A R I A.
 Magnificat anima mea.
 Mansit autem M A R I A.
 Factum est autem.
 Et post quam consumati.
 Et cum impleti fuissent.
 Et erat pater, & mater.
 Et ut perfecerunt omnia.
 Anno autem decimoquinto.
 Et ne cœperitis dicere.
 Expectante autem populo.
 Multa quidem, & alia.
 I E S V S autem plenus spiritu.
 Et consumata omni tentatione.
 Et omnes testimonium illi.
 Et descendit Capernaum.
 Factum est autem.
 Et factum est.
 Peruagabatur autem magis.
 Et post hæc exijt.
 Accidit autem, ut.
 Factum est autem in illis diebus.
 Et extollens oculos.
 Beati, pauperes, quoniam uestrum.
 Beati, qui esuriris nunc.
 Beati, qui fletis nunc.

Oratio I.	car. 1. A
Oratio II.	c. 5. A
Oratio III.	c. 9. B
Oratio IIII.	c. 14. A
Oratio V.	c. 22. B
Oratio VI.	c. 28. A
Oratio VII.	c. 32. A
Oratio VIII.	c. 40. A
Oratio IX.	c. 51. A
Oratio X.	c. 57. B
Oratio XI.	c. 65. A
Oratio XII.	c. 72. B
Oratio XIII.	c. 77. A
Oratio XIIIII.	c. 84. B
Oratio XV.	c. 89. B
Oratio XVI.	c. 94. A
Oratio XVII.	c. 98. B
Oratio XVIII.	c. 104. B
Oratio XIX.	c. 112. A
Oratio XX.	c. 119. B
Oratio XXI.	c. 127. A
Oratio XXII.	c. 134. A
Oratio XXIII.	c. 139. A
Oratio XXIIIII.	c. 143. B
Oratio XXV.	c. 148. B
Oratio XXVI.	c. 153. A
Oratio XXVII.	c. 157. B
Oratio XXVIII.	c. 162. B
Oratio XXIX.	c. 168. A
Oratio XXX.	c. 171. B
Oratio XXXI.	c. 175. B

Beati

Beati eritis, cum uos oderint.
 Veruntamen uæ uobis diuitibus.
 Væ uobis qui saturati estis.
 Sed uobis dico, qui auditis.
 Nolite iudicare, & non iudicabimini.
 Cum autem consumasset.
 Et factum est deinceps.
 Et exijt rumor.
 Rogabat autem eum quidam.
 Superiore oratione, cum historiæ.
 Cum pastoris officium sit.
 Et factum est deinceps.
 Nescio, quantum ea Seruatoris.
 Factum est autem quadam die.
 Factum est autem, cum rediret.
 Conuocatis autem Iesus duodecim.
 Egressi autem circuibant.
 Et factum est, cum solus esset.
 Dico autem uobis uerè.
 Factum est autem sequenti die.
 Stupebant autem omnes.
 Factum est autem.
 Post hæc autem designauit.

Oratio	XXXII.	c.180. B
Oratio	XXXIII	c.185. A
Oratio	XXXIII	c.195. A
Oratio	XXXV	c.201. A
Oratio	XXXVI	c.209. A
Oratio	XXXVII	c.218. A
Oratio	XXXVIII	c.222. B
Oratio	XXXIX	c.227. A
Oratio	XL	c.238. B
Oratio	XLI	c.253. B
Oratio	XLII	c.260. A
Oratio	XLIII	c.275. A
Oratio	XLIII	c.254. A
Oratio	XLV	c.289. A
Oratio	XLVI	c.299. A
Oratio	XLVII	c.305. A
Oratio	XLVIII	c.310. A
Oratio	XLIX	c.315. B
Oratio	L	c.320. B
Oratio	LI	c.325. A
Oratio	LII	c.329. A
Oratio	LIII	c.333. A
Oratio	LIII	c.337. A

Errata grauiora hoc modo corrigenda.

22. B.	inquiras	inquiras.	35.
265. A.	iniquitatem	iniquitatem.	9.
284. A.	caueatur	caueatur.	38.
284. B.	anim	animi	35.
294. A.	cor	cur	35.
297. B.	superstitiones	superstitionis	22.

Cætera, si qua occurrerint, legentium iudicio
relinquuntur.

I

ISIDORI CLARII
EPISCOPI FVLGINATIS
IN EVANGELIVM SECVNDVM LVCAM
ORATIO PRIMA.



VO PRIMVM tempore uobis ego charissimi
ciues episcopus datus fui, illud in primis dedi
operam, ut pro uiribus praestarem, quod prae-
cipuum est episcopi munus, ut scilicet uerbum
Dei uobis euangelizarem. cuius quanta sit uis,
cum antea crederem, nunc per hosce quinque
annos (quando maior huius quinti pars exacta
iam est) ipsa experientia intellexi, ut affirmare
tuto possim, si quis una ex parte omnia, quaecun-
que exercere episcopus debet, officia collocet, ex altera solum munus
euangelij praedicandi, hoc unum reliqua omnia aequare, atque adeo lon-
go interuallo superare. uos enim ipsi locupletes esse testes potestis, quic-
quid boni in hanc urbem me episcopo introductum est, in profligandis
uitijs, in tollendis, quae per abusum inuenta erant, in moribus instauran-
dis, id totum ab una Diuini uerbi praedicatione profectum esse. quod in-
telligens Paulus, dum alij factis alijs gloriarentur, ipse in hoc unum in-
cumbebat, ut praedicaret Euangelium, dicebatque, se non fuisse missum
a Christo, ut baptizaret, sed ut euangelizaret. in eundem modum ipse
Dominus curam sui gregis daturus Petro, cum ter interrogasset, num ab
illo amaretur, ter etiam admonuit, ut suos agnos, & suas oues pasceret.
at pascendi ratio quamuis exemplis etiam recte factorum sit facienda, ne
tanto negotio fiat iniuria, si illotis (quod dicitur) manibus tractetur, nisi
tamen accedat etiam euangelici uerbi alimentum, multum profecto ad
episcopi munus deesse, negare nemo potest. uidete enim, quid sancti
Christi apostoli fecerint, qui tamen si uitam omni ex parte absolutam, ac
prorsus irreprehensam praeseferrent, ut qui innouante spiritum accepis-
sent, atque induti uirtute fuissent ex alto, nunquam tamen hoc esse satis sunt
arbitrati, sed die, noctuque eandem incudem tundeant, ut praedicando
Euangelio operam darent. sic enim praecceptum illis fuerat ab ipso Serua-
tore Christo, cum dixit. euntes in mundi uniuersum praedicate Euangelium
omni creaturae. quod praecceptum recordati apostoli, hanc prouinciam re-

A bus



bus alijs omnibus anteponebant. quare aiebat Petrus . non est æquum nos relinquere uerbum Dei, & ministrare mensis. & paulò post. nos autem precationi, & ministerio sermonis incumbemus . Iure igitur præcipua huius ministerij cura mihi fuit, quamuis tantæ prouinciæ, & uitæ ratione, quæ inculpatissima esse debuerat, & dicendi uirtute impar omnino fini. inquit autem consilio, ac iudicio ad hoc præstandum usus fuerim, non erit fortasse ociosum, si & huius rei rationem reddam . Cernebam Euangelicam historiam, quæ totius Christianæ uitæ scopus esse debet, multò uerò magis reliquas scripturæ sacræ parteis, in quibus nò solum nos, uerum & ipsi etiam Iudæi uitam æternam habere se arbitrantur, ita neglectas, & ignoratas, ut monstro per simile uideri potuisset, Christianos homines a sua ipsorum philosophia tam uehementer reperiri alienos, nisi res multò monstrosior accidisset, quæ huic errori dedisset occasionem. primum enim reperi commune illud cum reliquis ferè Christiani orbis ciuitatibus malum, etiam in hac ciuitate grassatum, ut scilicet per quam plurimos annos, ne dicam secula, defuerint episcopi, qui pastores, & doctores (nam utrunq; iungit Paulus) esse debuissent, qui iccirco ab ipsis etiam nascentis ecclesiæ principijs fuerunt instituti, ne Christi gregibus sua unquam deessent alimenta . deinde his deficientibus succedere ob pastorum inopiam mercenarij, è quibus etsi aliqui interdum reperiuntur, (quanquam hæc rara auis est) qui hoc negocium fideliter, ac synce rē tractent, nunquam tamen proprij pastoris, neque curam, neque affectum assequi possunt. quid enim? unus, exempli gratia, hoc anno per totos sanctæ quadragesimæ dies est concionatus. primum uenit meditat- tus, suis præparatis multò antea concionibus, quibus tanquam panchresto quodam medicamento ad omnes morbos utatur. deinde satis est illi, si eruditi concionatoris nomen assecutus, cum suo lucello, cuius etiam spe uenerat, discedat, sequenti anno alia in ciuitate idem facturum. hoc ipsum ubiq; singulis annis usu uenit . & quoniam concionatorum mos est, illas duntaxat Euangeliorum parteis interpretari, quæ eo die in ecclesia leguntur, sit, ut maxima Christianorum pars nunquam uel legerit, uel audierit tota Euangelia. quod ut ita esse credi facilius à uobis possit, (quanquam uos ipsi toto superiori tempore id estis experti) scio ex ipsis concionatoribus repertos, quibus hoc usu uenerit. nam quidam in arte concionandi celeberrimus, cum inter disputandum citatus fuisset locus ex Euangelio, qui non soleret in ecclesia legi, negauit locum illum esse in Euangelio. productus fuit Euangeliorum liber, quem is nunquam antea uiderat. rogat quodnam sit uolumen illud. respondet, librum esse, qui integra quatuor Euangelistarum uolumina complecteretur. tum ille, triginta (inquit) iustis annis concionandi officio functus sum,

sum, neque unquam sciui fuisse alia Euangelia, præter eas parteis, quæ passim in ecclesia leguntur. atque hi tam crassi errores propterea usu ueniunt, quòd pastores partes suas non implent, qui si per totam uitam, totoque anno pastoris officio fungerentur, fieret, ut nullus esset sacrarum scripturarum locus, qui à populo ignoraretur. Hæc ego cum cer- nerem, optaremque uetustum ecclesiæ morem in hac urbe instaurare, quo episcopi integra sanctorum Euangeliorum uolumina populo interpretabantur, iudicani non ab re futurum, si antea, quam hoc opus aggrederer, compendiosè summam Christianæ philosophiæ uobis ante oculos ponerem, ad quod præstandum nullus mihi aptior locus uisus est, quam sermo ille, quem Matthæus Euangelista scribit à Domino habitum fuisse in monte. nam in eo sermone Euangelica lex tradita iure dici potest. itaq; primo ipso anno hanc partem aggressus fui, in qua ob rerum, quæ ibi tractantur, maiestatem, uisum fuit latius exspatiari, quod cum fieret, ad hoc usq; tempus illa exspatiatio perdurauit, summa cum & mea, & quantum intelligere potui, uestra uoluptate, quam neque minor utilitas est consecuta. quanquam interea non pauca extraordinariæ orationes habitæ à me fuerunt, pro temporum, & incidētium rerum ratione. His iactis fundamentis, cum uos iam multò uideam capaciores, quam antea fueratis, decreui integram aggredi Euangelicam historiam, ut Christianæ philosophiæ præstantiam latiore specie uobis posthac liceat contemplari. Et quamuis omnes Euangelistæ suam singuli habeant dignitatem, & gratiam, placuit tamen nunc Euangelium, quod à beato Luca scriptum fuit, accipere interpretandum. præterquam enim, quòd hic Euangelista copiosè, & ornate & facta, & dicta Seruatoris Christi describit, illud præterea habet peculiare, quòd ipsa rerum exordia, quæ ab alijs tacita fuerunt, ipse felicissimè explicat. quod idem studium adhibuit in illo egregio opere, quod Acta apostolorum inscribitur, in quo nascentis ecclesiæ primordia tam accuratè scribit, ut non minorem, quam sancta ipsa Euangelia, fidelibus utilitatem præbeat. quod uolumen fortasse, si tantum uitæ supererit, post hoc eius Euangelium uobis interpretabimur. Quoniam uerò scribentis auctoritas plurimam uim habet ad faciendam fidem eorum, quæ scribuntur, operæ pretium erit, si ea, quæ de hoc uiro apud Græcos, & Latinos scriptores reperi, uobis breuiter enarrem. Fuit hic Antiochenus genere, arte medicus, & in externa etiam philosophia peritus, & Ierosolymis probè Hebræorum disciplinis eruditus. creditur scripsisse Euangelium, hortatu Petri apostoli, Acta uerò apostolorum persuasionem Pauli, cuius peregrinatiōis indefessus comes fuit, ac propterea illā potuit & certius, & accuratius scribere. huius interdum meminit ipse Paulus in epistolis suis, ut cum dixit. Lu-

cas est mecum solus. & alibi. salutat uos Lucas medicus dilectus in Domino. uixit octoginta & quatuor annos. uxorem non habens. mortuus est Ephesi, & ibi sepultus. postea translatus fuit Constantinopolim temporibus Constantii Imperatoris, magni Constantini filij. à qua urbe demum translatus Patauium, nunc requiescit in nostro monachorum cœnobio, diuæ Iustinæ uirgini, ac martyri dicato. Audistis scriptoris dignitatem. qua iure duo mihi in mentem ueniunt cogitanda, in quibus intellegere possumus, quàm longo nos interuallo cæteris omnibus cuiusuis sectæ hominibus antecellamus. Primum enim nostri sacrorum uoluminum scriptores inculcata uita, ac pleni Deo fuerunt, quod non solum ex ijs, quæ scribebant, uerum etiam ex admirandis signis, & prodigijs, quæ elebant, sciri poterat. hoc ad faciendam fidem eorum, quæ scriberentur, plurimum ualet, ne uagæ, atq; instabiles toto uitæ tempore nostræ cogitationes ferantur. quod in externa philosophia non facile reperias, ubi qui scripserunt, ferè aliquo uitio notati sunt. at cum uitiosis animis ueritas habere commercium non solet, nam in maleuolam animam (ait quidam) non intrabit sapientia, neq; habitabit in corpore subdito peccatis. alterum est, quòd nos selectos habemus auctores ueteris, ac noui testamenti, quibus tutò fidamus, ut dicere liceat cū propheta. testimonia tua credibilia facta sunt nimis. hos certò scimus, nò humanas, aut à se inuentas doctrinas attulisse, neque enim unquam humana uoluntate (ait apostolus Petrus) allata est prophetia, sed spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. quæ res etiam efficiebat, ut non nisi magna, seria, graui scriberet. in externa uerò philosophia contraria omnia reperias. primum enim nullus est certus auctor apud eos, quem uno consensu philosophi omnes sequendum iudicet. quin potius inter se alter alterum euertere tentat, tamque dissectæ sectæ inter eos sunt, ut cum euertere eorum dogmata uolumus, satis sit, illis ipsis, & eorum disputationibus uti, ad illos confutandos, & euertendos. deinde quæ scribunt, plus ostentationis habent, quàm neruorū, ac succi, ut quæ humano ingenio sint excogitata, quod à Diuinis cogitationibus nimium distat. uide. n. quid ipse Deus per prophetā dicat. non. n. cogitationes meæ cogitationes uestræ, neq; uia meæ uia uestræ, dicit Dominus. quia quātò celsiores sunt cœli terra, tātò celsiores sunt cogitationes meæ cogitationibus uestris, & uia meæ uis uestris. quid. n. si accuratius in eorū scripta inquiras, habent solidi, aut certi, præsertim de rebus paulò grauioribus, ut de mundi, & hominum origine, de prouidentia, de animæ substantia, ac perpetuitate, deque ijs similibus? præter eos, qui aliquam à nostris lucē accepere, cui dum adhererebant, tandiu rectè scribebant, ubi uerò transuersum, ut aiunt, unguem deflexerunt, mox crassissimis erroribus inuoluebantur. neq; id sanè mirum,

rum, cum rectè sapiens ille dixerit. cognoui, quòd omnium operū Dei nullam possit homo inuenire rationem, eorum, quæ fiunt sub sole. & alibi. mundum tradidit disputationi eorum, ut non inueniat homo opus, quod fecit Deus ab initio usque in finem. at nostra sacra uolumina, cum spiritu Dei facta sint, qui scrutatur omnia, etiam profunda Dei, omnia, tuta, uera, certa habent, & dignissima, quibus omnis fides adhibeatur. per hos libros intelligimus, perfectà fuisse secula (quemadmodum ad Hebræos scribitur) uerbo Dei, ut ex ijs, quæ non apparerant, ea, quæ uidentur, fierent. habemus non dubitatam mundi originem, idque opera Dei, eamque tam certam, ut uetustissima Hebræorum etiam, qui diuinis & ipsi auctoritatibus nituntur, obseruatione, ipsum quoque annorum numerum à mundi origine ad hæc usque tempora teneamus, quod ab alijs omnibus, qui hosce sacros libros non legerunt, sciri nunquam potuit, sicut & de hominum origine, quam nos in exordio libri Genesios apertissimam habemus. quam opinor eos legisse, qui inter externos finxerunt, Prometheum è limo terræ formasse hominem: sed, cum essent minimè initiati, neque ea animi puritate præditi, qua ueritatis essent capaces, fabulis omnia impleuerunt. quòd si hoc fecerunt propterea, ne ueritas in uulgus, & minus capaces homines proderetur, ne sic quidem rectè ab eis factum fuit, ut tantam ueritatem mendacijs commacularent. Ab eisdem scripturis habemus cætera omnia & magna, & scitu necessaria diuini enim uiri aperuerunt nobis immensam, & quæ omnem omnium matrum affectum superet, Dei erga nostrum genus charitatem. de clararunt eius tam latè patentem prouidentiam, ut ad minima quæque sese demittat. qui dat iumentis (inquit) escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. docuerunt, non solum immortalem esse animam, uerum etiam hæc ipsa nostra corpora ad immortalem aliquando uitam esse surrectura. Hæc breuiter commemorare non fuit superuacuum, ut intellecta sacra scripturæ & maiestate, & utilitate, nos in hos thesauros bene penitus demus, & tanto muneri Dei grati simus, qui non ita fecit (ut ait psaltes) omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Verum, quod ad Euangelij rationem pertinet, quod suscepimus interpretandum, uidete, ut ipsa appellatio promittat id, quod etiam re uera complectitur. Euangelium enim Græca uox bonum nuntium Latinis sonat. quidnam uerò boni est, quod hæc historia non annuntiet? & in primis recõciliationem Dei cum hominibus, & illius incomprehensæ maiestatis tam admirandam erga nos charitatem, ut pro illo genere, quod in ipso initio sui ortus deficere à Deo ausum fuit, deinde deteriora semper sectatum, in beluinam naturam degenerauerat, pro illo inquam tam perditio genere, filium suum unigenitum dederit. annuntiat hic par-

tus uirginis, & ortus Dei, ob Diuinæ naturæ cum humana coniunctio-
nem, duæ res, quibus nulla admirabilior queat excogitari. annuntiat
eiusdem filij Dei declarata nobis uiuendi ratio, atque è cælo allatæ leges,
quibus qui parent, & uitam hanc felicissimè degant, & illam sempiter-
nam assequi possint. hoc quantum est, habere legum nostrarum lato-
rem Deum, ac Dei filium, cuius leges certò scimus esse omni ex parte ab
solutissimas? significatur hic eiusdem filij Dei in crucem pro nobis acti,
cruenta mors, ut à Diaboli potestate liberaremur, & eius præterea plena
gloriæ in immortalem uitam resurrectio, & ascensus in cælum, ubi acce-
ptam hæc à nobis naturam ad Dei patris dexteram collocauit. promittit-
tur nobis eadem, & eiusdè gloriæ nostrorum corporum resurrectio, in
qua beata fruemur æternitate. Cernis, ut meritò nostra hæc historia
Euangelium appelletur, quæ ea annuntiat, quæ nullus unquam homi-
num non solum expectare, sed ne optare quidem ausus fuisset? Sed tem-
pus iam est, ipsum sancti Euangelij textum aggredi, & quando iam lon-
gius prouecti dicendo sumus, satis erit hodie præmium explanare,
quod ita se habet. Quoniam multi attentauerunt contexere earum re-
rum narrationem, quæ inter nos certissimæ fidei sunt, sicut tradiderunt
nobis iij, qui ab initio suis oculis uiderant, & ministri fuerunt sermonis,
uisum est & mihi, ut cunctis ab initio exacta diligentia peruestigatis, de-
inceps tibi scriberem optime Theophile, ut agnoscas eorum, de quibus
edoctus fueras, certitudinem. Vtitur præmio Lucas, quod ab alijs tri-
bus Euangelistis non est factum, qui historiam Euangelicam sine ulla
præfatione aggrediuntur. sed oportuit hunc Euangelistam ita agere pro-
pterea, quod ad unum scribit, ad quem fuit consentaneum hæc saltem
pauca præfari, ut causam sciret, cur ad eum potissimum scriberet. qua in
re obserua, quid possit charitas. non recusat, nec dedignatur, tantum, ac
tam egregium uolumen scribere unius hominis gratia, ut eum in fide,
quam acceperat, reddat confirmatiorem. quin & ad eundem destinat al-
terum magnificum uolumen, quod Acta apostolorum inscribitur, sed il-
lic omittit præfationem, tantum eum appellasse contentus, arbitratus
hanc, quæ hic ponitur, utrobique posse satisfacere. quæ etiam res decla-
rat horum uirorum in scribendo sobrietatem, & animum ab omni am-
bitione alienum. uide enim, quam paucis uerbis præfetur, tantam histo-
riam, ac tantæ maiestatis scripturus. quibus uerbis causam reddit, cur
scribere aggressus sit. Quoniam (inquit) multi attentauerunt contexere
earum rerum narrationem, quæ inter nos certissimæ fidei sunt. Multos
fuisse, qui Euangelium scripserunt, satis liquet ex ecclesiasticis scriptori-
bus, qui alia interdum citant Euangelia, præter ea quatuor, quæ initio ab
ecclesia recepta fuerunt, ut meminerim me legisse, ad quatuordecim
Euan-

Euangeliorum scriptores extitisse. sed ecclesia Christi, quæ summo sem-
per usæ est iudicio, ut quæ Dei spiritu regatur, quatuor duntaxat appro-
bavit, uidelicet Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis. uidetur hic ergo Lucas
significare, plures suo tempore fuisse, qui conati sint Euangelicam histo-
riam contexere, quibus tamen res parum feliciter cesserit propterea,
quod eam rerum certitudinem non essent assecuti, quæ scribendis tan-
tis rebus erat necessaria. sed hoc non apertè dicit, ne quenquam offen-
deret. ex quo etiam colligitur, eos, qui hæc scripserant, fideles, ac catholi-
cos fuisse, non hæreticos, ut quidam suspicantur. nam, si fuissent hæreti-
ci, non eis peperisset, ne malum serperet longius, sed apertè dixisset,
fuisse quosdam, qui falsa, & à catholica ueritate aliena scripserunt. nunc ue-
rò, quia uera quidem scripserant, sed non fuerant integrè hanc uerita-
tem assecuti, ipse coactus est hoc scribere Euangelium. quod ita esse, ui-
dentur sequentia uerba confirmare, cum ait. quæ inter nos certissimæ
fidei sunt, sicut tradiderunt nobis iij, qui ab initio suis oculis uiderant,
& ministri fuerunt sermonis. quæ (inquit) exploratissima nobis sunt.
nam in Græco est, *πεπληροφορημένων*. nam *πληροφορία* significat eam cer-
titudinem, qua nihil iam amplius addubitetur. quod in externa philoso-
phia non facile reperias, in qua philosophi magni duntaxat opinatores
sunt. quod uerò addit, sicut tradiderunt nobis iij, qui ab initio suis ocu-
lis uiderant, ijs uerbis significat, se ista non à Seruatore Christo, sed ab
eius apostolis didicisse. quare qui opinantur Lucam fuisse unum ex ijs
duobus, qui euntes in Emans habuerunt dominum in uia cum eis col-
loquentem, eosque docentem, non satis tutam rationem habent, cum
hoc loco uideatur Lucas eorum opinioni refragari. è quatuor itaq;
Euangelistis duo scripserunt, ut uiderant, Matthæus, & Ioannes. duo, qui
ab apostolis audierant, Marcus, & Lucas. ait ergo. sicut tradiderunt no-
bis iij, qui ab initio suis oculis uiderant, & ministri sermonis fuerunt.
eiusmodi uerbis & Ioannes Euangelista in epistola sua utitur, cum ait.
quod uidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ con-
trectauerunt de sermone uitæ, & uita manifestata est, & uidimus, & testa-
mur, & annuntiamus uobis uitam æternam. illud uerò, ministri sermo-
nis fuerunt, significare potest, apostolos, à quibus ista acceperat, fuisse
partem aliquam eorum, quæ narrabant. nam in illis ipsis negocijs uersa-
ti sunt. uisum est & mihi, ut cunctis ab initio exacta diligentia peruesti-
gatis, poterat & sic uerti, uisum est & mihi, omnia exactè ab initio assecu-
to. nam illud *παρακολουθήσας*, significat eum, qui bene aliquid intelli-
gentia sit assecutus. uisum est (inquit) & mihi, fortasse aliud etiam præ-
ter id, quod diximus, uoluit significare. solebant sapientes Hebræorum
secretiora mysteria per receptionem, ac uiua uoce docere, unde rece-
ptio

ptio illa eorum lingua Cabala appellabatur. at, cum hæc de Seruatore Christo mysteria summa sint, ac talia, ut angeli per ecclesiam didicisse uideantur, quæ antea nesciebant, ut dicere uideatur Paulus ad Ephesios, uideatur Lucas hic significare, se nunquam ausum fuisse tanta mysteria scriptis proderi, nisi uidisset iam à pluribus hoc factum. & uide, ut quadrent uerba. quoniam complures aggressi sunt contexere hanc narrationem, uisum est & mihi. hoc est, quando iam cœptum est hoc agi, uisum est & mihi. an non superuacuum est (dicet aliquis) quod ab alijs factitatum iam sit, rursus uelle repetere? non. quia illi non exacta diligentia sunt usi. quod quamuis non aperte dicat, ex eius tamen uerbis facile colligitur, cum subdit. ut cunctis ab initio exacta diligentia peruestigatis, deinceps tibi scriberem. quasi dicat. si ij, qui tam multi scripserunt, id præstitissent, non hunc subijssem laborem, sed cum uideam huiusmodi scriptores non omnia exacta diligentia peruestigasse, mouit me dignitas rei, ut hoc efficerem, ac tibi scriberem optime Theophile. quod uertimus, optime, in Græco est *καταίστε*, quæ uox significat hominem, qui plurimum polleat, & potentia præstet, ac nobilitate. ex quo intelligi potest, hunc Theophilum insigni aliqua dignitate eminuisse. quem cum cerneret egregiè affectum huic philosophiæ, dedit operam, ut multò etiã instructior euaderet. iccirco adiecit, ut agnoscas eorum, de quibus edoctus fueras, certitudinem. quod nos uertimus certitudinem, in Græco est, *εσφάλειαν*, quæ uox significat munitionē, & eam securitatem, qua metuere quis ab errore, ac deceptione nō possit. unde Græci dicunt *εσφάλειαν δ' τῶ ὄντι*, hoc est, dare idoneos spōsores. Velim ergo, ut huius Theophili & nomen, (nam Theophilus significat amicū Dei) & mores, factis Christiano homine dignis, imitemini. tūc. n. digni eritis hoc huius Euāgelij munere, quod ad uos æque missum, atque illi Theophilo existimare debetis. quicumque uerò dignitate aliqua præditi sunt, proponant sibi hunc Theophilum: cui illa honoris, & dignitatis præstantia impedimento non fuit, quò minus eos in hac philosophia progressus faceret, ut dignus iudicaretur, cui tantus Euangelista duo egregia uolumina dono daret. nullus gradus, nullus sexus, nulla conditio excusare ab hoc potest, quin uel legat, uel audiat diuina uolumina. doctus est quis? ingenium habebit aptius huic studio, quod cæteris omnibus maiestate præstat. idiota est, ac imperitus? multò magis opus est, ut ad Euangelicæ ueritatis lucem accedat, ne per ignorantiam erret. diues est, ac dignitate cæteris antecellit? sine Euangelicis monitis nunquam uel opibus, uel honoribus rectè uti poterit. pauper est, atque infimæ sortis homo? nullum præsentius remedium est ad leuandas paupertatis molestias, quàm Euangelium, ubi audis, pauperibus allatum Euangelium. Euangelizare (inquit)

(inquit) pauperibus misit me. pauperibus regnum cœlorum promittitur. beati (inquit) pauperes, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. qua pollicitatione quænam felicior existimari unquam potest? quare adestote frequentes ciues mei, & eos, qui pigriores sunt, exstimulate, ut ad hæc Euangelicas cœnas alacres conueniant. etenim si hoc in loco, atque hoc tempore, quoties huc conuocamini, solenne epulum pararetur, tota conflueret ciuitas, ut tam ingens templum capere numerum conuiuantium non posset. ubi uerò spirituales hæc epulæ, & cœlestia hæc conuiuia proponuntur, è quibus infinita bona consequi licet, inertes, ac pigri homines sunt. uenirent auidi ad corporeum cibum capeendum, ex quo luxus tantum, ac uitæ dissolutio comparatur, & auersantur uerum uiri, hoc est, interioris hominis cibum, qui uitam illis comparet sempiternam. ne quæso tam stupidi in tanti ponderis rebus simus, sed potius curate, ut illud præstetis, ad quod in sacro epithalamio canticæ inuitamini. comedite (inquit) amici mei, & bibite, & inebriamini charissimi. sic enim fiet, ut spirituali hoc cibo, ac potu crescatis in uirum perfectum, in ætatem plenitudinis Christi, & promissis demum ab illo bonis fruamini. iuuante eodem Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & imperium sempiternum. Amen.

O R A T I O S E C V N D A .



HVIT in diebus Herodis regis Iudææ sacerdos quidam nomine Zacharias, de uice Abia, & uxor eius de filiabus Aaron, & nomē eius Elisabet. Non sine Dei uoluntate factum est, ut ecclesia Christi quatuor receperit Euangelij scriptores. ex qua re duo potissimum, quæ ueritatem magis astruerent, sunt consecuta, unum, quòd cernas in illis eam dicendi simplicitatem, ut, cum de tantæ maiestatis rebus scribant, nunquam tamen iudicium suum interferant, ut uel amoris, uel odij gratia, qui gemini affectus ueritatem historiæ plurimum uitare consueuerunt, quicquam scripsisse uideantur. quod non faciliè in externis historiæ scriptoribus inueniatur, qui affectibus plerunque indulgent, ut sæpe cogamur eos habere suspectos, alterum est, quòd, cum omnes eadem de re scribant, diuersis utantur exordijs, quæ tamen ea constant maiestate, ut mirum sit alios tacuisse, quod unus dixerit. ecce enim Matthæus, post descriptam genealogiam Seruatoris, meminit, quid acciderit, cum desponsata esset mater Iesu Maria Ioseph, historiam addit adorati à Magis Iesu. tantam rem nullus aliorum attigit. Lucas & ipse solus

tam multa admiranda memorat, quæ primo, ac secundo capite complexus est. Ioannes uerò, quod à nullo alio fuit factum, tanta cum maiestate Diuinitatem filij Dei describit, ut exteris etiam fecerit admirationem, ex quo significatio fit, uerisimum esse, quod ait idem Ioannes Euangelista, fuisse scilicet & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur (inquit) per singula, nec ipse, opinor, mundus caperet eos libros, qui scriberentur. Sed perscrutemur iam huius Euangelicæ historiæ uerba. Fuit (inquit) in diebus Herodis regis Iudææ sacerdos quidam nomine Zacharias, de uice Abia. quod ait in diebus Herodis, Hebræa locutio est, pro eo, quod nos diceremus, regnante Herode in Iudæa meminit autem Herodis ad historiæ euentiam. quod & a prophetis quoque factum fuit, ut obuium cuiq; legenti esse potest. quamuis & ipsa narratio regni Herodis ad hoc etiam seruit, ut ex hoc Herodis regno intelligatur facilius Christum aduenisse. quando tum impleta fuit prophetia illa, quam prædixit Iacob in filiorum benedictione, cum ait. non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec ueniat, (ut habet uulgata editio) qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium, Hebræa habent, donec ueniat Silo, quæ uox admodum grauida sensibus est. significat enim Silo multa, non pugnantia inter se, sed sic inter se cognata, ut Iacob in hac prophetia omnia ea coniunctim de Christo intelligi uoluerit, sicut in plurimis alijs scripturæ locis uaria significatio unius uocabuli sententiam plenior reddit. significat ergo in primis Silo, cuius illud, scilicet, sceptrum (cuius meminerat) proprie erit. secundò significat id, quod filius eius, ut sit sententia, donec ueniat filius Iudæ Christus Dominus, item munera ei, scilicet, offerentur. item felicitatem, seu prosperitatem. hæc omnia coniunctim propheta tribui Christo uoluit. cum ergo hæc prophetia uisa fuerit impleri per regnum Herodis, qui omnem potestatem, & sceptrum Iudæis ademit ipse alienigena, meritò Lucas Herodis meminit, ut intelligere quiuis posset expectari à Iudæis Messia aduentum. De uice Abia. in Græco est, ἐξ ἐπιμερίας. significat autem ἐπιμερία statutum diem ministrandi. de hoc Abia, & ordine ministerij habes libro primo Paralipomenon, capite uigesimo quarto, ubi legitur, uices, seu partitiones Leuitarum ad ministrandum, in hunc modum fuisse distributas, ut in quatuor & uiginti partes diuiderentur, quarum octaua obtigit Abia. enumeratis autem istis sequitur eodem loco. hæc uices eorum secundum ministeria sua, ut ingrediantur domum Domini iuxta ritum suum. cum autem hic ordo sequentibus etiam seculis seruaretur, contigit Zachariam esse in ea partitione, ac uice, quæ erat Abia. Et uxor eius de filiabus Aaron: & nomen eius Elisabet. quod ait, uxorem eius fuisse de filiabus Aaron, hoc est, quæ ex genere Aarò profecta esset, id est, ac si dixisset, habebat uxorem eiusdem

eiusdem tribus. nam solum ex stirpe Aaron profecti ministrabant templo. cum ergo dicat, uxorem eius fuisse de filiabus Aaron, declarat utrumque ex eadem tribu profectum. erat autem maxima inter Iudæos cura, ne tribus confunderentur, præsertim ob hereditates, quas uolebant de tribu in tribum trãsferri, ut seruaretur ea diuisio, quæ ingressis terram promissam sub Iosue facta fuerat. Erant autem ambo iusti coram Deo, ambulantes in omnibus præceptis, & iustificationibus Domini irreprehensi. magna commendatio duorum coniugum, & beatam esse necesse est illam domum, in qua uterq; coniunx in idem conspirant, atque unum illud querunt, ut in præceptis, & iustificationibus Domini ingrediatur irreprehensi. ubi uerò alter claudicat, illud tum accidit, quod in iugo bouum, quorum alter obediatur, alter iugum detrectet. tunc enim nihil recti consequi solet. Quod autem ait, erant ambo iusti coram Deo, uel hoc dicit, quod non solum hominum iudicio, quod multis accidit, essent iusti, sed multo magis iudicio Dei, uel more linguæ Hebrææ intelligit uehementer iustos. cum enim magnum aliquid, atq; excellens significare uolunt, Diuinum appellant, ut môtus Dei, cedros Dei. & illud, quod legitur in Genesi, erat robustus uenator coram Domino, in eundem sensum accipiunt, ut ingetem, excellentemq; uenatorem intelligant. hi ergo merito iusti uocantur coram Deo, quos ait Euangelista ambulasse in omnibus præceptis, & iustificationibus Domini irreprehensos. Nec erat ijs proles, eo quod Elisabet sterilis esset, & ambo proeuctæ iam ætatis essent. altera commendatio horum iustitia, quibus cum res obtigisset, quæ maximè omnium tunc iudicaretur infelix, carere uidelicet liberis, nõ tamen iccirco a iustitia recederent, neq; quicquam quererentur. nam, quod uertimus, irreprehensi, in Græco est, ἀμωμοί, quod & actiue, & passiuè accipi potest, & de quibus uidelicet nemo queri posset, & qui ipsi nihil quererentur, quorũ utrumq;, aut etiam utrumuis horum raro in hominibus reperias. magna itaq; horum coniugum est ex hac re commendatio, quod cum liberis carerent, iamque generandi spes adempta esset, (ob hanc enim causam, cum dixisset, eo quod Elisabet esset sterilis, adiecit, & ambo proeuctæ essent ætatis) nihil tamen quererentur, neque murmurarent, nam apud Israelitas ingenti dabatur probro, si qui generandi uirtute essent destituti. sanctum enim erat semen illud, quod à magno illo, ac Deo charo Abraham deductum erat, quod sicut augere felicitati ascribatur, sic esse infœcundum res iudicabatur infelicissima, præsertim cum ex eo sanguine Christus nasciturus expectaretur. quare execrandæ censebantur illæ mulieres, quæ non parerent, & eis obijciebatur, tanquam probrosa res, ipsa sterilitas. unde in historia regum legimus æmulam Annæ matris Samuelis identidem illi obiecisse, quod conclusisset Dominus

uulnam illius. sic dolebat Rachel, q̄ uæ, cum aliquot annos nõ genuisset, uerita sterilitatē dicebat Iacob uiro suo. da mihi liberos, alioqui moriar. & propheta quidã, cum spiritu Dei actus, magnũ quid. imprecati populo, uellet, dixit. da eis domine. & quasi quærens, quid maioris mali imprecetur, addit. quid dabis eis? demum petit. da eis uulnam sterilem, & ubera arentia, ut scilicet, uel non generarent, uel non haberent, quo natum infantem alerent. at apud nostros non ita est ignominiosum, uirtutem generandi non habere, apud quos spiritualis potius fecunditas. quæritur, quàm illa carnis. nam Christiana respublica ad cælum format. quare Paulus ad Corinthios scribens, malebat, ut castitatem, & uirginem uitam eligeret, quàm coniugium. iccirco aiebat. uelim omnes homines esse sicut me ipsum, & dico non coniugatis, & uiduis, bonum eis est, si manserint, ut & ego. & rursus. qui stat firmus in corde, nõ habens necessitatem, sed potestatem habet propriæ uoluntatis, & hoc decreuit in corde suo, ut seruet suam uirginem, bene facit. itaq; qui dat nuptum, bene facit, attamen qui non dat nuptum, melius facit. totoque illo capite in hoc incumbit, ut uirginitatem magis approbet, quàm coniugium. sic Dominus, cum discipuli dixissent, si ad istum modum habet causa hominis cum uxore, nõ expedit contrahere matrimonium, respondit. non omnes capaces sunt huius dicti, sed quibus datum est. sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt, & sunt eunuchi, qui facti sunt eunuchi ab hominibus, & sunt eunuchi, qui seipso castrauerunt propter regnum cælorum. qui potest capere, capiat. hoc eunuchorum genus futurum esse, iam olim præuidens Esaias, aiebat. nõ dicat eunuchus. ecce ego lignum aridum. quia hæc dicit Dominus eunuchis. qui custodierint sabbata mea, & elegerint, quæ ego uolui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomẽ melius à filiis & filiabus. nomen sempiternum dabo eis, quod nõ peribit. uide, ut res nostræ, & uita hæc casta, quæ post aduentum Christi claruit, multò ante sub eunuchorum nomine fuerit deliniata, quibus cum promittatur, eos nomen melius habituros, quàm si filios, & filias genuissent, nomen uidelicet sempiternum, quis dubitet, de illa perpetua, nõ de hac exigua uita fuisse intellectum? Ob hanc causam ab ipsis nascentis ecclesiæ exordijs uigere cœpit hoc uitæ institutum, & consequenti tempore montes, & siluæ, ac solitudines replebantur, studio eius uitæ, quæ pares angelis facit, ut in hac corruptibili uita iam illam representarent, quæ in cælo futura est. de qua Dominus dixit. in resurrectione neque matrimonium contrahunt, neque elocantur, sed sunt sicut angeli Dei in cælo. Sic ergo res habet de coniugio, & suscipiendis liberis sub Euangelio, quæ res tangenda fuit duas ob causas. unam, ut quæ nunc infœcundæ mulieres ac steriles corpore sunt, nõ admodum ægrè ferant,

ferant, cum apud nos de spiritali potius fecunditate, quàm de corporea sit cogitandum. alteram, ut horum coniugum, Zachariæ, atque Elisabet probitas agnoscat, nobis quæ imitanda proponatur, qui si in illa rerum umbra, & quò tempore corporea generatio tanti æstimabatur, erant tamen irreprehensi, neque quicquam conquerebantur, certè nobis in tanta Euangelij luce, & ubi solum commercium cum cælo, & cœlestibus rebus postulatur, turpissimum est, de quouis temporario incommodo murmurare, ac conqueri. Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine uicis suæ coram Deo, secundum consuetudinem muneris sacerdotalis, fors illi obuenit, ut odores incenderet, ingressus in templum Domini: & omnis multitudo populi precabatur foris tempore thymiamatis. Quod ait, accidisse hoc, quod mox dicturus est, cum Zacharias fungeretur sacerdotio in ordine uicis suæ, sciendum est, sub lege, in qua procreatio liberorum erat in pretio, ut dudum diximus, sacerdotes etiam uxores habuisse, quod eò magis fuit necessarium, quia iuebatur ex Leuitico genere esse eos, qui templo ministrarēt, quæ tribus ut perduraret, successione filiorum opus erat, quæ sine coniugio. esse nequit. sed, quia oportebat, ut, quo tempore in templo ministrabant, ab uxoribus abstinerent, necesse fuit, ut per uices ministrarent in templo, ut tempus haberent, quo procreandis etiam liberis operam dare possent. in sacerdotio autem, quod sub Euangelio administratur, alia ratio est. nam hi sacerdotes semel Deo dicati, perpetuo illius seruitio mancipati sunt, ut uxori, & procreandis liberis operam dare non uacet: neque præterea illud generandi studium, quod sub lege erat, ut iam offendimus, sub Euangelio requiritur. quod fuisse admonendi ob eos, qui hac ætate omnem ecclesiæ ordinem euertere sunt conati, & coniugio copulare sacerdotes non sunt ueriti: nõ cogitantes, quàm sit turpe, atque abominandum, inter maritales amplexus ea mysteria tractare, quæ cælum ipsum reueretur. à quibus amplexibus abstinerere iuebantur sub lege, qui umbræ seruebant, & carnalia tantum sacrificia animalium ratione carentium immolabant. ita inquinatæ, ac prophanæ mentes tum se optime facere sibi persuadent, cum pessime, ac sceleratissime faciunt. Cum ergo sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine uicis suæ coram Deo, secundum consuetudinem functionis sacerdotalis, fors illi obuenit, ut odores incenderet, ingressus in templum Domini. Erat duplex mos offerendi thymiamatis. erat primum indeficiens incensum mane, & uespere. erat & aliud, cum semel per annum summus sacerdos solenniter incensum offerebat, & precabatur in die expiationis, qui decimus erat in mense septembri, pro lunæ tamen ratione, quam obseruabant, & deliniebat cornua altaris ex sanguine oblato pro peccato. quanquam & eo die in-

grederetur in sancta sanctorum, non quòd ibi staret altare aureum & incensi, sed quia ante arcam Domini precabatur pro peccato. uerisimile tamen est, tempore secundi templi, & cum Zacharias incendit thymiana, fuisse in sancto sanctorum altare incensi aureum. nam Iudæi testantur, eo tempore nec arcam Domini, nec propitiatorium, nec tabulas testamenti ibi fuisse. hic autem interior locus templi dicebatur ob reuerentiam sanctum sanctorum, in quod soli summo pontifici ingredi licebat, idque semel per annum. reliqua templi pars uocabatur, sancta. de quibus ad Hebræos ita scribitur. habebat quidem & prius illud, iustificationes, cultus, ac sanctum mundanum. tabernaculum enim factum est primum, in quo erant lucernæ, & mensæ, & propositio panum, quod dicitur, sancta. post secundum autem uelum erat tabernaculum, quod uocatur sanctum sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam testamenti, undique circumtextam auro, in qua urna aurea habens manna, & uirga Aaron, quæ germinauerat, & tabulæ testamenti. supra hanc autem cherubin gloriæ, obumbrantia propitiatorium. his autem ad hunc ordinatis modum, in prius quidem tabernaculum semper ingrediuntur sacerdotes, qui sacrorum ritus peragant, in secundum autem semel quotannis solus pontifex non sine sanguine, quem offert pro se ipso, & pro populi ignorantia. Appellat autem Paulus sanctum mundanum, atrium illud, ad quod inuisendum omnibus patebat accessus. nam cortinæ atrij erant plenæ foraminibus, arcentes quidem ingressum templi, sed aspectum non impediabant. Hanc autem enarrationem placuit facere, nõ solum, ut ea, quæ tractamus, apertius intelligantur, uerum multò magis, ut intueamini, quàm perdita sit ætas nostra, & Diuinis muneribus ingratisima, ut dici nunc uerè possit, sanctum dari canibus, & proijci margaritas ante porcos, quæ dū dico, obsecro uos per Dominum Iesum, ut attentè ea obseruetis, ac detis operam, ut tam monstrosi abusus de quibus sæpius ex hoc loco sum conquestus, tandem aliquando auferantur. Erant omnia, quæ in ueteri lege in illis sacrificijs agebantur, umbræ quædam, ac figuræ earum rerum, quarum sub Euangelio patefacta ueritas est. nihil in eis erat, quod magno pere esset admirandum. quid enim? immolabantur agni, boues, uituli, arietes, animantia ratione carentia. in templo maximum quod esset, erant tabulæ testamenti, manna, quod repositum ibi erat, in memoriam cibi, qui in deserto è cælo datus illis fuerat, & uirga Aaron, quæ germinauerat, cum eo miraculo Deus ostendit, ipsum Aaron electum fuisse à Deo, ut sacerdotio fungeretur, non autem alios, qui sese temerè huic muneri ingerebant. his nihil maius, neque admirabilius erat in templo: & tamen in interiorem illam

templi

templi partem, quam sanctum sanctorum diximus appellatam, ubi posita erant ea, quæ nunc commemorauimus, non cuius sacerdoti patebat accessus, sed soli pontifici maximo, idque semel per annum, reliqua templi pars sacerdotibus quidem erat peruia, sed prophanis, & ijs, qui non erant sacris initiati, non solum non licebat in eum locum intrare, sed ne prospicere quidem. quin neque in atrium, ut dudum ex me audistis, quod templum ambiabat, ingredi populo licebat, sed tantummodo per cortinarum fissuras prospicere. in quo tamen nihil erat aliud, quàm quòd in orientali eius parte, inter ingressum atrij, & tabernaculi, altare stabat holocaustorum. nunc uerò, cum ea tractantur mysteria, quæ angeli, & purgatisimæ illæ mentes reuerentur, & quæ cælo potius quàm terra sunt digna, quid à Christianis populis agitur? oporteret hic, ut pro uoce, ac uerbis æderem tonitrua, ut quos sententiæ nunquam hætenus permouerunt, saltem terrificus sonus cogeret expauescere. In Christianorum templis ea tractantur, quorum contemplatione res Iudæorum, si cum nostris conferantur, omnem amittunt maiestatem, ut rectè dici illud Pauli possit. ne glorificatum quidem fuit, quod glorificatum est, in hac parte, propter eminentem gloriam. hic enim non corpora animalium ratione carentium, neque sanguis hircorum, aut uitulorum, sed corpus, & sanguis Christi filij Dei conficitur, permititurque populo ingredi in templum, ut tantorum mysteriorum spectator, & contemplator sit. sed accidit res omnium maximè miseranda. primum enim plerique omnes, sine ulla interioris hominis compositione, nihil cogitantes, quo proficiantur, neque ullam inter accessum ad forum, atque ad templum ponentes differentiam, templum Domini ingrediuntur. deinde ubi sunt ingressi, aliqui quidem Dominicam precationem obmurmurant, nihil tamen animaduertentes, quid dicant. mox surgunt, & nisi sacerdos, qui rem Diuinam faciat, statim paratus sit, conqueruntur, perinde quasi uilissima quædam mancipia sint Christi sacerdotes. interea, ut expectandi fastidium leuent, per templum nihilo minus liberè deambulant, quàm per medium forum, & nihil inter sacrum, & prophanum distare putant. cum uerò res Diuina sit, nullo scrupulo tenentur plerique omnes, si nugæ & uana colloquia permisceant: neque uenit illis unquam in mentem, ubi sint, & quantæ sint maiestatis mysteria, quæ eo loco tractantur, Diuina prophetarum, & apostolorum uerba, quæ ibi leguntur, & quibus orbis terræ ante Christiana tempora fuit desitutus. Et hæc quidem quiuis è populo. at magistratus, qui rectè uiuendi formam reliquæ ciuitati præferre deberet, & ipse peccat uehè-

B 4 menter

menter. cum enim in templo sit locus, qui sanctum sanctorum appellatur, ad illius nimirum similitudinem, quem in Iudæorum templo fuisse diximus, cumque hic locus ita soli clero sit assignatus, ut tamen canonici potiores occupent partem, ut, cum pontifex ad rem Diuinam faciendam accedit, utrinque suos canonicos habeat, qui eum ex utraque parte, tanquam factis alis ambient, res accidit omnium absurdissima. nam alteram duntaxat partem canonici habent, reliquam magistratus tenet. in terea episcopus, qui medius inter utrosque sedere solet, cernitur uelut anis, cui altera ala ablata sit. & neminem tam pudendæ rei, cuius etiam admoniti à me olim fuistis, adhuc puduisse reperio. ita in tanta quotidie oblata luce tenebricosæ sunt hominum mentes. Illo in sanctuario, quod sub Israelitarum umbris, ac figuris tam erat uenerabile, ut soli summo sacerdoti, idque semel per annum esset peruium, nunc in Euangelica ueritate, ac luce, inter cœlestia mysteria prophano cuius habitare permittitur. opus nunc esset altero Ambrosio Mediolanensium episcopo, qui, quod ego tandiu permisi magistratui, ne imperatori quidem ipsi concedere uoluit, sed iussit eum in locum, qui populo erat assignatus, concedere. ego uerò idem præstitissem primo ipso mei episcopatus anno, sed cernebam uos minime capaces esse huius ueritatis, sed ne nunc quidem cerne: quare in dies rem differo, ut impetrem à uobis cum gratia, quod deum erit faciendum. Ingentem sanè huius senatus segnitiam. nonne oportebat, ut, quo primum die hoc me audistis ex hoc loco admonentem, magistratus ipse rem tanti momenti in senatu proponeret, decernereturque locus alius in templo, qui magistratum, quem ego sanè honestissimum cupio, melius deceret, quam iste, quem nunc non sine probro occupat? atque ita fieret, ut & magistratus honestius, quam hactenus, sederet, & suus in ecclesia ordo seruarietur. quare obsecro uos, ut huic tanto errori occurratis, ne seueriori censura, & ea, quæ episcopum deceat, postremo uti cogar, quod sanè mihi erit quam molestissimum. quod uerò facit, ut non desperem, fore, ut senatus tandem fiat huius tam absurdi facti capax, illud est, quod aliquoties expertus sum, eundem senatum, ubi quædam percepit, quæ meo iussu proposita fuerunt, mox pastoris sui uerba reueritum esse, eique obtemperauisse: quod ut in hac etiam re fiat, Deum immortalem precor, ac quaeso. illud tantum addam, cum magistratum, qui primus hoc attentauerit, immortale nomen assecuturum. Et hæc quidem sæda sunt, & eius generis, ut animos declarent parum Christianos: sed res adhuc superest multò sædior, & quæ ne apud Turcas quidem, ac Christiani nominis hostes reperiatur. ò scelus, non iam episcopi censura, ac castigatione, sed uerò fulminibus è cœlo missis est uindicandum. canes, ò monstra, undenam, & à quibus

accepta

accepta, in Christianum orbem estis introducta? nam ne apud ethnicos quidem, & eos, qui Deum ignorabant, facinus tam sacrilegum patratum unquam legi. canes inquam in templum, (in quod non solum accessus, sed ne prospectus quidem electo illi Iudæorum populo, & qui solus populus Dei appellabatur, unquam patuit) atque adeo in sanctum sanctorum, spectante etiam ipso clero, atque interdum ridente, ingredi permittuntur, & propius sacerdoti sacrificanti stare, quam ipse sacerdotis minister. ò incomprehensam longanimitatem tuam Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi, qui tam ingratum, & sacrilegum genus tandiu feras, quod iam olim à terra fuerat eradendum. dedisti nobis illi unigenitum, qui ob charitatem, qua nos prosequitur, cupiens etiam, cum profectus esset in cœlum, nobiscum esse, reliquit in terra pretiosi corporis, & sanguinis sui sacramentum, quæ res etiam angelicis illis choris est stupori, & nos, quibus ista sunt donata, tam paru facimus, tam negligimus, atque adeo pessundamus, ut canibus tanta mysteria proijciamus. Fuit uetus in ecclesia mos, ut catechumenis, & ijs, qui ad fidem instruebantur, nec dum baptisma fuerant assecuti, ubi lecta erant in ecclesia Euangelia, & eæ lectiones, quibus fideles erudirentur, antequam sacerdos mysteria corporis, & sanguinis Domini conficeret, palam diceretur, qui non communicant, exeant, nec permittebantur tanto sacrificio interesse, ut qui minus essent capaces. & nunc eisdem mysterijs permittitur canibus interesse, & audemus nos profiteri Christianos, qui ita Christi mysteria prophanamus. Vros ego magis hac in re peccare dixerim? populum, an clerum? nam & uos, qui me tam sæpe audistis rem ita sceleratam detestantem, debueratis canes uestros cohibere domi, aut, si id non potestis, interficere potius, quam committere, ut fiant ea, quæ tanto probro res Diuinas afficiant. clerus uerò multò maiori reprehensione est dignus, ad quem cum pertineat illud, quod propheta dicit, Zelus domus tuæ comedit me, & cum à me præceptum acceperint, ut tandiu rem Diuinam facere desinant, dum canes in templo sunt, nondum obtemperarunt, & maiorem habent canum rationem, quam mandatorum episcopi. quare uideo necesse esse, ut summo cum maximo meo dolore posthac seuerius agam, & in tantum scelus populi, ac cleri excommunicationibus animaduertam. sed uolo adhuc spatium utrisque cauendi dare, ut omnis excusandi ratio uobis adimatur. itaque quindecim dierum spatium utrisque assigno, ut rationem ineatis, & uiam inueniatis, qua huic sceleri remedium adhibeatur: quibus transactis, si ego, uobis bonum uestrum negligentibus, officio meo fungar, nemo erit, qui iuste de suo episcopo queri possit, iniustæ autem querelæ metuendæ non sunt, cum hoc sit maximum pastoris lucrum, ut prophetæ socius sit, qui aie-

bāt.

bat. retribuēbant mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. & rursus pro eo, quod eos diligebam, detrahebant mihi, ego autem orabam. & reuera oportet, ut pro hac re maxime precetur episcopus, cum pro illius salutaribus monitis, probra, & crimina, & murmuraciones refert, precetur inquam, non tam pro se, ut generose ferre calumnias possit, quam pro ijs, qui illi ob benefacta detrahunt. in maximo enim periculo uersantur, & phreneticis sunt quam simillimi, qui eos contumelijs afficiunt, & si possunt, factis ulciscuntur, qui eorum incolumitatem in primis querunt. quos obsecro ne uos imitemini, sed potius intelligatis, omnes meas cogitationes, uerba, facta, curam omnem, laborem, studium eò spectare, ut uirginem castam exhibeatis Christo, quemadmodum optabat Paulus suis, ne cum mundo damnemur, sed potius ita uiuamus, ut sempiterna demum à Christo præmia accipiamus. iuuante eodem Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto, est honor, & imperium in secula seculorum. Amen.

ORATIO TERTIA.



NON putabam, cum hanc ab Euangelista Luca scriptam Euangelicam historiam accepi declarandam, fore, ut in ipsis, ut dicitur, foribus intelligeretis, quanti referat, integram illam, atque eo ordine, quo ab ipsis Euangelistis tradita fuit, populo interpretari. ecce enim huius loci occasio, quem superiori oratione attigimus, ubi mentio fit, quo pacto Zacharias ingressus templum Domini incendit thymiamam, quantam lucem attulit ad agnoscendum tam ingens scelus, quo totus Christianus orbis contaminatus est, tam pessundati Diuini cultus, & neglectæ erga templum Dei reuerentiæ. si enim superioribus seculis huius generis loca proposita fidelibus in frequentibus concionibus identidem fuissent, nunquam profectò tam prophani, tamque sacrilegi abusus fuissent introducti, qui nunc ita moribus hominum inueterauerunt, ut res omnium sceleratissimæ pro nihilo habeantur. quis enim, non dico è clero, qui nullam unquam habere excusationem potest, sed è populo audiens tantam Iudeorum

dæorum templo habitam olim fuisse reuerentiam, ut nemini è populo non solum accessus, sed ne aspectus quidem pateret, quanquam nihil penè essent ea, quæ ibi custodirentur, præ ijs, quæ nunc in Christianorum templis aguntur, non continuo maximis conscientia stimulis agitaretur, si ipsius incuria suus canis propius ad templum accessisset, nedum in ipsum templum ingressus fuisset? nunc nerò tam crassa tenebræ operiunt terram, ut, si clerici, & qui custodiendi templi curam habent, eijcere canes uelint, ij, quorum illi canes sunt, indignentur, tantum abest, ut ullo scrupulo teneantur. nullum itaque remedium aliud est, dispellendæ huius caliginis, quam assiduus ad Euangelicum lumen accessus, quod cum præ manibus habeamus, uidendum est, quid in pulcherrima hac historia sequatur. Dixerat, forte obtigisse tunc Zachariæ, ut odores incenderet, ingressus templum Domini, quod cum fieret, omnis multitudo (inquit) populi precabatur foris tempore thymiamatis. cernis uerum esse, quod dicebamus, illis ea non licuisse, quæ nunc canibus permittuntur? ita enim me uehementer excruciat tam perditum facinus, ut repetere illud sapius etiam inuitus cogar. /populus ergo foris non solum stabat expectans, sed etiam precabatur. quo docemur, ut, sacerdote sacrificium offerente pro populi salute, ij, qui astant, uicissim precentur, ut Deus sua benignitate sacerdotis preces non auerfetur. Apparuit autem illi angelus, stans à dextris altaris thymiamatis. obserua, quo tempore afferat angelus felicia nuntia Zachariæ, cum scilicet pro salute populi precaretur, ut discamus & nos, si Diuina beneficia assequi optamus, proximorum studere commodis. simul etiam hoc alteri seruit mysterio. /consentaneum enim erat, ut angelus ingresso Zachariæ in templum ad offerendum thymiamam appareret, nuntiaturus aduentum illius, qui uerè pontifex maximus, non per sanguinem hircorum, aut uitulorum, sed per proprium sanguinem introiit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. stetit autem angelus à dextris altaris thymiamatis, ut, cum per dexteram prospera significantur, (iccirco enim & in iudicio iusti à dextris collocandi dicuntur) ex ipsa loci positione declararet, se uenisse, ut felicia nuntiaret. neque enim semper ueniunt angeli læta nuntiatu. ut cum duo angeli ingressi sunt domum Loth euersuri Sodomam, & reliquas conterminas ciuitates. altare autem thymiamatis uocabatur. quia ibi thymiamata, & odores incendebantur. extra templum autem erat altare holocaustorum, ubi comburebantur ea, quæ ex uictimis mandata erant comburi, quæ ideo etiã holocausta uocabantur. Græco uocabulo. nam holocaustū significat totum combustum.

Et

Et turbatus est Zacharias illo uiso, & timor irruit super eum. quod ait, turbatus est, in Græco est, *ἐταράχθη*, quod significat, commotum illum fuisse nouitate rei, quod fere accidere hominibus solet. nam iustus quidem erat Zacharias, quem audistis ambulasse in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini irreprehensum, & ob hanc causam dignus etiam fuit, cui angelus appareret, quod quàm paucissimis euenire usu solet, ut beatissimarum, ac purgatissimarum illarum mentium fruantur consuetudine. sed ueteris Adæ delictum, in quo omnes peccauimus, efficit, ut etiam sancti uiri execrationem illam sentiant, toti generi nostro communem, quæ à paradiso expulsi, & relegati in terram ferentem spinas, & tribulos, indigni facti sumus cœli, angelorumque commercio. unde & in ipsis etiam, qui iam cœlo digni sunt, quia tamen adhuc in exilio, & regione umbræ mortis degunt, remanent uestigia mali, quod ab radice ad illos manauit. quare merito Zacharias ad aspectum angeli commotus est, & timor irruit super eum, cui timori occurrere angelus primum studuit. sequitur enim, dixit autem ad eum angelus. ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est precatio tua: & uxor tua Elisabet pariet tibi filium, & uocabis nomen eius Ioannem: & erit gaudium tibi & exultatio, multi que in natiuitate eius gaudebunt. quod ait, ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est precatio tua, hunc sensum habet. non est cur timeas, sed potius cur læteris. uenio enim, ut tibi annuntiem, te in tua precatione fuisse auditum, & quæ postulabas, impetrauisse. quod uerò subdit, & uxor tua Elisabet pariet tibi filium, non debet intelligi, hanc fuisse precationem, quæ esset exaudita. nam primum non iam amplius de prolis susceptione cogitabant, quando id pro re desperata haberent. quod liquet ex uerbis Zachariæ, quibus respondit angelo hæc nuntianti, atque iccirco fidem non habebat ipsi angelo. deinde, non dixisset per uocem copulatiuam, &, sed per causalem, sic. uxor enim tua pariet tibi filium. neque uerò ingressus fuerat templum Domini, ut pro suis commodis precaretur, sed pro populi salute. & in consequentibus etiam angeli uerbis facillè colligitur, illum precatum fuisse, ut Messia, hoc est, Christi aduentus acceleraretur, in quo Iudæorum salus expectabatur. sed significauit angelus, aduentum Messia, quem postulauerat, iam esse in foribus, in cuius rei signum, ipse ex Elisabet filium esset suscepturus, qui huic mysterio inferuaret. ob hanc enim etiam causam Lucas Euangelista præmisit hanc de Ioannis Baptistæ generatione historiam, ut proprio ordine ad Christi natiuitatem descenderet. uide uerò, ut pulchrè mysteria hæc inter se coniuncta sint. Zacharias precatur pro peccatis populi,

& eo

& eo ipso tempore angelus annuntiat nasciturum ex eo filium, qui indicaturus esset eum, qui peccata deleteret. scitis enim, Ioannem Baptistam fuisse, qui ostendens digito Christum dixit. ecce agnus Dei, ecce, qui tollit peccatum mundi. neque contentus nuntiasset, filium habituram Elisabet, nomen etiam dicit, quo esset uocandus, Ioannes scilicet, & hoc non sine mysterio. significat enim Ioannes donum Dei, siue misericordia Dei. quia uidelicet præmittebatur, ut eum indicaret, per quem cœlestis pater incomprehensam suam erga nos misericordiam declarauit. cum enim imponuntur ab angelis nomina, ea nomina mysterij ratione secum afferunt. sic dixit idem Gabriel Mariæ uirgini, & ipsi Ioseph de nascituro Christo. uocabis nomen eius Iesum, quod significat Seruatorē, quia scilicet seruaturus esset populū suum à peccatis eorum. Et erit gaudiū tibi, & exultatio, multi que in natiuitate eius gaudebunt. merito non solum gaudium, sed etiam exultationi, quod maius quiddam denotat in affectu, futurus erat parentibus. is, quo maior inter natos mulierum propheta non surrexit. si enim solus partus mulieris, quæ sterilis aliquot annos fuerit, lætitiā afferre solet, si etiam ignorētur, qualis futurus sit ille partus, quæ gaudij magnitudo esse debuerat his beatis coniugibus, quæ eo tempore, quo omni spe generandi destituti erant, tantum filium susceperat. hic est fructus eorum, qui se à Deo regi patiuntur, neque obmurmurant, aut conqueruntur ullam ob rem, sed tantummodo quarunt non recedere à mandatis, & iustificationibus Domini. cætera Dei prouidentia permittunt, quem cum certo sciamus multò esse nostri amantiorem, quàm qui uis filiorum amantissimi parentes, intelligere etiam debemus, eum, si quando nostris appetitionibus non obsequitur, utilitatis nostræ gratia illa negare. re enim uera illud uerissimum est, nos nescire quid petamus, dum plerumque ea quærimus, quæ demum in summam perniciem nostram cedunt. Et multi in natiuitate eius gaudebunt. quod tam uerum est, ut non solum eo tempore, quo natus fuit Ioannes, multi sint gauisi, uerum etiam post tot secula nunc maximè non Christiani soli, sed Maumetani etiam & Turcæ hanc eius natiuitatem summa cum lætitiâ celebrent. Erit enim magnus coram Deo. illud, coram Deo, uel est Hebraismus, cuius interdum meminimus, ut ubi dicitur, erat robustus uenator coram Deo, hoc est, ingens uehementer, uel certè ad eorum differentiam, qui magni apud homines, uirtutum, & sanctitatis opinione uidentur, non autè sunt apud Deum. Uinum, & siceram non bibet, hoc est, uinum, & quicquid inebriare potest. siceram enim uox ab Hebræis ducta est. in Hebræo enim dicitur *sacar*, siue *sicaron*, hoc est, ebrietas, & *sicar*, ebrius, temulentus. prohibetur ergo huic, qui tantus futurus esset, potus uini, & quicquid ebrietatem gignere posset. sic & matri Sampsonis, qui liberaturus erat Israellem

ab

ab hostium potestate; precipitur, ut non solum nasciturus filius, uerū & ipsa catteret, ne biberet uinum, ac ficerā. Sed quærat, fortasse aliquis, cur Seruator ipse Christus eiusmodi uitam non exercuit, qui fuit omnium maximus, ac perfectissimus? ob hanc ipsam causam, q̄ perfectissimus erat, non opus habuit eiusmodi remediis, non enim egent sani medicina, sed qui uel male habent; uel metus est, ne male sint habituri. deinde, cum uite consuetudo filii Dei exemplum humanæ uitæ datura esset, non oportuit eum ab iis abstinere; quæ ad usum uitæ creata a Deo sunt, ne hæreticis, qui postea extiterē, & cibis uesci quibusdam superstitiosè prohibebant, fauisse uideretur; nam omnia, quæ creata a Deo sunt, bona sunt, si rectè, & suo tempore iis utamur, qui uerò interdum abstinere ab eis iubentur, hoc fit, ut rectius ministerio sibi credito fungantur, quare & ministraturis in templo, uini potus ex præcepto Dei prohibebatur. sic enim ipsi Aaron dictum in Hebræo legimus uinum, & omne quod inebriare potest, non bibes tu, & filii tui, quando intrabis in tabernaculum testimonij, ne moriamini. Et spiritu sancto replebitur iam inde ab utero matris suæ. hoc fuit, cum beata uirgo Maria inuisit Elisabet, ut infra uidebimus; atque ad Mariæ salutationem impletus spiritu sancto Ioannes impleuit & matrem. Multosque filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum. nam multi ad eius prædicationem conuersi sunt, sicut restantur Euangelistæ. egressa est (inquit) ad illum Ierosolyma, & tota Iudæa, totaque regio undique finitima Iordani, & baptizabantur in Iordane ab illo, confitentes peccata sua. tantaque erat eius prædicationis opinio, ut ad eum accederent milites, & publicani, genus nimirum hominum, qui alioqui longè abesse solerent ab hac uia, postulantes, ut docerentur, quid facerent, ut seruari possent. Et ipse præcedet ante illum in spiritu, & uirtute Eliæ, quod ait, ante illum, qui sine dubio intelligitur Christus, cuius ipse Ioannes fuit præcursor, cum in hoc angeli sermone nulla eius facta mentio sit, liquet manifestè, Zachariam postulasse aduentum huius Christi, quem Hebræa lingua appellabant Messiam: ad quam postulationem nunc respondet angelus; hunc filium, qui ex se nascetur, præcursorem futurum huius ipsius Messie; quem rogabat mittendum. quod uerò addit, præcessurum illum in spiritu, & uirtute Eliæ, significat, Ioannem functurum eo officio in primo Christi aduentu, quo Elias in secundo: quod ipse Christus dixit alibi discipulis. Elias quidem venturus est, & restituet omnia. sed quia Ioannes functurus erat, ut diximus, officio Eliæ, iccirco idem Dominus dixit etiam. Ioannes ipse est Elias. & Elias iam uenit, & non cognouerunt eum, sed fecerunt in eum, quæcumque uoluerunt. atque hoc est, quod ad hæc usque tempora infideles Iudæi decipiuntur, dum

nesciunt

nesciunt distinctionem gemini aduentus Christi, atque in eis confunduntur. angelus ergo dicit, hunc, non Eliam futurum, sed antecessurum cum spiritu, & uirtute Eliæ. quare, cum idem Ioannes interrogatus fuit, num esset Elias, rectè respondit, non sum, intelligens de persona Eliæ, non de spiritu, ac uirtute, quæ, ut Elias uerus erat, ita ipse tunc utebatur. Vt conuertat corda patrum in filios, & inobedientes ad prudentiam iustorum, ut pareat Domino plebem perfectam. Conuertit corda patrum in filios, cum suâ prædicatione effecit, ut illi Iudæi, qui ea etate erant, eum affectum induerent, quem eorum patres, uidelicet, prophetæ habuerunt. qui sicut auidè expectabant aduentum Messie, ita isti eum, qui iam prædens aduenisset; cum fide acciperent. hoc enim est, conuertere corda patrum in filios. nam quasi cor parentum datur filijs, cum filij parentum fidem imitantur, & quasi cor parentum transit in filios. neque uerò eos eruditos uiros reprehendo, qui per filios interpretati sunt apostolos, quod scilicet Iudæi ad apostolorum prædicationem sint conuersi: sed uidentur non obseruasse Hebræam locutionem. quod uerò sequitur, & inobedientes ad prudentiam iustorum, declaratio est superiorum uerborum, qui Hebraismus frequens est in scripturis sanctis. tunc enim conuertuntur, seu transeunt corda patrum in filios, cum ij, qui inobedientes erant, ad prudentiam iustorum, & fidelium prophetarum reuertuntur. & quod sequitur, ut pareat Domino plebem perfectam, siue instructam. nam Græca uox *κατεσκευασμένον* ita significat, ut scilicet populus instructor esset ad recipiendum Christum, ac magis præparatus ex Ioannis prædicatione. quod & ab Esaia fuerat multo ante prædictum, quem citauit Ioannes, cum interrogatus, quis esset, respondit. ego uox clamantis in deserto, parate uiam Domini, sicut dixit Elaias propheta. Interea contemplare, quam solidis nitatur fundamentis Euangelica hæc historia, ut merito dici possit, testimonia tua credibilia facta sunt nimis. prædicatur hoc tot ante seculis a propheta, prædicatur recens ab angelo, demum ipsa sequentium rerum ueritate est declaratum. sed quid inter hæc Zacharias? Et dixit (inquit) Zacharias ad angelum. quo argumento istud agnoscam? ego enim sum senex, & uxor mea pro uetere ætatis est. Ecce humanæ fidei imbecillitatem. audierat ab eo, quem non dubitabat esse angelum a deo missum, & tamen demittit cogitatione ad naturæ imbecillitatem, quæ iam per ætate non erat eius boni capax, quod angelus pollicebatur. sed permittitur hæc infirmitas etiam magnis uiris, ut erat Zacharias, quod demum in bonum conuertitur, ut rectè dixerit Paulus, diligētibus Deū omnia cooperantur in bonum. nam uidebimus pœnā, qua ab angelo afficietur, seruaturā huic generati ex eo filij mysterio. interea cernimus uerū esse, quod ait Paulus, Iudæos scilicet signa quærere.

Et

Et fortasse quispiam hic uestrum tacitus sibi placeret, arbitrareturque, se non ita incredulum futurum, si quis ei angelus aliqua polliceretur. sed admonendus hic est, ne fallatur. cum n. Christus dignior sit, cui fides habeatur, quam angeli omnes, uideat num fidem habeat Christo. nam Christus iubet, ne sollicitus sit, quid edat, aut bibat, aut quo operiatur, hic uero non solum pro ijs necessarijs sollicitus est, sed etiam pro superuacuis. cum ergo hic Christo non credat, quomodo censendum est illum angelo cuiquam crediturum? Et respondens angelus dixit ei. ego sum Gabriel, qui assisto in conspectu Dei, missusque sum, ut loquar ad te, & hac tibi læta nuntiem. & ecce futurum est, ut sis mutus, nec fari possis ad illum usque diem, quo hæc fient, eo quod non credidisti uerbis meis, quæ implebuntur in tempore suo. Angelus hic nomen accepit à negotio, quod tractabatur. neque enim necessaria sunt spiritibus illis cælestibus, ac diuinis mentibus nomina, quemadmodum apud nos, quibus inter se discernantur. sed, cum mittuntur ad homines, ad humanam consuetudinem se demittunt, neque id dedignantur, nec recusant esse administri spiritus (ut scribitur ad Hebræos) qui mittuntur ad eos, qui hæditatem salutis sunt accepturi. accipiunt ergo nomina in morem hominum, sed quæ sint consentanea rebus, quæ præ manibus sunt. sic angelus, qui Tobie incolumitatem erat daturus, uocauit se Raphaelem, quod sonat curationem, seu medicinam Dei. sic in Daniele Michael appellatur, qui Diuinam uirtutem ostendebat præstantiorem esse quauis humana potentia. nam Michael significat, quis ut Deus? ita nunc angelus, qui ea ministrabat, quæ natiuitati filij Dei seruebant, qui fortitudine sua Dæmones & aerias potestates erat debellaturus, Gabriel appellatur, quæ uox significat, fortitudo mea Deus, primum ergo indicat dignitatē suam, in qua relucebat Diuina uirtus, cui fidem Zacharias habere debuerat. Ego sum, (inquit) Gabriel, qui assisto in conspectu Dei. & hæc etiam uerba humano more dicta sunt. nam apud nos ij maiores existimantur, qui in conspectu regis cōsueuerunt assistere. alioqui de ijs etiam angelis, qui custodes hominum sunt, Dominus dixit. angeli eorum semper uident faciem patris mei, qui in cælis est. uerū ut Gabriel declararet, se esse præstantioribus illis spiritibus, dixit, se ex ijs unum esse, qui in conspectu Dei assistunt. Missus sum (inquit) ut loquar ad te, & hæc tibi læta nuntiem. quibus uerbis quasi obijcit ingratitude Zachariæ, qui pro tanto beneficio, & læto nuntio incredulitatem rependat. quæ incredulitas castigatione omnino digna esset. quare addit. & ecce futurū est, ut sis mutus, nec fari possis ad eū usq; diē, quo hæc fiāt, eo q̄ nō credidisti uerbis meis, quæ implebuntur in tēpore suo. Obserua, ut pœna hæc etiam mysterio seruiat, & pro signo prætetea sit, ut confirmatio reddatur ad fidem habendam uerbis

uerbis, angeli, dum cernit, se eius potestate mutum effectum. quodnam uero hoc mysterium est? generaturus erat Zacharias eū, qui de se dixit. ego uox clamantis in deserto. & quia Zacharias huic promissioni diffiderat, recte uocem suam amittit, donec ea uox nascatur, quam prædixerat angelus. cernis quanta sit differentia inter castigationes, quæ pijs adhibentur, & eas, quæ impijs? nam impij replentur malo, (ut ait Salomon) cui bonum non succedit. at pijs pro exiguis malis multiplicata redduntur bona. nam Iob post illam exigui temporis afflictionem, multo amplius ditatus fuit, quam ante esset. sic Tobias post quatuor annorum cecitatem mirum in modum summa felicitate auctus fuit. quare præstat cum pijs castigatione aliqua interdum affligi, quam cum impijs per totam uitam esse felices. Et erat populus expectans Zachariam, & mirabantur, quod moraretur in templo. cernis & hic populi reuerentiam erga sacerdotium? stabat foris populus expectans, dum Zacharias perageret cæremoniā adolendi thymiamatis. qui cum plus multo, quam mos esset, moraretur, non tamen murmurabant, sed mirabantur longiorem illam moram. nunc uero, cum sacerdotes sub Euangelio tanto maiora mysteria tractet, quam illa erant, quanto cælestia terrenis antecellunt, Deus bone quam nulla habetur sacerdotio reuerentia. nisi enim sacerdos ad rem diuinam faciendam præparatus sit, cum aliquis è plebe etiam infima in templum ingressus est, conqueruntur, & obmurmurant. quin eos in primis eligunt, qui, non compositè, ac reuerenter, sed qui maiori cum celeritate rem Diuinam peragat. neque uero tantum in re Diuina sacerdotij dignitas parui æstimatur, sed ita uilis passim facta est, ut ciues abutantur sacerdotibus ad prophana negocia non minore cū auctoritate, quam si eorum serui essent. ita omni ex parte res Christiana it perditum. Egressus autem non poterat loqui illis, & cognouerunt, quod uisionem uidisset in templo, & ipse innuebat illis, permanfitque mutus. Mos erat, sacerdotem, ubi peracta erat cæremonia, ob quam ingressus erat templum, egredi, ac benedicere populo. Zacharias ergo, cum loqui non posset, nobis significabat, se illud præstare minimè posse propter ademptam sibi uocem. quare populus intellexit, hoc ei accidisse ob aliquam uisionem, quæ facta illi esset in templo. Et accidit, ut impleti sunt dies officij eius, abiit in domum suam. accepto tam admirando, tantæq; lætitiæ nuntio, quod suscepturus esset talem filium ex Elisabet, quam felicitatem nunquam expectauisset, non effertur lætitia, neque mox accurrit domum ad amplexus uxoris, sed expectat, dum impleantur dies muneris, ac ministerij sui, postea domum proficiscitur. ita uiri cōiuncti Deo omnia mature, grauitè, ac circumspectè faciunt. Post hos autem dies concepit Elisabet uxor eius, & occultabat se mensibus quinque dicens. sic fecit

mihī Dominus in diebus, quibus me aspexit, ut auferret opprobrium meum inter homines. Post eos dies, quibus Zacharias ministrauerat in templo, ubi reuersus est domum, concepit Elisabet, quæ tamen ignorabat mihi sterium. nasciturū pueri, & ea læta, quæ angelus nuntiauerat. nam Zacharias cum esset effectus mutus, nihil horum narrare uxori poterat. quæ sentiens se præter omnem expectationem concepisse, gratitudinem quidem præ se tulit, cum dixit, aspexisse eam Dominum, & abstulisse opprobrium suum, quod inter homines hactenus passa fuerat ob sterilitatem. sed tamen occultauit se quinque mensibus, donec scilicet ad beatam Mariam aduentum patefacta tota res fuit. Vide uerò quanta sit uerecundia, ac modestia uis, & quanto interuallo uiri probi, & probæ sceminae à reliquis distent. affecta fuerat Elisabet munus magnæ inter homines felicitatis, ut in prouecta ætate, quæ res desperata erat, conciperet, & delitesceret tamen ob pudorem, quod uideretur in senecta uoluptati operam dedisse. sic & Sara, & ipsa sterilis, cum nuntiaueretur ei, futurum, ut conciperet, ac pareret filium, dixit. postea quàm fenui, & Dominus meus senex est, uoluptati operam dabo. hanc uerecundiam Christiani omnes seruare debent, & maritale officium summa cum modestia exercere. sic enim & apostolus docet, cum ait. sciat unusquisque uestrum suum uas possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desiderij, sicut & gentes, quæ Deum non habent. nam si apud ethnicos exercebantur lasciniæ, minus est, quod miremur, cum Venerem, & Cupidinem lasciniæ duces pro Dijs colerent. at nunc in tanta luce ueritatis, cum doceamur, corpora nostra esse membra Christi, & templum spiritus sancti, sacrilega profectò res est, leges coniugij nõ seruare quàm honestissimas, ut digni simus, qui inter membra Christi numeremur. iuuante eodem Domino nostro Iesu Christo, cū cum patre, & spiritu sancto est honor, & imperium sempiternum. Amen.

ORATIO

ORATIO QUARTA.



IN MENSE autem sexto missus est angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazaret, ad uirginem deponstatam uiro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, ac nomen uirginis Maria. Magna quidem sunt, quæ superiore historia me narrante, audiuitis, & quorum similia in omnibus ethnicorum historijs nunquam sit reperire: neque enim apud eos sunt angelorum cum hominibus consuetudines, sterilium partus Diuinitus præparati, sanctificationes infantium in utero. magna ergo hæc, & admiranda, sed multo hodie maiora, atque admirabiliora estis audituri, & quæ, si non solo nomine, sed uerè essemus Christiani, idonea essent ad permonendos animos, ut terrena hæc omnia despiceremus, & toti in tam benefici erga genus nostrum Dei amorem inflammareremur. quare tota mentè, atque omni animo percipite huius historiæ pertractationem. atque illud in primis mihi uidetur non esse relinquendum in obseruatum, quòd in ipso descriptionis ordine ostenditur, quantum hæc historia superiori antecellat. ibi enim dicitur, angelum apparuisse Zachariæ, sed non cum ea præfatione narratio illa sit, qualis hic ponitur, quòd scilicet missus fuerit à Deo, quàmuis demum angelus, ut reprehenderet incredulitatem Zachariæ, dixerit, se missum fuisse, neq; adiecit, à quo. hic uerò ante omnem narrationem angelus præmittitur, & eius nomen, auctor ipse legationis, locus, cæteraquæ, quæ singillatim audiuitis. In mense (inquit) sexto. hoc respondet ad illud, quod dudum dixerat, Elisabet scilicet occultasse se mensibus quinque. at mense sexto, ex quo conceperat filium, factum est, quod hic narrat. Missus est angelus Gabriel, ille idem, qui dudum apparuerat Zachariæ, & læta illa nuntiauerat, quod in Græco textu apertius est, ubi cū articulo scribitur, ὁ ἄγγελος. quasi diceret, ille angelus Gabriel, quem dixi apparuisse Zachariæ. & uide, ut pulchrè nomen quadret mysterio. nam Gabriel, præter eam interpretationem, quam superiori oratiõe posuimus, significat etiani, uir meus Deus, ut nomine ipso declararet, quid uenisset nuntiaturus, nempe partum eius, quæ uirgo pareret, ac pro uiro haberet Deum, qui conceptum hunc operaretur, uidelicet spiritum sanctum, de quo erat conceptura. Missus est ergo angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazaret. & hoc prophetarum oraculis consonat, qui prædixerant, eum Nazaræum esse uocandum, quem admodum apud Matthæum legimus. Ad uirginem. mihi uidentur libentius

angeli commercium habere cum uirginibus, quam cum cæteris, cum uirginitas angelorum uitæ sit admodum aſſimilis, promittaturque, in reſurrectione futuros homines, ſicut ſunt angeli Dei in cælo ob hanc cauſam, quod coniugij officia non exercebunt. at hæc uirgo eam uirginitatis præſtantiam habuit, ut merito digna fit, quæ uirgo uirginum appelletur. quantæ enim oportuit fuiſſe perfectionis eam, quæ Dei filium eſſet genitura? hanc profectò eius dignitatem humana aſſequi mens non poſteſt. quare æquum fuit, ut ſapientius à prophetis illius fieret mentio, atque adeo in ipſa noſtri generis origine illius uirtutis memoria introducetur. cum enim prima mulier Eua uiſa eſſet cum ſerpente contrahere amicitiam, dictum fuit ſerpenti. inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen ipſius. quæ mulier, & quod eius ſemen ſine controuerſia fuit hæc beata uirgo, & eius filius. nam in alio nullo conuenire hæc prædictio poteſt. de hac etiam prophetauit Eſaias, cum dixit. egredietur uirga de ſtirpe Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. ſit autem hic mentio Ieſſe, quia tribus Ieſſe, ante quam regnaret Dauid, contempta erat, ut arbor amputatis ramis. ſtirps hic dicitur truncus, qui reſecta arbore, adhuc cum radicibus manet in terra, unde temporis ſucceſſu repullulant ſurculi. tribus ergo Dauid arido trunco uidebatur ſimilis. ſtirps eſt uirgo Maria, quia abſque uirili ſemine peperit. idem autem ſignificat ſtirps, & radix, ſicut uirga, & flos, ſiue ſurculus, qui Chriſtum ſignificat. atque hic locus etiam ſecundum Hebræos intelligitur de Meſſia, ſub quo regnum Iſrael reparari debuit, non in modum terreni regni, ut Iudæi expectant, ſed in ſpiritu. idem quoque Eſaias alio loco apertius de hac uirgine, & eius uirgineo partu in hæc uerba loquitur. ecce uirgo concipiet, & pariet filium, & uocabit nomen eius Emmanuel, quod ſignificat nobiſcum Deus, quia uidelicet Dei filius Deus naturam noſtram erat ſuſcepturus. ubi obſeruandū, quod nos diximus, uocabit, in Hebræo eſſe, uocabis ſceminino genere, ut ad matrē referatur, ad quā pertineat imponere nomē puero, qui ſine patre in terra eſſet futurus. Ieremias quoque creabit (inquit) Deus nouum ſuper terrā, ſcæmina circundabit uirum, uel fortē, ſeu potentem, hoc eſt, Deum. nam ueteres Iudæorū gloſſæ ſic interpretantur, quod ſcilicet Meſſias à muliere uirgine in utero per conceptum circundandus eſſet. aliter enim nulla hæc nouitas fuiſſet, cum tamen dicat, rem nouam creaturum eſſe Deum ſuper terram. Ezechiel uerò de ea loquitur nomine portæ. ſic enim ait. Et conuertit me ad uiam portæ mediocris ſanctuarij, quæ reſpicit orientem. & ipſa clauſa erat. & dixit Deus ad me. porta hæc clauſa erit, & non aperietur, & uir nō tranſibit per eam, quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam, & erit clauſa. quibus in uerbis cum ter repetatur illud, erit clauſa, ſignificabat, illam ante partum

partum, in partu, & poſt partum futuram uirginem. Siquis uerò perueſtigare ſolertius uelit, inueniet magis abſtruſa ſacrarum ſcripturarum loca, quæ oſtendunt, hanc uirginem parituram, permanente uirginitate ilibata, ut illud in Leuitico. mulier, quæ ſuſceperit ſemen, & pepererit maſculum, immunda erit. cum itaque natura non fiat, ut ulla mulier ſine accepto uirili ſemine pariat, quid attinebat dicere, mulier, quæ ſuſceperit ſemen, & pepererit maſculum? ſatis enim erat dixiſſe, mulier, quæ pepererit maſculum. additum ergo fuit, quæ ſuſceperit ſemen, quia futurum erat, ut aliqua mulier pareret maſculum ſine ſeminis ſuſceptione, alioqui ocioſa fuiſſent illa uerba. at ocioſum quicquam eſſe opinari in ſacris literis, blaſphemum eſt. habita itaque fuit in illis, uerbis ratio Mariæ uirginis, quæ peperit quidem maſculum, ſed quia non ſuſcepto ſemine peperit, immunda non fuit. cur ergo (inquit) purificari noluit quadrageſimo die? hoc fecit, non quia egeret purificatione, ſed ut morem aliarum mulierum ſeruaret, ne legem tranſgredi putaretur, atque ut impleret omnem iuſtitiam, quemadmodum ſeruator ipſe de ſe dixit, cum à Ioanne uoluit baptizari. In illa quoque Moſis uiſione, cum uidit rubum ardere in igne, & non conſumi. & ait Moſes. accedam utique, & uidebò uiſionem hanc magnam, quam obrem non comburatur rubus. ſequitur. & uocauit eum Deus de medio rubi. & poſt pauca. & dixit ad eum. ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob. ibi inquam filij Dei natiuitas ex uirgine intacta, atque incorrupta Moſi miraculo illo præmonſtrata fuit. per ſuccenſum enim rubum, & non combuſtum oſtenſum eſt, ex illo populo, ſalua matris integritate, proditurum eſſe eum, qui igne Diuinitatis, carnis humanæ naturam, quaſi rubi ſpinam acciperet, & inconſumptam humanitatis ſubſtantiam in ipſa Diuinitatis flamma ſeruaret. Vide uerò, ut etiam in Gedeoniſ historia eadem figurata ſint. obſerua enim illius uerba. ſi ros fuerit (inquit) ſuper uellus tantum, & ſuper totam terram ſiccitas, tunc ſciam, quod ſeruabis in manu mea Iſraeli, ſicut dixiſti. atque ita factum eſt. ubi uellus, quo agni ſolent uestiri, humanam naturam designat, quam ros Diuinitatis aſſumpſit. terra uerò ſicca eſt uirginis uterus, humano ſemine non inſperſus. Vt uerò minus mirum uideretur, ſceminam ſine uirili ſemine Diuina uirtute poſſe concipere, in uirga Aaron miraculum factum eſt, ut abſque ullo externo humore, ſola Dei uirtute floruerit, fronduerit, & fructum produxerit. quod ſi uirga potuit contra naturam nuceſcere, miramur, uirginem potuiſſe ſupra naturæ uires iuſſu Dei filium generare? dicant ergo nobis increduli Iudæi, quo pacto arida uirga floruerit, fronduerit, & amygdala

dala protulerit, & nos dicemus, quo pacto uirgo conceperit, filiumque generauerit. sed nec Iudæi nobis uirgæ germinationem explicare poterunt, nec nos eis uirginis partum, sed utrumque ad solam Diuinam omnipotentiam referetur, atque illud est, quod Salomon admiratus dixit. tria sunt mihi difficultia, & quartum penitus ignoro. uia aquilæ in cælo, uia colubri super petram, uia nauis in medio maris, & uia uiri in uirgine, siue, ut uulgata habet editio, in adolescentula. quem locum Hebræi quidam ante Christi aduentum sunt interpretati in hunc modum: quod scilicet in his uerbis quatuor præcipua de Seruatore Christo comprehendantur, sed quæ præpostero ordine sint posita. & per uiam aquilæ in cælo intelligi, Messiam post passionem suam ascensurum in cælum, per uiam nauis in medio mari, eiusdem Messiæ uitam, quæ sicut nauis in medio mari agitur, esset que futura admiranda. per uiam colubri super petram, uel quod resurrexerit immoto sepulchri lapide, nec apparuerit, quæ transferit, nam neciter colubri super petram agnoscitur. uel quod se fecerit sicut colubrum, quem Moses supra petram posuit, ut duceret filios Israel in terram sanctam. quod uero ait, se quartum penitus ignorare, uiam scilicet uiri in uirgine, significari admirandum uirginis partum, & Messiæ ortum ex uirgine, quo pacto absque humano semine concipere uirgo posset, ac perfectum Deum, & hominem in utero concludere, atque ita filium parere, ut uirgo permaneret. nam illud, uiri, in Hebræo est, Gheuer, quod significat uirum fortem, uel potentem, nempe Deum hominem factum, de quo dicitur. Dominus fortis, & potens. / Hæc est itaque uirgo, ad quam missus est angelus. & uirgo quidem erat, sed desponsa uiro. cur hoc? oportebat hæc mysteria ita attemperari, ut humanæ etiam imbecillitatis ratio haberetur. nam si uirum non habuisset, concepissetque, quemadmodum & concepit de spiritu sancto, quis illi dicere hoc credidisset? lapidibus enim mox fuisset obruta, ut stupri rea. nunc uero cum desponsa esset uiro, toleratum fait ad tempus, ut ab ijs, qui mysterium ignorarent, crederetur ex uiro gemisse. nam postea suo tempore patefacta ueritas fuit. Cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, magnum fuisse hunc uirum, cui tanta uirgo committeretur, necesse omnino fuit, magnæque & integritatis, & prudentiæ, qui non minus castè cum ea uirgine uersaretur, neque minus prudenter tantum negocium tractaret, quam patriarcha ille Ioseph in Aegypto in utroque horum se exhibuit, cum & domina suæ impudicitiam est auersatus, & sapientissimè Aegyptum rexit. quanta enim censet circumspectione, ac prudentia fuisse opus, cum uidit mulierem sibi desponsam, quæ etiam mulierum pulcherrima fuisse creditur, grauidam effectam, cum qua tamen sciret se nullum habuisse commercium, & tamen non ob

zelo-

zelotypiam in furorem erupit, non probris affecit, non eam ut adulteram reddidit infamem, sed ea usus fuit sapientia, qua ne Salomonem quidem in re eiusmodi uti potuisse arbitror. quid enim fecit? uide quid Matthæus dicat. Ioseph uir eius, cum esset iustus, nolletque eam infamare, uoluit clanculum ab ea diuertere. qua in re magna etiam est uirginis commendatio, cuius tam spectati essent mores, ut scrupulo teneretur Ioseph, si eam ulla infamia notaret. meminit autem Euangelista, illum fuisse de domo Dauid, ut ex tribu Iuda esse intelligeretur, ex qua nasciturus erat Christus, in cuius generatione tametsi Ioseph partem nullam habuit, decuit tamen, eum, qui Mariæ uir creditus fuerat, ex tribu regia esse, ne, quicumque ex Iudæis credere in illum uoluissent, offenderentur in eo, quod non esset ex ea tribu, è qua Christus proditurus ab omnibus expectabatur. ob hanc enim causam Iudæi cum interrogarentur, quid eis uideretur de Christo, cuius filius esset, non dubitauerunt respondere, Dauid. legerant enim. iurauit Dominus Dauid, & non frustrabitur eum, de fructu uentris tui ponam super sedem tuam. quod omnes de Christo dictum fuisse confitebantur. Et nomen uirginis Maria, mollierunt nostri Hebræam uocem. nam in Hebræo est, Miriam, quod & pluribus alijs in uocibus Hebræis fecerunt noui testamenti scriptores. nam quod Hebræi proferunt Ieosua, dixerunt Iesus, & pro pefac pascha, & alia plura in hunc modum, Mirum uero quod reperi, fuisse antiquos Hebræos ante Seruatoris Christi aduentum, qui nomen huius uirginis prædixerunt, & ex quodam Esaiæ loco conieciarunt, eam Miriam, Sara, hoc est, Mariam Dominam uocandam. & sane utraque uox huic præstantissimæ uirgini conuenit. nam ut Sara, quæ prius Sarai, hoc est, domina mea, postea iussu Dei, ablata Iod, litera, uocata est Sara, hoc est, domina, absolute uidelicet, ut in cuius semine benedictione accepturæ essent omnes gentes. hoc autem semen, interprete Paulo, est Christus, ex hac uirgine natus. sic multo magis hæc Domina uocari digna fuit, in cuius semine cernimus gentes omnes benedictionem consecutas. / nomen etiam Mariæ consentaneum est mysterio, interpretari enim eam possumus, Dominam maris, ut quæ primum integra uitæ consuetudine fluctus huius uitæ, quæ mari comparatur, superauerit, deinde etiam nunc nobis in hoc humanorum fluctuum mari agitatis, sua apud filium intercessionem opituletur. sed tempus iam est audire angeli uerba, uicissimque plena prudentiæ uirginis responsa: quæ dum tractantur, miror, nisi maxima uestri pars inflammetur ad sanctæ, atque integræ uitæ amorem, ut consuetudinè, colloquium que cum angelis habere aliquando liceat. Et ingressus angelus ad eam dixit. salue gratiosa, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres. Obserua in primis, angelum ob admirationem mysteriorum, quæ in hac uirgine

1072

gine

gine peragenda erant, quasi coactum fuisse gratulari uirgini prius, quam ea legatione fungeretur, quæ illi à Deo fuerat demandata. nam salutant quidem interdum angeli eos, ad quos mittuntur, ut cum Gedeoni dixit angelus. Dominus tecum bellator fortissime. at hic non contentus est salutatione, nisi etiam ei delicias faceret, iuberet gaudere, gratiosam appellaret, & quæ inter mulieres omnes esset benedictionem assecuta. Gaude (inquit) gratiosa. gaudium restituit angelus uirgini, quod Euxæ serpens abstulerat. quia enim serpentis uoci obdierat, dictum ei fuit, in dolore paries filios. at huic, quæ Deum paritura erat, ac Dei nuntio obtemperatura, gaudium annuntiat. / gratiosam autem appellat, ut dignam, quæ grata esset omnibus, & quæ, ut mox dicet angelus, gratiâ inuenerit apud Deum. interpretes autem plenam gratiæ appellauit, ut sensum pro uiribus exprimeret. in Græco est, *καταχαίρειν*, quasi diceret, unicè chara, & digna, quam quisque grato, ac propensio animi affectu prosequatur. quam uocem etiam apud externos, præsertim apud Homerum in usu reperias. Dominus tecum. iam diximus angelos, cum ad nos ueniunt, solere sese consuetudini hominum accommodare. mos autem erat Hebræis, cum aliquem salutarent, dicere, Dominus tecum, uel, si plures essent, Dominus uobiscum. unde in libro Ruth legimus Booz cum adisset messores, salutasse eos, atque dixisse, Dominus uobiscum. quem morem ecclesia imitata est, ut sacerdos in re Diuina facienda alloquens populum dicat. Dominus uobiscum. morem ergo humanæ quidem salutationis est imitatus angelus, cum dixit, Dominus tecum. sed tamen intellexit, Dominum cum ea uirgine esse selecto quodam, atque admirando modo, ut quæ electa esset, ut mater fieret filij Dei, Deumque non in mente solum, atque anima, sed in utero etiam esset habitura. Benedicta tu inter mulieres. & hoc præstantiori modo intellexit angelus, quam soleret hæc appellatio ab hominibus usurpari. nam & in libro Iudicum in cantico Deborahæ legimus. benedicta inter mulieres Iahel uxor Haber Cinai. at Maria super omnes, uiros, ac mulieres singulari, atque adeo suprema benedictione donata est, longeque maiori, quam cuiquam in hominum genere, excepta. Seruatoris Christi persona, contingere possit. ut & de ea dicere liceat, plenitudinem Diuinitatis in ea corporaliter habitauisse, quo quid maius accidere hominibus potest? in quarum rerum cogitationem si bene penitus, ut æquum esset, descenderemus, non essemus profecto tam demissi, tamque humi depressi, sed attolleremur frequentius ad naturæ nostræ dignitatem contemplantam, & quanti eam Deus optimus maximus fecerit, neque committeremus, ut ad hæc humilia semper, tanti æstimata natura, tantumque à Deo honestata, ita miserè demitteretur. Et hæc quidem angelus. Maria uero quid? illa autem

tem cum uidisset, turbata est super sermone eius, & cogitabat, qualis esset illa salutio. quod ait, cum uidisset, nam in Græco est, *ιδούρα*, non est intelligendum, uirginem ad aspectum angeli fuisse turbatam, ut contigit Zachariæ. admodum enim credibile est, angelos sæpius tam absolutum Dei opus inuisisse, ac familiare commercium cū illa habuisse, quod pluribus alijs, qui tamen minimè parem perfectionem erant assecuti, usu euenit. & fortasse ob eam etiam causam in superioribus uerbis, ubi dictum est, missus est angelus Gabriel, adiectus est articulus *ὁ ἄγγελος*, ut hoc ipsum, quod dicimus, intelligeretur, quasi diceret, ille angelus Gabriel ei familiaris. illud ergo, cum uidisset, positum est, pro, cum audisset, more Hebræo. nam alibi legimus. populus uidebat uoces, & sonitum buccinæ, pro, audiebat. quod ita esse, uerba sequentia declarant, cum addidit, turbata est in sermone, non dixit, in aspectu eius. interpretes autem sensum maluit quam uerba transferre. Cum ergo audisset, turbata est, hoc est, commota, ut sit in non expectato alicuius rei occurso, præsertim magnæ. in eundem modum Ierolyma commota fuit in Magorum aduentu, cum audisset eos quærentes regem Iudæorum, qui natus esset, cum hoc Ierolymis nondum fuisset auditum. / Obserua uero prudentiam uirginis, atque humilitatem. sciebat illum esse angelum Dei, quare non fuit necesse hic, ut ipse diceret, ego sum Gabriel angelus, qui assisto in conspectu Dei, sicut Zachariæ dixit. sciebat Dei nuntios nõ solere uti assentatione, ac dolo, & tamen commouetur ad eius orationem, & cogitat, qualis sit illa salutio. audit se gratiosam appellari, & supra omnes mulieres celebrandam. quæ omnia quamuis uera essent, ipsa tamen, ut quæ nihil unquam magni de se fuisset opinata, ambigebat, quid hoc esset, qualisq; esset illa salutio, absurda'ne, an Diuina, cogitabatque intra se hoc pacto. scio huc angelum esse Dei, sed quæ de me prædicat, maiora sunt, quam ut meæ cõueniãt tenuitati. Hæc est ueræ humilitatis uirtus, ut, quò maiores quis in rectè facta progressus fecerit, eò amplius se deiiciat. at quænam est (dicit aliquis) huius rei ratio? hæc, opinor, quòd nunquam quisquam progreditur tantum in recta, & honesta uita, potest, quin intelligat, multo plura superesse, quam ea, quæ hactenus est assecutus, atque adeo tū solū intelligit multa sibi deesse, cū maximos in ea uita progressus fecerit. hoc & in studijs literarum usu euenit, ut quo quis doctior euadit, eò magis suã ignorantiam agnoscat, intelligatq; nihil esse aliud discere, quam intueri, quanta sint, ac sine carentia spatia literarum, ac studiorum in eis. contra uero, qui imperitiores sunt, pro exigua re, quã discendo sint assecuti, efferuntur, atque aliquid esse se arbitrantur. / in eundem modum se habet rectè factorum ratio. nam cernas eos, qui plus uitiorum, quam uirtutis habent, in minimis animi bonis, siqua se habere opinantur, insolescere, ac sese multis etiã præstantioribus

anteferre, & uirtutē interdū iudicare, quod ad uitū magis, quā ad uirtutē propēdet. eadē mihi uidetur ratio in auaris, & ijs, qui habendi studio tenētur, cur, quō maiores opes cōgesserunt, eō maiori semper in eas cupiditate inflammantur, q̄ scilicet cernūt in illo facultatū, & pecuniarum incremento immensa diuitiarū spatia, in quā adhuc superfit peruenire, & in temporarijs quidem rebus, illa infinitas semper est reprehensa, sed in ueris animi bonis in primis commendanda: cum inuitemur, ut Deum toto corde, tota anima, omni mente, omnibus uiribus amemus. quod plenē assequi nemo, quanto scunq̄ in uirtutes progressus fecerit, in hac uita potest. Hanc igitur ob causam prudentissima uirgo, quamuis omnibus esset digna præconijs, cogitabat tamen hæsitans, qualis esset illa salutatio, quā sibi uideretur transilire terminos, quibus se contentam esse debere arbitrabatur. / Habent hic mulieres aliud, quod priuatim admo- neantur, quā circumspectē uidelicet cum uiris uersandum illis sit, ijs præsertim, qui se earum amore teneri profitentur. Maria angeli loquen- tis sibi uerba examinat, ponderat, uersat animo, quia gratiosam eam ap- pellauerat, & ea commendatione honestauerat, quam nec agnoscebat, nec postulabat. mulieres uerò loquentibus uiris, quos certo scire possunt ob lasciniam sibi blandiri, aures accommodāt sine ullo iudicio, arrident, laudatæ exultāt, narrant alijs sibi de se facta præconia. quin ad fenestras, & ianuas frequenter accedunt, ut inuident prætereuntes ad miscenda collo- quia, & nugas, quibus solam animæ, & corporis etiam plerunq; referunt corruptionem. quo pacto mulier affici ei potes, illi arridere, eius delecta- ri consuetudine, quem suspectum habere debes, & sæpe etiam non dubi- tas tuo pudori insidiari? discite Mariæ exemplo esse posthac circumspe- ctiores, reuoluite identidem admirandum hoc Mariæ factum, quā ad an- geli uerba suspensa cogitabat, qualianam essent ea. multò ergo magis uos omnia uirorum colloquia habere suspecta consentaneum est. Et dixit angelus ei: ne timeas Maria. inuenisti enim gratiam apud Deum. Vt commotum animum sedaret, etiam proprio eam appellat nomine, & cur eam gratiosam uocauerit, causam reddit. inuenisti enim gratiā apud Deum. quid ni (inquit) te gratiosam uocem, quā tantam apud Deum gratiam inuenisti? quid uerò illud est, inuenisti? num tantam quæsierat gratiam, quanta hæc est, quam estis audituri, illa uirgo, quæ nihil magni de se sentiebat? solent enim sacræ scripturæ, ubi aliquid quæritur, eiusmo- di uerbis uti, si inueni gratiam in oculis tuis, hoc, atque hoc præsta. sed sciendum est, ubi quis irreprehensus quærit ingredi in mandatis, & iusti- ficationibus Domini, nec quærit aliud, quā ut Dei uoluntatem faciat, eiusque præceptis obediat, is, si etiam nullo mercenarij affectu aliud à Deo petat, quā ut eius uoluntati obsequatur, atque à deo qui eiusmodi est,

est, in primis, ac præ cæteris inuenire gratiā apud Deū dicitur, & ei minime quærenti optima quæque à Deo tribuuntur, & longè maiora, quā ea essent, quæ quis suo iudicio postularet. nos enim in nostris postulatīs assimiles pueris sumus, qui puerilia duntaxat, ac suis cogitationibus con- sentanea petere consueuerunt. Sed quæ est hæc gratia, quam Maria inue- nit apud Deum? ecce concipies (inquit) in utero, & paries filium, & uo- cabis nomen eius Iesum. is erit magnus, & filius altissimi uocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David patris sui, & regnabit super do- mum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. magna profectò hæc gratia est, quam inuenit Maria apud Deum, & cui nulla similis queat ex- cogitari, præsertim adiectis ijs, quæ in hac angeli cum uirgine colloca- tione sumus audituri. Ecce concipies (inquit) in utero, & paries filium, & uocabis nomen eius Iesum. cur positum fuerit ei hoc nomen, declara- tum fuit ipsi Ioseph in somnis ab angelo, cum dixit, uocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. dictio autem hæc descendit à uerbo Iesum, quod significat salutem dare. Mariæ autem non exposuit angelus uocis interpretationem, quia ex uerbis se- quentibus intelligere potuit eius uirtutem, atque potētiam: quanquam credibile omnino est, beatam hanc uirginem non ignorasse ea, quæ de Christo propheta fuerant locuti. nunquam enim refragari potero sen- tentiæ cuiusdam uiri, in omni disciplinarum genere eruditissimi, qui cen- set beatam Mariam, cum electa iam olim fuisset, ut fieret mater Dei, etiam habuisse ea ornamenta, quæ habere deceret matrem eius, qui Dei patris sapientia est, quare & homines, & angelos Diuina sapientia supe- rauisse. sed demus hac illam consummata sapientia fuisse præditam pos- tea, quā effecta est mater Dei, certè quiuis iure concedat, eam illa sal- tem sciuisse, & intellexisse, quæ à prophetis fuerant prædicta, inter quæ sunt ea, quæ scripsere de salute, quæ paranda erat per aduentum Mesiiæ. quare non oportuit eam hæc ab angelo doceri, quemadmodum oportuit Ioseph. Est præterea maxime rationi consentaneum, sicut Zachariæ precanti pro populi peccatis, & postulanti, ut expectata sa- lus adueniret, angelus eam in foribus esse nuntiauit, sic eundem ange- lum hæc attulisse læta Mariæ, quo tempore uirgo eadem cogitabat, ac pre- cabatur. quid enim mirum, si uersans tunc animo, quæ uel legerat, uel audierat ab Esaiā dicta de uirginis partu, in eam cogitationem uenisset, ut optaret esse tantæ uirginis pedissequa? Vocabis nomen eius Iesum. quem ut intelligeret nō solū longo interuallo superaturū eos, qui antea hoc nomine sunt uocati, sed futurū uerè Iesum, hoc est, Seruatorem, adie- cit, quæ sequuntur. erit enim magnus, cæteraque de eo magnifica. nam fuerunt quidem apud Hebræos, qui hoc nomen habuerunt, sed eius uir-

tute fuerunt destituti. quorum unus, is scilicet, qui Iesus Nave, aliàs Iosue uocatus est, in huius ueri Iesu figuram præcesit, atq; ob eam causam non Moses, sed ipse Iosue introduxit Israelitas in terram illis promissam, quo significabatur, nõ legem uim habuisse, qua homines iustificarentur, & salutem consequerentur, sed Iesum filium Dei illum fuisse, qui populo suo æternam adipisceretur salutem, eumque in terram uiuentium, hoc est in ipsum cœlum esset introducturus. sic Zachariæ prophetæ ostensus ab angelò fuit Iesus sacerdos magnus, & mytheria, quæ ibi tractantur, æquum enim fuit, ut in ueteri lege aliqui hoc nomine antecederent, in quibus quædam agerentur, quæ ueritatem hanc adumbrarent, quã nunc angelus futuram uirgini pollicetur. Is erit magnus, ea nimirum magnitudine, quæ Deum decet, non eo pacto, quo multi uocati fuerunt magni, ut de Ioanne. erit enim magnus coram Domino. neque magnus erit priuato aliquo munere, ut Absalon magnus pulchritudine, & Sampson fortitudinis, & sapientia Salomon. sed absolutè magnus, & cuius magnitudinis nullus sit finis. is est, cui data fuit omnis potestas in cœlo, & in terra, & quem Deus in tam ingentem celsitudinẽ extulit, ut dederit ei nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. is est magnus ille, de quo Petrus ait. neq; enim est aliud nomẽ sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri. magnus ergo futurus erat, ut & de eo dici posset. magnus Dominus noster, & magna uirtus eius. erit magnus, nec oportuit addere, coram Deo, sicut de Ioanne dixit angelus, erit magnus coram Deo. nam hic est Deus magnus, & rex magnus super omnes Deos. & magnus Dominus, & laudabilis nimis, in ciuitate Dei nostri, in môte sancto eius. Et filius altissimi uocabitur. & hoc non sicut multi hac appellatione sunt dignati, ut in psalmo legimus. ego dixi, Dij estis, & filij altissimi omnes. nam ij uocati sunt Dij propterea, quòd ad eos sermo Dei factus erat, quemadmodum Seruator ipse Iudæis dixit. at hic, quem pater sanctificauit, & misit in mūdum, non nuncupatiuè, sed uerè filius Dei est, cui uni illa conueniunt, quæ in epistola ad Hebræos legimus, quòd scilicet sit splendor gloriæ, & expressa imago substantiæ illius, moderans omnia uerbo potetiæ suæ, cæteraque, quæ magnificè illic scribuntur, sed quærat fortasse aliquis. cur maluerit dicere, uocabitur filius altissimi, quàm filius Dei, cum utrunque idem significet. mihi uidetur, uoluisse angelum uti hac uoce, altissimi, quæ uideretur nescio quid maioris euidentiæ habere, ut intelligeretur, maximum quoque, atq; altissimum futurum eum, qui dignus esset, qui filius altissimi uocaretur, atq; adeo qui filius altissimi esset futurus. nam hic, uocari, idem est, quod esse. sicut & in epistola Ioannis, legimus. uidete qualem charitatem dedit nobis pater, ut filij Dei uocemur. quod quo pacto esset intelligendum,

gendum, declarat, cum paulò post addit. nunc filij Dei sumus. Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius. appellat David patrem, hoc est, progenitorem, quemadmodum & Iudæi appellabant Abraham patrem eò, quòd originè uetustam ab illo habuissent. iccirco & Christum, quem expectabant, filium uocabant David, quia ex progenie David secundum carnem esset nasciturus. cum ergo filius David sit, ad eum etiam pertinet paternum regnum, atque ut intelligatur, hoc regnum per mortem non desitutum, quemadmodum alijs regibus accidit, adiecit, & regnabit in domo Iacob in æternum. appellantur domus Iacob Israelitæ. qui à Iacob sunt profecti. nam Iacob duodecim patriarchas genuit, qui duodecim tribus constituerunt, unde omne Iudæorum gens constat. uerum hic per domum Iacob, qui & Israel est uocatus, fideles omnes intelliguntur, qui ex omnibus gentibus credituri in ipsum essent, quæ gentes promissæ iam olim illi fuerant, sicut scriptum est. postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. an Iudæorum tantum Deus? non ne & gentium? sanè & gentium. hi ergo omnes domus Iacob rectè uocantur. quin illi Iudæi, qui in incredulitate perdurarunt, ab Israelis appellatione excluduntur. non enim omnes, qui sunt ex Israel, (ait Paulus) ij sunt Israel, neque quia sunt semen Abraham, iccirco omnes filij. sed in Isaac uocabitur tibi semen. hoc est, non qui filij carnis, ij filij Dei, sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine. & alibi. non qui in manifesto est, Iudæus est, neque quæ in manifesto est in carne, est circuncisio. sed qui est in abscondito, Iudæus est, & circuncisio cordis in spiritu, non litera, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est. regnabit ergo super domum Iacob in æternum. & ne in illa æterni appellatione quis calumnias strueret, cum æterni appellatio in scripturis sacris non uno modo uideatur accipi, ut omnem auferret ambiguitatem, adiecit, & regni eius non erit finis. de quo etiam scriptum est. regnum tuum regnum omnium seculorum, & dominatio tua in omni generatione, & generatione. hoc regnum est, quod Daniel Babylonio regi fuit interpretatus, cum dixit. suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur. comminuet autem, & consumet uniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum. uerum, quia regnum hoc Christi, quemadmodum idem Seruator respondit Pilato, non est ex hoc mundo, non quòd in mundo non habeat potestatem, data enim est illi omnis potestas in cœlo, & in terra, sed quia non eo modo regnat, quo reges terræ solent, corporeo scilicet more, sed in spiritu, & in fidelium animis, quod est uerè regnare, iccirco miseri Iudæi temporarium duntaxat regnum expectantes, hoc regnum non intelli-

intelligunt: nam adhuc obrecta est illis facies Moſis, ut intueri in eum non poſſint, & interiorē gloriam contemplari. Et hæc quidem angelus. nunc attētius intueamur, quo ſe pacto Maria in tam felicibus, tamq; admirandis promiſſis gerat. Dixit autem Maria ad angelum. quomodo erit iſtud, quoniam uirum non agnoſco? intuere ruruſus hic ſibi conſtantem uirginis animum, prudentiæque pleniffimum, & quem habere ſemper præ oculis in maximis quibuſque rebus, & uiri, & mulieres deberent. prædictio illa angeli de conceptu, & partu filij, ſola pollicebatur aliquid magni, ſi etiam nihil aliud addidiſſet: neque enim eiufmodi prædictiones fieri ſolent, niſi is, qui naſciturus promittitur, magnum quippiam ſit præſtaturus. quare ſimplex illa pollicitatio inclinare ad aſſenſum, cuiuſuis mulieris animum potuiſſet: nunc uerò promittitur, eum filium talem, ac tantum futurum, qualis, quantuſque cogitari unquam à quopiam poſſibile non eſt, quid enim maius accidere mulieri poſſit, quam ut filium pariat, qui filius altiffimi ſit, & cuius regnum nullum finem ſit habiturum? & tamen tantum abeſt, ut ad tam felicia promiſſa exulteret, aut ſaltem aſſentiatur, ut ante hæc uelit de ſua uirginitate eſſe tuta. quomodo (inquit) erit iſtud, quoniam uirum non agnoſco? hoc eſt, non ſum agnitura. familiariffimum enim Hebrææ linguæ eſt, ut præſens pro futuro, & tempus pro tempore ponatur: alterum enim è duobus neceſſe eſt, ut interpretemur, uel Mariam ex uerbis angeli intellexiſſe, ſe ſine uiro parituram, atque ideo modum rogauiſſe, quo fieret. uel eandem Mariam Deo inſpirante cogitauiſſe iam olim de uirginitate ſeruanda. ſed non colligi poteſt, quòd ex uerbis angeli intellexerit, ſe parituram ſine uiri commercio, ut interrogare oportuerit, quo id pacto fieret. ſciebat etiam, ex uiri, & mulieris copula ſolere filios procreari, alioqui mentionem uiri non feciſſet. quid ergo hic interrogat? hanc ob cauſam ſapientiffimè uiri ſancti ſunt interpretati, beatam Mariam Deo inſpirante optaſſe in uirginitate degere præter illius gentis morem, cui genti ſumma erat gloria, relinquere ſemen in Iſrael, contra, ignominia non relinquere. & ſanè rationi admodum eſt conſentaneum, eam, quæ uirgo erat paritura, & Deum paritura, percepiffè antea mente, atque animo hanc cogitationem degendæ in uirginitate ætatis. / cur ergo (dicet aliquis) paſſa eſt ſe deſponderi uiro? & hoc factum eſt, ſpiritu Dei illam gubernante. nam ſi reſuſciſſet hanc deſponſationem, primum rei nouitas offentionem peperiffet, ac probro illi eſſe potuiſſet. deinde cum electa iam, & deſtinata eſſet, ut uirgo pareret, niſi deſponderi ſe uiro paſſa eſſet, non uirginis, ſed ſcorti nomen tuliſſet. nam dicenti, quòd uirgo peperiffet, nunquã fuiſſet creditũ. rectè itaque credendum eſt, audito cõceptus, & partus nomine, uoluiffè eã de uirginitate tutã reddi, ubi obſeruãdum etiam

etiã eſt, eã non, ut Zacharias, petiſſe ſignũ, aut fidem non habuiſſe uerbis angeli, ſed modũ rogaffe, quo ſine uirginei pudoris offentione hoc fieret. nã prædictũ quidem a propheta fuerat, fore, ut uirgo cõciperet, ac pareret, ſed modus nondum fuerat declaratus: quare nec angelus eam reprehendit, quòd fidem non habuerit uerbis ſuis, ſed obſequitur uirginis poſtulationi, & modum docet, quo id fiet, atque id ſanè iuſtum fuit. res enim hæc erat, cui ſimilis nunquam antea facta fuerat, quòd in Zachariæ negocio non contigit: ſcirco dignus fuit reprehentione, qui ſcire poterat eiufmodi exempla præceſſiſſe, eorum, qui prius ſteriles, poſtea etiam decrepiti genuiſſent. Reſpondens ergo angelus dixit ei. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & uirtus altiffimi obumbrabit tibi, quapropter & quòd naſcetur ſanctum, uocabitur filius Dei. non eſt (inquit) quòd à uiro metuas. nam ſuperueniens in te ſpiritus ſanctus negocium omne peraget eo modo, quem ſola Diuinitas nouit. tantum ſcio, hoc non uiri, ſed ſancti ſpiritus futurum opus. Et uirtus altiffimi obumbrabit tibi. in noua re nouo loquendi more utendum fuit angelo, quo uidetur quidem uoluiffè uirginis quæſtioni ſatiſfacere. ſed quia res erat, quæ omnem creatam intelligentiam ſuperaret, dixit, quòd eſſari potuit, & ex eius uerbis colligitur, ſatis eſſe debuiffè uirgini, ſi tuta redderetur ab eo, quòd metuebat, de uiri ſcilicet commercio: cætera nube tegi, & ſoli huius operis artificio eſſe peruia, perinde quaſi diceret. ſecuram te ab hoc metu reddo, quòd de uiri agnitiõẽ poſtulaſti, alio utetur modo ſpiritus ſanctus, quem modum ipſe ſcit. aderit & uirtus altiffimi, tanquam nubes quædam, quæ æſtum omnem arcebit, ne ulla ex parte uirginitas uioletur. uirtus autem altiffimi eſt ipſe filius Dei, quem Paulus appellat Dei uirtutem, *δύναμιν*, uim, robur, potentiam. hic uirtute ſua ita ſe tibi inſinuabit, ut carnem ex te ſine tuæ carnis corruptione ſit accepturus, rectè etiam aliam ob cauſam uerbo adumbrandi uſus eſt. cum enim umbra fiat ex corpore, & lumine, in corpus uirginis deſcendit ille, de quo ſcribit Ioannes Euangelifta, erat lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum, & ex Deo, atque homine unã conſtituta perſona eſt. neque uerò absurdum eſt, ſed plenum ingenij, & pietatis quòd quidam ſunt interpretati, quòd ſcilicet uirtus altiffimi obumbravit Mariæ, cum filius Dei humanam induit naturam, & in uirgine abſcondita uirtutis Dei, lucem ſuam carnis uelamine obtexit. / Sed non erit fortãſſe ſuperuacuum, ſi pia curioſitate peruēſtigemus, cur dicat angelus, id ſpiritus ſancti opera fuiſſe factum. neque enim curioſitas omnis reprehenditur, ſed illa temeraria, atque impia, quæ confidit ſuo ingenio aſſequi incomprehenſa. nos uerò ad hæc ſancti ſpiritus opera requirenda, eiufdem ſpiritus opem imploramus. Omnis operatio ex ſpiritu, & amore quòdam proficiſcitur,

ur, qui id, quod agit, unit ei, in quod agit. nam motus sine spiritu non est. quare & id, quod in uento motionem facit, & in alijs omnibus rebus, spiritum appellamus. per motum autem omnes efficiunt, quod uolunt: sic ubi quis operatur, affici illum ei rei, cui operam dat, necesse est. cum ergo ex spiritu, & amore opera proficiscantur, necessarium prorsus fuit, ut maximum hoc opus, quo nullum esse maius potest, coniungendæ humanæ naturæ cum Diuina, & creatoris cum creatura, ex maximo uniente amore proficisceretur, qui nimirum spiritus sanctus est, tertia in Diuinis persona, quem & spiritum, & amorem appellat Christiana theologia: per quem solū sine adminiculo creati agentis concipere potuit mater filium Dei patris. ut sicut pater Deus omnia spiritu suo formauit, quæ cum non essent, in esse prodierunt, ita hoc maxime præcipuum egit, eodem sanctissimo spiritu perfectissimè operante. quod ut aliqua ex parte apertius fiat, hoc utamur exemplo. sit excellens præceptor aliquis, qui quod mente concepit, & quasi partum suæ mentis, uelit aperire discipulis, ut demonstrata illa concepta ueritate pascantur, hic operam dabit, ut conceptum illum mentis, uoce tanquam indumento uestiat, alioqui ostendi discipulis non potest, nisi modo aliquo, qui subiectus sensibus sit. non potest autem hoc fieri, nisi per spiritum naturalem magistri, qui ex attracto ad se ære uocalem figuram accommodat, mentis conceptibus consentaneam, cui spiritui ita ipsam conceptam sententiam adunat, ut uox ipsa in ipsa re concepta subsistat ita, ut auditores uoce media conceptum illum mentis assequantur. Hac licet remotissima similitudine paulisper attollimur ad intelligendum, quo pacto æternus pater, immensa qua est bonitate, dum uellet nobis diuitias gloriæ suæ ad omnem sapientiæ, & scientiæ plenitudinem ostendere, uerbum uidelicet æternum filium suum, qui omnium plenitudo existit, dum nostræ imbecillitatis miseretur, quando aliter, quam in subiecta sensibus, ac nobis simili forma percipere non poteramus, ipsum humana natura induit per spiritum sanctum, qui eiusdem secum substantiæ est, qui, sicut uox ex ære contracto per inspirationem fit, sic de puritate fecunditatis uirginalis sanguinis corpus ipsum animale cõtexuit, rationem addiciens, ut homo esset uerbum Dei patris. Hanc autem matrem, quæ supremo huic, & omnium maximo operi materiam ministrauit, dubitare nemo nec debet, nec iure potest, cunctas uirgines omni uirtutis perfectione superauisse, atq; inter mulieres fecundas omnes excellentiorem benedictionem adeptam fuisse. omnino enim oportuit eam, quæ præparata iam olim erat ad singularem hunc uirgineum partum, rebus illis omnibus caruisse, quæ uel puritati, uel uigori, uel unitati excellentissimi omnium partus obesse potuissent. si enim longè ante electa non fuisset, quo modo ad uirginalem partum sine uirili semi-

ne

ne apta extitisset? nisi sanctitate supra alias omnes eminuisset, quo modo sacrarium spiritus sancti, in quo filio Dei corpus effingeret, fuisset effecta? nisi post partum uirgo permanuisset, antea excellentissimo partui centrum maternæ fecunditatis in suprema sua, ac limpidissima perfectione non communicasset, sed diuise, atque imminutè, neque ut tanto filio unico, ac supremo debuisset. si ergo uirgo sanctissima se totam Deo obtulit, cui operante spiritu sancto, etiam omnem fecunditatis naturam penitus communicauit, perdurauit in ipsa immaculata uirginitas ante partum, in partu, & post partum, supra omnem naturalem communem generationem incorrupta. Ex patre igitur æterno, & matre in tempore, Maria uidelicet uirgine, Deus, & homo Iesus Christus natus est, ex patre maximo, & absolute plenissimo, ex matre plenissima uirginea fecunditate, suprema benedictione repleta, idq; in temporis plenitudine: non enim potuit esse homo ex matre uirgine nisi in tempore, neque ex patre Deo nisi ab æterno, sed ipsa temporaria natiuitas requisit in tempore plenitudinem perfectionis, sicut in matre plenitudinem fecunditatis. O thesauros rerum, & Christianæ philosophiæ diuitias. sed persequamur reliqua. Quapropter & quod nascetur sanctum, uocabitur filius Dei. quod uertimus, quod nascetur, in Græco est, το γενναμενον, quo significatur, quod non solum ubi natus est, sed dum etiam formaretur in utero, esset filius Dei. quod contra eos hæreticos est, qui dixerunt, non fuisse filium Dei eum, qui in utero uirginis quiesceret, sed nudum hominem è uirgine natum, qui postea Deum sibi comitem factum habuisset. illud autem neutro genere, quod nascetur, maius quid habet in sese, quam si dixisset, qui nascetur. habet enim admirationem, ut sit hic sensus. quia hoc spiritus ipse sanctus, & uirtus altissimi operabitur, ob hanc causam quicquid illud erit, quod nostrum etiam captū superat, uocabitur filius Dei. nam nascetur quidem ex te ueluti homo, sed multò maius nomen est illi dandum, quam ut simpliciter homo appelletur, quare uocabitur filius Dei. Et ecce Elisabet cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua, & hic mensis est textus illi, quæ dicebatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne uerbum. Rectè hic dixit quidam non exigui inter nostros nominis, ad bonos scilicet mores pertinere, ut ij, qui fidem exigunt, uicissim fidem etiam astruant. quare meritò angelus, ut confirmationem uirginem redderet, sterilis sceminae conceptum annuntiat, non quod uereretur, ne suis uerbis fidem haberet, certam enim habebat illius fidem, sed quia uirgo ambigebat circa modum generandi, quem ignorabat, quo uidelicet modo res fieri posset, quæ nunquam antea facta fuerat, exemplum affert mulieris sterilis, quæ uolente Deo concepisset, atque hunc esse modum, potentiam uidelicet Dei, cui fides sit habenda. hoc

E enim

enim pacto Abraham senex ex sterili, & uetula Sara genuit Isaac, uolebat ergo angelus, ut, quantum in ipso erat, acceleratio fieret conceptionis, quam citò fieri optabat, ideo hæc summo studio adiecit, ut ne circa modum, quem quæsierat, posthac sollicita esset. nam inquirere apud Deum, quomodo operetur, apud quem nihil est nõ possibile, absurdum est, quia id, quod uult, necesse est esse, non obstante naturæ usu contrario. ipse enim est pura necessitas, neque astringitur ad modum, ut sic, aut sic agat. etenim quòd modus requiratur, ex imperfectione aliqua nascitur, ut, si ædificator aliquis domum ædificare uelit, quærendum est, quo id modo fiat, per multiplicem scilicet materiam, quæ ad ædificium necessaria est, ut calcis, lapidum, laterum, lignorum, cæterorumque eiusmodi, sine quibus domus non ædificatur. at cum Deus ædificare mundum uoluit, nullus modus requisitus fuit, sed ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. hinc sequitur, ut, ubi possibile, & impossibile, quæ ad hunc inferiorem mundum pertinent, non habent locum, sed pura uoluntas est absoluta necessitas, inquirere de modo sit superuacuum. unde, cum audierit, nihil apud Deum esse impossibile, sublata est omnis, quærendi de modo hæstatio. Et ecce Elisabet cognata tua, quæritur hic, quo modo Elisabet cognata fuerit Mariæ, cum Elisabet è tribu Leui esset, Maria uerò ex femine Dauid, sicut ait apostolus, memor esto Dominum Iesum Christum resurrexisse à mortuis ex femine Dauid. qui nimirum Dauid fuit è tribu Iuda, diximusque non solere in contrahendis matrimonijs tribus permisceri, ne hæreditates de tribu in tribum transferrentur, quæ cum ita se habeant, quomodo factum est, ut Elisabet Mariæ fuerit cognatione coniuncta? hunc nodum quidam ita soluunt, ut dicant, in Baby Ionica captiuitate confusas fuisse tribus, atque inde factum, ut hæc cognatio sit secuta. quod cum non negemus potuisse tunc accidere, certior tamen locus est in exodo, ubi legimus, Aaron accepisse uxorem Elisabet filiam Aminadab. at Aminadab abnepos fuit Iudæ, ut in genealogia a Matthæo descripta aperte monstratur. tunc ergo facta est hæc cognatio duarum tribuum, regis, & sacerdotalis, neque hoc difficile fuit, cum non dum ingressi essent terram promissam, quæ cum postea ita fuisset distributa, ut singulæ tribus suam, seiunctamque ab alijs partem haberent, tunc cauebatur, ne tribus confunderentur, sed ante ingressum promissæ terræ non erat ea tam accurata obseruatio, neque uerò absurdum cenfeo, si dicitur, Leuiticam tribum potuisse facilius interdum coniugia cum alijs tribus permiscere, cum cesset illa hæreditatum ratio. nam noluit Deus Leuiticæ tribui fieri secretam, ac seiunctam illam, quæ in alijs fiebat, partitionem, sed dixit, se uelle esse eorum hæreditatem, ut scilicet de ijs uerent, quæ Deo offerebantur in templo, neque uerò sine mysterio factum

factum est, ut Maria cognationem haberet cum gemina tribu, regali uidelicet, ac sacerdotali, quæ summum regem, summumque pontificem esset paritura, de qua re copiosè ad Hebræos scribitur. Et ipsa concepit filium in senectute sua, & ipsa (inquit) Diuino miraculo, ac uirtute, non humanis uiribus concepit. quare nihil est, quod mireris, si & tibi usu uenient ea, quæ naturæ uires superant. Et hic mensis est sextus illi, quæ dicebatur sterilis. hoc ad ueritatis euidentiam additum fuit, simul etiam ut tacite inuicaret Mariam ad eam inuifendam. quòd uerò exemplum hoc allatum fuisse credendum sit, ut, animo uirginis faceret satis, quantum ad modum pertinet generandi filij sine uiri consuetudine, ex sequentibus uerbis liquere potest, cum ait. quia non erit impossibile apud Deum omne uerbum. hoc est, in hisce rebus, quæ supra naturæ consuetudinè sunt, non est immorandù in huius naturæ humilis contemplatione, cui uirtutem suam Deus non astrinxit, sed ad omnipotentem eius uim erigendus est animus, cui nihil est non possibile. illud uerò, omne uerbum, Hebraismus est, pro quo nos diceremus, quælibet res. hoc autem pluribus in locis reperias sacræ scripturæ, ut uerbum pro re accipiatur, ut est illud. non in solo pane uiuet homo, sed in omni uerbo, quod procedit ex ore Dei. Dixit autem Maria, ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum uerbum tuum. ubi tuta reddita est ex ea parte, pro qua sollicita erat, de uirginitate scilicet, corporisque integritate seruanda, iam nihil supererat aliud, quàm ut acquiesceret, ac Diuinæ uoluntati assentiretur, ita tamen, ut nihil ob tam admiranda promissa, quibus angeli ipsi possent inuidere, quicquam efferatur, aut de statu suo moueatur, aliquid ue maius de se sentiat, quàm ante sensisset. quare appellat se ancillam ea, quæ dudum audierat, se electam fuisse in matrem filij ipsius altissimi Dei. Ecce (inquit) ancilla Domini, fiat mihi secundum uerbum tuum. ancillarum (inquit) officium est, suorum dominorum præceptis, ac uoluntati obedire: quare, cum Dei mei ancilla sim, assentior, ut fiat in me, sicut locutus es. & quamuis hæc maxima sint, quæ implenda in me esse prædixisti, neque me dignam agnoscam, quæ tantis donis honeste, assentior tamen, non ut his digna, sed ut ancilla, ad quam pertineat non discutere, sed obsequi Domini Dei mei imperio. Hanc humilitatem, atque animi submissionem habere ante oculos debent omnes, qui Christo nomen dederunt. hæc enim præcipua uirtus est, quam in primis Seruator Christus proposuit amplectendam, suum ipsius exemplum in medium afferens. discite (inquit) ex me, quòd mitis sim, & humilis corde. hæc humilitas appellari rectè potest propria uirtus filij Dei, quam ut in se per totam

uitam semper ostendit, sic identidem hortabatur homines, ut illi operam darent. & iure sanè. nam, quemadmodum superbia initium omnis peccati appellatur, sic omnium bonorum fundamentum est humilitas. hæc Mariam præparauit, ut digna esset, quæ fieret mater Dei. hæc omnibus sanctis uiris spiritualia dona conciliat. hæc efficit homines domicilium sancti spiritus. super quem (inquit) requiescet spiritus meus, nisi super humilem, & mansuetum, & trementem uerba mea? unde singulariter etiam indicium est humilitas, mentis, quæ in Dei uenerit familiaritatem. hanc itaque omnium bonorum matrem summo studio quæramus. hæc enim sola uia est, qua æterna illa iustis præparata bona cõsequamur. iunante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & imperium, & potestas, nunc, & in omnia secula. Amen.

O R A T I O Q V I N T A.



MIRARI iure possum, si id, quod à me sæpius fuistis admoniti, non præstitistis in superioris orationis pertractatione: ut scilicet tanquam animalia munda ruminetis ea, quæ proposita uobis fuerunt. etenim quænam reperiri possunt magis digna, in quibus humana ingenia exercentur? quæ ingenia cum duas ob causas potissimum occupari quibusuis in rebus soleant, uel utilitatis, uel ipsarum rerum dignitatis gratia, nihil usquam est, in quo utrunque horum certius, plenius uereperiat, quam in hisce Euangelicis narrationibus. si enim utilitatem quæras, quid est utilius, quam in ijs uersari, quæ immortalem, ac beatam uitam parent? at hoc sola in Euangelicis spatijs exercitatio præstare potest, reliquæ facultates omnes, uel damnum, etiam in futura interdum uita secum afferunt, uel, siquid habent lucri, illud ad hanc duntaxat uitæ scenam pertinet. si rerum dignitatem requiras, confer Euangelicam historiam cum omnibus omnium philosophorum, qui unquam fuerunt, libris, & mox intelliges, tantam esse inter utrosque differentiam, quanta inter lucem, ac tenebras intercedit. re enim uera quicquid externi philosophi, qui à nostris adiumenta non habuerunt, scripsere, præ ea luce, quam

quam Euangelica ueritas affert, uocari tenebræ meritò potest. si enim rerum maiestatem contemplare, quid tandem apud externos est, quod cum nostris collatum splendorem omnem non amittat? neque uerò uelim nunc, ut tota Euangeliorum opulencia, ac magnitudo ponatur in medium: ea tantum contemplari uobis satis erit ad fidem faciendam, quæ superiori oratione fuerunt dicta. philosophi nullum habere cum Deo commercium reperiuntur, nullam uel cum cœlestibus spiritibus consuetudinem, & cum de ijs uerba faciunt, ita loquuntur, ut de re prorsus ab hominum usu aliena. neque id mirum, quando præstantissimi inter eos fuerunt, qui existimarunt, Diuinam prouidentiam ad hæc inferiora minime se demittere: tantum abest, ut ullo affectu uel ipsi erga Deum tenerentur, uel Deum erga se teneri arbitrarentur. at hic cernis Deum nuntios suos ad homines mittere, angelos, & purgatissimas illas mentes non dedignari, neque detrectare hoc legationis munus, totamque illam cœlestium spirituum choream tam benignè erga nos affectam, ut scriptum sit, omnes esse administratos spiritus, qui mittantur ob eos, qui salutem hæreditate sint adepturi. quòd si præterea cogites, quibus de rebus mittatur hic angelus, & quam felicia generi nostro nuntiaturus ueniat, multò profectò magis intelliges, quæcunque apud externos maxima uidentur, præ nostris meras esse nugas, & lusibus puerorum quam simillima. nuntiat hic futurus partus uirginis, & filij altissimi natiuitas. O stuporem, omnimiam rerum nouitatem, & non credendam, nisi tam solidis niteretur fundamentis: ille rerum omnium auctor, & pater, tantæ Deus maiestatis, ut de eo propheta meritò dicat. omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo, & minus quam nihilum, & inane reputatæ sunt. ille Deus, quem externi philosophi suspicantur amissurum suam dignitatem, si horum inferiorum curam ei permitterent, hic cernitur tam nostri generis amans, tantæ erga nos bonitatis, ut suum unigenitum è sinu suo in puellæ uirginis uterum mittere non sit dedignatus. qui fieri posset, ut, si ij, qui Christo nomen dederunt, & cognomine ab illo accepto gloriantur, hæc intimis sensibus perciperet, non totos se in hanc philosophiam contemplandam darent, & omnia, quæ hic magna existimantur, opes, pecunias, honores, potentiam pro nihilo putarent, atque pessunderent? quam enim ob causam censetis, in ipsis nascentis huius uerè cœlestis, ac Diuinæ philosophiæ principijs, uiros, ac mulieres, qui dudum à simulachris recesserant, intellecta hac ueritate continuò immutatos, non solum facultates, & honores, & dignitates contempnisse, uerum etiam exquisitissimis pœnis obiecisse corpora tuendæ huius philosophiæ gratia? nihil aliud in causa erat, nisi quòd ista toto animi affectu complectebantur, quæ nunc homines uix intra corporis aures admittere patiuntur, & nihilò tamen minus se

se Christianos esse sibi persuadent, cum longius plerunque à Christo distent, quam ipsi Christiani nominis apertissimi hostes sint, atque hoc fit propterea, quod nunquam ex animo hanc rerum maiestatem contemplantur, nihilque eis prodest, quod ab infantia Christiani, ob baptismum sint effecti, quando & adolescentiam, & reliquas aetates usque ad extremam senectam ita exigunt, ut nunquam cogitauerint, quid sit, esse Christianum. quare obsecro uos, ut quicumque hactenus tanti erroris se sibi confcios sentiant, mentem, atque animum mutant, & maximis hisce muneribus, à Deo opt. max. generi nostro collatis desinant esse ingrati. sed ueniendum est ad ea, quae in Euangelica sequuntur historia. Post Mariae uerba, quibus se ancillam humilem Diuinae obtulit uoluntati, dicesit ab illa angelus, ut qui suo functus esset munere, intellexissetque uirginem in ipso assensu concepisse filium Dei. Exurgens autem Maria in ijs diebus abiit in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariae, ac salutauit Elisabet. Scio non exigui nominis uiros esse, qui cenleant, beatam Mariam festinè adijisse Elisabet, quam audisset ab angelo in grandaeva aetate concepisse, ut certior adhuc fieret, num uera dixisset angelus, qui ei fuerat uisus. nam prudens (inquit) cum esset, timebat, ne forte deciperetur. quae tamen non ut incredula hoc agebat, sed ut diligenter rem exploraret. sed mihi uidetur haec opinio parum digna tanta uirgine. qui enim fieri poterat, ut concepisset Dei filium, quae his perplexitatibus teneretur? nam plenissimam fidem supra hanc mysteria requirunt. an non (inquies) potuit decipi? non, mea sententia. nam Deus ipse, qui nuntium suum miserat, ita uirginis animum caelesti luce illustrauerat, ut dubitare non posset, haec omnia Diuinitus agi, atque à solo Deo proficisci: & nisi hanc ueritatem intimis iam sensibus percepisset, non tam absolute sese obtulisset, ac tam libere dixisset. ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum uerbum tuum. sed accidit, ut dixi, in eiusmodi uisionibus, quae iubente Deo fiunt, ut ijs, quibus fiunt, interius illustrentur. quod si interea imbecillitas interdum humana aliqua se intermiscet, quemadmodum uidimus in Zacharia usu euenisse, & alijs, qui signa postulabant, discedente demum infirmitate illa, euadunt confirmati. Rectius ergo erit, ac uero magis consentaneum, si dicamus, uirginem, ubi ab angelo audiuit ita laetum de cognata nuntium, quasi tacite per illa uerba ad proficiscendum inuitatam, decreuisse inuisere Elisabet, atque id omnino Deo inspirante, ut per eius aduentum ea peragerentur in Ioanne, quae Gabriel angelus peragenda praedixerat. fore scilicet, ut iam tum ex utero matris suae impleretur spiritu sancto. in his ergo diebus, quibus Maria hoc ab angelo nuntium accepit, exurgens abiit in Montana. quod ait, exurgens, Hebraea locutio est, frequens in scriptu

ris

ris sacris, cum quid alicui agendum est. ut in cant. canticortu. surge, propera amica mea. & in psalmis. surge Domine in requiem tua, tu, & arca sanctificationis tuae, & Exurge Domine, non praeualeat homo. & exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & sexcentis alijs locis. in montana autem abiit, ubi erat habitatio Zachariae. unde & in sequentibus, cum fama de ortu Ioannis emanaret, dictum est, & super omnia montana Iudaeae diuulgabantur omnia uerba haec. additum quoque est, cum festinatione, ut studium inuisendae cognatae declararet. neque absurdum est, si interpretemur, festinationem illam fuisse uirginis indicium uerecundiae, quae in publico uideri erubesceret. nam pudor uirginitatis, ac pudicitiae tutissimus custos est. ut contra, dux impudicitiae est inuerecundia, & incontinentis animi signum. quare impudenti populo dictum fuit. frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. at quantae uerecundiae fuisse hanc uirginem credendum est, quae tantae integritatis fuit, ut digna habitata sit, quae Dei fieret mater. hanc autem & animi, & corporis integritatem seruare non potuisset, si, quemadmodum nunc uirgines solent, facile se conspicuam hominibus praebuisset. uitiat enim continuo mentem ille conspectus, si etiam neque uerba, neque facta turpia immisceantur, multo uero magis cum aliquid interferitur, quod carnem sapiat, quod quam saepe accidat, nos ipsos, qui quotidie in hisce rebus uersamini, iudices facio. hanc uirorum cum mulieribus consuetudinem sapientissimus Salomon intelligens, esse sine offensione nunquam posse, aiebat: nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut uestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, & non comburentur planta eius? sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus, cum tetigerit eam. & alius quidam sapiens. in medio mulierum noli commorari, de uestimentis enim prodit tinea, & à muliere iniquitas uiri. uerum quod ad uirgines pertinet, si etiam contingat interdum simplici, ac sine malitia animo, uirorum aspectibus se obijcere, semper tamen male tutum est, neque ferè fit, quin uel animus ipse per se aliquantisper cogitatione aliqua sordidetur. multo uero magis ex eo, quod raro fit, ut non uel mutuis aspectus, uel nutus, uel uerba intercedant, quae uirginis maculent integritatem, sed facta saepius pessima sequuntur. meminerint enim Dinæ illius filiae magni patriarchae Iacob, quae cum in peregrinam regionem uenisset cum patre, ac fratribus, sola curiositate uidendarum illius regionis mulierum, prodrens, & nihil aliud malitiae cogitans, ab adolescente ciuitatis principe stuprum passa est. si ergo uultis mulieres integritatem uestram seruare, ponite ante oculos beatae Mariae pudorem, ac uerecundiam, & quantum potestis uirorum conspectus fugite. quod si prodire interdum necessitas iubet, adhibete sensibus

abus diligentem custodiam, præsertim oculis, atque auribus, neque uos causa alia à domo extrahi patiatur, nisi pietatis obsequium aliquod necessarium, ad imitationem beatæ Mariæ, quæ audito conceptu senioris Elisabet, arbitrata est, suum accessum, quæ iuuenis erat, posse uetula in quotidianis obsequiis aliquid prodesse, donec filium pareret: quam cum audisset iam semestrem habere conceptum, studuit festinare, rata tardiori mora non esse opus. abijt ergo in montana cum festinatione, in ciuitatem Iuda, quæ scilicet tribui Iudæ obtigerat, & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabet. felix geminarum mulierum occurfus, quarum altera usque ad senectam sterilis, nunc fœcunda sit, altera, quæ uirgo concepit. in alterius utero magnus ille coram Domino, in altero magnus Dominus. sed antequam ad miracula, quæ mox secuta sunt, ueniamus, (quando sacrarum scripturarum interpretatio ob solam fidelium ædificationem fieri debet) intuere quantam uim habeat humilitas, & animi uera submissio, quæ efficit, ut homo nullis, quamuis maximis à Deo donis honestatus intumescat. huius enim uirtutis proprium est, sanam efficere mentem, quare & à Græcis *σωφροσύνη* pro humilitate accipitur, *ἀπὸ τοῦ σωφροσύνης ἔχειν*, hoc est, ex eo quod sanam mentem habeat. Maria ergo sciebat quidem, se matrem Dei effectam, sed, quemadmodum se dudum ancillam appellauerat, quamuis angelus ei significasset, quod in matrem filij altissimi fuisset electa, ita & nunc nihil quicquam maius de se sentiens, quam antea sensisset, non ad imperium, sed ad obsequium se præparat. nullus hic apparatus uestium, nō equorum, ac curruum, nullus hic muliebris mundus, nulla pompa ex ijs, quibus uos mulieres nunquam exsaturamini: & tamen erat mater Dei, quam cœlestes uirtutes reuerbantur, quæ nunc dignitate omnes angelorum choros antecellit. non pudet eas, quæ tantam philosophiam sunt professæ, quærere uestiri interdum ambiciosius, quam eæ faciebant, quæ sine Deo erant, & Venerem, ac Cupidinem pro Dijs uenerabantur? qua fronte audetis hanc uirginem inuocare, ut sua interpellatione apud filium uobis patrocinetur, quæ & filio, & matri tantam quotidie irrogatis iniuriam, quantam externæ, & quæ huius ignaræ sunt ueritatis, uix possunt? mutare itaque hanc mentem, mihi credite, atque attentius posthac huius uirginis uitam contemplamini, & studete illius mores imitari. Ingressa ergo Maria domum Zachariæ, amica, ac plena submissi animi appellatione salutauit Elisabet: quæ saluatio quantæ fuerit uirtutis, atque efficacis, si scire uis, audi mira, quæ sequuntur. Et factum est, ut audiuit salutationem Mariæ Elisabet, salij infans in utero eius. cernis, ut omnis Euangelica historia plena miraculorum sit, & eius maiestatis, quæ rapere in admirationem omne hominum genus meritò debeat? salutante Maria exiit infans in utero Elisabet.

rem

rem profectò nunquam antea auditam, & quæ quo pacto fiat, sola ratio Diuinæ omnipotentis adduci in medium possit. semestris infans exultat gaudio in utero matris ob aduentum uirginis matris Dei. admirabilissima hæc sunt, si cognitæ à nobis naturæ terminis cogitationes nostras circumscribamus: uerum, si cogitemus omnia etiam sensu carentia auctorem suum agnoscere, eique obedire, eo tamen modo, qui intelligentiam superet nostram, non tam factu incredibile iudicabimus id, quod hic factum fuisse ex Euangelio audiuius. uenti quidem, & mare sensu omni carent. uerum, cum tanta esset orta tempestas, ut discipuli de uita desperarent, atque ob hanc causam dormientem magistrum excitauissent, ille mox increpauit mare, & uentos, & obedierunt, & facta fuit tranquillitas magna. & tunc quoque ijs, qui in nauibus erant, admirati sunt, atque dixerunt. quis est hic, quod uenti, & mare obediunt ei? at hic infans, animal erat rationis capax suo tempore, & quamuis eius usum nondum haberet, sensum tamen omnem, quem habuit, ad suum Dominum honorandum præbuit, cuius maiestatem in utero uirginis sensit delitescere. quod si dicas, Ioannem illo in facto rationis munere Diuinitus fuisse donatum, ne hoc quidem pietati contrarium est, si credatur. quo autem cunque modo sit factum, exclamare cum propheta & nos debemus. magna opera Domini. sed hoc constat solis ijs, qui pio studio scrutantur ea. id enim significant uerba, quæ eo loco sequuntur, uidelicet, exquisita in omnes uoluntates eorum: nam prophanis, & ijs, qui nil aliud, quam terrena curant, nihil minus curæ est, quam hæc magnifica; & Diuina opera, neque unquam in eorum admirationem assurgere consueuerunt. tunc uerò impletum fuit, quod prædixerat angelus Zachariæ de puero hoc, quod implendus esset spiritu sancto iam tum ex utero matris suæ. quo spiritu repletus, cur non sentiret Domini sui aduentum, atque præsentiam? Et repleta est spiritu sancto Elisabet, exclamauitque uoce magna, & dixit. benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus uentris tui. alterum miraculum, infans spiritu sancto repletus, replet & matrem, quæ mox agnouit mysteria, quæ in beata Maria peracta iam fuerant, intellexitque, filij, quem in utero gestabat, exultationem ex eo profectam, quod sensisset maiestatem filij Dei in uirginis utero delitescentem, conatusque esset, quibus posset modis, illi assurgere. Hæc animaduertens Elisabet, atque ab eodem spiritu edocta, exclamauit uoce magna, ut quæ ad tantæ rei miraculum attonita reddita esset, & ait. benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus uentris tui. repetit uerba angeli, ut quæ ab eodem spiritu edocta esset, cuius erat ille angelus. & quia hæc dixerat ob conceptum in eius utero filium, adiecit: & benedictus fructus uentris tui. ut sit idem illa co-

F pula;

pula, & quod enim nam & hoc non rarò in scripturis sanctis reperies . ut illud, da nobis auxilium de tribulatione , & uana salus hominis . hoc est , quia uana salus hominis . & alibi . tu iratus es, & nos peccauimus , pro eo, quod est, quia nos peccauimus - & hoc, uidelicet, Mariam habuisse in utero filium, per spiritum sanctum agnouit Elisabet . neque enim ex intumescente utero potuit coniectare, cum heri, aut nudiustertius concepisset . uerum spiritu sancto impleta intellexit, non solum illam concepisse , ac matrem fuisse effectam , uerum etiam eius matrem, quem Elisabet suum agnosceret Dominum . quare adiecit . & unde hoc mihi, ut ueniat mater Domini mei ad me ? sed unde nosti hanc Domini tui esse matrem ? sequitur . ecce enim, ut facta est uox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit præ gaudio infans in utero meo . intellexit Elisabet, motum illum , gestumque salendi accidisse infanti, quem in utero gestabat, ob reuerentiam Diuinæ cuiusdam uirtutis, quam aduentasse sensisset . erat enim mos Hebræis , in Diuino cultu motum corporis ex spirituali lætitia exhibere . unde legimus, cum deduceretur arca Dei, Dauid interea saltasse totis uiribus ante arcam . quod cum Michol filia Saul rem parum de coram esset arbitrata , atque occurrens ei dixisset, quàm gloriosus fuit hodie rex Israel, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est (nam accinctus erat ephod lineo) quasi si nudetur unus de scurris, hanc reprehensionem retorfit in illam Dauid, qui sciret omnia honesta esse, quæ in gloriam Dei fierent . & ait . ludam ante Dominum, qui elegit me potius quàm patrem tuum, & quàm omnem domum eius, & præcepit mihi, ut essem dux super populum Domini in Israel , & ludam coram Domino, & uilior fiam plus quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis , & cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo . Dauid rem & necessariam, & gloriosam arbitratus est, posito regio cultu, ante arcam Dei saltare, & ludere, multò ergo magis decuit Ioan-nem hoc agere coram uiua arca, uidelicet, utero uirginis, in quo erat Deus . intellexit ergo docente spiritu sancto Elisabet , exultationem illam infantis demonstrare maiestatem eius, qui in uirginis utero delitescibat : atque ideo admirata tantam eius, quæ Domini sui esset mater, dignationem, ut ad se inuifendam illud iter confecisset , exclamauit uoce magna, & dixit . unde hoc mihi ? quæ mea dignitas, quæ merita hoc exposcunt, ut ueniat mater Domini mei ad me ? idem postea suo tempore accidit & ipsi Ioanni, ad quem cum Dominus accessisset, ut ab eo baptizaretur, dixit . ego debeo à te baptizari, & tu uenis ad me ? ita sibi consentiunt sanctorum facta , quia ab eodem spiritu gubernantur . deinde profertur, ad salutantis uirginis uocem accidisse hoc gestientis , & exilientis infantis miraculum , qui exiliendi gestus ex lætitia fuerit profectus . ecce enim

enim, (inquit) ut facta est uox salutationis tuæ . in auribus meis , exultauit præ gaudio infans in utero meo . ad tuam (inquit) salutantis uocem hoc miraculum accidit . quare certò scio , te in utero gestare eum , qui meus sit Dominus . deinde contemplans , quantum hoc esset munus in Mariam collatum, quasi secum admirabunda loquens , aut certe ad eos, qui astabant, adiecit . & beata, quæ credit, quoniam perficientur in ea, quæ dicta sunt ei à Domino . Obserua, quàm multa prophético spiritu repleta intellexerit . nouit, quæ iam facta erant , quòd scilicet filium Dei concepisset ob fidem habitam uerbis angeli . quare dixit, beata, quæ credit . nouit præsentem , ut Domini sui matrem . nunc quæ futura sunt, etiam prædicat, implenda scilicet esse ea, quæ per angelum dicta illi fuissent à Domino . Beata, quæ credit . quasi nihil aliud contulisset ad illud admirandum mysterium, quàm fidem . idem ipsum & Abraham accidit, cui cum iam seni ex sterili, ac uetula coniuge promissus esset filius , quid ait scriptura ? credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam . quin & de ipsa Sara uide quid scriptum sit in epistola ad Hebræos . per fidem & ipsa Sara uim ad concipiendum, & retinendum semen accepit, ac præter ætatis rationem peperit, quòd fidelem iudicauerit eum , qui promiserat . qua propter & ex uno prognati sunt posteri, eoque iam annis effeceto, tanto numero, quanto sunt stellæ cœli, & ueluti arena, quæ est iuxta marginem maris innumerabilis . & toto eo capite cernas, maxima quæ præstante is uiros & fecisse , & assecutos esse per hanc fidem . at fides hæc solida, ac firma, & quæ omnia assequitur , & efficit, proficiscatur oportet ab animo, qui totus affectus in Deum sit, totusque ab eo pendeat , nihilque aliud studeat, quàm ut eius præceptis obediat . alioqui etiam Dæmones credunt , & contremiscunt . at hæc Dæmonum fides non placet Deo, neque quicquam ab eo accipit, quia non est eiusmodi fides illa, quam requirit Deus, sed ea, de qua Paulus ait, quæ per dilectionem operatur . hæc est propriè fidelium fides, qui per opera ostédunt fidem suam . at uerò, qui dicunt, se in Christum credere, & recusant, sicut ille ambulauit, & ipsi ambulare, mendaces sunt , & ueritas in eis non est . ea fides non solum nihil unquam generosum effecit, sed ne assecuta est quidem, quia mortua est . uera autem fides uide quæ & perficiat , & assequatur . hanc enim qui habuerunt, per eam uicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt promissiones, occluserunt ora leonum, extinxerunt uim ignis, effugerunt acies gladij, ualidi facti sunt ex imbecillitate, fortes facti sunt in bello, incurfiones auerterunt exterorum, mulieres acceperunt ex resurrectione mortuos suos . alij uerò distenti sunt , aspernati redemptionem, ut potio rem fortirentur resurrectionem . alij rursus ludibrijs, & flagris explorati sunt , in super & uinculis, & carcere, lapidati sunt , dissecti

sunt, tentati sunt, occisione gladij occubuerunt, oberrauerunt in ouillis, & caprimis pellibus, destituti, pressi, afflicti, quibus indignus erat mundus, in desertis errantes, & montibus, ac speluncis, & cauernis terræ. ceruis quam admiranda pariat niua fides? & ea, qua gloriantur quidam hæc ætate, non talis est. non enim reperiuntur ij homines per eam uicisse mundum; quod de Euangelica, & apostolica fide ait Ioannes. hæc est uictoria, quæ uincit mundum, fides nostra. quæ fides? sequitur. quis est autem, qui uincit mundum, nisi qui credit, quod Iesus est filius Dei? uincere mundum est dominari uitijs, atque peccatis, subijcere carnem spiritui, & eius lasciuam ieiunijs, ac uigilijs cohibere, abstinere ab auaritia, a rapina, a cæde, a periurijs, a blasphemia, a crapula, & ebrietate, & eius comitibus cubilibus, & impudicijs, studere castitati, sobrietati, liberalitati, paci. hoc est mundum uincere, & hoc præstare non potest, nisi qui credit, quod Iesus sit filius Dei. quod si dicas, te credere Iesum esse filium Dei, neque hoc præstes, ut mundum uincas; mendacem conaris facere apostolum, qui uictoriam, quæ uincit mundum, ascribit fidei illi; qua creditur Iesum esse filium Dei. sed roget fortasse aliquis, cur tanta huius fidei uis est, ut is, qui credit, Iesum esse filium Dei, mundum superet? magna est profectò, sed non incredibilis, quin potius incredibile contrarium est, ut scilicet, qui credit, quod Iesus sit filius Dei, non uincat mundum: sed quod multos decipit, illud est, quod credere se opinantur, & non credunt, atque ob hanc causam uictoriam hanc minime in se experiuntur. sed da mihi hominem, qui bene penitus in hanc cogitationem uenerit, quanti sit, æternum illum patrem misisse filium suum unigenitum, & eundem filium, cum in forma Dei esset, neque arbitraretur rapinam, esse æqualem patri, exinaniuisse tamen sese, & factum similem nostri per omnia absque peccato, obedisse patri usque ad mortem, atque eam crucis. is, qui ista intimis sensibus affixerit, quid erit, quod non agat, quod non perferat, tantæ Dei erga genus nostrum contemplatione benignitatis? sic enim apud se reputabit. Hæc non dedignatus est Deus ipse, qui nos condidit, atque adeo per quem omnia facta sunt, sese ad nos demittere, naturam accipere nostram, & homo fieri ob generis nostri salutem, atque ut nobis ostenderet uias uitæ, pacis, atque æternæ felicitatis, & ego latum digitum ab eius præceptis, ac cœlesti doctrina recedam? ille cum esset diues, & Dominus omnium, tam pauperem uitam egit, ut non habuerit, ubi caput reclinaret, idque, ut sua paupertate nos ditaret, ego uerò parandis diuitijs noctes, ac dies in uigilabo? ille oblatum regnum recusauit, & aufugit, ego puluis, ac cinis, & uermis potius quam homo, si cum illo conferar, audebo honores, ac dignitates ambire? ille non solum uirginitatem amplecti,

sed

sed de uirgine etiam nasci uoluit, ego naturam hanc, quam ille tanto opere honestauit, carnis lasciuia, scortationibus, adulterijs, reliquisque impudicijs fordidabo? ille famem, sitim, persecutiones, probra iustus pertulit, ego iniustitiæ plenus ista non perferam? ille pro ijs, qui illum cruci affigebant, precatus est patrem, ut illis ignosceret, ego similtates, atque odia cum proximo quoque exercebo? ille acerbissimum, ac teterimum mortis genus crucem pertulit, ut æternam mihi pararet salutem, ego tam ingratus ero, ut eius tantæ erga me charitati pro uiribus non respondeam? & hæc quidem præstare deberemus ob præbendam aliquam grati animi significationem, si etiam nihil inde aliud commodi sequeretur. quod si præterea addas, ipsum uelle, ut quicquid a nobis boni, ac recti sit, totum in nostram redundet utilitatem, nam momentanea leuitas (ut Paulus ait) afflictionis, quæ accidere nobis in uita possit, supra modum in immensum æternum gloriæ pondus operatur. quin non contentus parasse nobis in futura uita sempiternam felicitatem, uult, ut in hac etiam multiplicata reddantur bona. uide enim, quid ipse dicat. omnis, qui reliquerit domum, uel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet in hoc tempore, & in seculo futuro uitam æternam. hæc inquam si addas, quis tam insignitè improbus est, aut tam stultè infans, qui hanc philosophiam toto animo, atque omni mente non amplectatur, & affectus omnes terrenos exuens, totus in cœlestem rempublicam transferatur, & ea dumtaxat assequi curet, quæ tantus præceptor, ac magnificentissimus Dominus admonet facienda? huius generis homines mundum uincunt, quia uere credunt, Iesum esse filium Dei. at ij, qui nunc passim se hoc credere dicunt, quæ etiam maxima Christianorum pars est, quo modo audent hoc dicere, cum facta omnia huic fidei contraria præstent, & maiori Christum iniuria afficiant, quam ij, qui Christiani nominis hostes se declarant apertissimos? in omnia se ingurgitant flagitia, pleni auaritia, rapinis, scortationibus, adulterijs, cæde, dolis. breuiter quibus omnia illa conueniant, quæ Paulus ad Romanos scribens in ethnicis damnat. credis Iesum esse filium Dei, & diuitias, honores, dignitates, magistratus quæris, quæ & ipse aspernatus fuit, & suos docuit aspernari? non times fieri diues, cum ille rem penè desperatam dicat, posse diuitem seruari? facilius est (inquit) camelum per foramen acus transire, quam diuitem ingredi regnum cœlorum. si credis Iesum esse filium Dei, credas oportet etiam illum esse ueritatem, & summam fidem illius uerbis esse habendam. tu ergo, quicumque diuitias appetis, cur non Euangelicam potius usuram admiraris, quam illam, quam mundus docet? Euangelica usura centies multiplicatum

ORATIO QUINTA.

rum fructum pollicetur in hac ipsa uita, tu uerò maus quinque, aut decem, aut uiginti nummos aureos, pro centum ad usuram datis, tibi reddi, quàm Euangelicum centenarium pro uno? quid aliud in causa est tantæ stultitiæ, ac uecordiæ, quàm quòd credis potius usuræ à te excogitatæ, quàm illi, quæ ab ipsa ueritate, ac filio Dei proposita est? hoc profectò non est credere Iesum esse filium Dei, sed potius Deum esse ficere Mammonam. sed nemo potest duobus dominis seruire, contraria inter se præcipientibus. non potestis Deo seruire, & Mammonæ. hæc autem à me dicta necessariò sunt, quòd maximam uestri partem cerno fate ri quidem uerbis, Christum esse filium Dei, factis autem quotidie negare. quare moneo uos, ut tam ingens periculum agnoscatis, in quo uersamini: alioqui futuri estis ex eorum numero, qui, cum dicet, Domine Domine aperi nobis, audituri sunt. amen dico uobis, nescio uos, & alibi. nescio uos unde sitis, discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. curate habere fidem rectè factis uallatam, qua purificentur corda uestra. sicut scriptum est, fide purificans corda eorum, qualis erat huius beatæ uirginis, quæ quia hanc fidem fuerat assecuta, sancta erat corpore, & spiritu, meruitque esse mater Dei. quod etsi maximum est, tamen & uobis licet hoc titulum adipisci. uidete enim quid ipse Dominus dicat. quicumque fecerit uoluntatem patris mei, qui in cælis est, hic meus frater, & soror, & mater est. non commouemini ad tantam felicitatem, quæ & uobis proposita est? ne ergo posthac, quæso, sitis ociosi, ac pigri, sed expergifici mini, & tam ingens ueternū, à quo hæctenus detenti fuistis, à uobis tandem aliquando excutite, ut felicibus hisce promissis frui demum & uobis liceat. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto, est gloria, & magnificentia, & imperium, & potestas per omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO

ORATIO SEXTA.



LAIT Maria. Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo Seruatore meo. Apud Hebræos, qui prius, quàm impingerent in lapidem offendiculi, & petram impacationis, erant genus electum, qui soli gloriabantur, se ueri Dei notitiam habere. quare & dicebant. notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius. &, factus est in Salem locus eius, & habitatio eius in Sion. apud hos ergo mos erat frequens, ac pietatis plenus, ut, cū aliquid beneficii acceperant, siue illud ad publicam utilitatem, siue ad priuatam pertineret, psalmo aliquo, ac spirituali cantico gratias agerent Deo. quod pluribus sacrarum scripturarū locis reperias. sed inter omnes Dauid omnium gratissimus regum, & erga Deum maximè affectus, hoc præstitit. nunc enim ob partam ex hostibus uictoriam, nunc ob restitutam sanitatem, nunc quòd periculum aliquod aliud euassisset, cernas plures psalmos in eiusmodi sententiam esse confectos. hoc fecit & Ezechias pius rex, quo tempore Deus sanitatem illi restituit, & quindecim adhuc annis uitam prorogauit. neque uiri solum hac usi pietate fuerunt, uerum etiam femina. sic cecinit Debora canticum post superatum Sisaram. sic Anna Samuelis mater, quæ prius sterilis, ubi exaudita à Deo fuit, & quem postu lauerat, Samuelem genuit, egregio cantico gratitudinem suam erga Deum declarauit. sic paulò post uidebimus fecisse Zachariam Ioannis Baptistæ patrem, ubi primum restituta uox illi fuit. decuit ergo & beatam Mariam, ijs à Deo honestatam muneribus, quæ angelorum etiam superent dignitatem, non minorem grati animi præbere significationem, præsertim hac oblata ex cognata Elisabet uerbis opportunitate. nam sermo opportunus optimus, ait Salomon. & sanè oporteret nos in interpretando hoc cantico, quod ex ore matris Dei prodijt, copiosiore illius spiritus ditari munere, per quem filius Dei in eius utero cõceptus est. quare iuuate me uestris ad Deum precationibus, ut aliquid dignum proponere uobis hodie mihi liceat. Postea quàm beata Maria salutauit Elisabet, atque ex ipsa salutatione uidit, eius filium in utero exilijse, & ipsam Elisabet spiritu sancto repletam intellexisse conceptum uirginis, & de præteritis, præsentibus, ac futuris ad ipsam uirginem pertinentibus prophetasse, uidens Diuina in se dona augeri, in laudem tanti muneratoris prorupit, & dixit. Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo Seruatore meo. eiusmodi exultationis exordio usã fuit & Anna Samuelis

ma-

mater. exultauit (inquiens) cor meum in Domino; & exaltatum est cornu meum in Deo meo: hoc familiare est sanctis uiris, ut pro uiribus Dei gloriam extollant, & cum se satis non esse ad id præstandum, sentiunt, inuident & alios. sic Dauid. magnificate Dominum mecum, & extollamus nomen eius pariter. & sanè quidem, arbitrari hominem, se addere Diuinæ gloriæ quicquam posse, quem rectè quidam sapiens dixit maiorem esse omni laude, aut stultum, aut temerarium est. sed qui intelligit Dei magnitudinem, non id cogitat, quo pacto illi addere quicquam possit, sed ut & ipse gratulandus eam celebret, ac pro uiribus commendet, & alios inuitet ad idem faciendum, & communicetque cum illis suas cogitationes. & hæc Deus, qua est benignitate, ita accipit, quasi ex eis aliquod acquirat suæ gloriæ additamentum. uide enim quid ipse per prophetam dicat. sacrificium laudis honorificabit me. scimus enim, Deum, quod sæpe ex scripturis sacris ostendimus, eo erga nos affectu esse, qui omnium parentum charitatem longissimo superet interuallo. at parentes cum cernunt filios sibi obsequentes, & qui parentum studeant honori, quamuis hoc totum in filiorum bonum cedat, in se tamen beneficium collatum arbitrantur. sed hoc interest, quòd parentes in illa filiorum egregia indole non parum acquirunt, si non ob aliud, certè ex hoc, quod in spe redundatur: aliquando in se filiorum probitatis conquiescunt, sperantque suam senectutem in filiorum probitate refocillandam. at Deus bonorum nostrorum non eget, neque quicquam illi de nostris profectibus accedit commodi, sed sola incomprehensa sua bonitate erga nos, & charitate, se nostris laudibus honestari proficitur: atque ad id faciendum sæpe per scripturas sacras nos prouocat, & ob eandem charitatem iubet, ut ipsum toto corde, tota anima, omni mente, omnibus uiribus amemus. nam uelle uehementer ab aliquo amari, ingentis amoris indicium est. alioqui nihilò plus ille ex nostro amore lucratur, quam nos ex formicæ, aut pulicis amicitia faceremus. quantæ ergo ingratitude est, tantam contemnere dignationem, tantamque nostram dignitatem paruipendere? quis enim non summa castigatione dignum arbitretur eum, qui extremæ fortunæ cum esset, atque in summa inopia degeret, inuitatus à quopiam maximo rege ad amicitiam cum illo contrahendam, ingentem hanc regis beneuolentiam, ac liberalitatem recusaret? qui si præterea illum etiam iniurijs, ac contumelijs afficeret, iudicaremus, idoneas pœnas reperiri nõ posse ad tantum scelus ulciscendum. at nos in hoc statu sumus, qui, si Deo conferamur, non solum egèni, ac pauperes, uerum etiam nihil omnino sumus, atque adeo minus quam nihil, quemadmodum ait propheta. omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo, & minus quam nihil, & inane reputatæ sunt. cernimusque

musque Deum amicitiam nostram, utilitatis tantum nostræ causa, non querere, sed potius ambire. fatetur se laudibus nostris honestari ille, cuius meritis, ac magnitudini si comparentur maximæ laudes nostræ, blasphemix potius quam laudes sunt. si enim præstantissimum quempiam regem, atque omni uirtute præditum infantissimus aliquis suis scriptis celebrare conaretur, hoc rex ille maximo sibi dedecori ascriberet, quanto minus credendum est accedere quicquam posse ad Diuinum honorem ex humanis laudibus, quem ne angeli quidem, ac purgatissimæ illæ mentes, minima ex parte assequi celebrando possunt? nam finitæ rei ad infinitam ulla nequit esse proportio. & tamen ita nos amat, ut dicat, se nostra commendatione, nostris præconijs fieri magnum. nos uerò, præterquam quòd negligimus tantum bonum nostrum, pro laudibus, & præconijs, ignominia illum, & contumelijs afficimus, atque id cum uerbis, tum factis. mitto enim nunc eas blasphemias, quæ Christianum orbem hac ætate inuaserunt, ut mirer solem, & cœlestem illam choream non auertere cursum suum, & ministerium tam ingrato generi denegare, tantum quotidianos uestros sermones obseruate, si non omnes ita terreni sunt, ut uideamini nullam huius tam benefici Dei agnitionem habere. ecquæ enim per totum diem horæ sunt, quas magnificando (ut huius cantici, quod in manibus est, utar uerbis) Deo nostro impendatis? nunc enim lasciuis colloquijs operam datis, nunc murmuratiõni, & oblocutioni, ac proximi cuiusque detractioni, nunc quo pacto opes augeatis, & domum domui, (ut rectè obijcit Esaias) atque agrum agro copuletis. quòd si interdum canendo recreare animum uultis, omisiss tot spiritualibus canticis, ac Diuinis, quæ scripturæ sanctæ uobis proponunt, lasciuas cantiones ediscitis, easque identidem ita in ore habetis, ut filij etiam uestri ea canant, cum uix formare uerba sciant. & hæc quidem in uerbis. quòd si facta contemplare, inuenias nulla unquam fuisse tempora, quibus dici illud rectius possit, nomen Dei quotidie propter nos malè audire. neque enim genus ullum est hominum magis iniurium Christo, quam ipsi sunt, qui Christum profitentur, & ob unam duntaxat causam cognomen hoc sanctum illis reliquum esse uideatur, ut in Christi ignominiam illud ferant. iam superioribus annis audiui, eos milites, qui nouas hac ætate, neque unquam antea notas orbis partes repererunt, ita crudeliter se erga illius orbis homines gessisse, ut, qui tyrannidem illam patiebantur, Christum appellarent crudelitatis Deum, arbitrati eos milites illa agere propterea, quòd uterentur Christi legibus, quæ id præciperent. O' infandum facinus, Christianos homines ita efferis esse moribus, ut notam inureret Christo, qui summa, atque incomprehensa bonitas est, quòd Deus esset crudelitatis. & eiusmodi quidem factis sceleratis quotidie sanctissimum

hoc nomen male audit, quibus maiora ne apud ethnicos quidem unquam, & sceleratiora reperias. Quicumque eiusmodi sunt, non possunt cum hac beata uirgine dicere. Magnificat anima mea Dominum, quorum anima ita caro effecta est, ut ne anima quidem queat appellari. magnificant Dominum, ac magnitudinem eius celebrant, qui illum agnoscunt, & ex ea agnitione in illius amorem inflammantur. sed qui tantum abest, ut ament, ut factis ipsis declarent, se illum capitali odio persequi, liquet manifeste, longissime eos abesse, ut illum agnoscant. si ergo uolumus & nos Dominum magnificare, demus operam, ut anima nostra eam caliginem deponat, quae mortales hebetare uisus solet, & exuta terrenos affectus, tanquam speculum mundum effecta, caelestibus illustrationibus percipiendis apta fiat, quae sola docere hominem possunt, quo pacto Dei magnitudinem queat praedicare. nam impuro purum tangere nefas est. Et exultauit spiritus meus in Deo Seruatore meo. maior est superiorum uerborum explicatio, quo scilicet pacto fiat illa Domini, ut sic dicam, magnificatio. neque enim fieri ea potest nisi in libertate spiritus, qui domitis carnis affectibus, tanquam solutis uinculis, opera sua liber exerceat. quod intelligens propheta aiebat. Dirupisti uincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. cernis prophetam non ante polliceri se sacrificaturum hostiam laudis, quod nihil aliud est, quam Dominum magnificare, quam intellexisset, sibi uincula esse dirupta, quae huic negotio essent impedimento? & sane delectanda hominum miseria est, & Ieremiae threnis prosequenda, qui ita crassis errorum tenebris occupantur, ut tam miseranda uincula non intelligant, quae praecipuam hominis partem, atque adeo quae sola hominem facit, toto plerumque uitae tempore uinctam teneant: quodque est admirabilius, quod uincula illa grauiora sunt, & arctius constringentia, eò sunt amplius gratiora, ut eam constringentiam non uincula, sed ingentem libertatem arbitrentur. cernas enim eos, qui lasciuiam carnis amplexantur, tum demum exultare, ac summa arbitrari se frui libertate, cum in omnia bene se flagitia ingurgitauerint. sic ij, qui pecuniae, atque opum studio tenentur, quamuis noctes, ac dies hisce fortissimis cupiditatis uinculis constricti sint, illa tamen uincula non sentiunt, sed eis tanquam pretiosis monilibus se putant honestari. sic qui honores, & dignitates, & potentiam ambiunt, liberos se tum arbitrantur, cum imperare quam plurimis possunt, & alios coercere catenis, & carcere, alios soluere, cum interea eorum animi, ubi uera hominis sedes est, a tot tyrannis obsideantur, quot uitae subiecti sunt. ij. quo pacto exultare unquam in Deo possunt, qui ita constricti sunt, ut moueri penitus non possint? nam exultare, quod a saltando deriuatur, eorum est, qui soluti omnino sunt, neque ullum habent corporis impedimentum. uox ista exultationis

tationis non inuenitur in tabernaculis eiusmodi hominum. in quibus ergo? audi prophetam. uox exultationis, & salutis in tabernaculis iustorum. quos etiam alibi inuitat ad id praestandum, cum ait. exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio. & alibi. exultent iusti in conspectu Dei, & delectentur in laetitia. quae laetitia, & delectatio, & exultatio solis in iustis uera reperitur. sicut enim non est pax impijs, quemadmodum dicit Esaias, sic neque laetitia ulla, ullum ue solatium. quid enim boni, ubi defuerit pax, esse possit? accidunt ergo illis ea, quibus delectantur, tanquam in somnis, quae demum inania fuisse deprehenduntur, sicut ait psaltes. dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes uiri diuitiarum in manibus suis. imago quaedam sunt. iccirco idem ait. in imagine pertransit homo, dum per totam uitam simulachris quibusdam delectatus, denique & ipse non homo, sed simulachrum quoddam, atque imago hominis fuisse deprehenditur. quo pacto? dum scilicet hominis figuram in solo corpore demonstrat: interior uero homo nihil in se naturae suae habet, sed animalium ratione carentium mores, ac uitam imitatur. quod si intelligere apertius uis id, quod dicimus, finge equum, aut canem aut suem, aut aliquod aliud animal, cui hominum artificio circumposita sit figura hominis ita, ut, qui artificium ignorant, arbitrentur esse hominem. illi quidem, qui dolum agnoscunt, rident eorum stultitiam, qui credunt animal illud, ita extrinsecus formatum, esse hominem, ipsi uero minime hominem arbitrantur, sed id animal, quod intus latet. in eundem modum nostrae se res habent. nam uulgi quidem imperitia non solum homines, sed maximos, ac praestantissimos homines iudicat eos, qui pecunijs, opibus, honoribus, potentia, caeteris antecellant, tametsi omnium uiciorum genere obsideantur. at quicumque mentem habent, non exteriorem formam intuentur, quae ignaros decipit, sed id, quod interius est, contemplantur, in quo ueritas animantis deprehenditur. & siquidem illum uideant lasciuiae carnis deditum, suem, aut equum in foeminas hinnientem iudicant. si auarum, ac rapacem, lupum. si crudelem, leonem, aut ursum. si inuidum, canem. si fraudulentum, uulpem. idque scripturae sacrae exemplo, quae eiusmodi hominibus brutorum animalium nomina imponit, ut qui indigni sint, qui homines appellentur, sed simulachra quaedam, quae, ut poetae interdum fingunt, dant sine mente sonum. nam ij profecto, non solum humano spiritu, sed ne humana quidem anima praediti esse, dici recte possunt. utrumque. n. hic Maria nominat, & animam, & spiritum, quae, cum dixisset, magnificat anima mea Dominum, adiecit. & exultauit spiritus meus in Deo seruatore meo. quorum differentia esse haec uidetur, ut anima sit, quae animet, ac uitam det corpori, ut cuius sint omnes uitae operationes, quae uidetur in corpore, sed haec anima uim habet quandam, qua auocare se a corpore possit, atque ad

Deum conuerti, & tunc in spiritum transit, uocaturque spiritus. cuius rei ut capiores simus, accipiamus ab igne similitudinem. nam ignis cum materiae admoetur, quæ concipere ignem possit, primum ad eam se porrigit, ut eam igniat: deinde curat, ut ab ea materia separetur, ac seorsum ad sphaeram suam moueatur. quare unit se in pyramidè magnæ potetia. in eundem modum anima, dum animat corpus, communicat se illi uiuificando, atq; ea parte multum corporeæ naturæ esse uidetur, ut ignis in ligno multum crassa naturæ, uerum, dum se separat, ac depurat, tunc in spiritum fortissimum, qui in superiora feratur, qui est spiritus charitatis, se resoluit. atque hic spiritus est acumen ipsum rationis, & intellectus animæ, & quodam modo intellectu superius, quod in primis percipitur Deus. nam quando more nostro ea, quæ supra nos sunt, accipimus, atque ea uirtute confidimus, quæ unà cum sensibus alitur, Diuina nostris conferentes, fallimur, cum Diuinum illud arcanum iuxta apparentem nobis speciem persequamur, quare operæ pretium erat, animaduertere, intellectum nostrum partim quidem habere intelligendi uirtutem, per quam intelligibilia cernit, partim uerò unionem quandam excelsiorem intelligentia, per quam ijs, quæ supra intellectum sunt, coniungitur. eiusmodi igitur unione cognoscenda sunt Diuina, non humano quodam more, sed quatenus ipsi toti nos totos excedimus, nosque integros Deo dedimus. præstat enim esse Dei, quam nostri iuris. ita demum Diuina nobis tradi poterunt, si cum ipso Deo fuerimus. ob hanc etiam causam opinor doctissimos uiros dixisse cognitionem Dei per ignorantiam quandam prouenire, intellectu superiore: cum enim scientia intellectu percipitur, & à sensibus initium habeat, hæc autem agnitio fiat per uim, quæ intellectum superat, hanc dixerunt fieri per ignorationem: quando mens rebus omnibus posthabitis, seipsam quoque dimittit, atque ita radijs (ut sic dicam) superlucidis copulatur, ibique inscrutabili sapientiæ profundo penitus illustratur. & quando hæc unio, uel amor est, uel amore comparatur, hinc sæpe accidit, ut multi alioqui literarum ignari, Diuinarum rerum intelligentiam mirum in modum calleant. nam Diuina ratio est simplex, uereque existens ueritas, ad quam philosophi contendunt per argumentationes, & coniecturas rerum, unde uel humanam scientiam, uel opinionem postremo reportant. at is, qui per amorem in ipsum dirigitur Deum, rationum omnium fontem, simplici, firmaque fide Diuina fruitur ueritate, qui sanè fidei actus, cum neque ambiguitatem opinionis, neque circuitus scientiæ secum habeat, meritò simplex nominatur, & firmus. qui enim ueritati coniunctus est, quam bene se habeat, profectò nouit, etiam si multi eum corripiant uelut amentem. laet enim eos, ut par est, hunc ipsum ex errore iam erutum, per intemeratam fidem excedere,

cedere, ueritati coniunctum. atque hæc est beata illa cōtemplatio, quam externi etiam philosophi dixerunt non esse uerborum coaceruationem, aut disciplinarum multitudinem, neque enim ita cōponitur (inquiunt) neque pro quantitate rationum, atque uerborum accipit incrementum, altoqui nihil prohiberet, illos, qui omnes congregauerint disciplinas, esse beatos. hoc uerò non solum quælibet, sed neque quæ ueræ doctrinæ sunt, efficient, nisi eis adsit & uita, in ipsam Diuinorum translata naturam. nam disciplinæ quidem foris adhibitæ, conditionem nobis dant purgatoriam, non rationem, qua felicitas compleatur. Et hæc quidem sint dicta ad distinctionem horum uocabulorum, animæ, & spiritus. quæ res utilis etiam erit ad alia scripturæ sacræ loca intelligenda. ut ubi apostolus ait scribens ad Thessalonicenses, ut integer spiritus uester, & anima, & corpus, sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi conseruetur. ubi per spiritum intelligere possumus præcipuam in homine partem, qua Diuina percipimus, animam uerò illam uim, quæ naturales exercet ratiocinationes, corpus autem, affectus, qui crasius nescio quid, ac quasi corporeum habent, qui nisi regantur, carnalem efficiunt hominem. optabat ergo Paulus, ut hæc tres uires integræ seruari in homine, ut & spiritus illustraretur semper Diuinis rebus, ac donis, & anima humanis, atque ab huius mundi sapientia excogitatis ratiocinationibus nō falleretur, & affectus, qui per corpus exercent suam uim, dum ratione regantur, seruari incorrupti. Ob eiusmodi etiam causam reperias apud eundem Paulum appellari homines alios spirituales, alios animales, alios carnales. ut spiritualis sit, quem dudum designauimus, quem ait Paulus omnia diiudicare, ipsum autem à nemine iudicari, ut cuius mens Diuinis illustrata fulgoribus, omnibus superior sit. animalis, qui ductum rationis sequatur, sed careat illis cœlestibus illustrationibus. quales fuerunt philosophi, qui quamuis multa acutè excogitauissent, non tamen assequebantur uirtutè spiritus. ideo dicebat Paulus. animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. carnalis uerò est, qui sprete ratione, affectus carnis sequitur. quare eos carnales appellabat Paulus, qui æmulationibus, & contentionibus operam dabant, aiebatque. cum in uobis sit æmulationis, & contentio, & factiones, non ne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? hoc est, secundum imperfectionem illam, quæ in homine corrupto esse solet, qui nihil Diuini spiritus in se habeat. qua in re illud nobis considerandum est, si animalis homo, quem diximus sequi rationis ductum quidem, sed carere tamen spiritus illustratione, non est capax eorum, quæ ad spiritum Dei pertinent, quanto censetis interuallo distare à spiritu eos, qui carnales sunt, & nihil aliud, quam carnem, ac terram sapiunt? quo in genere cum maximam uestri partem esse uideam,

deam, quid spiritualis profectus mihi à uobis est expectandum? iube-
mur interiora omnia nostra uni Deo, & cœlestibus cogitationibus dica-
re, ut dicere & nobis cum regio propheta liceat. benedic anima mea Do-
mino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius, & nos ipsa inte-
riora, cor, animam, mentem, uires omnes terrenis occupationibus dedi-
cauimus. in illis toti, & tota die, ac nocte uersamur, ut nullus locus, nul-
lum tempus, relinquatur, quo uacare Deo liceat. Sed dicet fortasse ali-
quis uestrum. domesticæ curæ & filiorum, & familiæ, & ingruentia quo-
tidie noua negocia, quæ relinquere non possumus, nobis sunt ad spiritua-
lia studia impedimento. ergo iniuste Paulus fideles admonebat, ut om-
ni abiecta terrenarum rerum sollicitudine Deo uacarent? quod si hoc di-
cere nefas est, cogitate, maximam earum occupationum partem, sine
quibus arbitramini uos degere uitam non posse, esse superuacua. si
enim uictu solo, & cultu, eoque modesto contenti essetis, multa uobis ua-
candi Deo tempora superessent. sed esto, sint quibus parando uictui, ac
cultui opera sit danda; primum admonentur ij ab ipso Christo, ne sollici-
ti sint, quid edant, aut bibant, aut quo operiantur, quærant tantum re-
gnum Dei, & iustitiam eius, fore enim, ut hæc omnia illis adijciantur. cer-
nis hic ablatam esse omnem excusationem etiam iis, quibus uictus, cul-
tusque est necessarius, multoque magis ijs, qui, cum etiam superuacua ha-
beant, nihilo tamen minus totum uitæ spatium terrenis rebus impen-
dunt? deinde quæ tam graues incidere molestiæ possunt, quæ abducere
à cœlestibus cogitationibus eum hominem debeant, qui uerè, ac non so-
lo nomine Christum, & eius philosophiam sit profectus? quid molestius
est, quam plagis affectum in obscurum carcerem esse detrusum? & tamen
Paulus, & Silas utrunque passi, media nocte, cum uel somno refocillanda
erant corpora, in Dei laudes eruperunt. tres pueri in camino ignis, in
medijs flammis Domino studiosissime benedicebant. Iob in ipsa rerum
omnium, & filiorum iactura, eo ipso tempore, quo nuntiata hæc illi fue-
rant, generosa illa uerba protulit. Dominus dedit, Dominus abstulit. sit
nomen Domini benedictum. Ionas deuoratus à ceto, in immanis beluæ
uentre, non est oblitus nouo hymno Dei magnificentiam prædicare. cui
uestrum tam extrema fors, & rerum status tam infelix accidere unquam
poterit, quem isti habuerunt, ut excusare se possit, cur in Deum erigere
mentem nequeat? atqui tum maxime Dei meminisse debemus, atque ad
eum accurrere, & ei præterea gratias agere, & dicere cum Esaiâ. confite-
bor tibi Domine, quoniam iratus es mihi. nam hæc maximam nobis uti-
litatem pariunt. Verum non hæc sunt, quæ obliuisci nos Dei faciant, sed,
quod magis est reprehensibile, ipse rerum successus, & quod maioribus à
Deo beneficijs afficimur, eò longius ab eo recedimus. incrassatus est (in-
quit)

quit) directus, & calcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereli-
quit Deum factorem suum, & recessit à Deo seruatore suo. hoc scelus est
pluribus Geennis dignum, & scelus inter homines frequens. nam experi-
mur quotidie, eos, qui maioribus opibus pollent, tenaciores esse, atque
in pauperes, ac Christi fratres crudeliores, & pluribus alijs præterea ui-
tijs, atque peccatis fordidos, quam sint alij tenuioris fortunæ homines.
nihil ergo in causa aliud est, cur inepti simus ad hoc opus celebrandi Dei,
& in eius laudibus exultandi, nisi quod spiritum, qui minister huius tam
præclari operis esse debet, extinguimus, ut cum aquæ multitudinem uis
flammæ opprimitur, ne ad superiora feratur, & cum beata hac uirgine
magnificet Dominum, & exultet in Deo seruatore suo. cuius cantici quod
reliquum est, in alterum diem reseruabimus, quando multa hodie dicta
iam sunt. interea demus operam, ut spiritum hunc perpurgemus, qui cœ-
lestium horum thesaurorum capacior in dies fiat, iuuante Domino no-
stro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & imperium
sempiternum. Amen.

O R A T I O S E P T I M A.



MAGNIFICAT anima mea Dominum, & exultauit spi-
ritus meus in Deo seruatore meo. Magnam superioris
orationis partem nobis occupauit illa animæ, ac spiritus
distinctio, neque id superuacue mea sententia. si enim
nos ipsos agnoscere necessarium est, non solum de ui-
tijs, atque peccatis hoc est intelligendum, sed multo ma-
gis de uiribus animæ, quas Diuina bonitas in natura nostra ingenerauit,
quas si intelligerent homines, nunquam profectò ita se demitterent ad
res, tam egregio animante indignas. neque enim aliam ob causam tor-
scelera, ac flagitia in hominum genere dominantur, nisi quod dignita-
tem suam non agnoscetes, ne tueri eam quidem curant, quam habere
se non intelligunt, de quæ ijs sunt, de quibus propheta ait. nescierunt, ne-
que intellexerunt, in tenebris ambulant. non ergo alia uia est, qua a tanto
errore reuocetur, quam ut diuitias interioris hominis, sibi à Deo insitas
incipiant cõtèplari. accidet. n. illis, qd regio infanti usu ueniret, qui in sil-
uis expositus esset, atq; à pastoribus repertus, in pastorali uita educatus.
qui

qui tametsi regiam indolem in se haberet, quia tamē inter pastores dumtaxat uersatus esset, sola pastoralia negocia sciret cogitare. uerū, si quis illum adiret, admoneretque regij generis, & quo pacto furtim sublatus, fuisset expositus, & in humili illa, atque abiecta uita hactenus uersari coactus, is ubi hoc intelligeret, mox erigeret sese, ac pudere inciperet eius uitae, quam usque ad illud tempus, ob ignorationem sui generis, ut honestam fuisset secutus, quaereretque, quibus artibus repetere pristinam nobilitatem posset. simillimē ij facerent, qui nunquam dignum quipiam homine aggressi sunt propterea, quod de sua nūquam dignitate cogitauerunt. qui si tandem aliquando expergiscerentur à graui illo ueterino, continuo puderet eos superioris malè actae uitae, & nouum sibi uiuendi genus insituerent. Ad agnoscendā autem hanc nostram dignitatem unum illud iter est, sacrarum scripturarum peruestigatio, & eorum, qui Diuino acti spiritu, easdem scripturas sunt interpretati. nam apud externos non facile inuenias, qui ista ita explicēt, ut nostri. quod si qui aliquid horum attigerunt, ut Platonici interdum; satis liquet, eos à nostris adiumenta accepisse, nam res eiusmodi experientia potius eorum, qui ista pergustauerunt, haberi possunt, quam ulla ingenij exercitatione. sed redeamus ad canticum. Exultauit spiritus meus in Deo Seruatore meo. hic est futurae uitae arrabo quidā, & illius repraesentatio, de qua scribitur. in aeternum exultabunt, & habitabis in eis. & rursus. exultabunt sancti in gloria, laetabuntur in cubilibus suis, exultationes Dei in gutture eorum. nā exultare in Deo nō possunt, nisi qui se totos illi dicauerūt, totiq; ab eo & eius uolūtate pendēt, atq; ab eo salutē & animae, & corporis expectāt, atq; ideo Seruatorē suū appellāt. quod in scripturis sacris frequēs est. ut, laetabimur in salutari tuo. & super salutari tuo exultabūt. & ab ipso. n. salutare meū. & in cantico Annae. laetata sum in salutari tuo, & sexcētis alijs in locis. hanc laetitiam, & exultationem non intelligit mundus, in quo laetantur quidem eius amatores, sed cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis. confidunt non in Deo, seruatore suo, sed in uirtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur. at exultatio ista, atque gloriatio, quae omni ratione desinitur, miseranda est, non expetenda, ut quae sit ijs similis, qui, cum ex morbo in phrenesim uersi sint, rident, & cachinnantur. an non suprema insania est, eligere quempiam, exigui temporis, ac momenti potius spatio, insanire magis quam laetari, & nunquam hominem, hoc est, ratione praeditum animal uiuere, ac demum aeternae tradi & obliuioni, & morti? ij enim sunt, quos describit Dauid, cum ait. uidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non erat, quaesui eum, & non est inuentus locus eius. ijs ergo non solum non inuideamus, sed uicem eorum potius doleamus, & eam exul-

exultationem quaeramus, quae Christiano homine est digna, quam hic Maria uirgo nobis imitandam proponit. sed dic obsecro uirgo beatissima, quam ob causam ita spiritus tuus exultauit? quia respexit (inquit) ad humilitatem ancillae. ecce rursus ut ancillae nomen sibi retinet. quando enim abiectissima fors est ancillarum, ideoque magnificam benignitatem Dei praedicat, qui humilitatem, hoc est, ignobilitatem, obscuritatem, ac uilitatem suam aspiciere nō sit dedignatus. nam Graeca dictio, quae hoc loco posita est, hunc esse horum uerborum sensum aperte demonstrat. scriptum enim hoc loco est, ταπεινωσις, quod significat abiectionem, & generis obscuritatem, uilemque conditionem. quin & humilitas apud Latinos idem significat. uerum, quia Christiana philosophia propriam hanc habet uirtutem, ut à Christo introductam, apud nos pro uirtute habetur, & ea maxima, atque praecipua, cum quis non nisi humiliter, & abiectē de se sentit. at hoc apud externos, qui de uirtutibus scribere, uirtio uertitur, est tamen apud eosdem Graecos alia dictio, quae significat eam animi submissionem, quae uirtus est, & ea uocatur, nō ταπεινωσις, hoc est, humilitas, & abiectio, sed ταπεινωσύν, quam, si uerbum uerbo reddere uelimus, humiliſcētiam possemus appellare, ut deducatur ab eo, quod est humiliter de se sentire. quae uox cum non dissimilem habeat sonum, quam excaescencia, & reminiscencia, & efficientia, quae Latina lingua non aspernatur, nescio cur non uenerit in mentem ueteribus, hanc in usu dicendi ponere, nisi quod & scriptores ethnici, Latini tamen, cum huius uirtutis uim non agnoscerent, ne nomen quidem formare studuerunt, & nostri, hoc est, Christiani, qui scirent, scriptum esse, regnum Dei non esse in sermone, sed in uirtute, humilitatis uocabulo contenti fuerunt: & cum antea illa uox ad ignominiam inclinaret, ipso usu effecerunt, ut ea appellatione, praestantissima omnium uirtutum intelligeretur. uerum, quando hoc loco ipsa uirgo hac uoce usa est, ut sese demitteret, atq; ob hanc causam Euangelista non dixit ταπεινωσύν, sed ταπεινωσις, necesse est, ut & nos hic per uocabulum humilitatis interpretemur uilitatem, & abiectioem. alioqui aliud diceremus, atque ipsa sensit, quod esset rectum scripturae sensum inuertere: & sanè maior commedatio uirginis est, quod se abiectam appellauerit, quam si dixisset, Deum aspexisse uirtutem humilitatis illius. haec enim fuisset quaedam iactatio, contraria ei uirtuti, de qua loquimur. sed, cum dicat, Deum aspexisse ad uilem suae ancillae statum, abiectamque conditionem, haec fuit uera humilitatis eius laus, quae uirtus est, & declaratio submissi in primis animi, & omnia humilia ac uilia, & abiecta de se sentientis, quodque haec admiranda uirgo tantam humilitatis uirtutem esset assecuta, quanta maxima in eo esse possit, qui solus homo sit. hoc autem dixi propterea, quod haec uirtus in lo-

Io Seruatore nostro, ac Domino Iesu Christo fuisse rectè dici potest, ac propriè, ac non in homine alio. nam demittere se, ac humiliari aliquem dicimus, cum de statu, ac dignitate sua aliquid detrahit, ut, si episcopus, relicta episcopali sede, humiliorem locum eligeret, diceremus eum humiliasse sese. uerum ubi alicuius conditio tam humilis est, ut esse humilior non possit, neque supersit inferior locus, in quem se demittat, is profectò humiliari non potest, cum non habeat, quò descendat, cum autem humani generis locus sit ipsum nihil, nam facti ex nihilo sumus, ubi nos esse nihil intelligimus, non demittimus nos, neque deijcimus, sed locum nostrum tenemus. qui uerò locum suum tenet, is dici non potest, sese demittere, atque humiliari. cum uerò præterea omnes peccauerimus, si ob peccatum nos infra nihil collocauerimus cogitatione, ne tum quidem humiliari rectè dicimur, quando & ille locus noster est. qui enim peccat, deterior est nihilo. nam à nihilo Deus non offenditur, sed à nobis. quare meritò dicendum est, locum nostrum esse inferiorem nihilo, quo loco cum nullus inferior esse possit, iurè diximus, uirtutem humilitatis propriè in hominum genere non reperiri. sed Deus, qua est benignitate, acceptum refert humilitatis uirtuti, non cum humiliamur, quod fieri non posse diximus, sed cum humilem nostrum locum agnoscimus. filius uerò Dei solus uirtutem humilitatis habuisse dicendus est, qui, cum in forma Dei esset, neque rapinam arbitraretur, esse se æqualem Deo, & is locus eius proprius esset, humiliavit tamen semetipsum, & demisit sese ad humilitatem nostram, in similitudine hominum factus, & forma inuentus ut homo. in reliquo autem genere nostro, eo modo, quo humilitas in creaturis inueniri potest, summam eam fuisse in hac uirgine credendum est, quemadmodum & reliquas uirtutes omnes, hanc autem in primis, quòd hæc ab ipso Dei filio uidetur in orbem terrarum introducta, & hominibus declarata. quam quanti faceret, cum sæpe aliàs frequentissimè in suis prædicationibus, tum ultima cœna, ut arctius nostris animis inhaereret, demonstrauit, ubi discipulorum pedes ille omnium Dominus lauare in exemplum huius humilitatis non est dedignatus. quare etiam peracto negotio dixit. scitis, quid fecerim uobis? uos uocatis me, magister, & Domine, & benedicitis, sum etenim, si ergo ego laui pedes uestros Dominus, ac magister, & uos debetis alter alterius lauare pedes. exemplum enim dedi uobis, ut, quemadmodum ego feci uobis, ita & uos faciatis. tantum uerò exemplum tanti regis, ac Domini, nos sordes, & cœnum, tantum abest, ut imitemur, ut etiam uehementè ab eo abhorreamus, tanquam à re maxime fugienda, & superbiã pro re honestissima amplectimur. inspicite enim quotidiana facta uestra, atq; ita esse facile deprehenditis. quæ res summum quoq; huic cimitati detrimentum affert. dum

enim

enim nemo inferiore se altero uult existimari, & rem probrosam, (O in gratitudinè mille Geennis condemnandã, & castigandam.) rem inquam probrosam arbitrantur, imitari exemplū Dei Seruatoris sui, & demittere sese ad proximū quenq; . hinc fit, ut continuis odijs, disidijs, ininicitijs, maximo cum & animarum, & facultatum damno miseri, ac cæci laboretis. quid prodest canticum hoc maximam uestri partè memoriæ mandauisse, si tam inertes imitatores estis eorū, quæ in illo admonemur? Aspexit (inquit) ad humilitatem ancillæ suæ. fecit, quod de eo scripsit Dauid, qui illius erga minima quæq; prouidetiã admiratus exclamauit. quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo, & in terra? quis est (inquit) similis Domino Deo nostro, qui, cum in sublimi habitatione sit collocatus, rursus tamen demittit sese, ut contèpletur, nō solum quæ in cœlo, sed etiã quæ in terra sunt? aspexit ad humilitatem ancillæ suæ. quid tibi fecit? tanta, ut ob hanc causam beatã me prædicaturæ sint omnes cōsequentes generationes. & hoc erga abiectam, & uilem; ancillã præstitisse, in causa est, cur cogar tota anima, ac spiritu, eius magnificentiã, ac benignitatem prædicare. Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctū nomen eius. pius huius uirginis erga Deū Seruatorē, & muneratorē suū animus efficit, ut libeat eadē in re deliciarī, atq; interea magis explicet sententiã suã. is autē uidetur esse sensus. cum sit tam potēs (quod in Græco apertius est, ubi scriptū est cū articulo ὁ δυνατός hoc est, ille potēs) & tantæ nomē eius maiestatis, nō tamen dedignatus est, tantis me honestare beneficijs, ut fierē filij altissimi mater. Quamuis autē huic uirgini singulare hoc beneficiū collatum sit, nemo tamen nostrū est, qui, si non ingratus esse Deo uult, nō possit, ac debeat eadē dicere uerba. quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctū nomen eius. res magna tibi uidetur, uirginē gestasse in utero filiū Dei, atq; uberibus suis illū lactauisse? & sanè est, sed audi ipsum filium Dei rem hanc maiore ostendisse, quã habere quisq; nostrū potest. quid hoc tandē est? uideo. n. uos admirabundos hoc expectare. & profectò res est admiratiōe digna, sed quæ ab ipsius ueritatis ore prolata sit. quid ergo est? cum loqueretur Iesus ad turbas, quædam mulier ex ea turba, illecta Diuina illa oratione, quæ ex ore filij Dei prodibat, cohibere se non potuit, quin exclamaret. beatus uenter, qui te portauit, & ubera, quæ suxisti. ad hæc uerba quid expectatis Dominū responsurū? maiore (inquit) ego uobis beatitudinē ostendam. beati, qui audiunt uerbū Dei, & custodiunt illud. cernis ipsum Dominum prætulisse auditionē uerbi Dei, & eius obseruationē illi felicitati suæ matris, qua tamen fuit maxima, gestasse in utero filiū Dei, & suis uberibus lactauisse? eodem paradoxo alibi usus fuit, cum dicenti, ecce mater tua; & fratres tui foris stant, quærentes loqui tibi, respondit, quæ est mater mea,

H 2 &

& qui sunt fratres mei? & circumspiciens eos, qui in circuitu eius sedebant, ait. ecce mater mea, & fratres mei. qui enim fecerit uoluntatem patris mei, qui in caelis est, is frater meus, & soror, & mater est. quare si quis inuidet tantae felicitati huius uirginis, quod fuerit mater Dei, audiat ab ipso Dei filio, posse se hanc assequi beatitudinem. nam cuiusuis anima ubi seruo afficitur Diuinae legi, studetque totis uiribus ei obtemperare, concipit in se uerbum Dei, & eo foecunda fit, quae foecunditas nisi prius fuisset in Mariae uirginis animo, nunquam carne coecepisset filium Dei. quare non iniuria dixi, unumquemque nostrum iure dicere debere eadem uirginis uerba. quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius. quid maius accidere tibi potest, quam quod ad imaginem Dei sis factus? non ne hoc appellari maximum debet? quod si addas, eundem Deum misisse filium suum unigenitum, ad te, ac totum humanum genus ab aeterna morte liberandum, quid hoc maius excogitare, non humana, sed angelorum mens potest? & ad haec tanta, tam admiranda, tam ipsi etiam caelo obstupescenda dona tam ingrati sumus, ut uix unquam cuiquam in mentem ueniant, atque in animi interiora bene penitus recipiantur, & exultare libeat cum hac uirgine, ac dicere. quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius. & tamen communia haec nobis omnibus sunt, ut excusare nemo possit, quod causa sibi desit, cur magnificet anima eius Dominum, & exultet spiritus eius in Deo seruatore suo. sed heu, curuas in terram mentes, exultant potius, & magni beneficij loco ducunt, si pecunias, & dignitates sint assecuti, & gratias etiam agunt, tametsi cum summo animae suae detrimento ea sint assecuti. sed ex eorum numero sunt, quos propheta quidam reprehendit, cum ait. qui dicunt. benedictus Deus, diuites facti sumus, quod scilicet ex iniustitia diuites essent effecti. O tenebras. magnum, & pro quo gratias agant, nihil nunc existimant ij, qui se Christianos profitentur, nisi illud, quod eis sempiterni interitus occasio est. scitis enim quid dicat Paulus. qui uolunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum, & cupiditates multas stultas, & noxias, quae demergunt hominem in exitium, & interitum. siquidem radix omnium malorum est studium pecuniae, quam quidam dum appetunt, aberrauerunt a fide, & seipsum implicauerunt doloribus multis. auditis hic manifestum exitium pecuniae amatoribus imminere, & tum demum, aut potius tunc solum exultatis, & gratias agitis, cum ea acquisueritis, quae summo uobis exitio sunt futura. gratias quidem agere uos uolo, etiam cum Deus uobis facultates auget, uerum non ob illas facultates, sed potius quod ex eis facultatem, & occasionem habetis seruiendi, & placendi Deo per eleemosynarum dispensationem, at uero multo maximas gratias agere debetis ob beneficia, quae supra commemorauimus, quod tan-

ta fecerit, ut esse possimus haeredes Dei & cohæredes Christi. Et misericordia eius in progeniem, & progeniem timentibus eum. Peracta laude, & gratiarum actione ob priuata beneficia in se collata, nunc refert animum ad contemplandam Dei misericordiam erga omnes, qui eam uolunt. hunc morem Dauid eodem spiritu repletus, seruauit in eo psalmo, quo decreuerat, Diuina erga se beneficia praedicare. primo enim quae in se collata fuerant, meminit, & ait. benedic anima mea Domino, & omnia, quae intra me sunt, nomini sancto eius. benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius. & quanam ea sunt? qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu uitam tuam, qui coronat te in misericordia, & miserationibus. qui replet bonis desiderium tuum, renouabitur ut aquilae iuuentus tua. deinde his peractis latius porrigit suam cogitationem ad ea commemoranda, quae & passim omnibus, & praecipue Israelitico populo facta sunt. faciens misericordiam Dominus, (inquit) & iudicium omnibus iniuriarum patientibus. notas fecit uias suas Moysi, filijs Israel uoluntates suas. & multus in hac miserationum Domini commemoratione deliciatur. tunc enim laudes omnes, ac preces nostrae suos habent numeros, quando cum eis coniuncta est gratulatio etiam ob bona in alios collata. & non minus eis, quam nostris ipsorum laetamur. Misericordia (inquit) eius in progeniem, & progeniem timentibus eum. non enim est acceptio personarum apud Deum, ait Petrus, sed in omni gente, qui timet ipsum, & operatur iustitiam, is acceptus est illi. nam quemadmodum sol, cum oritur, nemini suae lucis officium denegat, quod si qui se abdunt tenebris, & lucem eius negligunt, ipsorum est culpa, non solis; sic Deus omnes sua benignitate in uocat ad accipienda sua beneficia, & neminem auersatur. nihil enim odit eorum, quae fecit. quin hortatur, ut petamus. quærite, (inquit) & inuenietis, petite, & accipietis, pulsate, & aperietur nobis. omnis enim, qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur. dolet etiam, quod se relicto, omnium bonorum fonte, homines inania sectentur, & inutilia. Duo mala (inquit per Esaiam) fecit populus meus. me dereliquerunt fontem aquae uiuae, & foderunt sibi cisternas, quae continere non ualent aquas. indeficiens est ergo misericordia Domini, sicut & Dauid ait. misericordia Domini ab aeterno, & usque in aeternum super timentes eum, & iustitia eius in filios filiorum, ijs, qui seruant testamentum eius, & memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea. hic autem timentes Deum appellat eos, non qui timore seruili aguntur, & nisi poenas metuerent, non abstinerent a peccatis, sed qui ita timent Deum, ut solent filij parentum amantissimi, qui patrem timere dicuntur, cum uerentur quicquam

facere,

facere, quod eum offendat, ac paternam offensionem grauiorem quouis supplicio iudicant. Hanc misericordiam maxima hominum pars cōtemnit, dum ea abutuntur, & in spe consequendæ misericordiæ peccata peccatis adiungunt. sed execrādus est omnis homo, qui peccat in spe. quod scelus quā sit ingens, audi in crepantem eiusmodi homines apostoloni Paulum. an diuitias (inquit) bonitatis illius, ac tolerantia, lenitatisque contemnis, ignorans, quod bonitas Dei ad pœnitentiam te inuitat? sed tu iuxta duritiam tuam, & corpœnitere nescium, recondis tibi ipsi iram in die iræ, & iusti iudicij Dei. neque enim longanimitate utitur Deus, ut pœccemus, sed, ut, qui peccauerunt, resipiscant, atque ad Dei misericordiam accurrant eo studio, quod Dauid describit. sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, & sicut oculi ancillæ in manibus dominae suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. quicumque hoc studio quærunt Dei misericordiam, ij proculdubio illam inueniunt, semperq; uerū erit, quod hic ait Maria uirgo. & misericordia eius in progeniē, & progeniem timētibus eū. nam sicut regnū eius, ut ait psaltes, est regnū omniū seculorū, sic in omnia secula suam porrigit misericordiam. Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis eorum. propositum est Mariæ: prædicare Dei maiestatem, quæ quoniam in natura sua comprehendī a nemine potest, lucem enim habitat inaccessam, ex eius factis intelligi de ea aliquid potest. cum ergo commendasset eius misericordiam, nunc potentiam eius celebrat, quam exerit, cum iusto iudicio aduersus contumaces, ac rebelles utendum est. ex quo inuitamur, ut sub eius timore cum omni animi submissione perseveremus. nam ij, qui hoc præstant, soli eius beneficia experiuntur. ut ergo uereamur insolescere, ait, Deum exercere robur, ac potētiam brachij sui, cum dispergendi sunt superbi a cogitatione cordis eorum. uocat autem brachium Dei uires eius, accepta ab hominibus similitudine, qui maximè brachijs, & lacertis uires suas ostentāt. diximus enim sæpe alias, si uelimus de Deo loqui, uti est, nullum inueniri eius nomen, cum maiestas illa superet omnia nomina, quæ non ab hominibus solum, sed ab angelis etiam queant excogitari. ob hanc causam scripturæ sacræ metaphoris utuntur, a rebus creatis acceptis, atque interdum, cum auxilium Dei requirunt, nō solum brachia illi dant, sed etiam arma. uide enim, quid dicat Dauid, cum Diuinum implorat auxilium. apprehende (inquit) arma, & scutum, & exurge in adiutorium meum. quin & somnum, ac dormitionem attribuere non uerentur ei, qui non dormit, neq; dormitat, atq; id faciunt, cum tardius affert opem, quā ipsi uolunt. nam idem Dauid ait. exurge, quare obdormis Domine? cū uerò in sacris literis brachium Dei pro eius filio intelligatur, qui iccirco etiam *δὴ υἱοῦ κτ.*, hoc est, uirtus,

&

& potentia Dei appellatur, quod hic ait, Deum præstitisse robur per brachium suum, intelligi potest potentia illa, qua superbos Dæmones per robur sui unigeniti dissipauit, & uires eorum cōfregit, qui captiuum genus nostrum sub suo imperio detinebant. Dispersit superbos cogitatione cordis eorum. multæ (ait Salomon) cogitationes in corde uiri, consilium autem Domini in aeternum manet. rectè autem dixit, dispersit, hoc est, dissipauit, atque ad nihil redegit. cum enim omnes hominum cogitationes, quæ Dei consilio non nitantur, nihil aliud quā res dissipatæ sint, tum illæ superborum eiusmodi sunt. quid enim arrogantius illis uerbis? ascendam in altitudinem nubium, super astra cœli extollam folium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis, ero similis altissimo. quid demum? uide, quo pacto eius cogitationes cordis fuerint dissipatæ. ueruntamen in infernum (inquit) detraheris, in profundum lacu, qui uiderint, te contemplabuntur, teque attentè aspicient. nunquid iste est uir, qui conturbauit terram? qui cōcusit regna? qui posuit orbem desertum, & urbes eius destruxit? tu autè proiectus es de sepulchro tuo, quasi stirps abominabilis, quasi cadauer putridum, non habebis consortium cum eis in sepultura. detracta est ad inferos superbia tua. subter te sternetur tineæ, & operimentum tuum erunt uermes. cernis, ut cogitationes superbissimi regis fuerint dissipatæ? cuius cadaueri ne sepulchrum quidē concessum fuerit, cadaueri inquam eius, qui sibi fuerat pollicitus, se futurū altissimi similem. quare rectè etiam quidam externus dixit. citò ignominia fit superbi gloria. & sanè quidem multa quotidie occurrunt exempla, quibus hæc huius uirginis sententia euidentissima cernitur, neque id aduertunt homines, qui immorantur in his superbiæ cogitationibus. unde enim ille insatiabilis habendi ardor, & augendarum facultatum inexplabile studium proficiscitur, nisi a superbis cogitationibus? ut scilicet unus altero honestius habitet, cultius uestiatur, splendidius epuletur, maiore equorum, ac satellitum numero stipatus obambulet. & ecce cum ea est affecutus, quæ cōcupiuerat, & eo statu est, ut cum illo diuite, qui in Euangelio describitur, dicere possit, anima mea multa bona habes recondita in multos annos, gaude, epulare, tunc audit. stulte hac nocte repetent animam tuam a te, & quæ congregauisti cuius erunt? sæpe uerò, etiam ante quā sit homo uoti sui compos effectus, & labores duntaxat, atq; ærumnas expertus, in illa adipiscendarū facultatū, honorū, potentia cupiditate moritur, & tēporarijs defatigatiōibus æterna danina cōiungit. sæpe in medio fortunæ fauentis cursu, uiuens bonis omnibus exspoliatur, & a summa in miserrimā cōditionē deiecitur. hæc cernere frequētissimè, ac penè quoti die licet, & tamē miseri homines ab hac dissipatarū cogitationū cōsuetudine nesciunt auocari. liceret eis per modestas, ac tēperates cogitationes

hac

hac uita iucundissime frui, atq; interea commeatum ad illā uerā, ac sempiternam præparare, & sua socordia, ac stultitia utranque amittunt. Detrahit potentes de sedibus, & extulit humiles: sic Anna Samuelis mater, & ipsa in suo canticō idē cum hoc, & sequenti uersu, quanquā non eisdem uerbis, dixit. arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore. repleti prius, pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt. Quærat hic fortasse aliquis, cum similitudo conciliare amicitiam soleat, & Deus ipse potentissimus sit, cur tam uehementer in scripturis sanctis insectari potentes reperiatur, contraque, fouere humiles, & eos in primis curare. huic respondendum est, morem esse Diuinarum scripturarum, nominibus uti ea significatione, quæ in hominum sit consuetudine. nam omnes ferè eos diuites appellat, qui pecunias, agros, domos magnificas, pretiosam supellectilem, cæteraque huius generis habeant, pauperes uerò, qui his sint destituti: potentes uocant, qui damnis afficere plurimos possint, uel etiam magnis beneficijs. imbecillos, qui ista non possint. sic pulchros, ualidos, sanos, quorum corpora specie, robore, incolumitate præsent. eos uerò, qui cōtrario se habent modo, turpes, inualidos, ægros. uerum, cum ista exteriori tantum homini honestando sint accommodata, uera autem hominis ratio in animo sit, & Deus ueritatem rerum amet, cum sit ueritas, non habet pro diuitibus, potentibus, pulchris, fortibus, sanis, eos, qui à uulgi opinione ita existimantur, quoniam re uera non habent rem nominibus illis consentientem, sed solæ illæ sunt ueræ diuitiæ, sola illa potentia, pulchritudo, robur, incolumitas, quæ diuitem, potentem, pulchrum, fortem, sanum, interiorem hominem faciunt. an tu diuitem illum iudicabis, qui, cum infinitam pecuniam in arca teneat, summa tamen inopia affectum habeat animum? quid prodest stulto (ait Salomon.) habere diuitias, cum sapientiam emere non possit? uideas hominem, qui intus in animo nihil ab asinis, aut equis differat, circumamictum tamen auro, ac gemmis, & eum diuitem appellabis? quo id iure? quia pretium ingens (inquit) in corpore circumfert. hoc si ita est, cogeris & asinum onustum auro diuitem appellare. quod si ridiculum est, nihilo minus est ridiculum, mihi crede, stultum, atque omni uirtute destitutum hominem diuitem appellare propterea, quod externis hisce diuitijs abundet. rursus potentem, ac fortem appellabis eum, qui expugnare urbes possit, ipse uerò à crudelissimis tyrannis, ira, superbia, impotentia, auaritia, carnis lasciuia ita obsideatur, ut nullo, unquam tempore se liberum sentiat? hanc ob causam aiebat Salomon, melior est patiens uiro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. audis hic eum, qui sibi imperare possit, præstantiorem esse urbium expugnatorebus? meritò ergo eiusmodi potentes detrahit de sedibus, ut qui hoc no-

men

mèn iniuste occupent, & ad eas sedes euehit humiles. at hi sunt apud Deum, & re ipsa magni, & propterea Deus nō nomen in eis, sed rem examinat. contemplare enim horum humilium magnitudinem, quo pacto non contenti ijs, quæ alij sola sibi sufficere arbitrantur, multò maioribus, ac præstantioribus niti uelint, ut diuitias, ac potentiā suam melius tueantur. audi enim, quid rex, & diues, & potens, sed humilis dicat. non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non seruabit me, sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio uultus tui. & rursus, fortitudinē meam ad te custodiam, & cum tanti esset roboris, ut ursos, ac leones conficeret, non sibi in ea fortitudine placebat, sed omnia Deo referebat accepta. Dominus, (inquit) qui eripuit me de manu leonis, & de manu urfi, ipse liberabit me de manu Philistæi huius. non dixit, ego, qui confeci leonem, atque ursum, etiam hunc Philistæum conficiam, sed omnia Deo accepta referebat. eiusmodi homines uerè magni sunt, qui se intra suos terminos continent, suam omnem potentiam, ac robur custodiendum Deo tradunt, neque putant se plus aliquid esse ob externarū opum accessionem, sed communis semper naturæ sunt memores. ob hanc causam ille Iob, uir inter omnes orientales magnus opibus, ac potentia, non detrectabat subire iudiciū cum seruo, & ancilla sua. ij propterea humiles appellatur quod nihil magni de se sentiunt. & quoniam hæc una est uera hominis magnitudo, iccirco Deus illos, ut sibi coniunctos, atque apud se magnos euehit, atq; extollit. eos uerò, qui, cum beluina arrogantia aguntur, tum se magnos putant, interdum externa etiam corporis forma in beluas mutauit, ut in Nabuchodonosor accidit. qui turgens potentia, & tanquam ex se illam habens, cum deambulans in aula Babylonis diceret, nonne hæc est Babylon ciuitas magna, quam ego ædificauit in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? adhuc erat sermo in ore regis, & uox facta est è cælo in hæc uerba tibi dicitur Nabuchodonosor rex. regnum tuum transibit à te, & ab hominibus eiecient te, & cum bestijs, & feris erit habitatio tua. fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias, quod dominetur excelsus in regno hominum, & cuicumque uoluerit, det illud. eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, & ex hominibus abiectus est, & fœnum ut bos comedit, & rore cæli corpus eius infectum est, donec capilli eius in similitudinem aquilæ crescerent, & lingue eius quasi auium. Hæc in uno Nabuchodonosor potentissimo monarcha exercuit iudicia Deus, ut intelligant ij, qui opibus, ac potentia fidunt, quanto in errore uersentur, discantque submissè se gerere, si uerè magni esse uolunt. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. cerno tria hominum genera in hoc canticō commemorari, quæ genera facillè complectuntur

I omnia

omnia uitia, atque peccata, quæ in mundo fiunt. memorantur enim hic superbi, potentes, diuites. in superborum numero sunt non solum ij, qui opibus, ac potentia præstant, sed etiam infimæ fortis homines, quod genus quàm sit odiosum, ostendit quidam sapiens, cum dixit. tres species odit anima mea; diuitem mendacem, pauperem superbum, & senem stultum. cum enim senilis ætas ob rerum experiẽtiam magistra aliorum uitæ esse debeat, absurdum ualde est, senem uideri minori sensu, ac prudentia præditum, quàm interdum sint adolescentes. neque minus reprehensibile est, diuitem, cui diuitiæ iccirco datæ à Deo sunt, ut sit in proximum quenque beneficus, cum rogatur ab aliquo, ut eius necessitati succurrat, uerbis mēdacibus se excusare, & affirmare, se quoque egere. nam hæc frequentissimè est experiri. sic, cum pauperis conditio requirat, ut, quemadmodum Salomon ait, cum obsecrationibus loquatur, cum rigide, atque arroganter effari, esse diuitem potius soleat, odiosa res est, cernere eum superbientem, qui in summa plerunque sit egestate. & sanè nõ exiguus reperitur eiusmodi hominum numerus, qui insolentia interdum superant diuites, & præterea inuidi sunt, queruli, criminosi, calumniatores, insidiatores, detractores, & qui, si daretur eis facultas, orbem euerterent uniuersum. optant enim sæpe dari sibi imperium in alios, atque in æa cogitatione mira sibi fingunt somnia. ij profectò inter superbos iure numerantur, cura eorum superbiam non prouocet rerum opulentiã, quam nullam habent, sed uitiosi affectus, qui in eorum animis regnant. hic ergò superbi appellantur, quicumque siue diuites, siue pauperes, superbo, & arroganti animo insolescunt. & hos omnes abominatur Deus, & dispergit eos cogitatione cordis eorum. Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. sequuntur potentes, per quos intelliguntur ij, quos diximus ita potentia, ac uiribus fidere, ut se Deo subiectos, atque ab eo habere eam potentiam non intelligant, qui dicunt cum illo impio rege, nescio Dominum. & quis est Dominus, ut audiam uocem eius, & dimittam Israel? ij sine ulla miseratione, aut communis naturæ contemplatione crassantur in alios, eisque non ut hominibus, sed ut iumentis abutuntur: in omnia se dant flagitia, scortatores, adulteri, nihil denique humanæ naturæ in se referentes, præter externam figuram: quæ plerunq; etiam ob uitiosos internos affectus ita obscuratur, ut in uultu ferinum quid potius, quàm humanum præ se ferant. tertium genus postremò commemorauit, appellauitque diuites, quo nomine peculiariter mihi uidentur intelligendi esse auari. nam etsi in superbis etiam auaritas illa habendi, unde auari nomen deductum est, & in potentibus reperitur, sunt tamen, quibus propriè hoc uitium conueniat. est enim uidere non nullos, qui non magnopere honores, ac magistratus, atq; alijs imperare

expetant,

expetant, sed tantum plenam opibus domum habere sint contenti, & eorum suprema uoluptas sit; nummos in arca contemplari. quos si interrogas, ut quid tantum erga pecuniam studium? quem statuunt finem suarum diuitiarum? nullam afferre homine dignam rationem sciunt. nam si dicant, uelle se uitæ comæatum parare, arguuntur, hanc non esse eam causam, cum multò plura suppetant, quàm quæ ad uitam sunt necessaria. deinde cernuntur, quò minus uitæ superest, auidius parandis opibus inhiare, ut si quis, quò minus restat uiæ, eò plus uiatici quæreret. quòd si respondeant, se liberis suis ea parare, ne hæc quidem idonea ratio est, cur in immensum feratur illa habendi cupiditas: ubi enim tantum iam parant, quantum filijs satis ad honestum uictum, & cultum esse possit, finis illi appetitioni esset imponendus. si enim probi futuri sunt, non solum satis illud erit, sed etiam sine eo uiuere honestè poterunt: nam uirtutis ea uis est, ut sibi necessaria comparet. sin improbi, opulentiã illa damno illis potius futura est, quàm utilitati. dum fiducia opum, ac facultatum illos in omnia scelera trahit. uerum quid de ijs dicas, qui liberis carent, & tamen ea est una illis oblectatio cogendarum pecuniarum? morbus ergo tantum est, & animi lethargus. ij mihi uidentur hic rectè intelligi, cum dicitur, diuites dimisit inanes. planè inanes, qui nihil omnino aliud ex illa opum, ac pecuniarum insatiabilitate referunt, quàm uanitatẽ, de qua pulchrè Salomon ait. considerans reperi aliam uanitatẽ sub sole. unus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec fatiantur oculi eius diuitijs, nec recogitat dicens, cui laboro, & fraudo animam meam bonis? & in hoc quoque uanitas est, & afflictio pessima. hæc Salomon. & sanè quid uanius excogitari potest, quàm in eam rem per totam uitã incumbere, ex qua nihil aliud demum, referas, quàm perpetuam animi molestiam? nam eiusmodi homines non tam id, quod iam pararunt, oblectat, quàm id excruciat, quòd oportere adhuc parari opinantur. immo uerò etiam id, quod habent, plus molestiarum auaris affert, quàm solatiij, dum metuunt, ne sibi furto pecuniæ surripiantur, quæ in re domesticos etiam, ac proprios liberos suspectos habent. quòd si in terræ uisceribus eas occultarunt, repentini mortis casus sollicitos eos habet, ne tam amata res ita perdat, ut nunquam intueri posthac eam liceat. hos ergo diuites Deus inanes dimittit: quorum uanitatẽ admiratus Dauid aiebat. uerum tamen uniuersa uanitas omnis homo uiuens. cur hoc? thesaurizat, (inquit) & ignorat, cui congregabit ea. tu uerò quid? & nunc quæ est expectatio mea? nonne Dominus? & substantia mea apud te est. cernis sapientem uirum non fidere in incerto diuitiarum, sed spem suam, ac suas facultates apud Deum habere reconditas? hic ex ijs est, de quibus hic dicitur. esurientes imple-

I 2 uit

uit bonis. hæc nimirum est illa Euangelica esuries, de qua Dominus dixit. beati, qui esuritis, quia saturabimini. nam esuriunt quidem diuites, sed nunquam implentur, nunquam exsaturantur, & tanquam hydropici, quò plus bibunt, plus sitiunt, atque ut ij, quos Græci *βουλιμίωτας* uocant, ita affecti sunt, ut eo morbo laborantes inexplebilem patiantur famem, sic isti nullis, quamuis immanibus, contenti esse opibus possunt. at esurientes Euangelici, ut hic audis, implentur bonis. non dixit, opibus, sed bonis. bona sunt ea, quæ possessoribus suis semper profunt, nunquam obsunt. at corporeæ diuitiæ, honores, dignitates, magistratus, regna, imperia hoc nunquam præstant, sed potius implent malis suos possessores, tantum abest, ut implere eos bonis idonea sint. quæ sunt igitur ea bona, quibus isti esurientes implentur? pax illa, quam Paulus dicit superare omnem mentem, interioris animi tranquillitas, spes certa bonorum finem earentium, quæ post huius exiguæ uitæ curriculum se assecuturos certò sciunt. his bonis ubi impletus est animus, minimum est, quod de externis rebus sit eis necessarium, illudque exiguo negotio paratur. nam uilis tanica, & panis, & aqua, aut etiam interdum pro pane, olera, poma, ac legumina, omnes omnium delicias, ac pompas superant. atque hoc erat, quod Diuinus psalter aiebat. melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas. quin, si quando & ista desint, gloriantur in fame, siti, frigore, nuditate, quo quid cogitari feliciter potest? hominem omnibus externis bonis destitutum nihilò tamè minus ueris bonis esse repletum. Ite nunc ciues mei, & relicto fonte aquæ uiuæ, fodite uobis cisternas, quæ continere non ualent aquas. quousque dormietis? quousque dormitabitis? quando consurgetis à somno uestro? non intelligetis aliquandò, uos, quicumque congerendis diuitijs insudatis, in saccum (ut ait propheta) pertusum eas ponere? non tandem aliquando conuertetis oculos ad Euangelicam lucem, & ueris bonis impleri optabitis, quando ea, quæ bona appellatis, uos decipiunt, neque unquam præstant, quod profitentur? bona appellari uolunt, & innumeris uos quotidie afficiunt malis. ubinam gentem sceleratioris impostores reperias? & quidem si quis nobis semel imponat, in hunc seuerissima castigatione curamus animaduertere, hæc uerò quotidie uobis imponunt, neque pœnas unquam ex eis sumetis? non ne tam scelesti impostores relegandi, atque è uestris finibus essent in perpetuum expellendi? exiite obsecro tam pestilentem, tamque mortiferum affectum, qui uobis hæcenus dominatus est, & ueris uocibus affuescite, quæ uera bona uobis commonstrant. turpe enim est in tanta luce adhuc tenebras amare, & inuentis frugibus, glande uesci. sed tempus est, huius cantici clausulam, ac finem contemplari. Suscepit Israellem puerum suum, ut memor esset misericordiæ, sicut lo-

cutus

cutus est ad patres nostros, ipsi Abraham, & semini eius in seculum. postea quàm pro temporis ratione aliquantum exspatiata fuit in prædicandis magnificis summi Dei factis, nunc reuertitur ad id, cuius causa hoc canticum fuerat exorsa, ut hi postremi uersus pro epilogo uideri possint. neque mirandum est, si dicendi ars huic non defuit uirgini, quæ eum magistrum habuit, qui solus docet hominem scientiam, & linguas infantium facit disertas. Prædicauerat Dei magnificentiam ex eo, quòd fecisset sibi magna, & ea ita magna ad hoc pertinent, quòd nunc ait, Deum uidelicet suscepisse Israellem puerum, hoc est, seruum suum. nam per Israellem Hebræorum genus intelligitur, qui ab Israele, qui & Iacob, in duodecim tribus iuxta numerum filiorum eius, fuerunt propagati. ad hunc Israellem redimendum mittendus expectabatur Christus, quemadmodum ab omnibus prophetis fuerat multò ante prædictum, & non rarò in psalmis huius redemptionis fit mentio. ut illud est. ipse redimet Israel, ex omnibus iniquitatibus eius. & redemptionem misit (ut præteritum pro futuro accipiatur de scripturæ more) Dominus populo suo. & hoc sæpe precabatur propheta. exurge (inquit) Domine, adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum. & rursus. adiuua nos Deus Seruator noster, & propter gloriam nominis tui libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. & alius. utinam dirumperes coelos, & descenderes. hæc enim erat summa illius gentis expectatio, aduentus Messia, hoc est, Christi, quem cū iam in utero uirgo concepisset, gratias agit nomine totius gentis suæ tanto liberatori, quòd susceperit redimendum Israellem seruum suum. ut memor esset (inquit) misericordiæ. tantum non eadem cum Dauid dicens, qui & ipse de hac salute loquens ait. recordatus est misericordiæ suæ, & ueritatis suæ domui Israel. sed quarat hic fortasse aliquis. cur hoc loco misericordiæ Dei acriter susceperit Israellem, cum alibi dicat Paulus. dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter ueritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum. gētes autem super misericordia honorare Deum. cum enim dicat Paulus, Christum ministrasse hanc salutem Iudæis, quos circumcisione uocat, ob peculiare illis circumcidēdi usum, ut ueritas Diuinæ promissionis factæ patribus seruetur, gentes uerò receptas sola misericordia, uidetur Christum missum fuisse ob debitum promissionis, non ob misericordiam, quam uult, ut gentes agnoscant, quasi non fuerit misericordia, quod Iudæis fuit præstitum. sed sciendum est, Paulum eo loco noluisse dicere, non fuisse misericordiam, quòd Iudæis missus fuerit Christus, sed, cum ostendere uellet, etiam gentes participes effectas huius miserationis, sciretque Iudæorum supercilium, qui arbitrarentur, regnum Christi ad se solos pertinere, ut eis aliquid præ alijs gratifi-

gratificaretur, dicit, Christū quidem uenisse, ut ueritas Dei staret, hoc est ut promissiones à Deo factæ patribus implerentur, sed tamen gentes ab hac miseratione non fuisse exclusas. ut, cum audirent Iudæi hanc differentiam, qua gentibus antecellerent, non dedignarentur, si non ob promissiones, sed ob solam misericordiam locus etiam gentibus in hoc regno esset datus. alioqui pluribus in locis scripturæ sacræ ostenditur, Diuinæ fuisse misericordiæ, quòd datus esset Iudæis Christus. quam misericordiam agnoscentes prophetæ clamabant. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. &, fiat misericordia tua Domine super nos quemadmodum sperauimus in te. & quamuis scirent promississe hoc Deum, addebant tamen misericordiam ueritati, & dicebant. recordatus est misericordiæ suæ, & ueritatis suæ domui Israel. &, misericordia, & ueritas obuicem factæ sunt. hoc est, Deus sua misericordia præstitit, quòd fuerat pollicitus, ut & misericors, & uerax appareret. rectè ergo dixit Maria. suscepit Israellem puerum suū, ut memor esset misericordiæ, sicut locutus est ad patres nostros, ipsi Abrahæ, & semini eius in seculum. ecce & hic meminit promissionum, & tamen ascribit misericordiæ, quòd suscepit Israellem. cum autem dicat, sermonē hunc factum patribus, meminit in primis Abrahæ, ob peculiare promissiones primò illi factas, de quo sic scribit Paulus. Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. non dixit, & seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, & semini tuo, qui est Christus. uult ergo Paulus, ut, cum in Genesi legimus, dictum fuisse Abrahæ, benedicetur in semine tuo omnibus gentibus terræ, intelligatur per hoc semen Christus. cum autem dicat omnes gentes terræ in eo benedictionem assecuturas, liquet hoc bonum non ad solos Iudæos pertinere, sed ad omnes gentes fuisse porrigendum, atque ob hanc causam Paulus aiebat, promissionem hanc factam fuisse Abrahæ, non in circumcisione, sed cum adhuc esset in præputio, ut esset pater omnium credentium in præputio, ut imputaretur & illis iustitia, & illud, pater circumcisionis, ijs, qui non solum genus ducerent à circumcisis, uerum etiam qui ingrederentur uestigijs fidei, quæ fuit in præputio patris nostri Abrahæ. Hoc tam ingens donum doleo nunc ab ijs, qui fidem in Christum profitentur, non intelligi: quòd quantum sit, si scire uultis, sic cogitate. sit rex quispiam maximus, qui pulsus ob eorum peccata regni primatibus, abiectos quosdam, ac nullius pretij homines ad eorum dignitatem eueheret, ac regni consortes efficeret. ij tantum profectò se regi debere faterentur, ut, si facultates, liberos, uitam denique propriam pro regis salute ponerent, uix satis à se factum existimarent. at nos, qui in beluinam quodam modo naturam degeneraueramus, adorantes lapides, & uolatilia, & quadrupedia, & facti infe-

inferiores ijs rebus, quæ fuerant creatæ, ut eis uteremur, & usibus nostris essent subiectæ, accersiti sumus, reiecto illo olim peculiari Dei populo, ut simus, non serui ipsius filij Dei, quòd tamen magnum esset, sed eiusdem cohæredes, & regni consortes, neque tantam agnoscimus dignitatem. meminerimus, quòd Paulus de hac materia loquens dicit. si nonnulli de fracti sunt rami, tu uerò, cum esses oleaster, insitus fuisti illis, & consors radicis, & pinguedinis oleæ factus es, ne glorieris aduersus ramos. quòd si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. dices igitur, defracti sunt rami, ut ego inserar. bene dices. per incredulitatem defracti sunt, tu uerò fide stas, ne efferaris animo, sed timeas. nam, si Deus naturalibus ramis non pepercit, uide, ne nec tibi parcat. ecce igitur bonitatem, ac fere ueritatem Dei. in eos quidem, qui ceciderunt, seueritatem, in te uerò bonitatem, si permanseris in bonitate: alioqui & tu excideris, & illi rursum, si non permanserint in incredulitate, inserentur. Hæc uelim identidē contēplemur, caueamusq; , ne tantæ Dei beneficentiæ abutentes grauisimas illas æternas pœnas, pro oblati nobis sempiternis bonis, ob nostrā ingratitudinē recipiamus, sed potius cū timore, & tremore nostram ipsorum operantes salutem, & psallentes in cordibus nostris (quemadmodum admonet Paulus) in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, beatam hanc uirginem imitati, magnificentiam. ac liberalitatem Dei erga nos celebremus, qui tanti fecerit genus nostrum, tantumque nos dilexerit, ut filium suum unigenam dederit liberatorem, ac Seruatorem nostrum. cui cum patre, & spiritu sancto est honor, & magnificentia, & imperium, & potestas in secula seculorum. Amen.

O R A T I O O C T A U A.



MANSIT autem Maria cum illa mensibus circiter tribus, & reuersa est in domum suam. Cum mense sexto ab Elisabet conceptu angelus ista, quæ audiuius, nuntiauerit Mariæ uirgini, & ea per eos dies abierit in montana ad inuisendam ipsam Elisabet, consentaneum est treis circiter menses intercessisse inter hanc Mariæ uisitationem, & Ioannis natiuitatem. cum ergo dicat hic Euangelista, mansisse Mariam cum illa treis circiter menses, & deinde reuersam in domum suam, non malè opinantur, qui censent, beatam hanc uirginem mansisse

se quidem per illud tempus cum Elisabet, ut grauidæ, ac seni ministraret; instante uero partu reuersam esse, ut tumultum eorum, quos gratulandi gratia sciebat aduenturos, declinaret. quam sententiam magis confirmare uidentur ea, quæ subijciuntur. nam post discessum Mariæ addit Euangelista impletum esse ipsi Elisabet tempus pariendi. uerum, quando frequens est sacrarum scripturarum mos utendi anticipationibus, fieri potest, ut Euangelista per eandem anticipationem postuerit discessum Mariæ hoc loco, ut qui esset accommodatior contexendæ historiæ, & tamen Maria expectauerit huius tam expectati infantis ortum; qui maiorem etiam uirtutem acquireret ex præsentia uirginis, & filij Dei in eius utero concepti, quo nato nihilo minus discedere potuit ante, quam hæc natiuitas uulgaretur. atq; ita & plenè suo functa esset officio, & aduentatium tumultu, ac curiositatè deuitaret. Quod exemplū optarim, ut mulieres hac ætate studerent imitari, quæ nihil magis appetere uidentur, quam rerum curiositatem, & eò proficisci, ubi maior populi frequentia reperitur, atq; ubi sciunt, curiosa aliqua, ac uana exerceri. non sic faciebant laudate olim, ac sanctæ mulieres, quamuis & iuuenes essent, & diuites. uide te enim quid fecerit Rebecca, cum de Mesopotamia duceretur, ut esset uxor Isaac. cum enim attollens oculos uidisset Isaac, eo conspecto descendit de camelo, cui infidebat, & ait ad puerum, quis est homo ille, qui uenit per agrum in occursum nostrum? at ille respondit. ipse est Dominus meus. illa confestim, tollens pallium suum, operiuit se. cernis modestiam fœminæ? audit illum esse, cuius futura erat uxor, & tamen utitur uerecundia. quid censet illam fuisse facturam ad aliorum uirorum conspectum? nihil magis fœminas honestat, quam uerecundia, & solitudo, & conspiciendorum uirorum fuga. discite hic a Maria, quid faciendum uobis sit, cum ad consanguineas, uel grauidas, uel puerperas est proficiscendum, ut scilicet, officij tantum, ac pietatis, non curiositatis gratia ad illas accedatis. nunc uero mira sunt, quæ hodie fieri audio, ut nihil proponere sibi aliud uideantur, quam uanitates, & pompas, nullumque Christianæ religionis uestigium supersit, nihilque interesse cernamus aliud inter ethnicas, ac nostras fœminas, nisi quod nostræ, dum uel deterius ethnicis se gerunt, uel certè eas æquant, in hoc sunt maiori dignæ reprehensione, quòd in tanta ueritatis luce sunt ethnicis tenebricosiores. an ignoratis, summam Christianæ philosophiæ esse charitatem, mutuamque ædificationem? cur ergo non omnia ad hunc scopum studetis referre? uero contrarium potius facitis. nam eò tempore puerperas aditis, quò eis potius incommodatis, quam ut quicquam afferatis commodi; & ceremonias duntaxat quasdam seruatis, quæ nihil neque pietatis, neque utilitatis secum habent, atq; hæc, & alia absurda plura sunt propterea, quòd relicta

relicta sacrarum scripturarum luce, ad errorum tenebras semper nos recipitis. Elisabet uero impletum est tempus pariendi, & peperit filium, & audierunt uicini, & cognati eius, quòd magnificè Dominus misericordia sua usus esset erga illam, & gratulabantur ei. Iam incipiunt impleri quæ in ortu huius infantis angelus prædixerat euentura. quòd scilicet multi in eius natiuitate essent gauisuri. quòd autem post Elisabet partum dicit Euangelista uicinos, & cognatos hoc audiuisse, conijcitur, hanc Elisabet toto eo tempore, quo Ioannem gestabat in utero, delituisse, ut non facile huius rei fama foras emanauerit. nam, quòd superius dixit, illam occultasse sese mensibus quinque, non hoc dixit propterea, quòd post quinque menses hic conceptus passim fuerit diuulgatus, sed quòd à nimine scitum hoc fuerit, nisi cum Maria ad eam salutandam uenit. ubi ergo peperit, auditum est à uicinis, & consanguineis, & gratulabantur (inquit) ei. quid gratulabantur? quòd magnificè Dominus declarasset misericordiam suam erga illam. quid hoc magni est, hominem alicui nasci, etiam quo tempore minimè sperabatur? hominem inquam, de cuius miseria pulchrè Iob ait. homo natus de muliere, breui uiuens tempore, impletur multis miserijs, qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit uelut umbra, & nunquam eodem in statu permanet? & psaltes. homo sicut fœnum, dies eius tanquam flos agri sic effloreat. & Elaias. uox dicentis, clama. & quid clamabo? omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni: fœnum aruit, & cecidit flos. quid ergo opus fuit, ut uicini, & cognati Elisabet arbitrarentur tam magnificè factum cum ea, quòd filium peperisset? primum persuadebant sibi, hunc & sterili, & antiquæ mulieris partum non potuisse sine mysterio esse, & à quo magni aliquid expectaretur. meminerant Saræ, quæ & ipsa decrepita, ac sterili peperit Isaac, cui tam magnificæ promissiones fuerant factæ. meminerant eius, quæ & ipsa sterili Samsonem genuit liberatorem Israelis. & Annæ, quæ post aliquot annorum sterilitatè Samuelè peperit, magnæ uirtutis uirum. quare, etsi nondum sciebant, quæ angelus de nascituri pueri præstantia nuntiauerat Zachariæ, (nā mutus adhuc perseuerabat) cōiectare tamè poterat ex præcedentibus aliorum exēplis, magnū aliquid in Israelitica gēte illū effecturum. deinde si etiā nihil aliud de eo magni cogitauissent, pietè tamè erat mentis, & bene affecti erga Deū animi, magnificum hoc Domini opus appellare, quòd ex sterilibus, atq; ætate cōfectis hoc solatium præstitisset, ut in senectute filiū generaret. quare nō dixerūt, Deū munerasse eorū irreprehensam uitā, sed quòd magnificè misericordia fuisset usus erga Elisabet, ascribūtq; hoc Diuinæ misericordiæ, non eorum meritis, quamuis tam inculpatè uixisset, ut dixerit Euangelista, eos ambulauisse in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini irreprehensos. Duo igitur hic docemur, ut scilicet & pro quouis, etiam temporario munere grati benefactori

Deo simus, & omnia eius misericordiae accepta referamus: hoc autem fuistis admonendi, quod uideo magnam hominum partem in hac re peccare, & tantum abesse, ut gratias ob accepta beneficia agant, ut ijs etiam in benefactoris iniuriam abutantur. praestat aliquis ingenio. non agnoscit magnificam hoc, fuisse erga eum misericordiam Dei, ut curet eo uti in illius gloriam, sed illud exercet in res inutiles, & damnosas, atque in suam, ac proximi cuiusque perniciem. in eundem modum, qui liberos, qui opes, qui honores, qui potentiam adepti sunt, nunquam ante oculos ponunt, haec esse dona Dei, atque iccirco illum ante omnia in ijs esse honestandum, sed sine ulla Dei cogitatione omnia gerunt, perinde quasi ex se illa, ac sua uirtute, sua industria, non Diuino beneficio sint adepti, & eum imitantur, quem in propheta legimus dixisse, meus est fluuius, & ego feci me ipsum. tam uero alieni quidam sunt ab eo, ut, quae habent, agnoscant, ea se nullis suis meritis, sed sola Dei misericordia habere, ut, uel si non eis dentur, uel, ubi data sunt, si auferantur, murmurent, ac de Deo querantur, cur ita cum illis egerit. at uiri pij non ita faciunt. uide enim beatum Iob, qui ditissimus omnium orientalium, & cum facultates habebat, agnoscebat eas a Deo esse, & cum ablatae fuerunt, tranquillo permansit animo, agnoscens Deum accepisse, quod suum erat, neque propterea habere se, cur de Deo conquereretur. Dominus dedit, (inquit) Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Audierunt uicini, & cognati, & gratulabantur ei. intueri, quam sit res pulchra charitas, ac mutua beneuolentia. haec enim ubi adest, efficit, ut non minus alienis, quam nostris ipsorum bonis gratulemur. quod ubi fit, & nos tum maxime fruimur bonis proximorum. hoc quantum est, omnia omnium bona sua facere, atque eorum esse participem? quod contra in inuidis, & odia exercitibus accidit, ut aliorum felicitatem suam calamitatem arbitrentur, & tot quotidie malis afficiantur, quot bona in ijs, quibus inuidet, esse conspiciunt, & continuis uulneribus omnibus horis conficiuntur. quo quid calamitosius accidere homini potest? Gratulabantur ei. hoc & horum coniugum irreprehensa uita meruit, ut, cum sine querela uersarentur, omnibus chari essent, omnesque bene illis precarentur: & quantum antea dolebant, quod tam probi coniuges bono proles destituerentur, quae cum semper, & ubique, tum apud Iudaeos plurimi fiebat, tantum nunc gratulantur, quod illud bonum sint assecuti. quod si fuissent impij, crudeles, raptores, iniurij in proximum quenque, nemo fuisset ex animo gratulatus, sed potius doluissent, quod eorundem scelerum successorem genuissent. cernitis & hic, quam ingens bonum sit probitas, ac uitae integritas? quam quicumque ob lucri cupiditatem, aut alterius alicuius commodi gratia negligunt, & Dei, & hominum odium aduersum se concitant,

tant, quod uitae genus est quauis morte magis abominandum. Et factum est in die octauo, uenerunt ad circumcidendum puerum. & uocabant eum nomine patris sui Zachariae. Quod nunc apud nostros, ac sub Euangelio fit, ut, cum baptizandus infans est, imponatur ei nomen. hoc sub ueteri lege fiebat, quo die circumcidebantur, nempe octauo, de qua circumcisione alio loco fusius loquemur. in praesentia satis sit dicere, circumcisionem Iudaeorum, figuram quandam fuisse baptismi, & quemadmodum sub lege non prius imponebatur infanti nomen, quam circumcideretur, ita nunc idem in baptismo fieri: nam utrobique eadem res significatur. sicut enim circumcisio signum erat hominis, qui legi a Deo per Moysen datae subiectus esset, sic in baptismo nomen datur Christo, pro mititque baptizandus, se Christi legibus obtemperaturum, quarum summa etiam in ipso baptismo proponitur, quod scilicet opera Satanæ, & omnes eius pompas abiciat. cuius rei figura in circumcisione praesens, in qua praepitium amputatur, quae pellicula sola in toto corpore reperitur, quae, ut superuacua, possit auferri. ut significetur, oportere sub Euangelio eos, qui in baptismo Christum profitentur, superuacua omnia abicere, ut cum apostolo dicere liceat, habentes uictum, & quo operiamur, his contenti sumus. sed audio nunc a multis in caerem omnia illa rem fieri absurdissimam, afferunt infantem, cuius nomine ista promittunt, omni ornatu & uestium, & auri, & monilium opertum, atque circumdatum, neque aduertunt caeci, se contraria uerbis, quae in caerem illa proferunt, facta adhibere. humilitatem profitentur, & superbiam praesens ferunt. dicunt, se pompas Satanæ omnes abicere, & easdem pompas in ipsa professione ostentant. ab ijs initijs quid spei superest Christianae uitae in infante secuturae, quem in purpuris docent reperere? ita ab ipso Christianae professionis exordio iaciuntur fundamenta eius uitae, quae deinceps tota futura sit eidem professioni contraria. Et uocabant eum nomine patris sui Zachariam. & respondens mater eius dixit. nequaquam, sed uocabitur Ioannes. non potuit hoc mater scire ex Zacharia, quod praecipiente angelo uocandus esset Ioannes, necdum enim amissam uocem receperat. Diuino ergo numine menti Elisabeth fuit inspiratum, ut hoc diceret, ad maioris miraculi incrementum. Et dixerunt ad illam. nemo est in cognatione tua, qui uocetur hoc nomine. ex quibus uerbis intelligitur, cur cognati eius appellare puerum uellent nomine patris sui, nempe Zachariam, ne a nominibus cognationis eius discederent, ne uel nouare quicquam uiderentur. quam ob causam ne matri quidem assentiebantur, quae nomen excogitauisset, quod suae cognationi in usu non esset, ignorantes, haec sancti spiritus opera fieri. ex quo docemur, nouitates esse uitandas, quae maxima ratione non nitantur. sed in hac re illud accidit, quod Esaias reprehendens ait,

Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: cum enim ego multa reperissem in hac urbe uitiosa, & quæ à diuturna uetustate uires, atque, ut sic dicam, auctoritatem acceperant, uellemque spiritualia innouare noualia, quemadmodum à propheta admonebar, præsertim in cleri moribus instaurandis, ecce tibi mox calumniæ struuntur, atque ad maximi Romani pontificis aures perfertur, episcopum Fulginatam nouandis rebus studere. nam hic dicendi modus in malam partem accipi consueuit, ac propterea mea facta non instauracionem, sed nouitatem appellauerunt. hæc autem hoc loco mihi fuerunt repetenda, ne uitium eorum, qui hæc etiam apud uos disseminant, latius tâquam cancer serpat. quare audite, quænam uitiosæ, quæ ue laudandæ sint nouitates. Vbi alicuius reipublicæ status bonus est, atque optimè constituta ciuitas, quicumque propriæ duntaxat utilitatis gratia, atque ut suis appetitionibus obsequantur, mutare eum statum cupiunt, ij nouatores uocantur, & nouandis rebus studere dicuntur, ut Catilinam, & eius coniurationis socios fecisse, Romanæ produnt historiæ. si quis uerò cernens deprauatos ciuitatis mores, cupiat aut pristinos reuocare, aut meliores introducere, ut apud Lacedæmonios fecit Lycurgus, is non rerum nouator, sed reipublicæ instaurator est appellandus, si etiam aliqua introduceret, quæ nunquam antea in usu fuissent. si enim noua omnia reprehensione digna sunt, quid magis nouum orbi apparuit, quàm quod prædictum olim à propheta fuerat, cum dixit, nouum faciet Dominus super terram, femina circundabit uirum, postea impletum in uirginis partu? quid magis nouum, quàm & uirginem parere, & Deum nasci, & admirandam Euangelicam philosophiam in orbem omnium terrarum introduxisse? ista ergo, quia noua, ac nouitate admirabilissima fuerunt, quisquam reprehendit? quis tam uecors reperiat, qui hoc audeat dicere, cum ex ijs nostri generis salus sit profecta? discant igitur isti, neque res, neque nomina inuertere, desinantque bonis rebus prauas appellationes accommodare, & bonum malum, ac lucem tenebras appellare. sed redeamus ad historiam. Innuebant ergo patri eius, quid uellet uocari eum, & is postulatis tabellis scripsit dicens. Ioannes est nomen eius. Quod ait innuebant, cum angelus tantum dixerit, eum ad præfixum tēpus mutum futurum, non autem & surdū, uidetur illi dubitauisse, ne etiā auditū cum uoce amisisset. solent enim muti etiam sensum audiendi non habere. quare nutibus postulabant ab eo, ut nomē filij indicaret. ille uerò, cum fari non posset, postulauit tabellas, & scripsit, Ioannes est nomen eius. non dixit, uocabitur Ioannes, sed, Ioannes est nomen eius. quasi diceret, nihil opus est, ut ego nomē puero imponā, quod cœlitus fuit impositū, atque id, est Ioannes. Et mirati sunt uniuersi, quid mirati sunt? quod uterque parēs,

cum

cum neuter de alterius uoluntate sciret, idē nomē pronuntiauerint. quæ res sine miraculo esse non potuit. Apertū est autē illico os eius, & lingua eius, & loquebatur laudās Deū. Quærendū hic meritò est, cur, cū angelus uisus sit dixisse eū futurū mutū usque ad diē ortus pueri, dilata sit eius linguæ solutio uinculi usque ad hanc horā, postea scilicet, quàm nomen eius scripsit? sed obseruāda sunt angeli uerba. sic .n. dixit. & ecce futurū est, ut sis tacitus, nec fari possis ad eum usque diē, quo hæc fiant. nō dixit, usque ad diem natiuitatis eius, sed usque ad eū diē, quo hæc fient. inter illa uerò, quæ fuerant faciendā, erat etiam impositio nominis. nam dixerat, & uocabis nomē eius Ioannē. quibus peractis solutū est uinculū linguæ eius. Et factus est timor super omnes uicinos eorū, & in tota montana regione Iudææ diuulgabātur omnia uerba hæc. timorē appellat reuerentiā illam Diuini miraculi, immo multorū simul miraculorū, quod sterilis, & anus peperisset, quod idē nomen ab utroque parente, cū neuter de alterius uoluntate sciret, fuerit pronuntiatū, quod peracto omni mysterio apertum illico fuerit os Zachariæ, & repletus spiritu sancto laudare cœperit Deum. hæc autē omnia Christi mysterio inseruiebāt, ut, cum is, qui ab ipso ortu fuerat admirandus, testimoniū de Christo proferreret, fides illius uerbis haberetur. cernis quàm solidis Euangelica ueritas nitatur fundamentis? Et posuerunt omnes, qui audierāt, uerba hæc in corde suo, dicētes, quisnam puer hic erit? uerba, more Hebræo, intelligit hæc omnia, quæ mira in huius pueri ortu acciderāt, quæ animo uersantes iure conijciebant, puerum hūc ab ipso ortu ingentē securæ uirtutis præbere significationē. Et manus Domini erat cum illo. & hic Hebraismus est, scripturæ sacræ frequēs, ut manus pro fauore, & protectione, ac cura accipiatur. ut illud. posuisti super me manū tuā. &, manus tua deducet me. nemo .n. tātus unquam est, qui, ut parentes infantibus solent, nō egeat manu, ac ductu Dei. quam manum qui ignorant, quàm sibi sit necessaria, corruant necesse est. quod intelligēs propheta, ita se erga Deum habebat, ut infans, qui nondū figere gressus posset, sed matris sustineatur manu. quare aiebat. Domine, nō se extulit cor meū, neque elati sunt oculi mei. neque ābulauit in magnis, neque in mirabilibus super me. si nō humiliter sentiebā, sed extuli animā meā. sicut ablactatus erga matrē suam, ita est in me anima mea. quid ergo? speret Israel in Domino, ex nunc, & usque in seculum. at quis est tam insolens, dicet aliquis, qui se hac Dei manu egere non intelligat? maxima hominum pars mihi uidetur in hoc errore uersari, qui confidunt in uirtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriuntur. qui dicunt, auferte à me uiam, declinate à me semitam, cesset à facie nostra sanctus Israel. an non eiusmodi sunt, qui peruersis itineribus, & ab Euangelicis legibus alienis ingrediuntur, & nullum scelerū genus auer-

santur,

stantur, modo opes congerant, facultates augeant, honores adipiscantur, & malunt suis cogitationibus, quam Diuinis consilijs fidere? tu ne dicere audebis, te ab illius manu uelle regi, qui manum tibi porrigit, tu uero illam auersaris? quo id pacto, in quies? cum admonet per prophetam, proijce onus tuum in Dominum, & ipse te enutriet. hæc uerba quid aliud sunt, quam porrectio quædam manus, à qua regaris, & deducaris, ut infans à matre? tu uero omnia tentare mauis, quam illius per fugium. admonet per Euangelium ne sollicitus cures, quid edas, quid bibas, quo uestiaris, tantummodo quæras regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia esse tibi adijcienda. tu uero magis tuæ aræ, atque horreo fidis, quam uerbis Dei. hoc non est uelle regi manu Dei. & tamen plerique omnes tantum errorem non aduertunt, putantque se Dei auxilio niti, cum apertissime auxilio Mamona nitantur. Et Zacharias pater eius repletus est spiritu sancto, & prophetauit dicens. benedictus Dominus Deus Israel, quia uisitauit, & fecit redemptionem populo suo. Seniper quidem, atque in rebus omnibus, summis laudibus celebrandus est Deus. audi enim quid dicat Dauid. benedicam Dominum omni tempore, semper laus eius in ore meo. sic Tobias docebat filium, ut quouis tempore Deo benediceret. cur enim id non fiat? quâdo omnia, quæ ab eo proficiuntur non solum sint omni ex parte absolutissima, uerum etiam omnia nostræ utilitatis gratia faciat, & cum interdum nos castigat, summa sit eius erga nos charitatis significatio. quod intelligens Salomon aiebat. castigatio nem Domini, filii mi ne abijcias, nec tædeat te, cū ab eo corripieris. quem enim diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio cõplacet sibi. cum ergo semper huius beneficentissimi Dei laudibus studendum sit, tum id eumulatius est faciendum, cum illius magis erga nos augentur beneficia. Laudandus ergo Dominus Deus Israelis, appellat Deum Israelis eum, qui tametsi Deus omnium sit, quippe qui omnia creauerit, eius tamen agnitio certior, ac purior in Israelitica gente habebatur, quare & gloria bantur. notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius. & factus est in Salem locus eius, & habitatio eius in Sion. sed quænam hæc tibi laudandi huius Dei recens orta causa est? quid tibi boni accessit? quia uisitauit, & fecit redemptionem populo suo. cernis, ut uir sanctus beneficia suo generi collata priuatis anteponat? nõ lætatur, nõ gratulatur ob susceptum filium, ac tantum filium, quantum ab angelo audierat illum futurum, sed paratæ redemptionis suo populo dūtaxat meminit. quia uisitauit, (inquit) & fecit redemptionem populo suo. dicit factam redemptionem, uel quia in foribus esset, cū dixerit ei angelus, filium, qui ex eo nasceretur, præcessurum Messiam in spiritu, & uirtute Eliæ, uel certè, quod spiritu sancto repletus intellexerit, ipsum Messiam in uirginis utero iam esse conceptum: quemadmodum, &

uxori

uxori eius Elisabeth ab eodem spiritu fuerat demonstratum. quid ni enim dicat hic factam, cum Dauid tot, ante seculis, ob certam spem faciendæ huius redemptionis, non futuram esse, sed factam dixerit? redemptionem (inquit) misit populo suo. & alibi ob hanc ipsam causam inuitat ad noua cantica, & ait. cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit, saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius. notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam. recordatus est misericordiæ suæ, & ueritatis suæ domui Israel. uiderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri. cernis hic prophetam gratulari, quasi ea facta iam sint, quæ per spiritum sanctum agnouerat multa post secula esse faciendæ? merito ergo hic Zacharias dicit, fecisse Deum redemptionem, eumque hoc nomine pro uiribus laudat, & gratulatur. quam gratulationem etiam in prophetis reperias, præsertim in Esaiâ, qui hanc felicitatem toti orbi afferendam, quasi præsentem contemplans aiebat. populus, qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. & alibi futuram ecclesiæ fecunditatem intuens ait. exulta sterilis, quæ non paris: decanta laudem, & hinni, quæ non pariebas: quoniam multi filij desertæ magis, quam eius, quæ habebat uirum, dicit Dominus. & uidens angustam habitationem Israelitici populi, quæ non sufficere posset tantæ gentium multitudini, quæ ad fidem erat introducenda, addit. dilata locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas. longos fac funiculos tuos, & cla uos tuos consolida, ad dexteram enim, & ad læuam penetrabis, & semen tuum gentes hæreditabit, & ciuitates desertas inhabitabit. deliciatur enim sæpe Euangelicus hic propheta in hisce pulchris cogitationibus, nunc multitudinem admiratus eorum, qui essent credituri, nunc contemplans apostolos, & Euangelici uerbi prædicatores, qui orbem omnium terrarum essent peragraturi, aiebat. quàm pulchri super montes pedes annuntiantis, & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion, regnabit Deus tuus. Hæc illi tot ante seculis gratulabundum canebant. nos uero, qui omnia hæc cernimus in nobis impleta, tam ingrati sumus, ut mirum sit, si quando in eorum contemplationem uenire contingat. Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui. Hebræa lingua, cum uetustissima sit omnium linguarum, modos loquendi quosdam habet, qui nunc apud alias linguas in usu non sunt, qui dicendi modi nisi intelligantur, ita impediunt sacrarum scripturarum sensum, atque intelligentiam, ut, qui sine agnitione huiuscemodi proprietatum interpretari eas sunt ausi, in pudendos errores lapsi sint. atque ut huius rei sitis capaciores, aliquot loca in medium adducam, quæ accuratiores sensus faciant ad alia etiam obseruanda, quæ in earundem scripturarum lectione

atione obuia saepe fiunt. Cum dicere uolunt quempiam obijcere se periculo uitae, dicunt, habere, uel ponere animam in manibus. ut illud. anima mea in manibus meis semper, & legem tuam non sum oblitus. hoc est, quamuis continuis periculis expositus essem, nunquam tamen legis tuae oblitus sum. & de Dauid dixit Ionathas, patri suo. posuit animam in manu sua, hoc est, obiecit se morti propter te. sic Pythouissa eidem Sauli. posui animam meam in manu mea. item pro eo, quod est, augere facultates, ac familiam, dicunt, aedificare domum, ut illud. nisi Dominus aedificauerit domum, in uanum laborauerunt; qui aedificant eam. & cum Ruth data fuit Booz in uxorem, dicebant uicini, faciat tibi Deus, sicut Lia, & Racheli, quae aedificauerunt domum Israel. & in Exodo de obstetricibus, quae fauerunt Israelitis, aedificauit (inquit) illis Dominus domos: in eodem Exodo de Mose. fuit manibus eius fidelitas, hoc est, fuerunt manus eius firmiter extentae. Vocant dominum uerborum, eum, qui habeat causas. praecipites corde uocant pusillanimes. dicunt, mutare fortitudinem, pro armare se responsis. appellant dominum iudicij eum, qui coram iudice habet causam discutiendam. appellant uestes libertatis, nobiles. uocant primogenitum mortis dolorem grauisimum. multaque in hunc modum dicunt, quae a nostro usu aliena cum sint, obseruare ea oportet sacrae scripturae studiosos, nisi falli, & aberrare in ea uelint. Hoc itaque loco, ubi ait Zacharias, erexit cornu salutis nobis, accipitur cornu pro fortitudine, ac robore, accepta ab ijs animalibus similitudine, quorum uis in cornibus est. quare alibi legis. in te inimicos nostros uentilabimus cornu. & cornua in manibus eius. sic Anna mater Samuelis, exultauit (inquit) cor meum in Domino, & erectum est cornu meum in Deo meo. interdum pro eminentia, atque editiore situ accipitur. ut in Esaia. uinea facta est dilecto in cornu filio olei, hoc est, in loco edito, & pingui. ubi duo obseruantur Hebraismi, ut cornu ponatur pro eminentia situs, & locum pinguem uocet filium olei. significat enim terram promissam, quae & montosa esset, & fertilis. erexit ergo (inquit) cornu salutis, hoc est, salutare robur, ac fortitudinem excitauit per aduentum Messiae, quem cum soli Israelitae expectarent, dixit, nobis, hoc est, Hebraeis, idque in domo Dauid serui sui. nam Messias, ut saepe diximus, ex semine Dauid nasciturus expectabatur. Sicut locutus est per os sanctorum prophetarum suorum, qui a seculo sunt. quod enim omnes prophetae de Christo, eiusque redemptione sint locuti, ipse Dominus ostendit, cum post resurrectionem alloquens duos illos discipulos in Emaus proficiscentes, exorsus a Mose, & omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quae de ipso erant. & paulo post. haec sunt uerba, quae locutus sum ad uos, cum adhuc essem uobiscum. quod necesse foret imple

ri

ri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi, & prophetis, & psalmis de me. quare & in Actis apostolorum Petrus ait. huic omnes prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum. Sicut locutus est, neque dixit, sicut locuti sunt prophetae. sed sicut ipse Deus locutus est per os sanctorum prophetarum. neque enim humana uoluntate (ait Petrus) unquam allata fuit prophetia, sed spiritu sancto afflati locuti sunt sancti Dei homines: ut non tam ipsi loqui uiderentur, quam spiritus sanctus, qui in eis habitabat. sic de Stephano dictum est. non poterant resistere sapientiae, & spiritui, qui loquebatur. ad maiorem ergo euidentiam dixit, Deum de hoc mysterio locutum fuisse per os sanctorum prophetarum, qui a seculo fuerunt, hoc est, omnium prophetarum. sedulo enim curauit Deus, ut firma, ac solida haberemus huius fidei fundamenta, quibus si niti uelimus, nunquam fluctuemus. sed hoc Dei erga salutem nostram studium homines non attendunt. atque hoc est, quod queritur Deus, & ingratitude nostram reprehendit, cum per quendam prophetam ait. propter hoc rupi prophetas, & occidi eos in uerbis oris mei, ut iudicia mea quasi lux egredirentur. fatigauit (inquit) tam multos prophetas, quorum etiam bona pars tormenta, ac mortem passa est, dum tueri hanc ueritatem nitentur. atque hoc faciebam, ut huius ueritatis lumen orbi omnium terrarum illusceret. & tamen homines tenebris potius, quam luci uolunt assuescere. sed quid Deus per hos prophetas est locutus? Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos. uide, ut attemperat orationem, ut & ueritatem rerum secutarum annuntiet, & tamen non aperiat id, quod adhuc incredulos Iudaeos latet. nam hoc loco intelliguntur inimici, & osores nostri, Daemones, qui imperium in homines exercebant, quos ut destrueret, Christus ad naturam nostram sese demittere non est dedignatus. de qua sic ad Hebraeos scribitur. postea quam pueri commercium habent cum carne & sanguine, & ipse similiter particeps factus est eorundem, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est, Diabolum, & liberos redderet eos, quicumque metu mortis per omnem uitam obnoxij erant seruituti. ij enim ueri inimici sunt nostri, contra quos uult Paulus, ut uniuersam armaturam assumamus. in duite (inquit) totam armaturam Dei, ut possitis stare aduersus astutias Diaboli. quoniam non est nobis lucta aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi dominos, rectores tenebrarum seculi huius, aduersus spirituales astutias in caelestibus. sed intueri insignem hominum stultitiam. ij soli sunt formidandi hostes, & tamen ab ijs minus cauemus, quam ab alijs omnibus, cum hos habeamus perpetuos insidiatores. etenim cum proximus quispiam ne

L gocium.

gocium nobis facescit, malus Dæmon est, qui & illi, & nobis insidiatur, ut & illum errare faciat, & nos irremur aduersus fratrem: & cum hæc sit Diaboli machinatio, prætermiffa huius insidiatoris cogitatione in mutua perniciem armamur: quod contra effet faciendum, ut homines licet aduersus Diaboli assaultus armarentur. ij ergo sunt inimici nostri, & qui nos oderunt, à quibus ut feruaremur, missa est hæc salus, quam suo cantico celebrat Zacharias. Vt faceret misericordiam cum patribus nostris, & memor esset testamenti sui sancti, hoc est, fœderis, ac promissionum suarum, quas ut intelligamus à Deo factas gratuito, meraque sua liberalitate, non quòd quicquam hominibus deberet, meminit misericordiam, & ait. ut faceret misericordiam cum patribus nostris, sed quodnam est hoc testamentum? Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis, ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi in sanctitate, & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. hoc iusiurandum Abraham factum habes in libro Geneleos, ubi post admirandam illam obedientiam oblatus, quantum in se fuit, filij, uocauit angelus Domini Abraham secundò de cælo dicens, per me metipsum iurauit, dicit Dominus. quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & uelut arenam, quæ est in litore maris. possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. sed cur iuramentum interposuit Deus, & per semet ipsum iurauit, quem nemo dubitare solet posse mentiri? audi quid ad Hebræos dicatur. Abraham promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum dicens. nisi benedicens benedicam tibi, & multiplicans multiplicabo te. omnes enim per maiorem se iurant, & omnis controuersia eorum finis ad confirmationem est iuramentum. in quo abundantius uolens Deus ostendere pollicitationis hæ redibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, ualidum solatium habeamus. In hoc ergo iureiurando demisit se Deus ad morem, consuetudinemque nostram. qui si quando certiores alios nostræ pollicitationis facere uolumus, facimus. sed quando Deus iurare uult, cum maiorem se non habeat, per quem iuret, & iurandi ratio fit, ut per maiorem se iuret, per semet ipsum iurat, ut certiores nos reddat suæ promissionis. Iurauit ergo Deus se daturum nobis, ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi in sanctitate, & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. cernis quam ob causam optandū sit, ut ab hostium molestijs liberemur? ut uidelicet tranquillus uacare Deo, & maiori cum liber-

bertate illi seruire liceat. nunc uerò ingratisimi homines tum maxime se à Deo abalienant, cum ab hostium tumultibus tuti, ocio abundant fruendi bonis, ab ipso benignissimo Deo sibi oblati. & quò maior à ceteris hostibus præda sunt. ob hanc causam Deus, qui curat anxie nos quibusuis modis ab errore prauæ uia nostræ ad se reuocare, bella, pestilentiam, egestatem immittit, ut pater solet, qui scelestos filios uel inuitus cogitur castigare, quando beneficentia sunt deteriores. quem morem pulchre describit Esaias, cum in persona uineæ loquens de ingrato populo ait. Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei. & sepiuit eam, & lapides eiecit ex ea, & plantauit uineam electam. & edificauit turrim in medio eius, & torcular exstruxit in ea. & expectauit, ut faceret uuas, & fecit labruscas. nunc ergo habitatores Ierusalém, & uiri Iuda iudicate inter me, & uineam meam. quid est, quod debui ultra facere uineæ meæ, & non feci? quare expectante me, ut faceret uuas, fecit labruscas? quid ergo? sequitur. & nunc ostendam uobis, quid ego faciam uineæ meæ. auferam sepem eius, & erit in direptionem. diruam maceriam eius, & erit in cõculcationem. & ponam eam desertam. non putabitur, & non fodietur, & ascendent super eam uesperes, & spinæ, & nubibus mandabo, ne pluuant super eam imbrem. Et fortasse scire cupitis, quænam tam nefanda facta fuerint illius populi, ut tantum excidium mereretur. Iea nimirum, in quibus & uos estis quotidie occupati. sequitur enim. Væ qui coniungitis domum domui, & agrum agro copulatis, ut non sit terminus loci. nunquid habitabitis uos soli in medio terræ? quod quàm uehementer abominetur Deus, si scire uultis, uidete quid sequatur. in auribus meis sunt hæc Domini exercituum. nisi domus multæ desertæ fuerint grandes, & pulchra absque habitatore. ut intelligamus, ditiores, qui magis ingrati Deo esse solent, quàm ceteri omnes, ultionem manere grauiorem. audi & aliam causam, cur diruta fuerit pulchra illa Domini uinea. Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad crepusculum, ut uino astuetis. cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & uinum in conuiujs uestris, & opus Domini non aspicitis, nec opera manuum eius consideratis. propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti aruit. propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum supra morem, & descenderunt ad eum fortes eius, & populus eius, & sublimes, & lætari solitus. Vides hic ob delicias, quibus homines suas cogitationes à Deo, ac Dei operibus cõtèmplandis auertunt, bellam, ac pestilentiam immitti, uos uerò eadem quotidie facitis, & putatis uos ab in-

gruentibus flagellis futuros immunes? ò socordiam, ò uersaniam. sed mirum aliquibus uideri possit, quod in eodem propheta sequitur. cum enim dixisset mala, quæ populo parata erant, quodque incuruandi, ac dei ciendi essent homines, & oculi superborum deprimendi, adiecit. & extolletur Dominus exercituum in iudicio, & Deus sanctus sanctificabitur in iustitia. mirari enim posset quispiam, cur Deus dicat, se in populi sui ruina honestandum, cum Salomon dicat, in multitudine populi honor regis, & in paucitate plebis ignominia principis. sed quod fallit homines, illud est. putant enim gloriosam esse ciuitatem illam, quæ populo sit plena, eoque diuiti, si plurimos habeat nobiles, qui auro, ac gemmis uestiantur, qui equorum, & canum ingentem numerum nutriant, qui satellitibus plurimis sint stipati, qui ducant in bonis dies suos, in epulis, iocis, ludis, spectaculis totum diem traducant, qui immanes prouentus, & fructus ex agris percipiant. hanc inquam ciuitatem his rebus honestatam, maior hominum pars admirandam, ac beatam putant, quæ si forte aliqua hunc splendorem amittat, rem illi accidisse calamitosissimam arbitrantur. at apud Deum, & Deo coniunctos uiros longè aliud uidetur. homo (inquit) uidet in facie, Deus autem intuetur cor. & siquidem uideat ciuitatem sobriam, castam, modestam, liberalem, pacatam, quamuis non diuitem, hominum illam esse habitationem agnoscit. si contrarium reperiatur, ut eius habitatores sint superbi, uinolenti, raptores, auari, adulteri, alioqui nobiles, ac dices, non illam ciuitatem, sed ferarum iustra arbitrat. & quemadmodum, si quis immanium beluarum latibula, & iustra deuastaret, laudem assequeretur, sic Deus summæ gloriæ ascribit, si impiam ciuitatem, tanquam bestiarum habitationem euertat, & exiguas in ea proborum hominum reliquias collocaet. sic enim mecum cogitate. sit hæc ciuitas, quæ mille habeat homines, inter quos uersetur multo maior pars leonum, urforum, luporum, & eiusmodi bestiarum, quæ hominibus illis perpetuo insidientur, & eos identidem deuorent, ac dilacerent, si daretur opera, ut hæc bestia interficerentur, & soli homines in ciuitate superessent, quis uestrum hæc ciuitatis esse calamitatem iudicaret, ac non potius maximum illius ornatum, ac felicitatem? ita nimirum se res & apud nos habet. populosa quidem hæc ciuitas est, uerum, si perquirere accuratius uelitis, exiguum admodum hominum numerum in ea reperietis, sed maiorem partem dignam esse, quæ bruta animalia appellentur potius, quam homines. at ea pars ira reliquos obruit, ut tum pudore, tum metu iij, qui exigui probi sunt, non appareant. exemplum enim à uestro senatu accipite. cur tot mea pastoris uestri salutaria consilia, ac monita, uel non facitis, uel ægrè, & quasi coacti facitis? nil aliud in causa est, quam quòd, siquando ea in senatu uestro proponuntur, pauci

sunt,

sunt, qui ratione, ac recto utantur iudicio, atque ab ijs perturbationibus libero, quæ sanas euertere cogitationes solent. reliqui non ratione, quæ præditus est homo, sed affectibus, quos cum bestiis communes habent, solis aguntur, & ab ijs regi se sinunt, nempe odio, auaritia, inuidia, priuatorum commodorum contemplatione: quo fit, ut pauci illi, quos diximus ratione regi, ab illis suffocentur, qui solam exterioris hominis formam præferunt, intus uero nihil à bestiis differunt. quis uestrum ergo non eum senatum honestiorem iudicaret, qui decem duntaxat uiros haberet, qui uirorum appellatione digni sint, quam centum, ut nunc sunt, quorum nonaginta nihil de uiro nisi corporis formam habeant? quare. merito dixit per Esaiam Deus, ut audiimus, se in impiæ ciuitatis euersione glorificandum, cuius iudicium sanctissimi quique uiri, alioqui hominum amantes, imitantur. quis enim rege David sui populi amantior fuit? qui cum cerneret pestilentiam crassari in populo, precatus est, ut malum illud in se conuerteretur, & populo, qui non peccauisset, parcere tur. & tamen sciens multitudinem sceleratorum hominum non esse ornamento ciuitatibus, sed probro, ac dedecori, aiebat. in matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem. quid ais uir beate? si disperdas omnes, qui operantur iniquitatem, non metuis, ne ciuitas in solitudinem redigatur? & quænam erit illius tunc facies? non hoc curo: (inquit) nam apud Deum gratior est unus, qui Deum timeat, quam totus orbis omnium terrarum, plenus sceleratis, ac peccatoribus. & sanè ita est. si enim creatus est homo, & data illi Euangelicalis lex est, ut celestium uitam in terra representet, impij uero, ac peccatores hanc uiam peruertunt, quis non uideat pulchriorem futuram faciem orbis terræ, cum soli in ea fuerint uiri probi, quamuis longè minore numero, quam in tanta improborum colluue, qui eam scedant, ut rectè dici illud prophætæ possit, multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiæ? Verum, ut eò reuertamur, unde digressi sumus, promittit Deus populo suo liberationem ab hostibus, non ut remisè, ac in summa peccandi licentia uiuant, sed ut sine timore (inquit) seruiamus illi in sanctitate, & iustitia. quæ duo uocabula omnem complectuntur uiuendi perfectionem, tam in ijs, quæ Deo debemus, quam quæ erga proximum quenque sunt exercenda. Et tu puer. elegans, & plena celestis artis apostropha. neque enim credendum est, prophetis, & ijs, qui Diuino afflatu locuti sunt, defuisse sua dicendi ornamenta, & multò præstantiora, quam ea, quæ ars humana excogitauit. ut iure ea differentia esse iudicanda sit inter artem, quam spiritus sanctus suos docet, & eam, quæ ab humano ingenio sit excogitata, quantum inter matronæ ornamenta, ac meretricis interest. quod qui non credunt, ualde falluntur,

tur,

sur, neque intelligunt, spiritum sanctum, per quem Diuini uiri loquuntur, atque adeo qui in ipsis loquitur (non enim uos estis, qui loquimini, ait, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis) eum esse, à quo omnia omnium hominum dicendi uirtus proficiscitur, & qui linguas etiam infantiū facit disertas. Et tu puer ergo. quid expectatis illum additurum? nempe quod plerique omnes ex uobis facerent, gratularenturq; in hunc modum. tu puer Diuino munere nobis in senecta datus, qui lumen oculorum nostrorum, & baculus senectutis nostræ futurus es, in quo nouissimi anni nostri sint conquieturi, qui bonorum nostrorum hæres sis futurus, qui suscitare semen in Israel possis, qui opprobrium nostrum, quod inter homines hactenus habuimus, sustulisti, ut non posthac steriles, atq; infæcundi, & arida ligna uocitemur. tu puer, quem speramus ingentem nostræ familiæ, ac cognationi splendore allaturum, cuius rei certissimam fidem nobis facit magni angeli Gabriëlis pollicitatio, quod sis futurus magnus. iam licebit nobis, æmulis, ac obrectatoribus nostris respondere, qui nos hactenus despexerunt. licebit & nobis posthac erigere cornu, & hostes nostros eo uentilare. iam parare opes non pigebit, cum sciamus, cui eas simus congregaturi. non hac oratione est usus Zacharias, sed priuatorum omnium commodorum oblitus addit. propheta altissimi uocaberis, præbis enim ante faciem Domini, parare uias eius. ad solam populi liberationem attollit oculos, cui infantem ministraturum audiverat. qua in re uidete ciues mei, quantum uos ab Euangelica uia sitis alieni. nempe quantum distat cælum à terra, & ortus ab occidente, ubi susceptus à uobis est filius, atque adeo ante quam nascatur, ante quam in matris utero conceptus sit. quin reperti sunt in hac ciuitate, & fortasse adhuc reperiuntur, qui, cum dicere uxorem uolunt, non contenti dote, quæ dari de more soleat, quærunt coniungi affinitate illis domibus, in quibus sunt ecclesiastica aliqua beneficia, & paciscuntur, ut primogenito, qui ex eis nasciturus sit, ea assignentur. O uere perditas animas, o mentes plusquam ethnicas. neque enim in ethnicorum sacerdotijs eiusmodi impia facinora patrata unquam reperias. hæc inquam machinantur non solum ante natum puerum, sed etiam ante quam coniugio copulentur, neque uerentur, ne Diuina ultione fiat, ut ob tam scelerata consilia uirtute generandi destituantur. ubi uero filius natus est, censet eos quicquam cogitare, quo pacto gloria aliqua ex suscepta prole accedat Deo? minimè omnium. sed prima, & sola potius cura illis est, ut quam ditissimos eos relinquunt, honores, ac dignitates, quantas possunt maximas, & quibuscunque artibus parent, ut quisque ex humili fiat potens, ut superior euadat ijs, quos hactenus habuit superiores. hic est uester scopus, hominum, qui nomen Christo dederunt, qui se Christianos

ianos profitentur, & tamen nihil minus nouerunt, quam Christum, & latas ab eo leges. audiunt Paulum dicentē, Christum pro omnibus mortuum esse, ut qui uiuunt, iam non sibi uiuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit, & ij omnia præter hoc cogitant. audiunt educandos esse liberos in iustitia, & timore Dei, & ij solas illis pompas, ambitionem, ac mundi uanitates proponunt. audiunt Christum dicere in Euangelio Iudæis, quomodo potestis credere, cum alter ab altero honorem accipiatis? ut ostenderet, genus incredulitatis esse honorem ab hominibus accipere. & ij filios docent, non solum oblatos honores, ac dignitates accipere, uerum etiam ambire, neque Simoniaco etiam sceleri parcere. iam enim audio in prouerbum uenisse, non dari ecclesiastica beneficia nisi quærentibus, ac studiosè etiam, & ambitiose quærentibus. at huic contrarium sacri canones prædicant. est enim in patrum decretis hæc sententia. sicut is, qui inuitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admiuendus, sic qui ultro ambit, uel importunum se ingerit, est procul dubio repellendus. Quid prodest magnifica hæc exempla sacrarum scripturarum uobis esse proposita, ad quæ, tanquam ad clarissimos septentriones cursum uestrum dirigatis, si in cæca noctis caligine nauigare decreuistis? an non præstaret, ut filios uestros, ubi primum in lucem sunt editi, in siluis exponeretis, ut inter feras uersarentur, quam committeretis, ut uestris pessimis exemplis, uestra perditæ educatione filij Geennæ fierent, ac igni sempiterno cruciandi traderentur? habete identidem uos, qui filios habetis, hoc Zachariæ exemplum ante oculos, & eius similitum, quibus ea præcipua erga filios cura erat, ne Deum offenderent. uidete enim, quid de beato Iob dicat eius historia. habebat enim septem filios, & tres filias, qui ut mutuam inter se charitatem seruarent, aciebant mutua cõuiuia singuli suo die, & tres sorores accersebāt. quod opus etsi esset symbolum charitatis, metuens tamen Iob, nequid minus eliminatū intercessisset, ubi in orbē trāsierāt dies conuiuij, hoc est, singula hebdomada, mittebat ad eos, & sanctificabat illos, hoc est, admonerat, ut pararet se ad cultū Dei, & nihil inhonestū agerēt in conuiujs, cõsurgēsq; diluculo, offerebat holocausta p singulos. sic Tobias nihil aliud filio proponebat, nisi timorem Dei, & obseruantiam mādatorum eius. omnibus diebus uitæ tuæ (inquit) in mēte habeto Deū, & caue, nequando peccato cõsentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri. post hoc documentū admonet eū eleemosynæ, ut de facultatibus suis pro earū quãtitate succurreret pauperibus, quæ res ut ei magis cordi affigeretur, addebat. præmiū. n. bonū tibi recõdis in die necessitatis. quoniam eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patretur animā ire in tenebras. fiducia magna erit eleemosyna corā Domino Deo omnibus faciētibus eam.

deinde

deinde docet, ut ab omni scortatione caueat, neque præter uxorem aliam norit. docet, ne patiatur superbiam sibi inherere, & ne uerbo quidem eam præferat. in ipsa enim (inquit) initium sumpsit omnis perditio. & multa ijs similia proponit, quæ num uos uestris filijs proponatis, uestras interrogate conscientias. quo enim pacto docebitis filios uestros timorem Dei, qui nullo estis præditi, & Deum post tergum abiicisse, factis ipsis declaratis? quis filiorum uestrorum discet à uobis esse erga pauperes liberalis, cum uos nulla in eos misericordia commoueamini? quo pacto discant auersari scortationes, cum multi uestrum sua impudica uita sint horum uitiorum magistri? quo pacto uestro exemplo superbiam euitabunt, cum uerba, & facta omnia uestra superbiam, & arrogantiam plena sint? atque hinc fit, ut iuuentus hæc, uestra hac ætate sit perditissima, atque in dies, nisi caueatis, euadet sceleratior, atque ex ea fructum, quo estis digni, referetis. ut neque uos solatium ullum uerum ex eis habeatis, & illi exitium ferant suis moribus consentaneum. aduertite quæso mentem, & oculos ad præclara hæc, quæ ex scripturis sacris exempla uobis proferuntur: quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Et tu puer, propheta altissimi uocaberis, & tantus propheta, quo maior inter natos mulierum nunquam surrexit, ueritate ipsa teste. immò uerò non solum prophetam, sed etiam plus quam prophetam Christus appellauit. quamobrem? ipse est enim (inquit) de quo scriptum est. ecce ego mitto angelum meum antefaciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te. plusquam propheta ergo fuit, quia non solum ipse prophetauit, sed etiam ab alijs de eo fuit prophetatum. sed cur propheta altissimi uocaberis? præibis enim antefaciem Domini, parare uias eius. cuius Domini? aperitur, quod dixerat angelus. ipse præibit ante illum in spiritu, & uirtute Eliæ. hic est ergo ille Dominus, ante cuius faciem Ioannes erat præiturus. & quod ibi dixit, ut conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, ut paret Domino populum instructum, hic ait, parare uias eius, quasi ad uerba Esaiæ obseruanda inuitans auditorem, qui de hoc ipso puero loquens ait. uox clamantis in deserto, parate uiam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Præibis antefaciem Domini, parare uias eius. sicut enim antequam appareat sol, lucifer præcedit, annuntians solem post paulò appariturum, sic æquum fuit, ut solis iustitiæ aduentum Ioannes præcederet, qui lumen aliquod præferret: alioqui humani oculi tenebris assueti ingentem illam lucem non tollissent. quare iure Ioannes ab ipso Domino uocatus fuit lucerna ardens, & lucens. & profectò in tanta rerum nouitate, quanta nunquam neque antea facta fuerat, neque post fieri poterit, necesse fuit tantum uirum præcedere, qui non esset quidem illa lux, sed testimonium ferret de eo, qui

erat

erat lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. decuit tantum esse Ioannem, ut crederetur esse Christus, ut fides illi haberetur, cum eum demonstraret, qui uere esset Christus. sic nomen regni cælorum introduxit, & baptismum prædicauit, atque exercuit, ut, cum ista Christus efficeret, aptior esset populus ad eum suscipiendum, & eius doctrinæ capacior fieret. Ad dandam notitiam salutis populo eius, in remissionem peccatorum eorum. hæc est declaratio superiorum uerborum, quibus dixit, præibis antefaciem Domini parare uias eius. quæ uie sunt, ut detur notitia salutis populo Dei, qui nimirum populus est omne hominum genus, quicumque fidem Euangelio habere uoluerint. hæc autem salus fit per remissionem peccatorum, quæ peccata remittuntur ijs, qui penitentiam agunt, & credunt Euangelio, hoc est, Euangelicis præceptis obediunt, ex qua obedientia accipiunt innouentem spiritum, ut fiant noua creatura, & induant nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate ueritatis. Propter uiscera misericordie Dei nostri, in quibus uisitauit nos oriens ex alto. perinde quasi aliquis illum interrogaret. unde tantum bonum generi nostro? quæ hominum facta hoc promeruerunt, quod nunquam uenire in mentem cuiquam potuisset? ita respondet, hæc omnia accepta esse referenda supremæ Dei nostri misericordie, quam ut, quantum posset, exprimeret fuisse ingentem, non misericordiam, sed uiscera misericordie appellat, quasi misericordiam ex intimo Dei benignissimi erga nos affectu profectam, sicut uiscera, & præcordia in hominis corpore interiores, ac magis uitales partes sunt. sæpe autem scripturæ sacræ hoc uocabulo utuntur, ut uiscera impiorum crudelia, & spiritum rectum innoua in uisceribus meis: & dabo legem meam in uisceribus eorum, & frequenter Paulus. quomodo cupiam (inquit) uos esse in uisceribus Iesu Christi, hoc est, intimi illi fieri, & si qua uiscera misericordie, & induite sicut electi Dei, sancti, & dilecti, uiscera misericordie. Propter hæc ergo uiscera misericordie (inquit) uisitauit nos oriens ex alto. quanta censes oportuisse esse uiscera illa misericordie Dei nostri, propter quæ tam ingentia erga genus nostrum exercuit beneficia? quod genus dignum erat potius, quod ipso initio perderetur, quam ut ope ulla iuuaretur. creauerat duos, qui futuri essent seminum humani generis, & ij duo à Deo deficere ausi sunt, & tamen tantum abest, ut Deus perdere eos cogitauerit, ut iam tum tractare de eorum redemptione cœperit. uide enim. quid dixerit serpenti, qui initium huic malo dederat. inimicitias (inquit) ponam inter te, & mulierem, & sementium, & semen illius. ipsum conteret caput tuum. admirandam profectò, & incomprehensam misericordiam, & plusquam materna illa uiscera, à quibus profecta est, præsertim si contemplere, quid præterea factum

M fit,

fit, quòd scilicet semper ad deteriora hoc genus sit prolapsum, ut in belui nam naturam degenerauerit, extincta penè omni ratione. quid enim magis ratione carens, quàm relicta Dei agnitione, quem saltem per ea, quæ facta sunt in creaturis, intelligere poterant, colere pro Dijs quadrupedia, & uolatilia, & serpètes, atque adeo priapos, & phallos, & Ithyphallos? ò uerè admiranda uiscera misericordiæ Dei nostri, qui, quo tempore plenitudo scelerum orbem omnium terrarum inuasérat, eo ipso tempore plenitudinem effudit suæ misericordiæ. ubi enim uenit (inquit) plenitudo temporis, misit Deus filium suum in terram, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, atque adeo qui sine omni recta lege uiuebant. tunc inquam uisitauit nos oriens ex alto. appositus sanè loquendi modus, & accommodus materiæ, qua de loquitur. uisitauit nos oriens ex alto. celsitudo illa non est dedignata in loca hæc humilia, sordida, ac tenebricosa purissimam suam lucem demittere. orientem appellat Seruatorem Christum, qui illustrauit orbè terrarum cælesti sua luce, sicut ab oriente corporeus sol noctis tenebras prodiens fugat. quare dicebat. quando in mundo sum, lux sum mundi. Ut illucescat ijs, qui in tenebris, & umbrâ mortis sedent. umbra apud Hebræos accipitur pro imagine, sicut umbra hominis imaginem hominis præbet. umbram ergo mortis appellat imaginem mortis. nam is erat rerum status in orbe terrarum ante huius lucis aduentum, ut omnia imaginem quandam mortis referrent. uidetur autem ad uerba Esaiæ alludere, qui & ipse longè ante, cum hanc uenturam lucem præuidisset, dixit. populus, qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magnam. habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis. & alibi. surge il luminare Ierusalem. quia uenit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est, quia ecce tenebræ operient terram & caligo populos, super te autem orientur Dominus, & gloria eius in te uidebitur. & ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Quàm ingentes autem tenebræ ante, quam uisitare nos oriens ex alto, terram operuerint, qui scire uelit, contempletur, qui rerum status in toto terrarum orbe esset. erat una electa gens Hebræa, quæ sola veri Dei agnitionem habere se gloriabatur, & tamen quam haberet faciem, uide quid scriptum sit. non est iustus, ne vnus quidè. non est, qui intelligat, non est qui exquirat Deum. omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant, uenenum aspidum sub labijs eorum. quorum os maledictione, & amaritudine plenum est, ueloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. contritio & calamitas in uijs eorum, & uiam pacis non agnouerunt, non est timor Dei ante oculos eorum. atque ut sciamus,

mus, hæc de Hebræis, & electa illa gente fuisse dicta, audi Paulum, qui ista cum recitasset, ait. scimus autem, quòd quæcunque lex dicit, ijs, qui sub lege sunt, dicat. ut omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mundus Deo. quòd si gens illa, cui lex à Deo per Mosen data fuerat, tam erat per dita, quales cenfes fuisse eos, quos Paulus ait Deum non habuisse? qui uitiolis affectibus nomen Diuinitatis dabant. belligerandi enim studium Martem uocabât, affectum lasciuia Cupidinem, & Venerem, diuitiarum cupiditatem Plutonem. cæteraque in hunc modum. qui præterea tam uecordes facti erant, ut non solum solem, & lunam & reliqua sidera, sed porrum, & cepe, & hortensia olera uenerarentur ut Deos. ferunt etiam animalium effigies ab Aegyptijs ducibus galeis insculptas ferri solitas, parta deinde uictoria, ea animalia, quorum imagines uictores duces gesta bant, in Deos relata fuisse. nonnulli etiam utilitatis causa multa ex animalibus in Deorum numerum apud Aegyptios suscepta fuisse contendunt. hos mali Dæmones cum cerneret tam stolidos effectos, miris ac miserandis modis eis illudebant. nam Apollo Methymnensibus perutile fore asseruit, si ligneum Dionysij caput colerent. Oenomaus philosophus in libro de falsitate oraculorum sic ait. Cum fame Athenienses propter Androgei cædem agerentur, & ad auxilia Deorum confugerent, non iustitia, & humanitate, aut saltem pœnitentia, mentisque contritione placandos Deos Apollo respondit, sed iussit, ut singulis annis septem mares, totidemque fœminas in Cretam sacrificandos mitterent. multa huius generis à pessimis Dæmonibus fiebant, quibus miserum genus nostrum traducebatur propterea, quòd illi acciderat, quod per prophetam dicitur. homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Hæc qui intellexerit, mox agnoscat, quàm sit uerum, quod hic dicitur, homines tunc sedisse in tenebris, & umbra mortis. rectè autem appellauit sedentes. nam, qui in tenebris degunt, aut eos cessare necesse est, aut ambulantes impingere. quando, ut ueritas ait, qui ambulat in tenebris, nescit, quò uadat. quæ ambulatio sessione deterior est. neque enim est hominū per tenebras ingredi, sed ferarum. posuisti tenebras (inquit) & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestia siluæ. Oriente uerò sole, ac terram illustrante, quid? ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur. & tunc exhibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad uesperam. ob hanc causam dicebat Seruator Christus Iudæis. ambulate, dum lucem habetis, ut ne tenebræ uos comprehendant. & ueniet nox, quando nemo potest operari. Inuisit ergo nos oriens ex alto, ut illucescat ijs, qui in tenebris, & umbra mortis sedent. ut quid? ut dirigamus pedes nostros in uiam pacis. uenit hæc lux, ut ingrediamur, atque operemur, non ut cesse

est in stabulo, atque in præsepi collocatus, sed prædicatur ab angelis, declaratur à stella. uitam egit humillimam, sed continua miracula maiestatem eius declarabant. baptizatur à Ioanne, tâquam unus è peccatore populo, sed uox patris è cælo in tonuit, hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. capitur à Iudæis, sed restituit auriculam Malcho. agitur in crucem, teterrimum, ac crudelissimum mortis genus, sed ante, quàm de cruce poneretur, tenebræ factæ sunt super uniuersam terram, & uelum templi scissum est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta, & multa corpora sanctorum surrexerunt. in sepulchro positus fuit, sed clauso sepulchro in immortalem uitam resurrexit. in eundem modum & hic huius totius orbis descriptionis, Cæsare Augusto iubente factæ meminit Euangelista, ut intelligamus eum nasciturum, qui orbi omnium terrarum esset imperaturus, cui mysterio uir ethnicus, & harum rerum ignarus, dum aliud cogitaret, inseruiebat. nam sicut diuisiones aquarum, ait Salomon. sic cor regis in manu Dei, & quocumque uoluerit, inclinabit illud. multa enim ab hominibus, atque à principibus præfertim fiunt, quæ non ante, duce Dei spiritu facta fuisse intelliguntur, quàm rerum exitus illa demonstraret. sic Caiphas propterea, quòd erat pontifex anni illius, prophetauit Iesum moriturum pro humano genere, cum dixit, expedire, ut unus moreretur pro populo, ne tota gens periret, quamuis alia mente hoc dixisset. sic rex Assuerus nocte quadam, quam in somnum duxit, ius sit afferri sibi annales superiorum temporum, nihil cogitans de ea causa, ob quam demum agnitum fuit, uenisse eum in illam cogitationem inspirate Deo, ut Iudæorum genti pararetur salus. eadem ratione exijt nunc edictum à Cæsare Augusto, ut censeretur totus orbis, quo tempore nasciturus is erat, qui omnium Dominus totum orbem terrarum in unius fidei monarchiam esset redacturus, & regna omnia euerfurus, ut ipse solus, ac legitimus Dominus agnosceretur. & ille lapis intelligeretur fuisse, qui in Daniele scribitur abscissus de monte sine manibus, statuatam illam, qua superiora regna significabatur, redegit in nihilum, & ipse factus est mons magnus, & impleuit uniuersam terram. quod factis iam ipsis cernimus declaratum. ubi enim sunt celeberrima illa regna, præfertim Romanorum? ille Augustus Cæsar, quem canebant, imperium oceano, & famam astris terminaturum, cuius iussu legis hic factum esse, ut totus orbis censeretur, tot iam secula puluis, & umbra est. huius autem, quem nasciturum hic ait, dies, regnum in æternum non dissipabitur, (ait Daniel) neque alteri populo tradetur, comminuet autem, & consumet omnia regna hæc, & ipsum stabit in æternum, & tam ingens erit regnum, ut omne genu celestium, terrestrium, & infernorum, sit illi flectendum, ut omnis lingua confiteatur, quòd Dominus sit Iesus Christus in gloriam Dei patris. cur ergo

go

ergo tanto regi non inferuieret iste totius orbis census? Hæc descriptio prima facta est, præside Syriæ Cyrenio. hoc ad historię euentiam est dictum, quod & alijs scripturæ sacræ locis fit, cum de historia agitur. sic & Matthæus. cum natus esset (inquit) Iesus in Bethlehem Iudææ in diebus Herodis regis. & Lucas sequenti capite, cum imperium Tiberij Cæsaris, & quatuor tetrarchias commemorat. Et ibant omnes, ut profiterentur in suam quisque ciuitatem. ascendit autem & Ioseph à Galilea de ciuitate Nazaret in Iudæam in ciuitatem Dauid, quæ uocatur Bethlehem, eo quòd esset de domo, & familia Dauid, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore, quæ erat grauida. necessitas (inquit) incubuit ipsi Ioseph, ut iret cum uxore sibi desponsata in ciuitatem Dauid, nempe Bethlehem, ob cognationem, quam cum illo habebat. hæc autem omnia seruiebant mysterio, ut scilicet hac itineris occasione nasceretur in Bethlehem, quemadmodum multò ante fuerat prophetatum. nam Michæas ait. & tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exibit mihi dux, qui reget populum meum Israel. hæc urbs alio nomine uocatur Ephrata. utrùnque autem nomen pulchrè quadrat. nam Bethlehem significat domum panis, quòd scilicet in ea nasciturus erat panis uiuus, qui è cælo descendit. Ephrata uerò sonat, terra fertilis. quid uerò ea terra fertilius, quæ filium Dei produxit? & sanè consentaneum fuit, ut omnia, & res, & nomina conspirarent ad tam ingentium mysteriorum declarationem. iuit ergo, ut profiteretur cum Maria, neque simpliciter dixit, uxore, sed uxore sibi desponsata. ut indicaret, nihil Mariam ad eum pertinuisse, nisi quatenus fuerat desponsata, atque hoc uno nomine uxor eius appellabatur. quæ (inquit) erat grauida, ut scilicet etiam infans in eo censu numeraretur. neque enim recusauit censerī filius Dei, tanquam unus ex ijs, qui Augusti imperio subiecti essent, ut humanum genus, quod Diaboli imperio, ac tyrannidi suberat, liberaret. sic factus est sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret. mortuus est, ut moriendo nostram mortem aboleret. Accidit autem, cum essent ibi, completi sunt dies pariendi, & peperit filium suum primogenitum, & fascijs eum inuoluit, reclinauitque in præsepi, quia nõ erat eis locus in diuersorio. quod ait, primogenitum, non est intelligendum, eam postea genuisse alios, quorum hic esset primogenitus. sed in describenda hac natiuitate Euangelista seruauit morem Hebrææ gentis, quæ ortum primogenitorum ex mandato Diuinæ legis obseruabat. quare primogenitus non proprie is uocatur apud Hebræos, post quem alij nati sint, sed ante quem alius non sit natus. alioqui si necesse sit, alios sequi eum, qui primogenitus sit appellandus, ubi quis unum tantum generat, appellare eum primogenitum nunquam poterit. hic ergo idem fuit & unigenitus, & primogenitus.

tus.

est in stabulo, atque in præsepi collocatus, sed prædicatur ab angelis, declaratur à stella. uitam egit humillimam, sed continua miracula maiestatem eius declarabant. baptizatur à Ioanne, tãquam unus è peccatore populo, sed uox patris è cælo intonuit, hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. capitur à Iudæis, sed restituit auriculam Malcho. agitur in crucem, teterrimum, ac crudelissimum mortis genus, sed ante, quàm de cruce poneretur, tenebræ factæ sunt super uniuersam terram, & uelum templi scissum est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta, & multa corpora sanctorum surrexerunt. in sepulchro positus fuit, sed clauso sepulchro in immortalem uitam resurrexit. in eundem modum & hic huius totius orbis descriptionis, Cæsare Augusto iubente factæ meminit Euangelista, ut intelligamus eum nasciturum, qui orbi omnium terrarum esset imperaturus, cui mysterio uir ethnicus, & harum rerum ignarus, dum aliud cogitaret, inferuiebat. nam sicut diuisiones aquarum, ait Salomon. sic cor regis in manu Dei, & quocunque uoluerit, inclinabit illud. multa enim ab hominibus, atque à principibus præfertim fiunt, quæ non ante, duce Dei spiritu facta fuisse intelliguntur, quàm rerum exitus illa demonstraret. sic Caiphas propterea, quòd erat pontifex anni illius, prophetauit Iesum moriturum pro humano genere, cum dixit, expedire, ut unus moreretur pro populo, ne tota gens periret, quamuis alia mente hoc dixisset. sic rex Assuerus nocte quadam, quam insomnem duxit, ius sit afferri sibi annales superiorum temporum, nihil cogitans de ea causa, ob quam demum agnitus fuit, uenisse eum in illam cogitationem inspirate Deo, ut Iudæorum genti pararetur salus. eadem ratione exijt nunc edictum à Cæsare Augusto, ut censeretur totus orbis, quo tempore nasciturus is erat, qui omnium Dominus totum orbem terrarum in unius fidei monarchiam esset redacturus, & regna omnia euerfurus, ut ipse solus, ac legitimus Dominus agnosceretur. & ille lapis intelligeretur fuisse, qui in Daniele scribitur abscissus de monte sine manibus, statuam illam, qua superiora regna significabatur, redegit in nihilum, & ipse factus est mons magnus, & impleuit uniuersam terram. quod factis iam ipsis cernimus declaratum. ubi enim sunt celeberrima illa regna, præfertim Romanorum? ille Augustus Cæsar, quem canebant, imperium oceano, & famam astris terminaturum, cuius iussu legis hic factum esse, ut totus orbis censeretur, tot iam secula puluis, & umbra est. huius autem, quem nasciturum hic audivimus, regnum in æternum non dissipabitur, (ait Daniel) neque alteri populo tradetur, comminuet autem, & consumet omnia regna hæc, & ipsum stabit in æternum, & tam ingens erit regnum, ut omne genu cælestium, terrestrium, & infernorum, sit illi flectendum, ut omnis lingua confiteatur, quòd Dominus sit Iesus Christus in gloriam Dei patris. cur ergo

go

ergo tanto regi non inferuieret iste totius orbis census? Hæc descriptio prima facta est, præside Syriæ Cyrenio. hoc ad historię euidentiã est dictum, quod & alijs scripturæ sacræ locis fit, cum de historia agitur. sic & Matthæus. cum natus esset (inquit) Iesus in Bethlehem Iudææ in diebus Herodis regis. & Lucas sequenti capite, cum imperium Tiberij Cæsaris, & quatuor tetrarchias commemorat. Et ibant omnes, ut profiterentur in suam quisque ciuitatem. ascendit autem & Ioseph à Galilea de ciuitate Nazaret in Iudæam in ciuitatem Dauid, quæ uocatur Bethlehem, eo quòd esset de domo, & familia Dauid, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore, quæ erat grauida. necessitas (inquit) incubuit ipsi Ioseph, ut iret cum uxore sibi desponsata in ciuitatem Dauid, nempe Bethlehem, ob cognationem, quam cum illo habebat. hæc autem omnia seruiebant mysterio, ut scilicet hac itineris occasione nasceretur in Bethlehem, quemadmodum multò ante fuerat prophetatum. nam Michæas ait. & tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exibit mihi dux, qui reget populum meum Israel. hæc urbs alio nomine uocatur Ephrata. utrũque autem nomen pulchrè quadrat. nam Bethlehem significat domum panis, quòd scilicet in ea nasciturus erat panis uiuus, qui è cælo descendit. Ephrata uerò sonat, terra fertilis. quid uerò ea terra fertilius, quæ filium Dei produxit? & sanè consentaneum fuit, ut omnia, & res, & nomina conspirarent ad tam ingentium mysteriorum declarationem. iuit ergo, ut profiteretur cum Maria, neque simpliciter dixit, uxore, sed uxore sibi desponsata. ut indicaret, nihil Mariam ad eum pertinuisse, nisi quatenus fuerat desponsata, atque hoc uno nomine uxor eius appellabatur. quæ (inquit) erat grauida, ut scilicet etiam infans in eo censu numeraretur. neque enim recusauit censerì filius Dei, tanquam unus ex ijs, qui Augusti imperio subiecti essent, ut humanum genus, quod Diaboli imperio, ac tyrannidi suberat, liberaret. sic factus est sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret. mortuus est, ut moriendo nostram mortem aboleret. Accidit autem, cum essent ibi, completi sunt dies pariendi, & peperit filium suum primogenitum, & fascijs eum inuoluit, reclinauitque in præsepi, quia nõ erat eis locus in diuersorio. quod ait, primogenitum, non est intelligendum, eam postea genuisse alios, quorum hic esset primogenitus. sed in describenda hac natiuitate Euangelista seruauit morem Hebrææ gentis, quæ ortum primogenitorum ex mandato Diuinæ legis obseruabat. quare primogenitus non propriè is uocatur apud Hebræos, post quem alij nati sint, sed ante quem alius non sit natus. alioqui si necesse sit, alios sequi eum, qui primogenitus sit appellandus, ubi quis unum tantum generat, appellare eum primogenitum nunquam poterit. hic ergo idem fuit & unigenitus, & primogenitus.

tus.

tus. cui optimè etiam utrunque congruit nomen: est enim æquè unigenitus à patre, atque à matre. is etiam est. de quo scribit Paulus, ut sit primogenitus in multis fratribus, què & primogenitū ex mortuis uocat, & primogenitū omnis creaturæ. & alibi. cū iterum, introducit primogenitum in orbem terrarum. peperit ergo filium suum primogenitum, & facti inuoluit, reclinauitq; in præsepi, quia nō erat eis locus in diuersorio. O spectaculum omnium spectaculorum admirabilissimum. is, qui in forma Dei cum esset, non arbitrabatur rapinam, quod æqualis esset Deo, nascitur in stabulo, & collocatur in præsepi. uellem ego hic uos ò angeli, & cœlestes, ac Diuinæ mentes, si liceret, increpare, cur passi fueritis, ac penè dicam, commiseritis, ut uester rex tanta cum ignominia tam abiectio in loco nasceretur, qui nullo negotio potueritis ipso temporis momento, quo è uirginis utero proditurus erat, formare regiam domum, cum illo apparatu, qui regem & cœli, & terræ decuisset. non pudet uos, qui aurea cœli palatia incolitis, intueri tam abiectio loco degere & uestrum, & omnium regem, ac Dominum? sed respondent mihi, per se non stetit, quin id facerent, sed fuisse sibi ab eodem communi rege hoc prohibitum obsequium, qui cum ob hanc causam factus homo sit, ut primorum parentum, à quibus malam postea est in totum genus propagatum, uitium emendaret, uoluerit in ipso ortu supremam humilitatem præ se ferre, in medelam supremæ primogenitorum arrogantia, qui & ij in ipsis initijs ad Dei æqualitatem aspirare sint ausi. Reclinauit (inquit) illum in præsepi. si qui censent, casu id accidisse, ut, cum locus in diuersorio non superesset, uirgo natum Deum in præsepi collocaret, ij profectio non solum cognomine à Christo accepto digni nō sunt, sed indigni etiam, qui inter prudentes ethnicos numerentur, qui asserunt, nihil sine causa in mundo fieri. quanto ergo magis in hac filij Dei cœconomia acceptæ à nobis naturæ omnia summa cum ratione, ac prouidentia facta fuisse, est credendum? cur itaque hoc factum est? duas opinor ob causas. primum ut exemplo nobis esset ad sectandam humilitatem, & humanarum rerum pompam declinandam, deinde ob mysteria, quæ non in hoc solo, sed in omnibus, Seruatoris Christi factis delitescunt. quodnam uerò hic latet mysterium? scriptum de homine est. homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. cum ergo sciret, se ad iumenta descendisse, ita collocari uoluit, ut iumentorum cibus esse uideretur, quibus in præsepi ponitur alimentum, quod alimentum cum fœnum sit, omnis autem caro ab Esaiæ fœnum appelletur, iccirco uerbum caro, id est fœnum factum est, atque in præsepi collocatum, ut sit cibus eorum iumentorum, qui pristinam figuram, ac dignitatem recipere cupiant. O præsepe adorandum, & admirandum, adeste huc iumen-

ta

ta uerè insipientia, quæ ad tantam Dei sapientiam, & erga uos prouidentiam nondum respiciistis. quo pacto Christianam pietatem profitentes, tam cōtraria ipsius Christi, cuius philosophiam profitemini, factis agitis? quid uolunt immania uestra palatia, & insanæ fabricæ, quas construistis, idque neglecto, ac contempto Christo, quem in fratribus suis ob profusos uestros sumptus, ac pompas, summa confici inopia quotidie cernitis? hoc cœne est Christianum esse, nunquam Christi facta ante oculos ponere, & eius uitæ, atque institutis omnia contraria facere? intuemini hoc præsepe, contemplantini & uos mulieres, ubi rex omnium sit collocatus. uos inquam, quæ nullis sumptibus parcitis, cum filios generatis, & in ipsis cunis ad uanitates, & pompas incipitis instituere. quod si neque uiri, neque mulieres ad tantum spectaculum commouemini, quod ipsum quoque cœlum facit obstupescere, neque tanta humanitas, ac benignitas Dei corda uestra permulcet, terreat saltem nos illius diei memoria, cum in gloria patris sui, exercitibus uallatus angelorum, iudex omnium ueniens, uestram uobis obijciat ingratitude. quid enim illi tunc eritis responsuri, cum hæc humilia, ad quæ uestri gratia se demisit, uobis ad memoriam reuocabit, pro quibus uos solam arrogantiam, ac tumida facta rependeritis? nunc, nun chorum cogitandum tempus est, nisi uelitis, ut Diuina hæc, & mentem omnem superantia beneficia, quæ ob salutem tantum uestram allata sunt, in uestrum demum, uestra tamen culpa, interitum conuertantur. Non erat illi locus in diuersorio. maturè admodum sine lare, ac fœco esse cœpit filius Dei, qui dixit, uulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet. diuersorium illud ab alijs fuerat hospitibus iam occupatum, qui ob eandem causam, ob indictum uidelicet ab Augusto censum, illuc confluxerant. quare non superfluerat locus in diuersorio, illi, qui loca omnia implet, & sine quo nullus est locus. Sed cum quæso in diuersorio uoluit nasci? diuersorium, hospitum habitatio est, qui eò in itinere diuertunt. hic est hominum omnium status. hospites enim sumus, & commorandi diuersorium nobis datum est, non habitandi. ad hospites ergo uenit, ut iam non simus hospites, & aduenæ, sed ciues sanctorum, & domestici Dei, & qui eramus ab alienati à republica Israelis, & extranei à testamenti promissionis, spem non habentes, Deoque carentes in mundo, nunc per Christum, qui quondam eramus longinqui, propinqui facti sumus per sanguinem eius. hunc tanti muneris fructum nemo assequitur, nisi qui hoc ingreditur diuersorium, seque peregrinum esse super terram intelligit. quicumque uerò ita uiuunt, ut se semper uicturos putent, ij malè uiuunt, dum exilium pro patria habentes, patriam non querunt, neque hoc nouerunt diuersorium, ubi uirginis filius positus est in præsepi. eli-

N gamus

gamus cines mei diuerforium hoc, ubi puer natus est nobis, & filius datus est nobis. paruulus infans, & magnus Deus. diuertamus identidem in hoc hospitium, alioqui nunquam intellecturi, quantus hic sit, qui ingreditur ad seruandas gentes. nullam enim aliam ob causam homines tam alieni sunt à cōtemplatione, & gustu rerum tam admirabilium, nisi quòd terræ affixi, tanquam perpetuo suæ habitationis loco, hanc horum mysteriorum gustare dulcedinem nesciunt. uerè enim uacare oportet, quemadmodum admonet Dauid, eum, qui uidere uelit, quòd suauis sit Dominus. sed nullum cerno uos ocium præbere hisce rebus contemplandis, quæ tamen uestri causa demissæ à cælo fuerunt. O ingratitude. ecquis enim uestrum est, qui uel unam diei horam seponat, ut ocium agens à terrenis occupationibus, quæ ad hanc uitæ scenam, ac umbram pertinent, ista tractare curet, quibus & incomprehensa intelligitur Dei erga ingratisimum nostrum genus charitas, ac stupenda benignitas, & salus paratur æterna ijs, qui in tam pulchris, ac uerè cælestibus mysterijs occupantur? non pudet, homines, qui se credere profitentur Iesum filium Dei de uirgine natum, in præsepi, loco humillimo, atque abiectissimo nostri gratia reclinatum, non se totos in rerum tam admirandarum contemplationem dare, de ijs cogitare, de ijs domi, foris, nocte, ac die, secum, cum suis, cum externis loqui? audebit uir, qui Christum profitetur, saltem per hosce feriatis dies aliud è suo ore proferre, quàm Iesum Christum filium Dei in Bethlehem Iudææ de uirgine natum, fascijs inuolutum, & reclinatum in præsepi? O stoliditatem, o stupiditatem, o uerè iumenta insipientia. cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, & Christiani dedignantur assidua meditatione inuisere suum Dominum filium Dei positum in præsepi. ne quæso tam ingrati, tamque stupidi post hac simus, neque in tractandis tanti ponderis, ac summæ, tantæque maiestatis negocijs, tam indormiamus diu, sed quam haftenus exhibuimus, cursu corrigamus tarditatem. demus operam, ut ex iumentis insipientibus euadamus iumenta sapientia, qualem se aiebat Dauid, ut iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. quod fiet, si adorandum hoc præsepe grati inuisamus, & cibum, qui in eo positus est, ac nobis propositus, assidue ruminemus, ut in eo crescamos. Peperit ergo filium suum primogenitum, & fascijs inuoluit, reclinauitque in præsepi. sed nunquid hic standum est Euangelista, neque facienda ulla significatio maiestatis, quæ in hoc infantulo tam abiectè posito delitescit? nimirum, sequitur enim. Et pastores erant in regione eadem, uigilantes & excubantes excubias nocte super gregem suum. & ecce angelus Domini astitit illis, & claritas Domini circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. & dixit illis angelus, ne timeatis. ecce enim annun-

tio

tio uobis gaudium magnum, quod erit toti populo, quia natus est uobis hodie Seruator, qui est Christus Dominus, in ciuitate David. cernis, quàm præsepe hoc clarescere, atque illustrius fieri incipiat? horrebas stabulum, ac præsepe? nunc illud reuerere ob ministerium angelorum, qui tibi rerum in eodem præsepi latentium magnificentiam aperiuunt. idem usu uenit in crucis consideratione. horret enim animus, cum audit, filium Dei exinanuisse suam maiestatem, & factum fuisse patri obsequentem usque ad mortem, & eam crucis. sed quid demum ex tanta ignominia sequitur? propter quod & Deus extulit illum in ingentem celsitudinem, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. idem ipsum & uerè fidelibus usu eueniet, qui postea quàm à mundo pressi, deiecti, afflicti fuerint, momentanea demum illa leuitas afflictionum, quæ illis in hac uitâ accidit, supra modum in immensum æternum gloriæ pondus operatur, dum temporarijs molestijs succedunt bona sempiterna. Primum autem obserua, quinam primi sint, quibus hæc natiuitas annuntietur, pastores uidelicet, atque ij, qui nocturnas excubias excubant super gregem suum. cum enim hic natus sit, quem rectè apostolus Petrus principem pastorum appellat, qui & ipse de se dixit. ego sum pastor bonus, & agnosco oues meas, & agnoscunt me meæ, sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem, de quo item propheta cecinit. sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu tollet, fœtas ipse duet. ob hanc causam beatis hisce pastoribus primum reuelata fuit Seruatoris Christi natiuitas, qui spirituum pastorum imaginem quandam præ se ferebant, qui cum Paulo non cessant nocte, ac die cum lacrymis unumquenque sibi subiectorum admonere. prætermissi uerò sunt pontifices, ac sacerdotes, qui in Ierusalem erant, & pastorum quidem locum, ac sedem occupabant, sed nihil minus, quàm pastoris officium exercebant, dum amabant primas cathedras in synagogis, primos accubitus in cenis, salutationes in foro, & uocari ab hominibus Rabbi. hæc sunt, quæ nunc etiam, si quando aliàs, efficiunt, ut, è tam ingenti episcoporum, ac pastorum numero, nullus penè episcopus, ac pastor appellari dignus sit propterea, quòd omnia nouerunt, præter episcopi, ac pastoris officium. nihil ab eis cogitatur aliud, quàm honores, & opes. ambitio, & auaritia præparatio sedis eorum. circumspecte Christianum orbem, Italiam ipsam, in qua degimus, contemplantini, si quatuor in tanto ambitu sunt episcopi, qui integrè officio fungantur suo. his abscondita est Christi natiuitas, & solis ijs

N 2 reue-

reuelatur, qui non diurnas solum, sed nocturnas etiam excubias excubant super gregem, à summo sibi pastore creditum. Beati pastores, qui tam ingenti munere fuerunt donati. & miror, nisi quilibet uestrum optet inter eos numerari, & sanè in potestate hoc uestra est. omnes enim uos pastores estis. & ij quidem, qui familiam habent, si eius familiæ regere mores, ac uitam student, pastorum funguntur officio. qui uerò nulum, quem regant, habent, ij sensus suos, & affectus tanquam gregem curent, & quemadmodum admonet propheta, obturent aures suas, ne audiant sanguinem, & claudant oculos suos, ne uideant malum, & huius horum pastorum felicitatis fient compotes. nam qui eiusmodi sunt, simplicem, & innocentem agunt uitam, quæ pastorum quoque esse solet, quibus ob morum simplicitatē, & ab humanis fraudibus alienam, angelus Christi natiuitatem primis annuntiauit. Et ecce angelus Domini (inquit) astitit illis, & claritas Domini circumfulsit illos, cum enim angelus lucis esset, non debuit sine cœlesti, & ingenti luce illis apparere. nam hoc significare uidetur illud, quod ait. claritas Domini, id est, magna, more Hebrææ linguæ, quæ magna appellare consueuit Diuina, ut montes Dei, cedros Dei, id est, excelsas, & ingentes. Et timuerunt timorē magno. quò enim maior erat miraculi nouitas, eò maiore affici eos timore oportuerat. nam imbecilla natura nostra, & à cœlestium ciuium consuetudine iandudum aliena, ad eorum aspectum terretur. quare & superius de Zacharia legimus, ad aspectum angeli territum illum fuisse, & timorem irruisse super eum. hunc ergo timorem curauit angelus auferre ab eis, ut eorum, quæ erat annuntiaturus, essent capaciores. quare primum dixit illis, ne timeatis. ecce annuntio uobis gaudium magnum, quod erit omni populo. non timendum uobis (inquit) est, sed gaudendum. ueni enim nuntiaturus ingens gaudium, quod toti Iudææ genti futurum est. quodnam est illud? natus est uobis hodie Seruator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. cum ab omnibus Israelitis passim & doctis, & indoctis expectaretur aduentus Messia, qui Græca lingua Christus appellatur, atque iccirco Lucas, qui Græcè scripsit, Christum appellauit. satis fuit angelo dixisse, natum fuisse Christum, ut gaudij, quod futurum esset eis, magnitudinem possent intelligere. nam redemptio Israeliticæ gentis ab eius aduentu proficisci expectabatur, & ob hanc causam adijcit hanc uocem, Seruator, quòd scilicet salutem suis esset allaturus. ac propterea iusserat angelus, ut eius nomen Iesus uocaretur, quod si interpretare, dicitur. Seruator. atque ut cumulatam gaudium beati isti pastores habere possent, fecit eis copiam illius inspiciendi, ostendens quo pacto inuenturi essent illum, iccirco adiecit, & hoc uobis signum, inuenietis infantem fascijs inuolutum, & positum in præsepi. mirum signum, neque facile credendum,

dum, nisi loquentis auctoritas intercessisset. cui enim præterquam cœlesti oraculo credendum fuisset, redemptorem Israelis ita inopem nasci, ut in præsepi esset reclinandus? uide uerò, ut initia Christianæ philosophiæ cum fine concordent. nam & crucis prædicatio nihilo minorem mundo attulit admirationem. prædicamus, ait Paulus, Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. nam & Iudæi impegerunt, dum tam humilem à se expectati Messie aduentum non arbitrabantur. gentes uero, quæ à Diuinis consilijs plurimum distabant, rem stultam iudicabant, credere tantam maiestatem ita se potuisse demittere, ut in crucem, plenum ignominia supplicium ageretur. & hæc quidem Iudæis, & gentibus, ijs uerò, qui ueritatem hanc agnouerunt, Christum Dei uirtutem, & Dei sapientiam, qui intellexerunt, cogitationes Dei dissimiles esse humanis cogitationibus. qui didicerunt, placuisse Deo, ut, quia in Dei sapientia mundus per sapientiam Deum non cognouit, per stultitiam prædicationis saluos faceret credentes, qui docti fuerunt, quod stultum est Dei, sapientius esse omnibus hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius esse omnibus hominibus. Hoc ergo signum, cui ab incredulis contradicitur, quemadmodum à Symeone paulò post estis audituri, datur pastoribus aptis regno Dei, ideo dixit, & hoc uobis signum, uobis, qui fidem estis habituri mihi cœlesti nuntio. hoc signum non agnoscunt ij, qui inter Christianos suis pompis, ac uanitatibus, & factis contrarijs Christianæ professioni, illi contradicunt. hoc uobis signum, quod, ne in alio aliquo fallamini, in hoc uno reperietis. inuenietis puerum fascijs inuolutum. tantum ne? immo & positum in præsepi, sed cur dixit, fascijs inuolutum? non ne satis erat dixisse, positum in præsepi? nam alioqui alij etiam infantes fascijs inuoluuntur. opinor hoc quoque ab angelo additum, quia præter fascias nulla præterea re opertus esset, cum alij etiam non admodum diuites habeant aliqua alia, quibus infantes operiunt. O stuporem, o signum admirandum, & adorandum. ite nunc mulieres, & uestris infantibus omnia ornamenta circumponite, & audete fateri, uos cognomine Christiano esse dignas. huc, huc intendendi oculi, hoc præsepe intuendum est, cum immanes pecunias infumitis ornandis filijs, ac filiabus uestris. nunc tempus est huius præsepis honestandi, in quo tanta uobis salus ab hoc infante est parata. Et subito facta est cum angelo multitudo militia cœlestis laudantium Deum, & dicentium. gloria in altissimis Deo, & in terra pax, hominibus bona uoluntas. Intuere benignum angelorum erga nostrum genus affectum, ingentemque charitatem. cum enim scirent, hæc mysteria instaurandæ humanæ naturæ gratia peragi, non fuerunt contenti, unum ex eis ista annuntiauisse, sed facto agmine, & coacto exercitu gloriam hoc nomine Deo cecinerunt. facta est (inquit)

(inquit) cum angelo multitudo cœlestis exercitus . exultant angeli , & cœlestes illæ uirtutes ob Dei erga nos beneficentiam , & homines , quibus hæc allata sunt beneficia , non permouentur , & quantam possunt maximam præ se ingratitude ferunt , & hæc tanquam nihil ad se pertinentia non curant . cernis enim eos per hosce natalitios dies ludis , & iocis operam dare , & magis dissolui , quàm toto reliquo anni tempore . scelus profectò non ferendum diu , cum Dei longanimitate ita impudenter abutantur . Sed quid cecinerunt beati isti angeli ? gloria in altissimis Deo . ingens paradoxum , & à solis fidelibus intellectum . rem plenam gloriæ arbitrantur , quòd Deus ita deiecerit filium suum unigenitum , ut nasci eum uoluerit in stabulo , atque in præsepiti reclinari . at rem hanc mundus plenam ignominia arbitrat . ob hanc fortasse causam dixerunt , gloria in altissimis Deo , perinde quasi dicerent , hæc gloria non hic intelligitur , ubi charitatis uis ignoratur , sed in altissimis agnoscitur . ibi enim sunt uiscera miserationum , quæ maximam gloriam immensæ Dei bonitati asserunt , & cœlestes illæ mentes intelligunt , quæ tenebricosus hic mundus intelligere contemnit . Et in terra pax , hominibus bona uoluntas . hæc uerba , id est , hominibus bona uoluntas , declaratio est illius , quod dictum est , in terra pax . quod enim Latinus interpretes dixit , bona uoluntas , in Græco est una dictio , εὐχρησία , quam etiam interpretari possumus reconciliationem . annuntiant ergo pacem terris , quæ tum demum allata fuit , cum placuit Deo reconciliari hominibus , quorum à Deo defectio , perpetua cœlestium cum illis inimicitia digna erat . atque ob hanc reconciliationem angeli gloriam Deo cecinerunt . & sanè ingens fuit Diuinæ illius maiestatis gloria , qui rem nihili , si Deo conferatur , tanti fecerit , ut ipse auersos ad reconciliationem inuitaret . de qua Paulus ad Corinthios scribens meminit in hæc uerba . Vetera præterierunt , ecce noua facta sunt omnia . omnia autem ex Deo , qui reconciliauit nos sibi per Iesum Christum , deditque nobis ministerium reconciliationis . quandoquidem Deus erat in Christo , mundum reconcilians sibi , non imputans eis peccata sua , & posuit in nobis sermonem reconciliationis . itaque nomine Christi legatione fungimur , tanquam Deo uos obsecrante per nos , rogamus pro Christo , reconciliemini Deo . O' profusam liberalitatem Dei , ò stupiditatem hominum admirandam . obsecrat Deus , & illi resiliunt . obriguerunt ueluti saxa nunc homines , qui nisi omnino priuati sensu essent , qui fieri posset , ut non intimis affectibus ad tanta mysteria permouerentur , atque adeo extra se in extasin raperentur ? Sed uideamus , quid fecerint pastores , atque ab eis discamus , quid & nobis sit faciendum . Et factum est,

est , ut discesserunt ab eis angeli in cœlum , & homines pastores loquebantur inter sese . transeamus iam Bethlehem usque , & uideamus hoc , quod factum est , quod Dominus aperuit nobis . & uenerunt festinantes , & inuenerunt Mariam , & Ioseph , & infantem positum in præsepiti . Vides diligentiam pastorum , qui commonstratum infantem curauerunt inuisere ? & sanè uoti compotes facti sunt . omnis enim , qui querit inuenit , ait Dominus . uenerunt (inquit) festinantes . nam spiritalia in primis negocia feruidum animum requirunt . iccirco in Apocalypsi dictum fuit illi tepido . utinam frigidus esses , aut calidus : sed quia tepidus es , & neq; calidus , neq; frigidus , incipiam euomere te ex ore meo . uenerunt ergo festinantes , & inuenerunt Mariam , & Ioseph , & infantem positum in præsepiti : neque offensi fuerunt illo spectaculo , aut cogitationibus suis disceptauerunt , qui esset consentaneum , aut credibile , Messiam illum , quem maximum , ac potentissimum regem futurum expectabant , tam humiliter fuisse natum . sed , cum scirent , se ab angelo , ac Dei nuntio hæc sibi fuisse significata , nihil hæsitauerunt , & suæ fidei euidentem præbuere significationem ex eo , quod sequitur . cum uidissent autem (inquit) diuulgauerunt de uerbo , quod dictum fuerat ipsis de puero hoc . concionatores Euangelicæ ueritatis primi facti sunt pastores , ut doceamur , ad episcopos , & eos , quibus gregis Christi credita cura est , in primis pertinere hoc Euangelizandi munus . ij enim sunt spirituales pastores , quibus Petrus & ipse pastor ait . presbyteros , qui inter uos sunt , obsecro , qui sum & ipse presbyter , pascite , quantum in uobis est , gregem Christi , curam illius agentes . Et omnes , qui audierunt , mirati sunt de ijs , quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos . cernis pastorum studium quantum fuerit in annuntianda hac Seruatoris Christi natiuitate ? tam enim accuratè ista narrauerunt , ut auditores raperent in admirationem . quantò magis hoc Christianis hominibus esset faciendum , qui non in præsepiti iacere , sed in cœlo federe illum ad dexteram patris collocatum didicerunt ? Maria autem conseruabat omnia uerba hæc , conferens in corde suo . ecce rursus uirginis prudentiam . obseruabat omnia uerba hæc , id est , quæcunque cernebat fieri . nam Hebræo more uerbum pro qualibet re accipitur , ut alibi ostendimus . & conferebat ea in corde suo , id est , tractabat animo , cogitabatque , quàm pulchrè hæc omnia prioribus consentirent , ijs uidelicet , quæ ab angelo sibi fuerant dicta , & quæ ab Elisabet , ac Zacharia prophetata , atque ex omnium collatione inter se , mysteriorum magnitudinem intelligebat . idem autem si uis percipitur ex scripturarum sacrarum mutua inter se collatione . ex ea enim ueritatis radij emicant , qui mentem Diuinis splendoribus illustrant .

hæc uia ingressi sunt apostoli, cum noui testamenti facta cum ueteri conferentes, rerum ueritatem eliciebant. quare dicebat Paulus, coram rege Agrippa loquens. usque in hodiernum diem sto, testificans minori, atque maiori, nihil aliud dicens, quam ea, quæ prophætæ locuti sunt futura esse, & Moses. si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum lumen annuntiaturus est populo, & gentibus. Et reuerfi sunt pastores glorificantes, & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, & uiderant, sicut dictum fuerat illis. uide, ut semen in terram bonam proiectum, fructum afferat. uide pastorum gratitudinem, qui, cum audissent angeli uerba, & laudantium angelorum exercitum, & infantem essent intuiti, atque ex signo sibi dato agnouissent eum esse, reuerfi sunt laudantes in his omnibus, & glorificantes Deum, ut, quæ uiderant facientes angelos, & ipsi facerent. at hæc omnia nobis eadem ostenduntur ex Euangelio. neque uerò hæc solum. sed tota Seruatoris Christi uita ab initio usque ad finem propofita est, ut eius facta non minus certo scire possimus, ac mentis oculis intueri, quam illi, qui corporis oculis inspexerunt, atque adeo certiores efficitur ex Euangelistarum scriptis, quam maxima eorum pars, qui ista oculis intuebantur. cum enim rectè quidam dixerit, ueritatem esse filiam temporis, uidemus Euangelicam historiã tot iam seculis per orbem omnium terrarum peruagatam, ab omnibus hominum omnium ingenijs examinatam, infinitis miraculis confirmatam. cernimus hanc ueritatem ita fuisse efficacem, ut omnem mundi sapiëntiam, ac potentiam subegerit. intuemur nullam superesse iam externam philosophiam, quæ se audeat huic nostræ opponere. cernimus crucem, signum olim ita probrosum, ut nullum dici probrosius posset, tanto affici honore, ut imperatores, ac reges nullo magis, quam crucis signo se putent honestari. hæc solidiora multò sunt argumenta ad fidem faciendam, quam necesse sit optare, ut corporis oculis conspiciamus ea, quæ ex Euangelijs docemur. accedit præterea munus multò maius, quo nos illis pastoribus antecellimus, quòd scilicet cum illis significatum ab angelo fuit, natum esse Mesiam, non habuerunt illi reuelata hæc mysteria, quòd scilicet regnum daturus esset in se credentibus cœleste, ac sempiternum. expectabant enim temporarium duntaxat regnum. quòd & apostolis ipsis accidit ante, quam per spiritus sancti aduentum inducerentur in omnem ueritatem, quòd ostenderunt in illis uerbis, cum post Domini resurrectionem, quemadmodum in Actis apostolorum legimus, interrogauerunt eum dicentes. num in tempore hoc restitutus regnum Israeli? nunc uerò nos exploratissima omnia habemus, scimus aternitatem huius regni, scimus resurrectione corpora nostra in immortalem uitam, expectamus Seruatorem, Dominum nostrum Iesum Christum, qui transformabit corpus humile hoc nostrum, ut sit conforme

forme corpori eius glorioso. hæc diuitiæ, hi thesauri nondum fuerant pastoribus illis reuelati, & tamen tantam præ se gratitudinem tulerunt, festini inuiferunt præsepe infantis nati, alijs eadem studiosè narrauerunt, reuerfi sunt laudantes, & glorificantes Deum ob ea, quæ & audierant, & uiderant. nos in tanta rerum copia dormitamus, stertimus, in somno & uino oscitamus. ubi nam cernitur inter uos gratulantium uox, & glorificantium, ac laudantium Deum? audio passim lasciuia, atque amatoris cantica, lusus, ioca, in hisce præsertim natalicij diebus, in quibus cum multò compositiores esse deberetis, & collectum habere animum ad cœlestia hæc mysteria contemplanda, dissolutius uiuitis, quam reliquo anni tempore, conuiuia splendidiora fiunt, uestibus sumptuosioribus ornamin, perinde quasi regnum Christi sit esca, & potus, & pompæ. nemo contemplatur, quid in hoc præsepi sit factum. filius Dei ob loci inopiam nascitur in stabulo, reclinatur in præsepi, fascijs inuoluitur. hoc illi fuit & operimentum, & ornamentum. & homines, qui fidem huius infantis profitentur, nihil aliud tractant, quam immania ædificia, uestes præclaras, esculenta, ac poculenta deliciarum plena. interea pauperes, & ij, quos ipse Dei filius fratres appellat, passim negliguntur, fame, & frigore confecti, sine lare, sine foco. expergiscimini obsecro, & incipite præbere indicia aliqua eius fidei, quam uos tenere quidem uerbis profiteri, sed factis hæctenus fuitis ab ea alienissimi. inuifite adorandum hoc præsepe, & quibus cernitis hunc egere, ea afferre ne recusetis. in primis uerò ad eas nuptias uos inuito, quas hæc ciuitas hoc ipso die, iam quinque ab hinc annis, id est, me episcopo, parare nato Christo consueuit, & efficite, ne meorum me laborum pœniteat, neque mea me frustretur spes uestri profectus. quæ omnia tamen in uestram ipsorum salutem sunt redundatura, estisque copiosum fructum exiguo ex semine accepturi suo tempore ab hoc ipso, quem nunc pro uobis in præsepi reclinatum cernitis, Iesu Christo Domino nostro, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & potestas, & imperium in secula.

Amen.

ORATIO DECIMA.



T POSTquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, uocatum est nomen eius **IESVS**, quod uocatum fuerat ab angelo prius, quam in utero conciperetur. Seruator Christus, qui dixit, se uenisse, non ut solueret legem, sed ut eam impleret, etsi tunc eam impleuit, cum suam illi perfectionem, quæ ei deerat, addidit, non recusauit tamen, ea etiam parte legem implere, quæ literæ seruiebat, ac figuris, quarum ipse attulit ueritatem, sed quatenus inductæ à se ueritati non officiebat. cum ergo lex præciperet, ut masculi octauo à natiuitate die circumciderentur, uoluit & ipse octauo die circumcidi. sed quando hæc oratio toti multitudini, quæ hodie frequens huc conuenit, inseruire debet, cum non dubitem maximam uestri partem ob uel suam, uel pastorum negligentiam, huius circumcisionis originem, ac mysteria in ea delitescantia ignorare, operæ pretium erit, aliquantò fufius, ex huius loci occasione, de ea loqui. Legimus in libro Geneseos, cum Abraham nouem & nonaginta esset annorum, apparuisse illi Dominum, eiq; dixisse. ego Dominus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus, ponamque fœdus meum inter me, & te, & multiplicabo te uerementem nimis. atque in eadem narratione mutauit nomen eius, quod prius erat Abram, ut non Abram, sed Abraham uocaretur. & huius rei causam mox adiecit. quia patrem (inquit) multarum gentium constitui te. & paulò post declarauit, quòdnam illud esset pactum. & dixit. hoc est pactum, quod obseruabitis inter me, & uos, & semen tuum post te. circumcideretur ex uobis omne masculinum, & circumcideretis carnem præputij uestri, ut sit in signum fœderis inter me, & uos, infans octo dierum circumcideretur in uobis, omne masculinum in generationibus uestris, tam uernaculus, quam emptus pecunia ab omni filio alienigenæ, qui non fuerit de semine tuo, circumcideretur. eritque pactum meum in carne uestra in fœdus æternum. Primum ergo obseruandum est, quo tempore præcipiatur Abraham circumcisio, cum scilicet promittitur Isaac, in quo benedictionem accepturæ essent omnes gentes terræ. & ob hanc causam pro Abram, quod sonat, pater excelsus, uoluit eum appellari Abraham, ut paternitatis illius celsitudo honestaretur interpositione eius literæ, quæ inter sanctiores literas, quibus nomina Dei scribuntur, principalis est, & bis scripta in nomine illo ineffabili, quæ & semel ascripta nomini Abraham, & secundo ascripta Saræ (nam & ipsa in hac eadem narratione iussa est pro

ORATIO DECIMA.

pro Sarai, id est, princeps mei, appellari Sarah, addita litera, he, n; quæ & nomini Abraham interiecta fuit, quasi princeps, siue principilla absolute) indicat prærogatiuam quandam maximam datam utrisque generandi ipsam Diuinitatem aliquando de femine suo, in Christo nascituro de uirgine Maria. quod uerò ad significationem pertinet nominis, quòd scilicet uocandus esset Abraham, id est, pater multarum gentium, compositum est ex tribus Hebræis dictionibus, una integra, quæ est, Ab, id est, pater, & duabus corruptis, uidelicet, Ra, pro, Rab, quod est, multus, & Ham, pro Hamon, quod est, populus, ac multitudo. neque mysterio caret ætas Abraham, qua facta hæc promissio illi fuit, cum scilicet nonaginta nouem esset annorum, & uxor eius sterilis, atque anus, ut fieret, quòd Paulus fuit interpretatus, cum dixit. non omnes, qui sunt ex Israel, ij sunt Israel, neq; quia semen sunt Abraham, statim omnes filij. sed in Isaac uocabitur tibi semen, hoc est, non qui filij carnis, ij filij Dei, sed qui sunt filij promissionis, recensentur in semen. promissionis enim sermo hic est. in tempore hoc ueniam, & erit Saræ filius. signabatur ergo iam tum id, quòd factum carnem, fœcunditatem scilicet illam, quam Deus Abraham promiserat, ad spirituales generationem pertinere. sicut enim promissio illa, ac Dei sermo formauit Isaac, & genuit, (iam enim erat Abraham corpus emortuum, & emortua uulua Saræ, sed efficax fuit Dei sermo) sic nunc quoque eodem exemplo filios promissionis, id est, uerum semen Abraham, & uerum Israel, non per carnis copulam, sed per aquam, & spiritum sanctum quotidie generat. alio item loco idem Paulus docere uolens, has promissiones factas Abraham, etiã ad eos pertinere, qui essent in præputio, id est, ad gentes, quæ nos eramus, dixit. beatitudo hæc in circumcisionem tantum, an etiam in præputium deuenit? dicemus enim, quòd imputata fuerit fides Abraham ad iustitiam. quomodo ergo imputata est? cum esset in circumcisione, an cum esset in præputio? non in circumcisione, sed in præputio. & signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ fuerat in præputio, ut esset pater omnium credentium in præputio, ut imputaretur & illis iustitia, & pater circumcisionis ijs, qui non solum genus ducerent à circumcisio, uerum etiam ingrederentur uestigijs fidei, quæ fuit in præputio patris nostri Abraham. Et hæc quidem, quòd ad mysterium pertinet, cur iam effæto fecerit Deus has promissiones, ac nondum circumciso, dicta sint. nunc uideamus, quid uelit hoc signum, cum dixit Deus, uoluisse se, ut circumcisio præputij esset signum fœderis inter ipsum Deum, & Abraham, ac semen eius. audiuimus nunc ex Paulo, Abraham signum accepisse circumcisionis signaculum iustitiæ fidei, quæ fuerat in præputio, id est, ut signum esset iustificationis, quam fuerat affecturus per fidem, quam habuerat Abraham, cum esset adhuc in præputio.

putio . quanam ergo tanta in hoc signo uis est , ut signaculum sit iustitiæ fidei Abrahamæ , quæ in eius quoque semen esset redundatura ? Circuncisio est amputatio illius pelliculæ , quæ præputium appellatur , quam partem culam ferunt , qui ista diligentius peruestigarunt , solam esse in toto corpore superuacua , quam solam etiam sine hominis offensione posse ab quâmano corpore auferri . cum ergo ueterum cultus , & ritus , & sacrificia ante exortam Euāgelij lucem , essent corporea , uoluit Deus etiam signo , quod in corpore ostenderetur , eum populum insigniri , qui sibi futurus fuisset peculiaris , quod tamen signum nihil de naturæ necessitate detraheret , quæ itēres interea esset figura eorū , quæ sub Euāgelio essent præstāda . cū . n . Euangeliū nihil sit aliud , quàm quædā representatio eius uitæ , quæ in cælo agitur , ea autē fieri representatio nō possit , nisi in pfectæ uitæ cōditione , ac statu , ea uerò perfectio illa sit , quā Dominus ostēdit in Euangeliō , si uis perfectus esse , uade , & uēde omnia , quæ habes , & da pauperibus , & ueni , & sequere me ; superuacua in humano corpore præputij pelliculæ amputatio iam tū signabat hanc uitæ , quæ sub Euāgelio futura erat , pfectionem . nā hæc opum , ac facultatū opulentia , non solū superuacua , sed etiam ijs , qui in Christianam philosophiam bene penitus se dare uolunt , est in primis onerosa & non solum sine damno , uerum etiam summa cum utilitate auferatur . Quod uerò spiritualis hæc circuncisio sub Christi lege facienda esset , apertissimè ostenditur in Deuteronomio , ubi

∴ Moses ait . circuncidet Dominus Deus tuus cor tuum , & cor seminis tui , ut diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo , & in tota anima tua , ut possis uiuere . hoc sanè intelligi de corporea , & carnea circuncisio non potest . qui enim fieri potest , ut is , cuius cor circuncisum fuerit , uiuat , cuius solus tactus mox affert mortem ? hic uerò ait , fore , ut circuncidatur eorum cor , ut possint uiuere , quæ uita nimirum ea est , quam in eisdem uerbis demonstrat , cum ait . ut diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo , & in tota anima tua . hæc est enim uita æterna (ait ipsa ueritas) ut agnoscant te solum uerum Deum , & quem misisti Iesum Christum . at hæc agnitio sine amore , eoque maximo non habetur . Ieremias quoque de hac spirituali circuncisio ait . nouate uobis nouale , & seminetis super spinas . circuncidimini Deo , & auferte præputia cordis uestri , uiri Iuda , & habitatores Ierusalem . Hanc circuncisio non esse sub Euangeliō in carne attendendam docet Paulus , qui ad Romanos scribens ait . si præuaricator legis sis , circuncisio tua præputiū facta est . si uerò præputium iustitias legis custodiat , non ne præputium illius in circuncisio reputabitur ; & indicabit id , quod ex natura est , præputium , legem consumans , te , qui per literam , & circuncisio præuaricator legis es ? & cur ita dicat , mox rationem reddit . non enim qui

in

in manifesto est , Iudæus est , neque quæ in manifesto est in carne , est circuncisio , sed qui est in abscondito , Iudæus est , & circuncisio cordis in spiritu , non litera , cuius laus non ex hominibus , sed ex Deo est . quibus uerbis admonet , ubinam uirtus circuncisio sit constituenda , quod quæ sub Euangeliō , ubi umbræ ueritati cedunt , nihil iam efficiat carnis circuncisio , quæ tandiu quidē seruanda fuit , dum figuræ perdurabant , quibus ubi primum finis impositus fuit . ad spiritualement circuncisio erat perueniendū . de qua etiam ad Colossenses ait . per Christum circuncisio estis circuncisio , quæ fit sine manibus , dum exuistis corpus peccatorum carnis per circuncisio Christi . & ad Philippenses . nos sumus circuncisio , qui spiritu Deum colimus , & gloriamur in Christo Iesu , & non confidimus in carne , id est , in carnali circuncisio , quam nihil esse sub Euangeliō , ad Galatas , qui a falsis apostolis seducti fuerant , scribens ait . In Christo Iesu neque circuncisio aliquid ualet , neque præputium , sed noua creatura , id est , regeneratio , quæ per baptismum fit , & noua uita . nam baptismus circuncisio succedit , eamque sustulit . de quo baptismo , fuerat a prophetis multo ante prædictum . nam in Esaia legimus , Deum sic loquentem . ne timeas serue mi Iacob , & rectissime quem elegi : quoniam effundam aquas super sitientem , & fluenta super aridam . & quia baptisus fit per aquam , & spiritum sanctum , adiecit , effundam spiritum meum super semen tuum , & benedictionem meam super stirpes tuas . in Ezechiele quoque , effundam (inquit) super uos aquas mundas , & mundabimini ab omnibus immunditijs uestris , & ab omnibus inquinamentis uestris mundabo uos . de his aquis , & earum uirtute , atque efficacia in Zacharia sic legimus . in die illa (nempe tempore Messia , id est Christi) erit fons patens domui Dauid , & habitatoribus Ierusalem , in ablutionem peccati , & menstrui , & erit in die illa , dicit Dominus exercituum , disperdam nomina idolorum de terra , & nō memorabuntur ultra , & pseudopphetas , & spiritum immudum auferam de terra . quæ tanta erat pseudopphetarum copia , non inter gentes tantum , uerum inter Iudæos quoque , ut Elias propheta Domini dixerit ad Achab regem Israel . congrega ad me omnem Israel ad montem Carmeli , & prophetas Baal quadringentos quinquaginta , & prophetas lucorum quadringentos , qui comedunt de mensa Iezabel . spiritus quoque immundi ante Seruatoris Christi aduentum in simulachris responsa dabant , & omniū terrarum imponebant . at ubi primum inuisit nos oriens ex alto , quemadmodū Zachariam prophetantē audistis , & aspirauit dies , umbræ continuò declinauerunt , & monstra illa explosa sunt . Sed reuertamur ad locum , ubi originem accepit circuncisio , & ratio illius , ac modus fuit , institu-

institutus iubetur; ut octauo die à natiuitate infans masculus circumcideretur. si literam spectes, obseruatur septenarius numerus, in sacris scripturis frequens, cum sex diebus hanc mundi fabricam Deus construxerit, ac septimo conquirent die. uidetur ergo infans, qui hanc dierum hebdomadam non impleuerit, dici non posse uixisse. peracta ergo hebdomada, octauo die circumcideretur. uerum, quando omnia, teste Paulo, contingebant illis in figura; octauus dies spem nobis resurrectionis pollicetur. quam Seruator Christus ipso die resurgendo. preparauit. confepulti sumus cum Christo per baptismum (quod circumcisioni succedit) in mortem, ut, quemadmodum surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. quæ uitæ nouitas, ueluti quædam spiritalis resurrectio, corpoream etiam resurrectionem in nouissimo die assequetur. quod uerò in eadem historia positum est, etiam eos, qui ab alienigenis empti pecunia essent, neque genus ab Abraham ducerent, esse circumcidendos, quis non intelligat, nos significari, qui extranei à testamentis eramus, sed pretio demum, eoque ingenti, & admirando empti, atque in ueri Israelis rempublicam ascripti fuimus? absoluta ergo, quantum temporis ratio permisit, hac de origine circumcisionis narratio ne, redeamus ad Euangelicam historiam. Postquam (inquit) consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, uocatum est nomen eius Iesus, quod uocatum fuerat ab angelo prius, quam in utero conciperetur. Plura Messias, hoc est, Christi nomina reperimus in scripturis sanctis posita, quorum nonnulla etiam utilitatis uestræ gratia, paulo post citabimus. sed nullius alterius meminit angelus nisi huius propterea, quod mysterium, ac significatio huius nominis Iesus, maximè illi præ cæteris propria, ac consentanea est. nam & hoc à prophetis fuit prædictum. legimus enim in illo propheta Abacuc cantico nomen hoc Iesus. sic enim ait. ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo. in libro quoque Ezre sic legitur in persona Dei patris. reuelabitur filius meus Iesus cum ijs, qui cum eo latabuntur, & rursus. morietur filius meus Iesus, & conuertetur ad me seculum. quidam uerò Hebræus ante Christi aduentum, uir magnæ sanctitatis, ita scripsit. quia Messias homines seruabit, uocabitur Iesuah, gentes autem alterius nationis, qui fidem eius sectabuntur, uocabunt eum Iesum. hæc ille. Cum ergo gentes quoque, quæ in illum credituræ erant, seruandæ per ipsum essent, iccirco nomen hoc non solum prophetis, & præcis Iudæorum, sed ad certiore ueritatis euidentiâ, quibusdam ex gentibus reuelatum fuit. nam sibilla Erythræa inter cæteras, nonnulla de fine mundi uersibus scripsit, ex quorum carminibus in primis literis huiusmodi uerba conficiuntur *Ἰησὺς Χριστὸς, Θεοῦ υἱός, καὶ υἱὸς σαυρῶν*. id est, Iesus Christus, Dei filius, Seruator, crux. hoc nomen

men est, de quo dicit Esaias. uocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit. sed cur nouum? quia nulli alij præterquam huic fuerat imponendum. nullus enim in sacris literis legitur, qui hoc uocatus sit nomine. quod ideo uolente Deo factum est, ut inde palam ostenderetur, nemini illud nisi Messias uero Seruatori rectè, ac propriè potuisse conuenire. etsi enim tres alij hoc nomine appellati olim uideantur, (uidelicet Iesus Naue, Iesus Syrach, Iesus Iosedec, quos scriptores nostri dicunt fuisse figuram ueri Iesu. quemadmodum enim Iesus Naue uir fortissimus, hostibus deuictis, filios Israel in promissam terram introduxit, & Iesus Syrach doctor sapientissimus fertur suis temporibus sapientiam instaurasse, ac Iesus Iosedec sacerdos sanctissimus templum Domini ædificauit, ita Christus uerus Iesus, sua quidem fortitudine hostibus humani generis superatis, eos, qui in se crediderunt, in terram uiuentium; id est, in cælum introduxit. sua uerò sapientia, ac ueridica doctrina mundum sublatis erroribus illustrauit. sua item sanctitate sacerdos in æternum ipse existens spirituale templum, id est, ecclesiam fidelium ex uiuis, & electis lapidibus construxit.) ij tamen, si Hebræam uocem quæras, quemadmodum in Hebræo scribitur, non eandem habent appellationem, neque significationem, quamuis multa sit inter utrasque uoces similitudo. nam trium illorum, quos memorauimus, unusquisque non Iesua, hoc est, Iesus, uocatus est, sed Iehosua, quod neque idem est, neque idem significat. nam Iesua, siue Iesus idem est, quod Seruator, siue salus, Iehosua uerò significat, Deus seruabit, ut ex ipso nomine clarè pateret, quod seruare nullius eorum intererat, sed solius Dei, qui humanæ naturæ coniunctus, humano esset generi uerus Iesus, hoc est, Seruator. Hoc itaque nomen Iesus, ut maximè proprium, angelus huic infanti iussit imponi, sed plura tamen alia in prophetis reperias, de hoc eodem dicta, quorum aliqua, ut dudum fuimus polliciti, hic numerabimus. atque illud in primis Esaiæ, quod ab Euangelista Matthæo citatum fuit. sic enim ait Esaias. ecce uirgo concipiet, & pariet filium, & uocabit nomen eius Emmanuel, quod est, nobiscum Deus, id est, humanæ naturæ in unam personam copulatus. in quo nomine gemina in Christo natura, Diuina uidelicet, ac humana apertissimè declaratur. neque obstat, quod hæc uirgo, quam dixit Esaias parituram filium, & uocaturam eum Emmanuel, non Emmanueleim, sed Iesum uocari fecerit. nam aliud est nomen naturæ, aliud (ut sic dicam) impositionis. constat enim, naturam ipsam, quæ dat rei formam, nomen quoque eidem rei dare, sicut dat homini & humanitatem, & nomen, quod est homo. non enim homo nominatur quispiam, nisi propter hominis naturam, cuius est particeps. ita quoque Messias, hoc est, Christus noster, Emmanuel, quod est, nobiscum Deus, uidelicet Deus, & homo à matre uocatus

uocatus est, cum ipsa intra seipsam certò sciebat, eum esse Deum, atque hominem. atque hoc uidetur esse, quod dixit Lucas Euangelista. Maria autem conseruabat omnia uerba hæc, cõferens in corde suo. quod etiam confirmatur, cum in nuptijs dixit ministris, quodcunque dixerit uobis, facite, quasi seruans intra semet ipsam arcanam hanc Emmanuelis appellationem, quòd scilicet filius suus esset etiam Deus, qui posset uinum undequaque producere. Emmanuel igitur, ut dicebamus, nomen est naturæ, declarans utriusq; naturæ unionem, quæ in utero uirginis esset faciendâ. Iesus uerò impositionis nomen est, ideo in circumsione, in qua, uti nunc in baptismo, nomen dabatur, fuit illi impositum nomen Iesus. & hæc quidem de Emmanuel sint dicta. Messia uerò nomen uulgatissimum est toti Hebræorum generi, quæ uox apud Græcos Christus dicitur, apud Latinos unctus. cum enim reges, ac sacerdotes ungerentur, quare & ab hac unctione Messia, uel Christi appellabantur, decuit, ut hic, qui summus rex, summusq; sacerdos esset futurus, hoc nomine uocaretur, quem Deus unxit spiritu sancto, & uirtute, quem admodum legimus in Actis apostolorum dixisse Petrum, & ante eum multis seculis Dauid. thronus tuus Deus in seculum seculi, uirga æquitatis uirga regni tui. dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. quibus in uerbis significatur ipsum esse Deum. quòd uerò hic locus de Messia, ac Christo loquatur, non solum in epistola ad Hebræos ostenditur, uerum etiam Hebræi ipsi fuerunt interpretati. nam Chaldæus interpret, quem nunc Iudæi frequentius præ manibus habent hunc locum Chaldaicè ita transtulit. thronus tuus Deus in cælis in secula seculorum, regnum forte sceptrum regni tui. & tu rex Messias, quoniam dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus unguento lætitiæ plus, quam socios tuos, id est, præ cæteris hominibus, qui unius, & eiusdem naturæ humanæ unâ cum eo participes sunt, uel præ cæteris, qui ungi solent, & Christi uocantur. decuit enim, huius unctionem cæteris omnibus esse præstantiorem, atque ideo non corporeo oleo, sed spirituali, inungi. Neque minus celebre est inter Christi appellationes, uerbum, siue sermo. Græcis λόγος, quemadmodum magnus ille theologus Ioannes apostolus, & Euangelista appellauit, haustum opinor ex Diuino Christi pectore, super quod in cœna recubuit. sic enim scripsit. in principio erat λόγος. quæ uox significat sermonem, rationem, & definitionem. quæ omnia pulchrè in filium Dei conueniunt. Sermo. nam ut sermo interiorum animi conceptionem exprimit, sic filius patrem. Ratio. quia sic se habet ad patrem, ut ad mentem ratio, non ob impassibilem tantum naturam generationis, sed ob coniunctionem etiam, & uim enuntiatuam. Definitio. qui enim

enim nouit filium (idem est autem, qui uidit) nouit & patrem, ut, qui intelligit, animal rationale mortale, intelligit hominem. hæc est enim ueræ, finitionis natura. Hoc tamen etiam propheta non tacuerunt. ut illud. uerbo Domini cœli firmati sunt. & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. &, rectum est uerbum Dei, & omnia opera eius in fide. diligens iustitiam, & iudicium. ex quo loco arguitur, hoc uerbum subsistens quid esse, ac mente præditum, & eiusdem præterea cum Deo substantiæ. siquidem amare iustitiam, & iudicium, rationis, ac mentis præditæ substantiæ proprium est. quamobrem ipsum Dei uerbum, oculus, siue oculi sæpe appellatur. nam ubi apud Ezechielem de Iudæis Dominus dicit. non miserebitur oculus meus super te, Ionathas Chaldæus interpret uertit. non miserebitur uerbum meum super te. ad declarandam quoque huius uerbi eandem cum Deo substantiam, in sacris literis facies Dei, os Dei, manus Dei appellatur. pro quibus uerbis interpret Chaldaicus semper uertit uerbum. idem interdum fecit, ubi in Hebræo est, Deus. quòd sanè pulchrè facit, ad declarandam, atque approbandam aduersus incredulos Iudæos huius uerbi Diuinitatem. Nam ubi legimus in Esaia, Israel seruatus erit in Deo salute sempiterna, hic interpret dixit. Israel seruatus erit in uerbo Dei salute sempiterna. idem fecit in illud Osæ. domus Iudæ miserebor, & seruabo eos in Domino Deo suo. sic illud Esaia. addidit Deus loqui ad me adhuc. &, ne timeas, quia tecum ego. & pluribus alijs locis hic interpret posuit uerbu pro Dei nomine. è quibus illud est, quòd quamuis apertissimum sit, tamen Iudæi quærunt obscuræ, ubi Dauid dicit. dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. nam Chaldæus interpret sic uertit. dixit Dominus uerbo suo, sede ad dexteram meam. Est etiam in scripturis sacris nomen Dei tetragrammaton, id est, quatuor litterarum, tam uenerabile, ut illud proferre non audeant, cum dicant, per illud ipsam Diuinam essentiam designari. sed loco eius legunt, Adonaj. hoc quoque nomine inuenitur Seruatorem Christum appellatum. sic enim in Ieremia legitur. ecce dies uenient, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra. in diebus eius seruabitur Iuda, & Israel habitabit cum fiducia, & hoc est nomen quod uocabunt eum, Deus iustus noster. hanc autem prophetiam de Messia intelligi, Iudæi negare non possunt. tum quia præsci Talmudistæ ipsam de Messia exponunt, tum etiam propter Chaldaicam translationem, quæ apertè de Messia loquitur. in qua quidem prophetia, non solum duplex Messia natura exprimitur, Diuina, & humana, uerum ipsum quoque Messiam nomine Dei tetragrammato uocandum fuisse manifestè ostenditur, cum dicitur. & hoc est nomen eius, quod uocabunt eum, Deus (uidelicet nomen tetragrammaton)

iustus noster. hunc autem locum Chaldaeus interpres sic uertit. ecce dies uenient, dicit Deus, & statuam Dauid Messiam iustum. & postea subdit. & hoc est nomen eius, quod ipsi appellabunt eum, Deus (tetragrammaton) iustus noster. Multa simul nomina quodam loco ponit Esaias, cum de pueri huius natiuitate loquens ait. puer natus est nobis, filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & uocabitur nomen eius, admirabilis consiliarius, Deus fortis, pater aeternitatis, princeps pacis, uel pax. quem locum ueteres Hebraei de Messia loqui asseruerunt, atque sunt interpretati, quod scilicet admirabilis consiliarius futurus esset, quod excogitauerit mirabile consilium seruandarum animarum, quae propter Adae peccatum condemnatae fuerant, nec poterant ullo pacto seruari, nisi rex Messias mortem acerbissimam, multaque tormenta pateretur. iccirco uocatus est Gheuer, id est, uir. & quia ipsius est omnis fortitudo, Deus fortis uocatur. & quia est aeternus, pater sempiternus dicitur. & quia in diebus eius pax multiplicabitur, princeps, & pax appellabitur. haec ille. hanc pacem interpretans Paulus ad Ephesios scribens ait. ipse est pax nostra, qui fecit ex utrisque unum, & interstitium maceriae diruit, simultatem per carnem suam, legem mandatorum in decretis sitam abrogans, ut duos conderet in semet ipso in unum nouum hominem, faciens pacem, & ut reconciliaret ambos in uno corpore Deo per crucem, perempta inimicitia per eam, & ueniens Euangeliza uit pacem uobis, qui procul aberatis, & ihs, qui prope. Vocatus est & lux, ut ait psaltes. in lumine tuo uidebimus lumen. & illud. lux orta est iusto. quod de Messia, id est, de Christo esse intelligendum, quidam olim ex Hebraeorum Rabinis fuit interpretatus. de hoc lumine apertissime Ioannes Euangelista ait. erat lux uera, quae illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Germen quoque reperitur saepe in prophetis appellatus. nam Zacharias ait. ecce uir, germen nomen eius. & recte sane. in hoc enim ostenditur, maxime fuisse consentaneum, ut filius Dei humanam naturam sibi in unam personam copularet, non autem pater, neque spiritus sanctus. ut non esset Adae, Abrahae, atque Dauid in humanitate filius, nisi qui esset etiam in Diuinitate filius. quod quidem in una Messiae persona fuisse complendum, Esaias, & Ieremias secundum Chaldaicam translationem euidentissime ostendunt. nam Esaias quidem sic ait. in die illa erit germen Dei in magnificentia, & gloria, & fructus terrae sublimis, & in ornatum reliquijs Israel. ubi Chaldaeus interpres uertit. in tempore illo erit Messias Dei in gaudium, & honorem. Ieremias autem sic inquit. in diebus illis, & in tempore illo germinare faciam Dauidi germen iustitiae. ubi & Chaldaea interpretatio ait. in diebus illis, & in tempore illo statuam Dauidi Messiam iustitiae. quibus geminis auctorita-

tibus

tibus palam fit, & Messiam fuisse germen Dei, id est, filium Dei secundum Diuinitatem, ut uerba Esaias sonant. & germen Dauid, id est, filium Dauid secundum humanitatem, ut ait Ieremias. ex quibus duobus colligitur, Messiam in unitate personae, & filium Dei, & filium Dauid simul esse, quanquam alio, & alio modo. nam filius Dei est ante omnia tempora, in tempore uero filius Dauid. filius Dei absque matre, filius Dauid absque patre. nouus Melchisedec, rex Salem. de quo sic ad Hebraeos scribitur. qui primum quidem ex interpretatione dicitur rex iustitiae, deinde uero etiam rex Salem, quod est rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, nec initium dierum, neque uitae finem habens. sed assimilatus filio Dei manet sacerdos in perpetuum. quemadmodum enim ipsius Melchisedec scriptura non meminit, quis eius fuerit pater, quae mater, quod eius genus, quod uitae initium, qui finis, sic filius Dei sine patre in terra est, in caelo sine matre. genus uero si quaeras. generationem (inquit) eius quis enarrabit? sic quemadmodum ab aeterno fuit a patre, sic in aeternum erit, quod est non habuisse initium dierum, neque finem habiturum. Vt uero significaretur, quo pacto in uterum descenderit uirginis, ros est appellatus. nam Osee dicit. ero quasi ros Israeli, & germinabit sicut lilium. quem locum Chaldaeus interpres sic uertit. erit uerbum meum uelut ros Israel. quod uerbum Messiam esse ex hoc ipso interprete iam ostendimus. illud quoque psalmi, ex utero aurorae ros natiuitatis tuae, quod de Messia esse intelligendum, quidam Hebraeus olim sic dixit. non inuenimus hominem etiam prophetam, cuius prophetata sit natiuitas ante natiuitatem patris, & matris, nisi tantummodo Messiam iustum nostrum, & propterea dicit. ex utero aurorae tibi ros natiuitatis tuae. id est, ante quam crearetur uulua genitricis tuae, prophetata fuit natiuitas tua. & huic congruit illud. ante solem permanet nomen eius. id est, ante quam crearetur sol, subsistens, ac firmum erat nomen Messiae nostri, & sedebat ad dexteram Dei. & hoc est, quod dicit. sede ad dexteram meam. & alibi concinnabit misericordia solium, & sedebit super illud in ueritate. haec ille. Messias ergo non in congrue ros appellatur, primum quidem propter descendendi similitudinem. ros enim ex alto descendit, eiusque descensus nostris aspectibus est occultus, terramque reficit, ac foecundat. ita uirtus Diuina è caelo beatissimam uirginem foecundauit. nam, quemadmodum ferunt, ostream nocte, & uerno tempore rorem accipere, atque ita in suis interioribus margaritum gemmam pretiosissimam generare. sic gloriosa uirgo, spiritu sancto superueniente, filium Dei concipiens, Messiam pretiosum margaritum generauit. sicut etiam ros per herbarum superficiem se sua uiter diffundens, herbis, & plantis uirorem, uigoremque tribuit, & quod diurnus aestus exsiccando, & consumendo immi-

P 2 nuerat,

nūerat, ros nocturnus humectat, fouet, atque erigit. præterea sicut ros se
 in herbarum summitatibus colligit, suamque originem repetit, ita Mes-
 sias redemptor noster sese in crucis altitudinē erexit, & inde ad gloriam
 suam remeauit. quas ob res Messias non ineptè à patribus antiquis ros
 uocatus est, ut ex hoc occulta, & incomprehensa filij Dei incarnatio, atque
 :: natiuitas designaretur. quocirca non ab re dixit Esaias. rorate cœli desu-
 per, & nubes pluant iustitiam, operiatur terra, & germinet saluatorem,
 & iustitia germinet pariter. ego Deus creauit eum. ubi cœli intelligun-
 tur, pater, & filius, & spiritus sanctus, nubes autem fuerunt propheta, ter-
 ra beata uirgo aperiens assensum suum, & sic fructificauerunt spiritus san-
 ctus, & ipsa Saluatorem, id est, Iesum, & ipsa germinauit iustitiam, Mes-
 siam scilicet, Deum, atque hominem pariter. Esaias quoque eum lapidem
 :: appellat. ecce (inquit) pono in Sion lapidem in summo ponendum an-
 gulo, electum, pretiosum, & qui crediderit in illo non pudebit. quem lo-
 cū Chaldæus interpres sic uertit. ecce ego constituo in Sion regē Mes-
 sias, regē potentē, robustum, & fortem. hūc locū citauit Petrus in epistola pri-
 :: mæ, interferens etiam illud psalmi. lapidem quem reprobauerunt ædifi-
 cantes, hic factus est in caput anguli. de qua eadem prophetia Dauid, in
 :: Actis loquēs principibus populi, & senioribus dixit. hic est lapis ille, qui
 reiectus est à uobis edificatibus, qui factus est in caput anguli, nec est in
 alio quoquam salus. & ipse Seruator Christus Iudæis loquens, huius loci
 :: meminit, cum dixit. nunquam legistis, lapis quem reprobauerunt ædifi-
 cantes, hic factus est in caput anguli. à Domino factum est istud, & est mi-
 rabile in oculis nostris? ideo dico uobis. quicumque ceciderit super lapi-
 dem istum, conteretur, super quem autem ceciderit, conteret eum. uo-
 catus est autem lapis, ob soliditatem Christianæ ueritatis, & fidei. ideo di-
 xit Dominus. super hanc petram, id est, super hanc fidei firmitatem ædi-
 ficabo ecclesiam meam. Hæc pro exēplo posita sint. nam alia etiam in
 prophetis reperire est nomina, huic puero imposita, quæ uel geminam
 eius naturam, Diuinam scilicet, atque humanam declarant, uel præclara
 eius facta significant. nunc uero in circuncisione ex mandato angeli uoca-
 tum est nomen eius Iesus. id est, Seruator. ipse enim (inquit) saluum
 faciet populum suum à peccatis eorum. Intueamur ergo hunc Iesum, ne
 que nos stabuli, ac præsepis offendat humilitas, aut opus circuncisionis,
 quam ut unus è populo pertulit. nam maioris rem ignominie, crucem
 uidelicet, est passurus. intueamur inquam, quantus sit iste, qui ingreditur
 ad seruandas gētes. quis è tam humilibus principijs tantam rerum maie-
 :: statem expectauisset? quis tam deiectum, & abiectum nasciturum credi-
 dit eum, qui per Esaiam multò ante predixerat. mihi curuabitur om-
 ne genu, & omnis lingua iurabit? quod explicans Paulus ait. propter
 quod

quod, id est, ob hanc humilitatem, quam præ se à principio usq; ad uitæ fi-
 nem tulit, Deus extulit illum in summam sublimitatem, & donauit illi no-
 men, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flecta-
 tur, cœlestium, terrestrium, & inferorum. & omnis lingua confiteatur,
 quod Dominus est Iesus Christus, in gloriam Dei patris. hic est, cui data
 est omnis potestas in cœlo & in terra. O admirandam nostram philoso-
 phiam, & à cuius contemplatione nunquam esset discedendum. quid
 enim, cum ab ea recesseris, aliud superest, in quo dignè nostræ cogitatio-
 nes occupentur? O supremam Dei bonitatem. o uerè temporis pleni-
 tudinem, quæ æternum complecti potuerit. ubi uenit (inquit) plenitudo
 temporis, emisit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ac
 subiectum legi, quam ut seruaret, uoluit hodie circuncidi, ut ministraret
 circuncisioni, propter ueritatem Dei, ut promissiones patribus factas con-
 firmaret. O præsepe adorandum, ægrè enim ab hoc præsepi diuelli pa-
 tior, in quo per hosce dies hic infans iacuit. quin & uos hortor, ut idem
 præstetis, si forte ex iumentis insipientibus, fieri sapientes aliquando con-
 tingat. quid obsecro hoc spectaculo admirabilius accidere unquam uo-
 bis poterit? is, qui in principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum.
 & Deus erat uerbum, per quod omnia facta sunt, hoc inquam uerbum, ca-
 ro factum est, & positum in præsepi. Audite hæc omnes gentes, auribus
 percipite omnes, qui habitatis orbem, quiq; terrigenæ, & filij hominum,
 simul in unum diues, & pauper. addam, stultus, & sapiens. diues, ut diui-
 tias cōtemnat, eas inquam diuitias, quæ fallaces sunt, & solo nomine sunt
 diuitiæ. nam re ipsa miserrima paupertate afficiunt homines. pauper, ut
 ditescat, & ijs opibus fiat diues, atque ijs thesauris, quos neque tinea cor-
 rumpit, neq; fures furantur. stultus, ut fiat sapiens, sapiens, ut fiat stultus,
 sed eo modo, quem admonet Paulus, cum ait. si quis in ter uos uidetur ef-
 :: se sapiens, stultus fiat, ut sit sapiens. nam hoc præsepe stultam fecit sapien-
 tiam huius seculi. quia enim in sapientia Dei mundus per sapientiam
 Deum non cognouit, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos fa-
 cere credentes. & demum intellectum est, quod stultum est Dei, sapien-
 tius esse omnibus hominibus, Vidit olim Zacharias Iesum sacerdotem
 :: magnum indutum uestimentis sordidis, ac uilibus. hic est, qui nunc fa-
 scijs inuolutus reclinatus est in præsepi. sed quem admodum illic iubentur
 uestimenta sordida ab eo auferri, & ornate uestiri, sic demum uide-
 bimus hunc gloria, & honore coronatum à Deo, & agnitum, quod ipse
 sit splendor gloriæ, & expressa imago substantiæ illius. quin & ante quam
 ex hoc præsepi in locū aliū transferatur, declarabitur è cœlo eius maiestas
 & uidebimus stellā Magis hunc puerū ostētantē, & eosdē Magos ab orien-
 te profectos. eū adorare, & dona offerre tāto Deo cōsentanea. Et nos ergo
 præfer-

præsertim per hosce dies adorādū hoc præsepe inuisamus, intueamurq; quæ nã sint leuāda eius inopia necessaria, & ea liberaliter offeramus. non pigeat ei reddere quæ sua sunt. nã quæcūq; habemus, eius benignitati accepta sunt referenda. & tamē, qua est bonitate, uult nos præmiū referre, perinde quasi res nostras ei obtulerimus. & quod præmiū? quàm magnificum, ac liberale? centuplū in hac ipsa uita, atq; in futura beata æternitas. quis tam insanus est, qui tantam oblatam occasionem auerferet? & tamen maxima hominum pars hac miseranda laborat infania. atque hoc propterea illis accidit, quòd hoc præsepe nunquam sunt contemplati, neque unquam in hanc cœlestem philosophiam ex animo se dederunt. quis enim parcere pecunijs posset, qui attentè intueretur hunc infantem, qui, cum esset diues, nempe uniuersorum Dominus, & cœli, ac terræ rex, tam pauper pro nobis sit factus, quàm nunc cernitis, ut nos sua ditaret inopia? sed hãc ei uicem reddere nemo nostrum generosè poterit, nisi & ipsi circumcidamur. diximus enim, circumcisionem esse amputationem illius pelliculæ, quæ sola in humano corpore est superuacua, & hanc circumcissionem figurasse eam uitæ perfectionem, quæ sub Euangelio esset futura. quæ amputatis omnibus terrenis occupationibus, & quasi ablato præputio, sola cœlestia curaret, ut dicere cum Paulo liceret, consuetudo nostra in cœlis est. circumcidendum est ergo præputium cordis, quod, in maxima uestri parte adhuc uideo superesse. præputium est illa habendi, & parandarum facultatum insatiabilitas. præputium est honorum ambitio. præputium est superbia, atque arrogantia, qua alius alio superior esse contendit. præputium est lata illa uia, quæ ducit ad perditionem, & maior uetri pars per eam ingreditur. inspicite, atque accuratius excutite facta uestra, & hoc præputium in rebus uestris omnibus reperietis, quod nisi auferatis, dicetur & uobis illud prophete. omnes gētes præputium habent, Israel autem incircuncisus est corde. uos enim estis ille spiritualis Israel, cui ueræ, ac cœlestes promissiones fuerunt factæ, si tamen incircuncisi corde esse desinatis. nam incircuncisos esse corde, efficit, ut facta uestra omnia sint incircuncisa, cibus, potus, uestitus, cultusque corporis, arca, horreum, cella uinaria, ædificia, agri, uineæ, oliueta, omnia ferè, quæcunque habetis. quod si intelligere uultis ita esse, conferte uitam uestram cum Euangelicis præceptis, quæ uos esse seruaturos, estis in baptismo polliciti. Christus ait. omnis ex uobis, qui non renuntiauerit omnibus, quæ possidet, nō potest meus esse discipulus. qui uerò discipulus Christi non sit, non puto eum promissā à Christo bona esse consecuturum. tu uerò quomodo resignare tua omnia paratus es, qui tot superuacua habes, & putrescere ea potius sinis, quàm ut ex eis tantæ egenorum penuriæ succurras? Paulus, in quo Christus loquebatur, docet, Christianum hominem, qui

qui uictum habeat, & quo operiatur, ijs contentum esse debere, tu uerò præter necessaria ad uictum, & cultum, tam multa habes superuacua, triticum, uinum, oleum, pecuniam, uestes, quas tineæ in arca consumunt, argentum, aurum, monilia, quibus nihil opus habes, & hæc omnia præputium sunt, & incircuncisi cordis indicia. plus aliquid sum dicturus. antequam Christi uox audiretur, & clara solis lux orbi illucesceret, sed lucifer duntaxat, atque initium auroræ appareret, Ioannes uidelicet præcursor Domini, dictum ab eo fuit. qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat. si in illo lucis primordio tam exacta, atq; ut sic dicam, circuncisa uita fuit requisita, quid censes postea, quàm ortus est sol, esse faciendum? nempe quod ipse mundi lux dixit. uade, & uende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & ueniens sequere me. hoc uerò quo modo præstabis, cum ne illud quidem præstes, quod ante Christum prædicantē, Christi præcursor admonuit esse faciendum ei, qui fugere à uentura ira uoluisset. Cernitis in quanto uersemini periculo ciuis mei, neque hoc intelligitis? iubet præcursor Ioannes, nondum plena lux, ut, qui fugere à uentura ira uelint, si habent duas tunicas, dent unam non habenti, & qui habet escas, similiter faciat. quid est, similiter faciat? idem, quod de tunicis est dictum. ut scilicet præter id, quod ad quotidianum uictum pertinet, cætera indigentibus impertiatur. nunc uerò cum sol iustitiæ creuit usque ad perfectam diem, ne illa quidem præstantur, quæ in crepusculo fuerant commonstrata, sed plerique omnes student domum domui, & agrum agro copulare. & tamen omnes uitam illam sempiternam, quæ solis Euangelicorum præceptorum obseruatoribus promittitur, ipsi tam uehementer ab illis alieni sibi pollicentur. O stoliditatem, o stupiditatem. non coronabitur (ait Paulus) nisi qui legitime certauerit. nos uerò, tantum abest, ut legitime certemus, ut ne certemus quidem, & tamen coronas expectamus, quæ non nisi legitime certantibus promittuntur. hæcine sunt siccorum consilia, & non potius uinolentorum somnia? certant ij, sed non legitime, qui bonam partem eorum, quæ præcipiuntur, præstant. ut si quis, exempli gratia, cum ociosos in arca habeat centum nummos aureos, quinquaginta tribuit indigentibus. mulier suorum monilium, & pretiosarum uestium, quibus duntaxat abutitur in pompas, dimidiam partem Christo offert, & ij non coronantur, quia minimè legitime certant. quantò uerò minus coronabuntur, qui ne hoc quidem præstant? qui nihil certant? qui nihil detrahare sibi de tot superuacuis conantur? & sanè si mentem haberemus, & nisi ob terrenas cupiditates, omnem exuiffemus humanitatem, ne certamen quidem, aut laborem iudicemus, ociosa ista, & minimè necessaria Christo tribuere, quæ dum tenetis, continuis laboratis molestijs, ac sollicitudinibus, ubi uerò Christo custodien-

O R A T I O D E C I M A .

Hodie tradidistis, omni priuati estis sollicitudine, ut quæ tutissimo loco sint collocata. quas molestias ut uobis auferret, admonuit, nolite, inquit, recondere uobis thesauros in terra, ubi erugo, & tinea corrumpit, & ubi fures effodiunt, & furantur. recondite uobis thesauros in cælo, ubi nec erugo, nec tinea corrumpit, & ubi fures non effodiunt, nec furantur. quam ergo habebitis excusationem, si ea etiam præstare recusatis, quæ cum fiunt, iucunditatem potius habent, quàm laborem, aut molestiam? quòd si omnino terrenis, & carnis operibus deditis laboriosum uidetur, superuacua præbere Christo, cogitent, multò laboriosius, multò quæ molestius futurum illis, cum audient. ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & angelis eius. esuriui enim, & non dedistis mihi cibum. sitiui, & non dedistis mihi potum, cæteraque objiciet pietatis opera, quæ præstare nunc recusatis. hoc erit uerè supremum terribilium, quod ethnici quoque sunt confessi, animam peccatis onustam in tartarum, atque æterna incendia relegari. Hæc itaque cogitantes circuncidamur & nos cum puero Iesu, & auferamus præputium cordis nostri: ut, cum in Christi fratres benigni fuerimus, eisque cibum, potum, uestes, cæteraque ad uitam necessaria liberaliter fuerimus impertiti, audiamus beatam illam uocem, uenite benedicti patris mei, percipite regnum, quod paratum est uobis à constitutione mundi, & sempiternum cum illo fruamur beatitudine: cui cum patre, & spiritu sancto est honor, & magnificentia, & potestas, & imperium in omnia secula seculorum. Amen.

O R A T I O

O R A T I O V N D E C I M A .



T cum impleti fuissent dies purgationis eorū, secundum legem Moſis, adduxerunt Ierofolyam, ut ſiſteret eum Domino, ſicut ſcriptū eſt in lege Domini. omne maſculinum adaperiens uuluum, ſanctū Domino uocabitur, & ut darēt hoſtiam, ſecundū quod dictum eſt in lege Domini, par turturū, aut duos pullos columbarū. Vt euidentius uobis fiat, quod hic ſcribit Euāgelista, repetēda breuiter ſunt, quæ in lege Moſis præcipiuntur, & primū, quod ad purificationē pertinet, in Leuitico ſic ſcribitur. Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculū, immunda erit ſeptem diebus, iuxta dies ſeparationis menſtrui ſui, & die octauo circūcidetur infantulus. ipſa uerò triginta tribus diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ. omne ſanctū nō tanget, nec ingredietur in ſanctuariū, donec impleatur dies purificationis ſuæ. ſi autem ſcœminā pepererit, immunda erit duabus hebdomadiſibus, iuxta ritum fluxus menſtrui, & ſexaginta ſex diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ. cumque expleti fuerint dies purificationis ſuæ, pro filio, ſiue pro filia deferet agnum anniculum in holocauſtum, & pullum columbæ, ſiue turturem pro peccato ad oſtium tabernaculi teſtimonij, & tradet ſacerdoti, qui offeret illa coram Domino, & rogabit pro ea, & ſic mundabitur à profluuiſanguinis ſui. iſta eſt lex parientis maſculum, aut ſcœminam. quòd ſi non inuenerit manus eius, nec poterit offerre agnum, ſumet duos turtures, aut duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccato, orabitque pro ea ſacerdos, & ſic mundabitur. Hoc eſt ergo, quod hic ait. cum impleti fuissent dies purgationis eorum. hoc eſt, quadreſimo die, iccirco ſolennis hic dies, qui purificationi beatæ Mariæ dicatur, quadreſimo die à Seruatoris Ieſu natiuitate celebratur, quia maſculū peperit. nā in ſcœminæ ortu duplicabatur dies, opuſque erat longiori purificatione, ob maiore humorū fluxum, ut ferūt, & ſanguinis corruptionē, quare nō ante octogefimum poſt enixam ſcœmellā diē licebat puerperæ adire tēplū Dei. uerū hæc dierum obſeruatione nō eſt ſub Euangelio neceſſaria, ſub quo cæremoniæ illæ abolitæ ſunt. Quod fuiſtis admonēdi propterea, quòd uideo quosdā interdum ſcrupulo aliquo teneri hac in re. Mirū uerò, quod ait Euāgelista, purificationis eorū, nō Mariæ ſolū, ſed utriuſque matris. ſ. ac filij. quid. n. purificationis opus fuit ei, qui toti hominū generi purificationē fecit per ſanguinem ſuum? ſed meminerimus hunc illum eſſe, de quo Paulus ait. miſit Deus filium ſuum in ſimilitudine carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum per carnem, ut iuſtificatione legis impleretur in nobis. & ruruſ. eum, qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficere-mur iuſtitiā per illam. id eſt, eum, qui ſine peccato erat, fecit tanquam

peccatorem subire mortem, ut esset oblatio pro peccato. sicut ergo similitudinem acceperat carnis peccato obnoxia, sic & tanquam unus e filijs sub peccato natis uoluit hunc subire ritum purificationis. uide uero, ut in illa offerendi sacrificij caeremonia pro recens natis, significabatur, neminem sine peccato esse, ne infantem quidem, cuius uita unius diei sit super terram. omnes enim in Adam peccauimus, & egeamus redemptione, sed ea, quae per Christum facta fuit, quam legis figuræ illæ significabant. non ergo Iesus egebat illa purificatione, sed ne Maria quidem eius mater, inspice enim legis uerba, atque ita esse reperiens. sic enim dicit lex. mulier, quæ suscepto semine pepererit, immunda erit. at Maria, uirgo concepit, & uirgo peperit, neque à uiro semen suscepit, ut dici ex ea re immunda potuerit. Adduxerunt (inquit) Ierosolymam, ubi uidelicet templum erat. nam in tota Hebræorum regione unustantum locus erat, ubi Dei cultus celebrabatur, atque id ex legis præcepto fuerat institutum, ut integer Dei cultus seruaretur, neque facile superstitionibus locus pateret, cuius rei quanta Israelitis cura fuerit, liquet ex facto, quod sub Iosue accidit. cum enim duæ tribus, ac semis, id est, Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse, citrà Iordanem sortitæ essent locum habitationis suæ, ac reliquæ tribus Iordanem traiecissent, ac secum haberent tabernaculum, & arcam, & omnia sancta, quæ ad cultum Dei pertinerent, due illæ tribus, ac dimidia, cum illis destitutæ essent, & uellent tamen Dei cultum exercere more Israelitici populi, ut & ipsi ex eo genere esse intelligerentur, simplici, ac pio animo ædificauerunt iuxta Iordanem altare magnum, atque conspicuum. quod cum audissent filij Israel, conuenerunt omnes in Silo, ut ascenderent, & dimicarent contra eos. & interim miserunt ad illos in terram Galaad Phinees filium Eleazar sacerdotis, & decem principes cum eo, singulos de singulis tribubus, qui uenerunt ad filios Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manasse, dixeruntque ad eos. hæc mandat populus Domini. quæ est ista transgressio? cur reliquistis Dominum Deum Israel, ædificantes altare, & à cultu eius recedentes? & cum plura in huius facti reprehensionem dixissent, responderunt duæ illæ tribus, ac dimidia. fortissimus Deorum Dominus, fortissimus Deorum Dominus ipse nouit, & Israel simul intelliget. si præuaricationis animo hoc altare cõstruximus, non custodiat nos, sed puniat nos in præsentem. sed hac cogitatione fecimus, ut diceremus. cras dicent filij uestri filijs nostris, quid uobis, & Domino Deo Israel? terminum posuit Dominus inter nos, & uos à filij Ruben, & filij Gad Iordanem fluium, & iccirco partem non habetis in Domino, & per hanc occasionem auertent filij uestri filios nostros à timore Domini. putauimus itaque melius, & diximus, extruamus nobis altare, non in holocausta, neque ad uictimas offerendas, sed in testimonium in-

ter

ter nos, & uos, & sobolem nostram, uestramque progeniem, quod scilicet & nos populus Dei sumus. & paulò post. absit à nobis hoc scelus, ut recedamus à Domino, & eius uestigia relinquamus, extructo altari ad holocausta, & sacrificia, & uictimas offerendas, præter altare Domini Dei nostri, quod extructum est ante tabernaculum eius. Obseruate primum in gentem decem tribuum Diuini cultus æmulationem, qui tametsi non audiissent, illos simulachra coluisse, ob solam tamen illius altaris extructionem sine reliqui Israelis consilio, arbitrati sunt, eos à Deo recessisse, & propterea decreuerant eos perdere. deinde illarum duarum, & semis tribuum circumspectionem, qui tametsi extruxissent illud altare ad posteritatis testimonium, ut posteri intelligerent, & ipsos inter Dei populum esse numeratos, non tamen sacrificia in eo altari offerre decreuerant, ne quicquam de ritu à maioribus instituto immutaretur. quare factum est, ut tandiu, dum hoc fuit obseruatum, ut scilicet uno in loco immolaretur Domino, cultus integer perseueraret. at ubi Ieroboam, sub quo decem tribus recefferunt à reliquis Israelitis, auocauit populum, ne in Ieru-

salem ad templum Domini proficisceretur, mox aurei uituli fuerunt introducti, & ueri Dei cultus ablati. quid uero in causa esse censetis, cur hac ætate plus superstitionum sit inter Christianos, quàm recti, ac sinceri Diuini cultus? nihil aliud, quàm quòd licet cuius impostori nouam introducere religionem, nouum cultum, nouas caeremonias, nouas preces, & quò magis aniles sunt, eò latius funduntur, & facilius, ac libentius admittuntur, & maior illis passim habetur fides, quàm ipsi Euangelicis, apostolicisque doctrinis, ut mihi uideantur hæc esse tempora, quæ prædixit Paulus ad Timotheum scribens, & eos taxans, qui cum essent sui-

ipforum potius amantes, quàm Dei, haberent formam pietatis, sed uirtutem eius abnegarent. hi sunt (inquit) qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur uarijs desiderijs, semper discentes, & nunquam ad scientiam pietatis peruenire ualentes. hæc ætas, quod ad religionem pertinet, illi persimilis est, de qua in libro Iudicum legimus. in diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisque quod sibi rectum uidebatur, illud faciebat. & sanè, cum omnia iudicio egeant, ac prudentia, tum religionis negocium est circumspectissimè tractandum. quod si factum superioribus annis fuisset, non esset Christianus orbis à tot hæresibus diuexatus. nam ad eos, quibus credita cura est regendæ Christianæ religionis, pertinet cauere, & summa diligentia, summoque cum Dei timore definire, quid faciendum, quid ue sit fugiendum, idque sacrarum scripturarum auctoritate nixos, neque cuius licet hoc agere, non populo solum, sed ne ipsis quidem concionatoribus, ac uerbi Dei ministris, sed harum rerum definitio ad eos pertinet, qui legitimi

Q 2 sunt

sunt rectores ecclesiarum, & Christianæ religionis. populi uerò, ac sancti Euangelij ministrorum officium est, significare ipsis rectoribus ea, quæ non rectè in Christiana religione se habent, præcarique, & eam uim adhibere, quæ filios deceat, ut decernât recta, & honesta, quæ pro causarum conditione decerni sunt necessaria. quod ubi fecerint, Christianorum, & Euangelici uerbi ministrorum officium est, ea, quæ decreta ab illis fuerint, & prædicare, & seruare. quem morem cernere est, fuisse primis illis temporibus obseruatum à sanctis, & timore Dei præditis hominibus, qui erant Antiochiæ, apud quos, ut Acta apostolorum memorant, cum quidam pseudoapostoli Iudæi disseminarent, oportere eos, qui in Christum credidissent, circumcidi, alioqui salutem non assecuturos. & quamuis apud eos essent Paulus, & Barnabas, ueri, ac fideles sancti Euangelij, Christianæque ueritatis ministri, qui errori illi, ac mendacio obfisterent eorum, qui Mosaicam circumcisionem prædicarent, tãquam ad salutem necessariam, non tamen hoc fuerunt contenti, neque hoc definire uoluerunt, sed statuerunt, ut ascenderent Paulus, & Barnabas, & quidam alij cum illis ad apostolos, & presbyteros in Ierusalem super hac quæstione. & conuenerunt apostoli, & seniores, ut dispicerent de hoc negotio, & summa cum diligentia, ac fide definirunt ea, quæ ipsi fidisimi sancti Euangelij ministri Paulus, & Barnabas definire noluerant, ob maiorem in ueritate confirmationem eorum, qui erant Antiochiæ. sed neque ipsi Antiocheni id effici uoluerunt ab eisdem geminis apostolis, sed summo studio miserunt eos, qui ista primatibus, ac columnis Christianæ ecclesie, qui erant in Ierusalem, significarent. At rem hanc Christianis uiris dignam, nostra ætate non præstiterunt principes, ac populi Alemanniæ, sed ad unius Lutheri uocem, eiusque mendacium discipulorum, confuderunt ordinem omnem, & cæremonias, ac uetustissima instituta sanctæ Romanæ ecclesie, de finieruntque, ac statuerunt nouos uitiendi ritus, ordines, ac cæremonias, atque inde multæ dissectæ secte ortæ sunt, quia gerere sese noluerunt, ut eum ordinem decebat, & grauitatem, & prudentiam, quæ in obedientibus, ac Deum timentibus hominibus esse solet. atque hæc audacia, ac temeritas non sine ingenti offensione, ac reipublicæ Christianæ, atque animarum detrimento fuit, ob fallacem, pestilentemque doctrinam, quam eorum magistri prædicat in libertatem carnis. oportebat ergo, & eorum officium erat, significare prius legitimis Christianæ ecclesie rectoribus ea, quæ à Luthero, & eius sectatoribus dicta, ac prædicata erant, Christianæ ueritati aduersari, deinde urgere, ut ab ipsis Christianæ ecclesie rectoribus fieret legitima definitio, & Christianæ ueritati consentanea. at ij, quemadmodum res ipsa patefecit, primum ipsi sua sponte statuerunt, quæ illis sunt uisa, deinde protestati sunt contra abusus, ac ritus ueritati Christianæ

Christianæ religionis minimè consentaneos, unde etiam protestantes sunt appellati. & profectò eorum magistri, qui eis, ut hoc facerent, persuaserunt, spiritum Domini non habuerunt, quanquam hoc ipsi sibi persuadeant, sed spiritum erroris, mendacij, seditionis, confusionis, ac perditionis animarum, destruxeruntque & uitam, & ueritatem Christianam. quod non faciebant illi olim fideles, ac timentes Deum, sancti Euangelij ministri, qui à prudenti, ac suauis Iesu Christi spiritu regebantur. quemadmodum legimus fecisse apostolum Paulum, qui cum omni prudentia, & patientia, ne infirmis fratribus, atque ipsi Christianæ religioni pareret offendiculum, circumcidit Timotheum, perinde quasi circumcisio res esset ad salutem necessaria, quamuis idem ipse ad Galatas dixisset, si circumcidamini, à gratia excidistis. quod sanè magnum est, & tamen coactus ipse fuit, ut offensionem euitaret, Timotheum suum circumcidere propterea, quòd filius fuisset mulieris Hebrææ. neque id solum uir sanctus effecit, ut uersari cum illis posset, ac in eorum salutem prædicare Euangelium, uerum ipse palàm in templo Mosaicam purificationem prædicauit, ut inter Iudæos uersari liceret, & Euangelicam ueritatem patefacere. sic enim in Actis apostolorum scribitur. tunc Paulus assumptis uiris, postera die purificatus cum illis, intrauit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio. in eundem modum apostolus Petrus, ne offendiculo esset ijs, qui ex Iudæis in Christum crediderant, reprehensus fuit à Paulo, quòd non ad Euangelij ueritatem ambularet. quin & ipsi apostoli, ne infirmi Christiani offenderentur, decreuerunt, tanquam rem necessariam, ut à suffocato, & ab immolatis carnibus abstinerent. quantò ergo magis ij, summa cum prudentia, ac timore Dei, non solum ferre debuerant, ut Romanæ ecclesie institutis starent, uerum etiam abusus, qui ab imperitis in ecclesiam fuissent introducti, tolerarent, donec à legitimis ecclesie præsidibus res infaurarentur? & hæc quidem satis sint ad demonstrandum, cur apud Iudæos, uno tantum in loco cultus Dei soleret celebrari, ne scilicet syncretitas Diuini cultus corrumperetur. nunc reliqua persequamur. Adduxerunt Ierosolymiam, ut fisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, omne ualculinũ adaperiens uuluã, sanctũ Domino uocabitur. & ut darèt hostiã, secundũ quòd dictũ est in lege Domini, par turturũ, aut duos pullos columbarũ. Inter multa signa, quæ exercuit Deus aduersus Aegyptios ob Israelitici populi liberationem ab eorũ seruitute, illud postremò fuit, quòd qua nocte egredi demũ ex Aegypto iussi sunt, percussit oẽ primogenitum in terra Aegypti, à primogenito Pharaonis, qui sedebat in solio eius, usq; ad primogenitũ ancillæ, quæ staret ad molã, & præterea omnia primogenita iumentorum. quod cum in Israelitarum beneficium factum

dum esset, ut eorum posteri huius beneficentia essent memores, iussit
 Deus, ut sanctificaretur sibi omne primogenitum, quod aperiret uulvam
 in filiis Israel, tam de hominibus, quam de iumentis, eo quod sua essent.
 cumque interrogauerit te (inquit) filius tuus cras, dicens, quid est hoc ?
 respondebis ei. in manu forti eduxit nos Dominus de terra Aegypti, de
 domo seruitutis. nam cum induratus esset Pharaon, & nollet eos dimitte-
 re, occidit Dominus omne primogenitum in terra Aegypti, à primogeni-
 to hominis usque ad primogenitum iumentorum. iccirco immolo Do-
 mino omne, quod aperit uulvam masculini sexus, & omnia primogenita
 filiorum meorum redimo. cum ergo offerrentur ob hanc causam primo-
 geniti, ac redimerentur per constitutam à lege oblationem, adductus est
 & Iesus, ut legis caeremonia etiam in ipso seruaretur. quod autem ait
 Euagelista, mandatum fuisse in lege Domini, ut offerretur par turturum,
 aut duo pulli columbarum, studuit breuitati. nam superius audiui-
 mus ex uerbis legis, iussu fuisse afferri agnum anniculum in holocaustum, &
 pullum columbae, siue turturem pro peccato ad ostium tabernaculi testi-
 monij, & tradi sacerdoti. & paulò post. quòd si non inuenerit manus
 eius, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures, uel duos pullos co-
 lumbarum. cum ergo hic mentio fiat tantummodo turturum, & pullo-
 rum columbarum, intelligi uoluit Mariae inopiam, quae id, quod diuites
 solebant, atque etiam mediocris fortunae homines, ipsa praestare non pos-
 set. & tamen erat mater Dei, quae Deum genuerat. ingens Christianorum
 probrum, qui tam anxie parandis opibus per totam uitam incumbunt,
 neque unquam ad tam admiranda sibi proposita exempla oculos conuer-
 tunt. Quod uerò ad turtures, ac pullos columbarum pertinet, cum ni-
 hil dubitandum sit, uerum esse, quod ait Paulus, omnia contigisse illis
 in figura, scio uobis gratum futurum, si quaeratur, cur duo turtures, non
 pulli turturum, & non par columbarum, sed duo eorum pulli offerri iu-
 beantur. eiusmodi quidem secretorum peruestigatio maiori spiritus il-
 lustratione indiget, quam habere me sentio, sed tamen aedificandae ec-
 clesiae gratia aliquid dicam. turturi ascribitur castitas, quam ferunt amif-
 so coniuge, nunquam postea cum altero coniungi, sed uiduam permane-
 re. uidetur ergo hic mandari, ut par turturum offeratur, ut doceantur
 homines casto coniugio uti, atque ab ijs impudicitijs abstinere, quae con-
 iugium sordidant, ut sit sanctum coniugium, & immaculatus thorus. &
 sciat unusquisque (ut Paulus docet) suum uas possidere in sanctificatio-
 ne, & honore, non in passione desiderij, sicut gentes, quae Deum nesciunt.
 & quando coniugium celebratur, cum uir apta aetate est, (iccirco enim
 maritus uir appellatur) & mulier est matura uiro, ob hanc causam non
 pulli turturum, sed ipsi turtures iubentur offerri. quæ res eos etiam ta-
 zat,

zat, qui ante quam ad maturam uiriliter roborem aetatem peruenierint, car-
 nis se uitijs sordidant, & ante generationi filiorum operam dant, quam
 ipsi satis creuerint, & pueri potius adhuc, quam uiri sint. quid uerò pul-
 li columbarum uolunt? hoc opinor. columba fecundum animal est, sed
 lasciuum, & salax. at uerò Deus fecunditatem quidem non auerfatur,
 sed lasciuiam, quod ut significaret, uoluit pullos columbarum offerri, in
 quibus nondum salacitas appareret. quo monentur coniuges, tunc eo-
 rum coniugium, tanquam oblationem quandam sibi futuram gratam,
 cum ita fecunditati, ac procreandis liberis operam dant, ut tamen à lasci-
 uia temperent, atque interdum precationi uacent. quemadmodum ad-
 monet Corinthios Paulus. ne fraudetis uos inuicem (inquit) nisi siquid
 ex consensu pro tempore, ut uacatis ieiunio, & precationi. Et ecce ho-
 mo erat Ierosolymis, cui nomen Symeon, & homo iste iustus, ac pius, ex-
 pectans consolationem Israel, & spiritus sanctus erat in eo. & responsum
 acceperat à spiritu sancto, non uisurum se mortem, nisi prius uideret
 Christum Domini. Obserua scriptoris gratiam, qui rem narraturus, quæ
 in illa infantis Iesu deductione in templum improuisò accidit, dicendi
 modo usus est, qui esset ipsi actioni accommodus. & ecce (inquit) homo
 erat Ierosolymis. sic & Matthæus historiam scripturus de inexpectato il-
 lo Magorum aduentu, eodem dicendi more est usus, cum natus esset (in-
 quiens) Iesus in Bethlehem Iudææ, ecce Magi ab oriente uenerunt Iero-
 solymam dicentes. ubi est, qui natus est rex Iudæorum? ecce ergo homo
 erat Ierosolymis, cui nomen Symeon, & homo iste iustus, ac pius. nam
 eiusmodi hominibus reuelantur cœlestia ista mysteria. hæc autem duo
 uerba, iustus, & pius, omnem complectuntur perfectionem, quæ & erga
 Dei uenerationem, ac cultum, & in mutua cum hominibus consuetudi-
 ne requiritur. soli uerò, qui huius sunt generis, Diuinorum mysterio-
 rum, ac reuelationum sunt capaces. dum animum à terrenarum rerum
 caligine liberum semper ad superiora erigunt, & cœlesti lumine illustra-
 ti uidere possunt ea, quæ reliquæ multitudini ignota sunt. Hic erat ex-
 pectans consolationem Israelis. at hæc consolatio erat aduentus Messiae. nam
 summa legis est Christus, & ob hanc causam prophetæ omnes de eo sunt
 locuti, & ab omnibus pijs hic aduentus summo desiderio expectabatur.
 quare ipse Dominus, de hac re loquens, ut admoneret auditores præsen-
 tis boni, quod iam aduentarat, dixit. beati oculi, qui uident, quæ uos ui-
 detis. dico enim uobis, quòd multi reges, & prophetæ uoluerunt uidere,
 quæ uos uidetis, & non uiderunt, & audire, quæ uos auditis, & non audie-
 runt. huius consolationis prophetæ sæpe meminerunt. Esaias enim sic
 ait. consolamini, consolamini populum meum, dicit Deus uester, quam
 prophetiam esse de Messia, id est, Christo, etiam Iudæi fatentur. & sanè
 uerba

uerba, quæ sequuntur, ita rem se habere magis declarant. sequitur enim loquimini ad cor Ierusalem, (id est, grata, & læta ei nuntiate) & aduocate eam, quia completa est militia eius, dimissa est iniquitas illius. quare hæc uerba recte ad tempora nostra referuntur, quando post aduentum Christi, gratia, & misericordia, & remissio peccatorum omnibus hominibus annuntiat, & finem accepit militia, & lucta illa, qua sub iugo legis sudatum est. quod neque nos, (ait Petrus) neque patres nostri portare poterunt. quare adiecit propheta. suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. ut scilicet pro peccatis accipiamus ex gratuita Dei uoluntate, non nostris meritis, duplicia bona, id est, remissionem peccatorum, & militia completionem. potest etiam illud, duplicia, esse Hebraismus, pro multitudine, & copia bonorum. sicut & in psalmo. semel locutus est Deus, bis hoc audiui id est, sepius. ita hic, suscepit duplicia, id est, magnifica, & incomprehensa, perinde quasi diceret. satis, superq; factum est pro peccatis, passio in natura nostra Christo, cum pater non pepercit unigenito filio suo, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Has ergo huius generis consolationes passim in prophetis reperies, quæ futuræ promittuntur per Christi aduentum. & expectabant quidem omnes Israelitæ in gens solatium ex Christi sui aduentu, quamuis non omnes æquæ intelligerent bona, quæ eius aduentus erat allaturus. maxima enim Iudæorum pars temporariam liberationem ab ijs, qui eos subegerant, ac temporarium Messie regnum expectabant, quo à Romanorum imperio liberarentur. quin & apostoli ipsi, ante missum spiritum sanctum, post resurrectionem tamen Seruatoris Christi, nondum intelligebant spirituale illius regnum, quemadmodum coniectare licet ex eorum uerbis, cum interrogauerunt eum dicentes. Domine num in tempore hoc restitues regnum Israël? quare si & Symeon aliquid tale expectabat, nihil est, quod miremur. quanquam ex sequentibus eius uerbis uidetur nescio quid maius intellexisse, quam à reliqua multitudine intelligeretur. idque docente proculdubio spiritu sancto, cum dixit. lumen ad reuelationem gentium. iccirco recte dixit Euangelista, & spiritus sanctus erat super ipsum. Cum ergo Symeon hic quotidie more sanctorum prophetarum precaretur, & eadem cum illis identidem diceret, ueni Domine, & noli tardare, relaxa facinora populi tui, & ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis, & utinam dirumperes cœlos, & descenderes, & plura in hunc modum, quæ reperire est in prophetis, & pia importunitate hunc Messie aduentum festinare postularet; respõsum acceperat à spiritu sancto, fore, ut nõ uideret mortẽ prius, quam uideret Christũ Domini. hac expectatione uir sanctus sua caniciem solabatur, & non dubitabat quidem futurum, quod spiritus sanctus ei dixerat, sed nihil longius sibi uidebatur, quam

ut

ut promissam hanc felicitatem intueretur. & quidẽ, si in hac uita degere diutius, ut pleriq; omnes solent, optauisset, nõ ita auidẽ expetendus illi erat hic aduentus, cum certò scire posset, se tam uicturum diu, quam diu prorogaretur, sed suæ gentis salutem propriæ uitæ anteferebat, à qua charitate nos longissimo distamus interuallo, & non modo ueris, perfectisq; Christianis, sed multis ethnicis sumus inferiores, qui priuata commoda patriæ commodis posthabebant, de quibus quidam poeta ait.

Priuatus illis census erat breuis,

Commune magnum.

quantum uerò scelus existimaretur ab ipsis ethnicis, priuatum bonum patriæ charitati anteferre, uidete quid alius dicat. ut leges omnium salutem singulorum saluti anteponunt, sic uir bonus, & sapiens, & legibus parens, & ciuilibus officij nõ ignorans, utilitati omnium plus quam unius alicuius, aut suæ consulit. nec magis uituperandus est proditor patriæ, quam communis utilitatis, aut salutis desertor, propter suam utilitatem, aut salutem. uir ethnicus, quo tempore tenebrę operiebant terram, & caligo populos, sola natura duce tam recto iudicio erat præditus, ut proditori patriæ equaret eum, qui priuata utilitatis contemplatione publicam utilitatem negligeret. nunc uerò in tanta Euangelicæ ueritatis luce tam sunt tenebricosi homines, ut nihil aliud, quam propriam utilitatem, & priuata commoda nosse uideantur. Et uenit per spiritum in templum. admonitus fuit à spiritu sancto, iam aduentasse tempus, quod hactenus expectauerat, quare ad templum proficisceretur, ibi enim se inuenturum Christum Domini, ad ipsum templum allatum. Et cum inducerent puerum Iesum parentes, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, id est, ut præstaret, quod lex præcipiebat, nempe ut ueluti primogenitum sisterent eum Domino, & offerrent par turturum, aut duos pullos columbarum, ipse quoque accepit eum in ulnas suas. non contentus uidisse infantem, ut expleret tam multorum annorum desiderium, ulnis eum excipere uoluit, ut posset & ipse cum apostolo dicere, & manus nostræ cõtrectauerunt de uerbo uitæ. & uita manifestata est. Felices ulnæ, quæ paruam quidem infantem, sed eundem magnum Deum tenuerunt. mirum uerò nisi & uos, qui hæc auditis, eodem teneamini desiderio, aut certè interfuisse optetis tam admirando spectaculo. sed nihilò minor uobis oblata felicitas est, si meminertis, quod ipsa ueritas dixit Thomæ. quia uidisti me, credidisti. beati, qui non uiderunt, & crediderunt. fide ergo licet & uobis amplecti, non solũ eo modo, quo tunc erat fascijs inuolutus, sed uti nunc est, ad dexteram Dei sedens. uis uidere puerum Iesum? crede illum natum ex uirgine, & quæcunque sancti Euangelistæ de eo scripserunt, & illum uidisti. habet enim suos oculos fides, & sanè acutiores oculis corporis, quales fuerunt beati

R illius

illius latronis, qui si oculis corporis duntaxat uti uoluisset, quid uidisset? hominem in crucem actum, & suprema mala perpetientem, & iamiam animam exhalaturum. at fides regem eum agnouit, & regnaturum credidit. quare & admirandam illam uocem protulit. memento mei Domine, cum ueneris in regnum tuum. cernis quam acutos oculos habeat fides? hac intuendus est Iesus, alioqui quid profuit Iudeis, qui illum quotidie intuebantur, atque insectabantur? quare de eis ipse Dominus dixit nunc autem & uiderunt, & oderunt, & me, & patrem meum. nihil ab ijs distat, qui hanc etate putant se fide uidere Iesum, & sceleratis factis crudelius eum, quam Iudei, persequuntur, nisi quod tanto Iudeis sunt deteriores, quod illi non eum esse Christum credebant. si enim agnouissent (inquit) nunquam Dominum gloriae crucifixissent. hi uero fatentur illum filium Dei, & ascendisse in caelum, & sedere ad dexteram Dei, & tamen sceleratioribus & factis, & uerbis in illum feruntur, quam unquam Iudei fecerint. fide ergo, eaq; uiua, ac uera utiliter cernitur Iesus. at quanam est uiua fides? quae uinis eum accipit, id est, quae non diligit uerbo, ac lingua: (ut ait apostolus) sed opere, & ueritate. uinis accipis, cum illi in fratribus suis esurienti cibum praebes, cum sitientem potas, cum nudum uestis, cum eum sine late, ac foco hospitio accipis, cum aegrotum curas, cum in carcere positum inuisis. & sanè iucundius illi est, si eum hoc pacto excipis, quam cum à beato Symeone exceptus fuit. sed uideamus, quid post acceptum in uenas Iesum Symeon fecerit. Et benedixit Deum, ac dixit. nunc dimittis seruum tuum Domine secundum uerbum tuum in pace. quia uiderunt oculi mei salutare tuum, quod paraisti ante faciem omnium populorum. lumen ad reuelationem gentium, & gloriam populi tui Israel. nunc (inquit) libens morior, & mortem tanquam dimissionem quadam a labore militiae arbitror, quando secundum uerbum, ac pollicitationem tuam, affecutus sum, ut uiderem, quod tantopere, ac tot annis mihi in uotis fuit. neque tamen dixit, morior, sed, dimittis, uel, ut Graeca uox habet absoluis. in Graeco enim est, ἀπολύεις, ut mortem appellet absolutionem quandam à uinculis, quibus anima detinetur, dum quibusdam quasi compedibus corporis obligatam sentit. quae dissolutionem & Paulus optabat, cum dicebat. desiderium habens dissolui, & esse cum Christo. atque hoc melius sibi esse dicebat, quam uis adhuc manere in carne ob eorum, qui crediderant, utilitatem, esset necessarium. mortem ergo hic uocat absolutionem. & quidem in ueteri testamento moriendi uocabulum in usu erat, uerum sub Euangelio, quando futura corporum nostrorum resurrectio certa promittitur, cuius arrabonem dedit Christus, primitiae eorum, qui essent per illum resurrecturi, mors somnus, ac dormitio conuenit appellari. nolo (inquit Paulus) uos ignorare de dormientibus. &

sepissimè

sepissimè in eius epistolis huius uocis usus inuenitur. quae morem ecclesiae imitata, locum, ubi fideles sepeliuntur, uocat κοιμητήριον, coemeterium, quod si latina uoce exprimere uelimus, uocabimus dormitorium, & rectè sanè. quid enim mors à somno distat, quem iure poeta, quidam imaginem mortis, & alius consanguinem laeti soporem appellauit, cum paulò post simus ad immortalem uitam, tanquam à somno ad perpetuam uigiliam excitandi? qui uerò apud nos hanc intimis sensibus non hauriunt, & dormitionem hanc pertimescendam mortem uocant, ij cognomine à Christo accepto digni non sunt, atque adeo multis ethnicis, & qui sine Deo erant, sunt inferiores. nam qui inter illos generosius sunt philosophati, nihil aliud esse arbitrabantur mori, quam exire è tenebris, & carcere, & uinculis. obserua enim cuiusdam ex illis uerba. uetat (inquit) dominans ille in nobis Deus, iniussu nos hinc suo demigrare, cum uerò causam iustam Deus ipse dederit, nae medius fidius uir sapiens laetus ex his tenebris in lucem illam excefferit, nec tamen illa uincula carceris ruperit, (leges enim uetant) sed tanquam à magistratu, aut aliqua potestate legitima, sic à Deo euocatus, atque emissus exierit. tota enim philosophorum uita (ut ait Socrates) commentatio mortis est. nam quid aliud agimus, cum à uoluptate, id est, à corpore, cum à re familiari, quae est ministra, & famula corporis, cum à republica, cum à negotio omni seuocauerimus animum? quid inquam tum agimus, nisi animum ad seipsum aduocamus, secum esse cogimus, maximeque à corpore abducimus? fecernere autem à corpore animum, nequaquam aliud est, quam emori discere. quare hoc commentemur, mihi crede, disiungamusque nos à corporibus, id est, consuefcamus mori. hoc & dum erimus in terris, erit illi caelesti uitae simile, & eum illuc ex his uinculis emisit feremur, minus tardabitur cursus animorum. nam qui in compedibus corporis semper fuerunt, etiam cum soluti sunt, tardius ingrediuntur, ut ij, qui ferro uincti multos annos fuerunt, quò cum uenerimus, tum denique uiuemus. nam haec quidem uita mors est. haec ille. cernis ethnicum uirum egregiè de morte philosophantem, & eam uitam, quae hanc secutura est, solam dignam existimantem, quae uita uocetur? & quid tandem in illa uita expectabant? sperabant se cum praestantibus uiris, qui antea è uita excessissent, uersaturos, & liberius quam nunc philosophaturos. nunc. n. nos corporis facibus inflammari ad omnes ferè cupiditates, tunc uerò beatos futuros, cum relictis corporibus, & cupiditatum, & emulationum erimus expertes. & quod nunc facimus, cum laxati curis sumus, ut spectare aliquid uelimus, & uisere, id multò tunc nos uberius facturos, foreque, ut nos totos in cõtemplandis rebus, perspiciendisque ponamus. & quae tandem illae res erunt? fabricae huius caeli, ac terrae contemplatio. sic enim dicebant, Ora ipsae locorum illo-

R 2 rum.

rum, quò facilitèrem nobis cognitionem rerum cœlestium, eò maiorem cognoscendi cupiditatem dabunt. etenim, si nunc (inquiunt) aliquid assequi se putant, qui ostium Ponti uiderunt, & eas angustias, per quas penetravit ea, quæ est nominata Argo, aut ij, qui oceani freta illa, uiderunt, Europam, Lybiamque rapax ubi diuidit unda, quod tandem spectaculum fore putamus, cum totam terram contueri licebit, eiusque cum situm, formam, tum habitabiles regiones, & rursum omni cultu uacantes, propter uim frigoris, aut caloris? hæc, & huius generis nonnulla sibi proponebant, cum non haberent, quo altius ueherentur, & ijs contenti delectabantur hac cogitatione, & spe. quid eos fuisse facturos censes? quantò audidius optaturos solui hæc uincula? si audiissent Paulum affirmantem, ac dicentem. scimus, quòd, si terrestris domus nostra huius tabernaculi dissoluatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cœlis. & illud. Seruatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ, ut conforme sit corpori claritatis suæ. & , fulgebunt iusti, sicut sol, in regno patris sui. & , quæ oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum. & , hæc est uita æterna, ut agnoscant te solum uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum. si inquam hæc, & horum similia audiissent, quodque ipsius opt. max. Dei contemplatio finis esset futurus eorum intelligentiæ, finis uidelicet omni fine carens, longè maiori profectò illuc proficiscendi inflammati fuissent cupiditate. nos uerò in tam felicibus promissis tam inertes sumus, ut nunquam ad ea bona, & eorum desiderium attollamur, quin plerique ira terreni, atque affixi humi reperiuntur, ut, si quis illis precetur æternam illam, atque immortalẽ uitam, respondeant, se uelle illã quam tardissimè sibi dari. O blasphemiam, ò uerè terrena corda, & quæ omni cœlestis luminis splendore sint destituta. intelligunt, hoc esse exilium, illam patriã, & exiliũ patriæ anteponunt, quod nemo in hoc uitæ somnio eligeret. audiunt, hanc esse umbrã mortis, illã uerò esse terrã uiuentiũ, & tamen ab hac morte auelli se non patiuntur. at beatus hic senex, quanquã non omnes hæc diuitiã, quas cõmemorauimus, fuissent tunc peruulgatæ, hoc cõtentus beneficio, quòd uiderit salutem suo populo paratam, latus dicit. nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum uerbum tuum, in pace. beati, qui, cum ex hac uita migrant, dicere possunt, se in pace dimitti. & ij soli esse posse mihi uidentur, qui, dum in hac uita essent, pacem illam in se senserunt, quam propheta dicit non esse impijs. qui uerò interiorem hominem per totam uitam plenum perturbationibus habuerunt, atque in lites, & contentiones, & simultates, & disidia semper incumbunt, non video, cur rectè sperare possint,

se

se in pacè esse dimittendos. si enim Euangelica lex est quædam cœlestis uitæ representatio, in qua summa, ac uera pax est, quis hinc discedens audeat illam sperare, à qua tam uehementer hic se fecit alienum? & in hoc gradu cum maximam huius ciuitatis esse partem uideam, ingenti dolore conficior, dum cerno, quãto in periculo uersentur, neque illud periculum intelligant. quæ res spem penè omnem salutis adimit: si enim intelligerent, spes superesset aliqua respiscendi. nunc uerò, cum uideamus, mori omnes ferè cum eo animo, qui nunquam uiam pacis agnouerit, uos colligite, quid boni, aut mali sit consecuturum. studeamus hanc pacem experiri exiguo hoc, quod superest, uitæ spatio, ut, cum uenerit uitæ finis, liceat & nobis cum fiducia dicere cum Symeone. nunc dimittis Domine seruum tuum in pace. & cum Dauid. caro mea requiescet in spe. alioqui ex ijs erimus, quos propheta execrandos pronuntiat, cum dicit. execrandus omnis, qui peccat in spe. Quia uiderunt oculi mei. hoc emphasim habet. plus enim est, quàm si dixisset, quia uidi. mei (inquit) ipsi carnis oculi uiderunt, quod tantopere, tamque diu exoptaueram, nempe salutare tuum, & eum, qui salutem nostro generi sit allaturus. Quod parasti ante faciem omnium populorum. meritò sanè, omnium. num enim Iudæorum tantum Deus? non ne & gentium? certè & gentium. cur ergo dixit ipse, non sum missus nisi ad oues, quæ perierant domus Israel? hoc ad Iudæorum opinionem locutus est, qui Christum sibi peculiariter promissum, ad se duntaxat pertinere arbitrabantur. quæ opinio ita eorum animis inueterauerat, ut illi ipsi, qui ex Iudæis crediderant, mirarentur, cum cernerent, Euangelicam gratiam etiam in gentes propagari. quòd uerò demum intelligendum esset, salutem hanc orbi omnium terrarum fuisse factam, idem Dominus præcepit discipulis dicens. euntes in mundum uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. rectè itaque dixit Symeon. quod parasti ante faciem omnium populorum. quo pacto? Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam populi tui Israel. ut esset scilicet, quod per prophetam longè ante fuerat dictũ. dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. quæ res magnæ Israelitico populo gloriæ fuit, quòd salus ex Iudæis esset. uerum, cum Esaias alloquens Ierusalem dicat. surge, illumina, quia uenit lumen tuum, uidetur hoc lumen æque ad Israelitas pertinere, atque ad gentes. sed sciendum est, primum eo loco Esaiam per Ierusalem intelligere ecclesiam, quæ ex Iudæis, & gentibus constat, deinde aduentum Christi lucem quidem attulisse omnibus. cum enim dixit, ego sum lux mundi, neminem excepit, neque Iudæum, neque ethnicum. uerum, quia

quia eo tempore tenebræ in primis occupabant gentes, quæ sine Deo ad simulachra muta euntes ducebantur, ut ait Paulus, Israelitæ uerò ueram Dei habebant agnitionem, quare etiam gloriabantur, quemadmodum obiicit eis Paulus, se duces esse cæcorum, lumen in tenebris uersantium, eruditores insipientium, doctores imperitorum, iccirco propriè dixit de gentibus, lumen ad reuelationem gentiũ. quantis uerò & ipsi Iudæi obsessi essent tenebris, & hoc egerent lumine, uide quid eodem loco dicat idem Paulus. qui igitur alium doces, teipsum non doces? qui prædicas non furandum, furaris? qui dicis non adulterandum, adulterium committis? qui de lege gloriaris, per legis transgressionem Deum deonestas? nam nomen Dei malè audit propter uos inter gentes. Lumen ad reuelationem gentium. ob hanc causam ecclesia hoc die cereos sacerdotali benedictione consecratos accendit, atque in solenni pompa procedens ita accensos fert, ut per hoc factum spirituale lumen Christus designetur, qui mundum per sancti Euangeliij sui prædicationem cælesti luce illustrauit. qua in re nunc intelligere potestis, quanto in errore superioribus annis ante me episcopum uersaremini, quando, quo die hæc cæremonia agebatur, ueniebatis in templum, tanquam ad mercatũ quendam, ut uidelicet cereos acciperetis, & acceptos continuò ferretis domum, sine ulla huius luminis contemplatione. quin multi tres, & plures interdum cereos expectabant, pro diuerso officij munere, quo ecclesiæ inferniebat. qui absurdi mores cum iam Dei benignitate sint sublatis, ecclesiasticas nunc cæremonias in sua puritate conseruatote. Lumen ad reuelationem gentium, id est, ut reueletur, & aperiatur hæc ueritas gentibus, quibus etsi non missi fuissent prophætæ, qui ista illis pollicerentur, prædictum tamen à prophetis fuit, gentes etiam fuisse accersendas. iccirco dixit Esaias. omnis, qui credit in illum, nõ pudebit. quæ uerba etiam ad gentes pertinere, Paulus ostendit, qui hunc locum citans adiecit. non enim est distinctio Iudæi, uel Græci. nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum. quicumque enim inuocauerit nomen Domini, saluus erit. sic de eisdem gentibus accersendis scriptum est. propterea confitebor tibi in gētibus, & nomini tuo cantabo. & rursum. gaudete gentes cum populo eius. &, laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi. & rursum Esaias dicit. erit radix Iesse, & qui exurget ad imperandum gentibus, in eo gentes sperabunt. hæc gentes nos eramus, ad quas tantum lumen fuit missum, & illud ingrati auersamur, neque de nobis dici potest, quod fidelibus, qui ex gentibus crediderant, dicebat Paulus. fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. quis enim nostrum ut filius lucis ambulat? quis nostrum indutus est, ut uolebat Paulus, armis lucis, abiectis operibus tenebrarum? si quis.

co-

eorum facta, qui se Christianos profitentur, contempletur, nihil ea distare uidebit ab ijs, qui olim in tenebris, & umbra mortis sedebat, ut uideatur fides, qua nos credere in Christum dicimus, ob unam duntaxat causam relicta nobis esse, ut scilicet seuerius condemnemur. nam seruus ne sciens uoluntate Domini sui, uapulabit paucis, sciens autè uoluntate Domini sui, & nõ faciès, uapulabit multis. in nos rectè dici possunt Seruatoris uerba, quæ aduersus Iudæos dixit. si nõ uenissem, & locutus eis nõ fuisssem, peccatum non haberet, nunc autè excusatione nullam habet de peccato suo. Resipiscamus aliquando ciues mei, & hoc lumen, quod ad reuelandam nobis tantam ueritatem, è cælo missum est, attentius, quàm hactenus sit factum, intueamur, atque ita uiuamus, ut, cum finis huius temporariæ uitæ uenerit, læti, & agentes gratias dicamus cum beato hoc seruo. nunc dimittis Domine seruum tuum in pace, quia uiderunt oculi mei salutare tuum, id est, oculis fidei Seruatorem Christum filium tuum agnouit. at hoc nemo dicere potest, nisi is, qui rectis, & honestis factis Euangelicam uiam ingressus per totam uitam sit. hoc canticum ediscendum à Christianis omnibus esset, docendique essent ab infantia liberi, ut dormituri illud dicerent. cum enim somnus imago quædam mortis sit, cogitandum eo tempore de morte esset: quod si fieret, rectius, ac tutius uiuerent homines, neque auderent cum ullo uitioso affectu somno se tradere. tu ne audebis dare te sopori cum odio erga proximum, aut cum scortandi uoluntate? ignoras, quàm multis accidat, ut repentina mors somno coniungatur? quod si omnes cogitarent, semper, ante quàm somnus obreperet, uitiosos omnes affectus exuerent, ac sequenti die sanctius uiuerent, atque exiguo temporis spatio ueri euaderent Christiani, qui non solo nomine, ut nunc sit, Christum, & eius doctrinam profiterentur. quod ut fiat, optandum ab omnibus est. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est honor, & imperium in omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO

ORATIO DVODECIMA.



Ierat pater, & mater eius mirantes super ijs, quæ dicebantur de illo. Ingens profectò ipsius Ioseph priuilegium, & magna dignitas, ut ob eam duntaxat causam, quòd desponsa erat ei mater Iesu Maria, pater filij Dei uocari ab Euangelista dignus fuerit. quia paulò post audituri estis, eandem ipsam matrem dicere. pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. hæc autem appellatio iccirco fiebat, quòd prius quàm ueritas uirginæ partus aperiretur, putabatur filius Ioseph, quare & Euangelista cõsuetudini sese accomodans appellat hic, Ioseph patrem Iesu, diximus enim sæpe alias, morem esse scripturæ sacræ uti & uerbis, & sententijs ad hominum consuetudinem, quæ res nisi obseruaretur, fieret, ut in multos, grauesque errores incideremus. cû enim, exempli gratia, audis Paulum dicentem, si in hac tantum uita sperantes sumus in Christo, miserabiliores sumus omnibus hominibus. si hanc sententiam ex ipsius Pauli mente dictam credas, & non potius eum sese demississe ad auditorum infirmitatem, eum efficias mercenarium, ut qui non ob amorem Christi, sed ob expectatam ab eo mercedem ipsi Christo seruiret, quod si ita opineris, ubi locum habebunt magnifica illa uerba, quibus aperte demonstrat, se non ob mercedem, sed ob amorem in hac philosophia uersari? quis nos separabit (inquit) à dilectione Dei? num afflictio? num angustia? num persecutio? num fames? num nuditas? num periculum? num gladius? & paulò post. mihi persuasum habeo, quòd neque mors, neque uita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque ulla creatura alia poterit nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. quòd si quid adhuc scrupuli tibi superest, uide, quid in eadem epistola dicat. optassem anathema esse à Christo pro fratribus meis; hic apertissimè profitetur, se paratum fuisse, carere bonis illis à Christo expectatis, si hæc à Christo relegatio ipsius Christi honori esset inferuitura. & sanè si quis aliter de hoc apostolo sentiret, illum ethnicis efficeret inferiorem. nam quidam ex eis dixit. id iniustissimum ipsum est, iustitiæ mercedem querere. & alio loco. honestum id intelligimus, quod tale est, ut detracta omni utilitate, sine ullis præmijs, fructibus ue, per se ipsum possit iure laudari, quid ergo uoluit apostolus in illis uerbis? loquebatur de resurrectione mortuorum aduersus eos, qui illam negabant, qui cum sciret, non admodum multum esse eorum numerum, qui ita amore

amore ueritatis essent inflammati, ut, detracta omni utilitate, quotidianis se pro Christo mortibus, quod eo tempore accidebat, obijci se paterentur, ostendere uoluit, absurdam esse eorum opinionem, qui non crederent, corpora ad immortalẽ uitam esse resurrectura, & tot laborum, ac malorum, quæ pro Christo passa fuerunt, omni præmio destituenda. quare & seipsum inferuit, & paulò post etiam adiecit. quid & nos periclitamur omni tempore? quotidie morior, per nostram gloriationem, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro. si secundum hominem cum bestijs pugnaui Ephesi; quæ mihi utilitas, si mortui non resurgunt? edamus, & bibamus, cras enim moriemur. eodem dicendi more inuenies Paulum & alibi locutum, ut, cum de se rationem apud regem Agrippam redderet, dixissetq; Agrippa Paulo. modica ex parte persuades mihi, ut siam Christianus. respondit Paulus. optarim à Deo, nõ solum modica ex parte, uerum etiam magna, non te modo, sed omnes etiani, qui me audiunt, esse tales, qualis ego sum, exceptis uinculis his. at Paulus illis uinculis gloriabatur, magisq; se eis honestari existimabat, quàm regio ullo diadema te. sed quia ij, ad quos uerba faciebat, non erant huius mysterij capaces, excepit uincula, quæ nisi excepisset, arbitrati essent, Paulum illis malè precari, cum diceret, optare se omnes esse sicut ipsum. & Lucas ergo Euangelista hic Ioseph uocat patrem Iesu propterea, quòd ita passim per aliquot annos fuit creditum. Erat (inquit) pater, & mater eius mirantes super ijs, quæ dicebantur de illo. non mirum est, & Mariam fuisse miratam, quæ tametsi sciret, illum esse Dei filium, mirabatur tamen, cum miracula addi miraculis cerneret. mirabatur inquam, non ut ignorans, sed ut quæ attentius contemplaretur, ea esse maxima admiratione digna. atqui inter homines illi ipsi magis admirantur res à Deo creatas, & maiestatem, ac sapientiam, quæ in eis delitescit, qui maiore sunt præditi intelligentia, quàm imperitum uulgus, quod ferè ista latent. quare non immeritò quidam inter externos philosophos præstantissimus aiebat. nulla rudibus magis ridicula uideri, quàm Diuina, nulla rursus sapientibus admirabiliora, quàm eadem Diuina putari, atque hoc sanè est, quod efficit, ut tanta in hominibus sit erga Deum ingratitude, ipsa scilicet ignorantia, ob quam nunquam attolli discunt, ad eius sapientiam, potentiam, bonitatem erga genus nostrum, quam quotidie ostendit, admirandam, & prædicandam. quotus enim quisque est, qui sciat cum regio illo propheta attollere in cælum oculos, & dicere. uidebo cælos tuos opera digitorum tuorum, lunam, & stellas, quæ tu fundasti? quod ut intelligas illum ob admirationem ista dixisse, orditur psalmum illum ab admiratione, & in eadem admirationem claudit, & ait. Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in uniuersa terra. ob hanc admirationem & alio psalmo

inuitat ad laudandum Deum, & ait: confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius: quo pacto? qui fecit cœlos in intellectu. qui fundauit terram super aquas. qui fecit luminaria magna, solem in potestatem diei, lunam, & stellas in potestatem noctis. an summopere non est admiranda, & summis efferenda laudibus Dei potentia, & sapientia, & bonitas, cuius imperio indefesso cursu cœlestis illa siderum chorea, die, noctuq; suum ministerium nobis præstat? quantæ admirationis est, tantam terræ molem, suis libratam ponderibus immotam stare? qui fundasti (inquit) terram super stabilitatem suam, non inclinabit in seculum seculi. quam multa præterea in ipsis omnibus elementis quotidie fiunt, summa digna admiratione, in quibus temporis, & propositæ materiæ ratio non patitur, ut pro dignitate exspatiemur, quæ imperiti, adde & ingrati homines nunquam obseruant, at grati, & prudentes assiduè in eorū admiratione uersantur? hæc autem iccirco diximus, quod quidam existimant, admirationem illam, cuius hic Lucas meminit, ad Ioseph potius, quam ad Mariam pertinere, cum cōtrarium magis opinari consentaneum sit, decuisse matrem Dei eò magis illa, quæ de puero Iesu dicebantur, admirari, quam ceteros omnes, quò maiore horū mysteriorū agnitione erat prædita. alioqui si admirari imperfectionis esset, quid dicemus de Seruatore Christo, qui, cum esset Dei sapientia, admiratus est fidem centurionis? at hæc admiratio dignior illo fuit, quam reliquis omnibus, qui intelligeret plus quam reliqui, rem illam maxima fuisse dignam admiratione. Mirabantur ergo super ijs, quæ dicebantur de illo. uel hoc, quod dixit Symeon, magnificum sanè, & admirandum, quod scilicet salutare hoc propositum esset in conspectu omnium populorum, essetq; illustratio gentium futurus, & Israelitici populi gloria. potest etiã esse adiuncta anticipatio ob ea, quæ consequuntur de eodem Symeone, & de Anna prophetissa. Et benedixit illis Symeon, & dixit ad Mariam matrem eius. ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum, cui contradicitur. benedixit illis. id est, bene illis precatus est, ut hæc initia felicem exitum fortirentur. quod uerò matrem, nõ autem patrem allocutus sit, uidetur à spiritu sancto edoctus fuisse, quod illa uirgo genuerit, & partus ille nihil ad Ioseph pertineret. quam & hoc scire potuit ex prophetis, præsertim ex Esaia, qui aperte dixit. ecce uirgo concipiet, & pariet filium. Ecce positus est (inquit) hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel. quod in ruinam positus fuerit multorum Israelitarum, non ipse in causa fuit, sed eorum uitio id accidit, qui oblatam salutem neglexerunt. ipse enim dixit, ego ueni, ut uitam habeant, & abundantius habeant. & rursus. non enim misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut seruetur

tur mundus per ipsum. qui credit in eum, non iudicatur. qui uerò non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomen vnigeniti filij Dei. hoc est autem iudicium, quod lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. ecce eorum culpam, qui oblatam lucem sunt auerfati. Quam autem hic ruinam appellat, apostolus Petrus impactiōnem, & offensionem vocat. nam citans illum Esaia locum, ubi ait. ecce pono in Sion lapidem, in summo ponendum angulo, electum, pretiosum, & qui crediderit in illo, non pudefiet, adiecit. vobis ergo pretiosus est, qui creditis, ijs uerò, qui non credunt, lapis, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, & lapis offendiculi, & petra impactiōnis, nempe ijs, qui impingunt in sermonem, neque credunt. hæc est illa excæcatio, de qua in Actis apostolorum Paulus loquitur ad incredulos Indæos. bene spiritus sanctus locutus est per Esaia prophetam ad patres nostros dicens. vade ad populum istum, & dic. auribus audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non perspicietis. in crassatum est enim cor populi huius, & auribus grauius audierunt, & oculos suos compresserunt, nequando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos. de hac eadem excæcatione Paulus ad Romanos scribens ait. quod quærit Israel, hoc non est affectus, sed electio affecta est, reliqui uerò excæcati sunt, quemadmodum scriptum est. dedit eis Deus spiritum compunctionis, oculos, ut non videant, & aures, ut non audiant, vsque in hodiernum diem. & Dauid dicit. fiat mensa eorum in laqueum, & in captionem, & in offendiculum, & in retributionem ipsis. obtenebrentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua. hæc est Indæorum ruina, de qua Symeon hic loquitur. resurrectionem uerò intelligit salutem, quam erant affecturi ij, qui in illum credidissent, de qua resurrectione Paulus loquitur, cum ait. surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illucescet tibi Christus. nam hæc prima est resurrectio, de qua idem Paulus ait. consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem, ut quemadmodum surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. ut videlicet uitæ nouitas imitatio quadam sit resurrectionis Christi à mortuis, quam demum nostrorum corporum plena gloriæ resurrectio est consecutura. Positus est ergo hic infans in ruinam, & in resurrectionem multorum. ubi hoc? in Israel. ad Israelitas ergo hæc pertinet prophetia, quam impletam cernimus, quando aliqui quidem crediderunt, maxima uerò pars ea fuit, quæ impegit, & de qua Seruator ipse dixit. qui ceciderit super lapidem istum, conteretur, super quem autem ceciderit, conteret eum.

sed cur non aperte Symeon ostendit hanc differentiam, sed eodem usus uocabulo est, ut diceret, in ruina & in resurrectionem multorum? non erat hic locus declarandorum omnium, quæ erant euentura. uel eadem usus fuit œconomia, qua & Paulus, qui quamuis cerneret, præter paucos ex Iudæis, reliquos fuisse excæcatos, dixit tamen, quòd si quidam eorum non crediderunt, nunquid incredulitas eorum irritam fecit fidem Dei? cum enim dicendum fuisset, quòd si maxima eorum pars non credidit, dixit, si quidam eorū non crediderunt, ut mitiorem faceret orationem. ita & hoc loco fecit Symeon. Superiora ergo uerba ad Iudæos pertinent, quæ uerò sequuntur, id est, & in signum, cui contradicitur, non ad Iudæos solos, sed ad gentes etiam referenda sunt. accepta est autem similitudo à iaculantibus, ac sagittarijs, qui proposito signo aliquo, ad scopum illum iaculantur. erit (inquit) tanquam signum, contra quod aduersarij quasi iaculaturi sint, dum ei aduersabuntur. uis autem scire, quo pacto fuerit in signum, cui soleat contradici? audi quid dixerint Iudæi Paulo. de secta, ista notum est nobis, quòd ei ubique contradicitur. sed quare? prædicamus (ait Paulus) Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Iudæi enim offensi sunt in mysterio crucis, quod mortis genus cum teterrimum sit, maximeque abominandum, ipsi uerò expectent Messiam, id est, Christum suum, regem potentissimum, & qui temporario regno sit potiturus, persuaderi eis non potest, hunc, qui tanta cum ignominia sit interfectus, esse eum Christum, quem lex, & prophetæ promiserunt. adhuc enim uelamen illis positum est, super faciem Moïsi, ut in claritatem uultus eius non possint intueri, id est, mysteria, quæ in lege, & prophetis latent, intelligere. quare hic infans adhuc illis signum est, cui contradicitur. & hæc quidem Iudæi. gentes uerò, quæ sapientiam illam duntaxat agnoscebant, quæ humano ingenio fuerat excogitata, neque intelligebant, cogitationes Dei ab hominum cogitationibus longissimo distare interuallo, rem stultitiæ plenam arbitrabantur, credere Dei filium in cruce actum fuisse, ac tam probro mortis genere affectum. quia ergo sermo crucis Iudæis res infirma, gentibus uerò stulta uisa est, iccirco ab utrisque contradictum ei fuit. sed heu miserandam sortem nostram. illi quidem, qui ita, ut diximus, contradixerunt, in iustè quidem hæc egerunt, sed leuior fuit culpa eorum, quibus hoc ob ueritatis ignorationem accidit. uerum multò miserabilior est ea contradictio, quæ illi ab ijs fit, qui fatentur, Christum esse Dei uirtutem, & Dei sapientiam, & deterius erga eum affecti sunt, quàm olim Iudæi, ac gentes. nam Iudæi in eum sæuierunt, arbitrati hominem tantum, qui suis moribus, atque institutis aduersaretur. tantum uerò aberant ab eo, ut illum Deum crederent, ut ob eam ipsam causam petierint è medio tolli, quòd

se

se filium Dei diceret. sic gentes ignorantes eius maiestatem in cruce eum egerunt. si enim agnouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent, nostri uerò, qui illum Dei filium, ac Deum profitentur, credunt eum ascendisse in cœlum, ac sedere ad dexteram Dei summo patri equalem, & venturum ad iudicandum uiuos, & mortuos, & redditurum unicuique secundum opera sua, & tamen multò maiore cum iniuria illi contradicunt, quàm ij vnquam fecerunt, qui propterea illi aduersabantur, quòd illum non agnoscerent. primum ijs blasphemijs hunc filium Dei impetunt, quibus non solum Iudæi non fuerunt vnquam profecuti, sed ne ethnici quidem suos Deos, qui tamen non erant Dij. deinde contraria illius vitæ, ac doctrinæ facta exhibent, perinde quasi non Deum, ac Dominum suum agnoscant, sed hostem, quem insectari sit necessarium. ille cultu, victu, sermone, factis supremam præ se humilitatem tulit, nostri in his omnibus supremam superbiam præ se ferunt. ille ita paupertatem per totam vitam est amplexatus, ut non haberet, ubi caput reclinaret, hi paupertatem tanquam conspectum anguem fugiunt, & pecunias, opes, facultates, magna ædificia, agros, vineas quotidie perquirunt, & in his cogitationibus toti sunt. ille honores, & oblatum regnum recusauit, hi nihil aliud quàm honores, dignitates, potentiã ambiunt. ille summam lenitatem, ac patientiam exhibuit, hi nihil ferre pro Christo patiuntur. ille ita inimicos dilexit, ut & proditoris in ipsa prodicione osculum non recusauerit, & pro ijs, qui illum cruce affigebant, patrem orauerit. hi, qui à Christo cognomen acceptum circumferunt, mutuis per totam vitam odijs laborant. hæc est multò molestior Christo contradictio, quàm eorum, qui vel illum in cruce egerunt, vel suos ita persequebantur, ut, cum eos interficerent, arbitrarentur, se obsequiū præstare Deo. & hanc contradictionem, nemo ferè nostrum est, qui videatur intelligere, quin potius in ea perseuerant vsque ad mortem, & se tamen cum illo, cui semper contradixerunt, regnatos sibi pollicentur. Est ergo adhuc in signum, cui contradicitur. & tuam (inquit) ipsius animam penetrabit gladius, ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes. mos prophetarum est, res obscuritate sermonis inuoluere, quod sanè ad prophetiæ dignitatem facit, ne cuius prophano eius intelligentia sit obuia, quod esset, sanctum dare canibus, & proijcere margaritas ante porcos. satis enim est, si suo tempore intelligatur, sanctos Dei prophetas uera dixisse. uidetur ergo hic intelligere cruce, ac mortem filij Dei, quæ non potuit non matris animam in morem gladij penetrare. neque enim maternus affectus reprehenditur, qui intra rationis limites contineatur. per illa autem uerba, ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes, significabatur, futuram ingentem rerum in orbe terrarum mutationem, & nouas, ac admirandas per crucis prædi-

prædicationem aperiendas esse in mundo cogitationes. quid enim tam admirandum vnquam fuit, aut esse poterit, quam prædicari hominem, qui in crucem actus sit, & credi Deum, ac mundi Seruatorem, atque ob fidem in illum, homines, qui dudum à simulachris fuerant conuersi, opes, facultates, honores contemnere, atque exquisitissimis sese tormentis obijcere, nulla proposita in hac vita spe, sed expectatis solis illis bonis, quæ post hanc vitam prædicatores Euangelij pollicebantur esse danda ijs, qui hunc virum in crucem actum, Deum, & Seruatorem mundi esse credidissent? atque hoc erat, quod videbatur Paulus admirari, quòd hoc mysterium creditum fuisset à mundo, cum dixit. & citra controuersiam magnum est pietatis mysterium. Deus manifestatus est in carne, iustificatus est in spiritu, visus est in angelis, prædicatus est gentibus, creditus est in mundo, receptus est in gloria. neque verò mihi proponas eos, qui nunc in mundo sunt, seque Christianos appellant, cum nihil minus norint, quam Christianam philosophiam. sed refer animum ad ea tempora, cum venditis facultatibus, ac domibus, quamuis vxores, & filios haberet, proieciabant pretium earum ad pedes apostolorum, nihilque priuatarum facultatum sibi reseruabant, eratque credentium numerus cor vnum, & anima vna. hoc quantum erat, & quam cælestes, ac Diuinas cogitationes credendum est fuisse in eis, qui omni rerum humanarum ope destituti, sola fiducia futuræ vitæ sustinebantur? illic autem omnia præsentem intuebantur mortem, vbique horrida erat rerum facies, insectabatur Christianos mundus, tanquam maleficos, & sceleratos. erant, qui Christum confitebantur, tanquam morti addicti, spectaculum erant mundo, & angelis, & hominibus. esurientes, sitientes, nudi erant, incertis vagabantur sedibus, malè vbique audiebant, persecutionem patiebantur, conuicijs afficiebantur, velut excrementa mundi facti erant, & omnium reiectamentum. commendabant se, vt Dei ministros in tolerantia multa, in afflictionibus, in necessitatibus, in anxietatibus, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, ludibrijs & flagris explorabantur, & vinculis, & carcere, lapidati, dissecti, tentati, gladijs interfecti, oberabant in ouillis, & caprinis pellibus, destituti, pressi, afflicti, in desertis errantes, & montibus, ac speluncis, & cauernis terræ. quis eorum hanc horridam rerum faciem perferre potuisset, nisi cælestibus nutriti fuissent cogitationibus, quæ per eorum tolerantiam ex eorum cordibus reuelabantur? non erat tunc crux signum gloriæ plenum, vt nunc est, quo princeps mundi plus quam alio vilo ornamento honestantur, & tamen cum in tanta gloria nomen Christi per orbem omnium terrarum peruagatū sit, eiusmodi cogitationes nusquam reuelantur propterea, quòd homines solo nomine sunt Christiani, factis autem Christum negant. & hæc quidem prædi-

prædicta Mariæ à Symeone fuerunt. Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Afer, hæc processerat in multam ætatem, & vixerat cum viro annis septem à virginitate sua, & hæc vidua annorum ferme octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, ieiunijs, ac deprecationibus deferuens nocte, ac die. & hæc eadem hora superueniens, vicissim confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Ierolymis. Vide, vt quicumque in Dei amicitiam veniunt, summa præditi sunt auctoritate, & digni fiunt, quibus plena fides habeatur, & verum est, quod ait Paulus, quòd scilicet, vbi quis Christum induit, nulla fieri debet distinctio personarum. quicumque (inquit) baptizati estis, Christum induistis. non est Iudæus, neque Græcus. non est seruus, neque liber. non est masculus, ac femina. omnes enim vos vnus estis in Christo Iesu. alioqui in grauiorum rerum testimonio non facile mulieribus fides habetur. at hoc loco Euangelista sciens Euangelicam veritatem à Deo pendere, maximum arbitratus est, atque grauisimum esse huius mulieris testimonium propterea, quòd spiritu Dei esset plena, ad quem spiritum pertinet cælestia hæc reuelare mysteria. huius ergo mulieris testimonium, vt ostenderet Lucas dignum esse, quòd admitteretur, eius vitæ meritum prius narrat. quòd prophetissa esset, atque hoc prophetiæ donum ob exactæ vitæ meritum fuisset assecuta, quantam enim in hac muliere integritatem, ac vitæ perfectionem fuisse credendum est, quæ, quo tempore liberorum procreatio in summa erat laude, neque lasciuia, vt nunc, ascribebatur, si mulier sæpius nuberet. nam tritum est illud, mulier, quæ multis nubet, multis non placet. eo inquam tempore contenta fuerit esse cum viro septem duntaxat annis, reliquum tempus partim in virginitate, ante scilicet, quam viro traderetur, partim in viduitate post viri mortem elegerit degere. idque vsque ad annos ferme octoginta quatuor? alia præterea accedit commendatio, quòd non discederet è templo, ieiunijs, ac deprecationibus feruens die, ac nocte. meritò ergo tanti meriti femina idem munus assecuta est, quòd Symeon, quòd scilicet & ipsa huius ad templum allati infantis fuerit admonita. quare & hæc eadem hora superueniens, vicissim confitebatur Domino, id est, laudibus celebrabat Dominum. est enim Hebraismus, scripturæ sacræ familiaris, vt illud. confitemini Domino, quoniam bonus. & confitebor tibi Domine in toto corde meo, & pluribus alijs locis. vicissim (inquit) confitebatur Domino, id est, quemadmodum Symeon, sic & ipsa celebrabat Dei erga populum suum, benignitatem. & vide, vt Euangelistæ studeant breuitati. quàm multa enim dixisse prophetissam hanc credendum est, digna quæ literarum monumentis traderentur? & tamen nihil eorum in Luca est scriptum.

ORATIO DVODECIMA.

recte enim Ioannes dixit, fore, vt totus mundus non caperet numerum librorū, si omnia, quæ de Seruatore Christo dici poterant, fuissent scripta. sed quibus ista loquebatur de hoc puero? omnibus, qui expectabant redemptionem in Ierusalem, qui hunc aduentum prætolabantur, auideq; expectabant, nam ij soli digni sunt quibus, cœlestia aperiantur mysteria. audiant hoc ij, qui ad audiendū verbum Dei somniculosè, atq; oscitanter accedunt, quos, qui nam sint, vobis ostendam. ij sunt, qui non ante huc conueniunt, quàm episcopus bonam concionis partem absoluerit, & ple runque ante eius finem discedunt. ij profectò indigni sunt, qui vel in tem plum admittantur. & sanè faciendum mihi aliquando erit, quod iam du dum sum interminatus, vt scilicet, vbi primum in hanc sedem ascendero, claudantur templi portæ, vt exigui illi, qui reperti fuerint conuenisse, tan torum mysteriorum soli participes fiant, vt qui soli ijs digni sint. non pu det in rebus tantæ & maiestatis, & vtilitatis tam esse ineptos? si spectaculum aliquod in foro esset exhibendum, & fabula recitanda, tota conflue ret ciuitas, & per aliquot ante horas præuenirent & viri, & mulieres, vt ac commodum ad spectaculum locum haberent, æstumque, & pluuiam in terdum ij perferunt, quamuis ex ea re nil aliud, quàm curiositatem refe rant. vbi verò agitur æterna salus, primum minima ciuitatis pars conue nit ad verba Dei audienda. deinde ex illo exiguo numero non omnes id studium, & affectum illum adhibent, quæ tâto negotio sunt necessaria. hæc res me uehementer excruciat, atq; admodum suspensum tenet, quid hac ciuitate sit faciendum. quare obsecro vos per Dominum Iesum, vt tantum errorem agnoscat, & cum eo studio ad audienda Diuina verba accedatis, quod rei magnitudo postulat, vt fructum, qui proficisci inde so let, demum referatis. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum pa tre, & spiritu sancto est honor, & imperium sempiternum. Amen.

ORATIO

ORATIO DECIMATERTIA.



Et ut perfecerunt omnia secundum legem Moſis, reuerſi ſunt in Galilæam in ciuitatem ſuam Nazaret. Diſceſſerant, ut ſuperius audiuiſimus, à Nazaret, ut uenirent ob indiçtum ab Auguſto cenſum, in Bethlehem ciuitatem Dauid, atque illic proſtiterentur. ubi cum accidiſſet, ut Maria pareret, permanſit de more, ac mandato legis, in eo loco, ubi pepererat, quadraginta diebus, quibus peractis, facta eſt illa, quam audiſtis, in templo purificatio, qua peractâ caremonia, cum nihil aliud ex præcepto legis relinqueretur faciendum, reuerſi ſunt in priorem locum, uidelicet Nazaret. Sed dubitant quidam, quo pacto id factum ſit, cum Mattheus narrans Magorum acceſſum ad adorandum hunc puerum, quem in Bethlehem reppererunt, dicat apparuiſſe angelum Domini poſt diſceſſum Magorum ipſi Ioseph in ſomnis, iuſſiſſeq; ut ſurgens tolleret puerum, ac matrem eius, & fugeret in Aegyptum, futurum enim, ut He rodes quæreretur puerum, ut eum perderet. ille uerò excitatus (inquit) aſ ſumpſit puerum, & matrem eius noctu, & ſeceſſit in Aegyptum, & fuit ibi uſque ad obitum Herodis: qua re perfectâ, narrat, quo pacto interfecerit pueros, narrat deſuncto Herode iuſſum Ioseph reuerti cum puero in ter ram Iſrael, illumq; reuerſum habitaſſe in ciuitate Nazaret. hic uerò Lu cas dicit, eos, ubi perfecerunt omnia ſecundum legem Moſis, reuerſos eſſe in Galilæam in ciuitatem ſuam Nazaret. ſed obſeruandum eſt, eſſi Mattheus dixerit, digreſſis Magis angelum Domini admonuiſſe Ioseph, ut cum puero, & matre proficiſceretur in Aegyptum propterea, quòd Herodes quaſiturus eſſet puerum, ut eum perderet, non tamen ſcriptum eſſe, mox id fuiſſe factum. ſed neque Herodes ſubito poſt Magorum di ſceſſum pueros interfecit, ſed interceſſit temporis interuallum: quare ſe ri potuit, ut perficerentur omnia, quæ in lege Moſis mandabantur, & re uerſi ſint in Nazaret, deinde admonuerit angelus Ioseph, ut fugeret, fa ctaq; ſint reliqua omnia, quemadmodum ab Euangelista Mattheo ſunt ſcripta. Puer autem creſcebat, & corroborabatur ſpiritu, & implebatur ſapientia, & gratia Dei erat ſuper illum. Creſcebat in aſſumpta à nobis natura. cum enim per omnia ſimilis noſtri effectus ſit abſque peccato, conſentaneum erat, ut more aliorum puerorum ſucceſceret, ac per ætatis incrementa corpus augeſceret. neque quicquam ei accideret diuerſum à reliquorum puerorum natura. alioqui hæretici, qui multa ſomniarunt de hac accepta à nobis filij Dei ſubſtantia, multò maiorem habuiſſent de hac re ſomniandi occaſionem. fuerunt enim, qui ignorantes Dei con ſilium, ac ſapientiam, & bonitatē in hoc myſterio, ſuis cogitationibus per-

T moti,

moti, opinati sint, Seruatorem Christum nō accepisse uerum humanum corpus, sed illud uel è cœlo attulisse, uel alia quauis uia imaginarium habuisse, perinde quasi ignominia fuisset, à muliere accepisse corpus, atque cum eo prodijisse. neque aduertebant stolidi, primum se notam Deo inuere, ut qui aliquid uel creauerit, uel in creata natura instituerit, reprehensibile. deinde hanc œconomiam descensus filij Dei ad nos, futuram uisuisse simulationem quandam à Dei maiestate alienam, si homo uideretur is, qui homo non esset. postremò nō aduertebant, oportuisse humanam ipsam naturam, non aliquid pro ea imaginarium Deo satisfacere, ut ad hoc restitueretur, propter quod facta erat. uerum, quia nec illa, nec quicquid Deus non est, efficere hoc potuit, nam homo ad hoc, ad quod est institutus, non restituitur, nisi ad similitudinem angelorum, in quibus peccatum non est, prouehatur, quod fieri possibile non est, nisi omni accepta remissione peccatorum, quæ non fit, nisi integrè satisfiat, quam satisfactio nem talem esse oportet, ut peccator, aut aliquis pro illo det aliquid Deo, de suo, quod debitum non sit, quod superet omne, quod Deus non est. nam si peccare est Deum dehonestare, & hoc facere homo non deberet, si etiam necesse esset, omne, quodcunque Deus non est, perire, utique ueritas immutabilis, & aperta ratio exigit, ut, qui peccat, reddat Deo pro honore illi ablato, aliquid maius, quàm sit hoc, pro quo illum dehonestare non debuit: quod quia humana natura sola non habuit, neque tamen sine debita satisfactione reconciliari poterat, ne iustitia Dei in suo regno peccatum sine ordine relinqueret, ob hanc causam succurrit Dei bonitas, & hanc naturam in suam personam assumpsit filius Dei, ut in ea persona esset homo Deus, qui haberet, quod superaret, non solum omnem essentiam, quæ Deus non est, sed etiam omne debitum, cui peccatores sunt obnoxij. & hoc, cum nihil pro se deberet, soluit pro alijs. pretiosior est enim uita hominis illius, quàm omne illud, quod Deus non est, & superat omne debitum. etenim si interfectio illius superat omnem & magnitudinem, & multitudinē peccatorum, quæ cogitari possint, palam est, uitā ipsius meliorem, ac præstantiorem esse omnibus peccatis malis. hanc uitam ille homo, qui ex debito mori non debuit, quia peccator non erat, sponte dedit de suo ad honorem patris, cum eam sibi auferri propter iustitiam permisit. Crescebat ergo in aliorum hominum morem per ætatum gradus corporis incremento, ut ueritas acceptæ humanæ naturæ declararetur. quod uerò addit, & corroborabatur spiritu, & implebatur sapiētia, hoc ad interiorem hominem pertinet, quod scilicet per ætatis incrementa augebatur robur, spiritus, & sapientia. quod tamen non ita intelligendum est, ut reliquis hominibus accidit, quibus id, quod nondum habebant, accedit, sed sinebat apparere pro corporis incremento

hominis

hominis perfectionem, & robur spiritus, & sapientiam. alioqui perfectissimus fuit, omnium theologorum testimonio, in ipso acceptæ à nobis naturæ initio. &, quemadmodum, cum eius corpus in uirginis utero formatum fuit, non fuit expectatus ille dierum numerus, qui in aliorum generatione requiritur, ut semen aptetur ad figuram corporis, ac demum in illud infusa anima, sed eodem momento & maternum semen adhibebitur, & humanum corpus anima humana præditum fuit; sic ubi Diuinitas illi homini in unam personam coniuncta fuit, & factus est unus Deus, & homo Iesus Christus, mox omnes & sapientiæ, & scientiæ thesauri in eo habitauerunt. uerum, sicut, ubi ex utero matris prodijt, non repente uoluit corpus suum in uirum perfectum euadere, quamuis fuerit de eo prophetatum, scemina circundabit uirum, quod potius de perfectione interiori, quàm de corporis mole propheta sensit; sic noluit repente declarare thesauros illos sapientiæ, & scientiæ, nequid monstruosum uideretur introducere: sed expectabat, ut pro ætatum gradibus, quod etiam in alijs hominibus usu euenit, interioris animi diuitiæ apparerent. quod exemplo nobis esse debet, ut nequis supra ætatem quicquam audeat, quod exemplum si obseruaremus, non essent in Christiano orbe monstri illi abusus, quos quotidie cernimus, ut pueris episcopatus, & supremi in ecclesia gradus dentur, quibus uix digni reperiuntur ij, qui per omnes ætates usque ad senectam in summa & sanctitate, & doctrina vitam egerunt. Et gratia Dei erat super illum. hoc ad acceptam humanam naturam referendum est, in quam quicquid fuit collatum, Dei gratiæ acceptum referri debet. Et ibant parentes eius quotannis Ierosolymam in die festo paschæ. hoc dicit ob historiam, quam mox est narraturus. ibant autem quotannis Ierosolymam, ut seruarent legem, quæ præcipiebat, ut ter per annum appareret omne masculinum in conspectu Domini in loco, quem elegisset. is autem locus erat Ierusalem, ubi erat templum. tria autem illa tempora erant, solennitas azymorum, id est, pascha, solennitas hebdomadarum, id est, pentecostes, & solennitas tabernaculorum. tria uerò hæc tempora præcipuè electa sunt, quibus apparerent in conspectu Domini Dei sui, & memores essent beneficiorum, quæ in eos contulerat Deus. pascha enim celebrabatur in memoriam liberati Israelitici populi ab Aegyptiaca seruitute, & ob huius rei memoriam, anniuersarius hic dies fuit institutus, de quo cum alijs copiose uobis uerba fecerim, non sunt omnia nunc de ea historia repetenda. solennitas hebdomadarum est festum pentecostes, uocaturque solennitas hebdomadarum, quia septies septem dies, id est, septem hebdomadæ inter pascha, & pentecostem intercedunt. hebdomas enim, id est, septenarius numerus in ueneratiōe apud Hebræos erat, quia Deus sex diebus mundum creasse scribitur, ac septimo quieuisse.

T 2 hæc

hæc autem solennitas instituta fuit in memoriam datæ legis in monte Sina. & eodem die gratiæ agebantur pro nouis frugibus, quorum primitiæ tunc offerebantur. nobis hæc solennitas est ob spiritum sanctum ipso die missum in apostolos, cum lex noua data est, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnis. festum tabernaculorum seruari iustum est, vt meminissent, quod per quadraginta annos habitare Deus fecerit filios Israel in deserto: quos quantum Deus ibi curarit, habes in cantico Moïsis, vbi dicitur, inuenit eum in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis, circumduxit eum, & docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi sui. præstitum & illud eis fuit, quod ait psaltes. dedit illis manna, vt ederent, panem cœli dedit eis, panem angelorum manducauit homo. & rursus Moïses in Deuteronomio de eadem solitudine, & beneficijs ibi populo collatis loquens ait. vestimentum tuum quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit, & pes tuus non est subtritus, en quadagesimus annus est. & paulo post. eduxit te de terra Aegypti, de domo seruitutis, & ductor tuus fuit in solitudine magna, atq; terribili, in qua erat serpens flatu adurens, & scorpius, ac siccitas, & nullæ omnino aquæ, qui eduxit riuos de petra durissima, & cibauit te manna in solitudine. vt ergo memores essent horum beneficiorum, iussit Deus, vt singulis annis habitarent septem diebus in tabernaculis. Cum autem lex præciperet tantum de masculis, vt ter singulis annis irent ad locum, quem elegisset Dominus, hic autem dicat, vt rursus parentem, id est, Mariam, & Ioseph, quotannis solitos proficisci Ierosolymam in die festo paschæ, fieri potest, vt Ioseph quidē semper ter per annum proficisceretur, Maria verò non ob præceptum legis, sed ob solam pietatem proficisci in paschate, die nimirum cæteris solenniore, solet, atque iccirco hic peculiariter paschatis facta mentio sit. quod si quis credere velit, Mariam etiam in alijs solennitatibus solitam proficisci, tunc dicendum est, hic paschatis factam fuisse mentionē propterea, quod eo tempore acciderit, quod mox sequitur. Et cum factus esset annorum duodecim, ascendit cum illis Ierosolymam, secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus, cum redirent illi, remansit puer Iesus Ierosolymis, & non cognouerunt parentes eius. Quod lex præcipit, vt omne masculinum ter singulis annis proficisceretur ad locum, quem ad sui cultum elegisset Dominus, non est credibile, hoc præceptum ad recens natum pertinuisse: sed cogitandum est, quam ob causam hoc fuisse mandatum, & tunc facile conijcere poterimus, quæ ætate esse debuissent, quibus mandatum est, vt proficiscerentur. diximus in superioribus orationibus cauissē Deum, ne puritas sui cultus corrumpetur, vt vno tantum in loco esset templum, ad quod omnes Israelitæ proficiscerentur. at hic cultus ad recte, & piè, & sanctè degendam vitam

vitam fuit institutus, quæ vita eò sanctius agitur, quò purius Diuina percipiuntur, quæ tanquam scopus quidam sunt, ad quem cogitationes, & verba, & facta nostra omnia dirigantur. sed ad hæc percipienda non omnis ætas idonea est. nam infantia anni, qui sensu carent, apti non sunt eiusmodi mysterijs intelligendis. quare credibile est, pueros non accessisse, nisi cum aliquantò incipiunt esse earum rerum capaciores, quod ferè circiter duodecimum annum accidere solet, & ob hanc causam fieri potest, vt tunc primum puer Iesus cum parentibus ascenderit Ierosolymam. quod exemplum etiam Christianis hominibus, siquid Christiani pectoris haberent, esset imitandum, vt filios, vbi primum capaces esse incipiunt, curarent admirandis hisce Christianæ philosophiæ mysterijs instrui, & assuescere audiendo verbo Dei, quod & eos in omnem induceret veritatem, & lubricam ætatem à vitijs cohiberet. in quo enim (inquit) corrigi adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos. nunc verò nihil minus parentibus est curæ: quo fit, vt in viros euadant, atque adeo ad caniciem plerunque perueniant, Christianæ philosophiæ ignarissimi. quare moneo vos, quicumque in tam crassis erroribus estis hætenus versati, vt hoc exemplum posthac vobis, ac filijs vestris proponatis, eosque saltem vbi duodecimum agunt annum, iubeatis assidue conuenire, vbi verbum Dei, & Christiana mysteria tractantur. sic enim fiet, vt & illi optimè educentur, & vos maximum, ex eorum præclara educatione, solatiū reportetis, cuius rei cōtrarium nunc experimini. dum enim nullum studium imbuendis eorum animis Christiana pietate adhibetis, quod à tenera ætate esset aggrediendum, fit, vt in omnia se flagitia ingurgitent, comestationibus, scortationibus, adulterijs operam dent, in mutua vulnera, & cædes ruant. hinc proscriptiones, & exilia sequuntur, & domorum vestrarum ruina, & dignam vestra in educandis vestris liberis inertia, atque socordia mercedem refertis. quod si, quemadmodum hodie vos moneo, eos educaueritis, & vos illud assequemini, quod Salomon ait, erudi filium tuum, & recreabit te, & dabit delicias animæ tuæ, & breui ciuitas instaurabitur, atque ad Christianos mores reuocabitur. nam iuuentutis educatio est, quæ in vtranque partem plurimum valet, vt vel felix ciuitas, vel calamitosa euadat. Cum ergo factus esset annorum duodecim is, qui est ab æterno, ascendit cum parentibus ad diem festum, vt iam tum summi patris negocia inciperet exercere. & consummatis diebus, quibus mos erat Ierosolymis morari (septem enim diebus paschale festum celebrabatur) cum redirent illi, remansit puer Iesus Ierosolymis, & non cognouerunt parentes eius. Miraretur hic fortasse quispiam, ac pia increpatione cum matre Iesu

Iesu expostularet, cur passa esset, ac penè commisisset, ut tantus filius le ignorante remaneret in Ierusalem, ac ferre potuisset, vt vllò momento à matris præsentia abesset. verum nihil est, cur quisquam beatam hanc virginem socordix, aut negligentix accuset. primum enim norat illum officiosissimum, atque obsequentissimum parentibus, vt nunquam ab eorum latere præter eorum voluntatem discesserit. quare ne somniare quidem poterant, fore, vt ipsis reuertentibus, ipse in Ierusalem permaneret. deinde quæ tanta custodia adhiberi poterat ad eum obseruandum, si ipse inobseruatus esse voluisset? erat enim omnipotens, poteratque multis modis efficere, vt nullum studium, nullaque obseruandi industria satis esset, quò minus ipsis nescientibus remaneret Ierosolymis. quamquam vna res idonea erat ad hoc efficiendum. credendum est enim vicinos, & cognatos summa charitate affectos esse puero Iesu, quem etsi Christum esse non agnoscerent, (nam hoc vsque ad trigessimum circiter annum non fuit peruulgatum) neque intelligerent ea de illo mysteria, quæ matri nota erant, eius tamen compositi mores, & omni ex parte absoluti, prouocabant omnes, vt eo frui optarent. quare mater sinebat eum cum illis interdum esse, ne nimix zelotypix accusaretur. atque hinc factum est, vt facile elaberetur, neque eius in Ierusalem remansio potuerit à parentibus agnoscì. Habebat interea ciuitas Ierusalem puerum Iesum filium Dei, & ignorabat. rei autem ignoratæ nullus est vsus. in medio vestrù (ait Ioannes) stat, quem uos nescitis. at ea ignorantia caruit reprehensione, cum nemo adhuc reuelasset, quis esset. at verò tunc reprehensi fuerunt, cum de eis dixit Dominus. nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & patrem meum. hoc idem nunc nobis accidit, qui in tanta oblata luce, tenebris gaudemus, & illum factis ipsis videmur ignorare. quæ ignoratio cum ex deprauatis moribus, atque à Diuinis legibus alienis profisciscatur, digna est, in quam omni castigatione animaduertatur. Remansit ergo puer Iesus Ierosolymis, & non cognouerunt parentes eius, ceterum arbitrati illum esse in comitatu, venerunt itinere diei, & requirebant eum inter cognatos, & inter notos. &, cum non inuenissent eum, reuersi sunt Ierosolymam, quærentes eum. Quæsitus Iesus, non est inuentus inter cognatos, & notos, id est, carnis cognatione coniunctos. iccirco aiebat Paulus. etsi cognouimus Christum secundum carnem, nunc tamen non amplius nouimus, atque hoc est, quod Iudæos etiam nunc impedit, quò minus hunc Iesum inueniant. cum enim Messiam suum expectent, suæ tantum gentis liberatorem, hunc verò Iesum cernant à gentibus coli, & adorari, non putant hunc esse Christum, videnturque adhuc illum quærere inter cognatos, & inter notos. sed tandiu, dum illum ita quærunt, non inuenient. quærunt etiam inter cognatos & notos ex nostris ij, qui, cum ali-

aliquam exercent beneficentiam in proximum quenque, id contemplatione potius cognationis, quàm affectu in Christum faciunt, persuadentque sibi, (nihil enim facilius est, quàm seipsum decipere) ac suis cogitationibus, se ob Christum eam exercere beneficentiam, sed ij non inueniunt Iesum. si enim ob affectum in Christum ista præstarent, in eos in primis curarent esse benefici, qui longe maiore egestate laborant, quos cum negligunt, vt minus indigentibus consanguineis opitulentur, facile eorum error arguitur. atque hoc sanè vitium latissimè patet, præsertim in ecclesiasticis fructibus distribuendis. cum enim aliquos huius erroris, ac vitij admoneo, tam multas sibi prætexunt causas, vt nihil aliud sibi persuaderi patiantur, quàm quòd ob pietatem hoc faciant. ita miseri ad se ipsos duntaxat circumueniendos sunt ingeniosi. at ij demùm, cum inuenisse se Iesum opinabùtur, simul christum inuenisse deprehèduntur. Cùm ergo non inuenissent eum, reuersi sunt Ierosolymam, quærentes eum. & accidit post triduum inuenerunt eum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem. Non est à pietate aliena illa eorum cogitatio, qui quærunt, vbi nam Iesus tribus illis diebus fuerit hospitatus. sed fieri potest, vt ille, qui, cum esset diues, supremam amplexatus est paupertatem, vt nos sua paupertate ditaret, pauperum aliquorum hospitio vsus fuerit, cum quibus cibum mendicaret. Libet hic has nunc matres, quæ verbum Dei, & pulchram hanc historiam audiunt, interrogare. quid facturæ fuissetis, si ad domos vestras hic Iesus eleemosynam postulaturus venisset, sciretisq; illum esse Iesum filium altissimi, quid inquam fuissetis facturæ? opinor primum uos ad pedes eius iacentes, illum fuisse adoraturas, deinde totam ei domum obtulissetis, præcipuè quæ priuatis vestris usibus inferuiunt, ut sunt uestes, monilia, breuiter muliebris uester mundus omnis, quicquid præcepisset pollicitæ essetis uos præstaturas, ut si dixisset, nequa uestrum posthac fucò uteretur, aut pretiosis uestibus, neque in res inutiles, ac uanas pecunias infumeret, sed in pauperes potius curaret erogandas. neque uerò arbitror, uiros minus futuros obsequentes. quibus si dixisset, tantum pecuniarum tritici, uini, uestium, auri, argenti habetis, tantum satis est uobis, ac filijs uestris ad uictum, & cultum, reliquum mihi reddite, meum enim est, & à mea in uos liberalitate profectum, quicquid possidetis, quin & uos ipsi opus meum estis. &, quamuis hæc omnia sint mea, si tamen ea ob mei gratiam in pauperes tribuatis, uobis ipsis accepta referam, & cumulata reddam, non in futura uita solum, sed etiam in hac ipsa, in qua nunc degitis. quis uestrum siue uir, siue mulier, ad tantæ maiestatis præsentiam, atque ad uerba, quæ tanta ratione niterentur, non continuò manus dedisset, atque omnia, quæcunque præcepisset, implere studuisset? at hæc ipsa nunc ex Euangelio præcipit is, qui non,

non, vt tuus, in infirma natura, & duodecim annorum ætate est, sed sedet ad dexteram Dei, & omne genu illi flectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. scimus illi datam esse omnē potestatem in cœlo, & in terra. & ne quis haberet, quo excusaret excusationes in peccatis, quod est hominibus in primis familiare, ac diceret, si ipse presens adesset, omnia illi offerrem, hanc excusationem auferens dicit. quicquid vni ex his minimis fratribus meis fecistis, mihi fecistis. audis hic illum fateri, sibi omnia fieri, quæ in pauperes fratres suos conferantur. cuius rei vt nos faceret certiores, uide, quid in iudicio se dicturum profiteatur, satis esse cuique poterat, si diceret. venite benedicti patris mei, possidete regnum, quia esurierunt pauperes & mei gratia dedistis eis cibum, sed rem multo præstantiorem dicturus est. esuriui, sitiui, nudus fui, infirmus, hospes, in carcere, & mihi hæc obsequia præstitistis. quam rem cum sciret magnæ hominibus futuram admirationi, & ob hanc dicturi essent, quando te vidimus horum indigentem, & hæc tibi præstitimus? adiecit, quod vni ex his minimis fratribus meis fecistis, mihi fecistis. cum ergo audias ipsum profitentem, se in pauperibus accipi, ac recreari, cur, cum pauperem cernis, non ita commoueris, perinde quasi Iesus ipse adesset, & ea præstas, quæ præsentī ipsi fuisset præstaturus? nunc verò satis te fecisse arbitraris, si dato panis crustulo pauperi, illum dimittas: interea aurum, & argentum eruginem contrahere, vestes à tineis consumi, triticum putrescere, vinum marcescere potius toleratis, quam velitis hæc Christi fratribus, atque adeo ipsi Christo, à quo omnia habetis, impertiri. malunt mulieres infinitam pecuniam in tam multas vanitates infumere, quam Christo in suis fratribus dare, atque ad deo reddere, cum ab eo habeant omnia. & quid hæc sola cogitatio, quod quicquid habemus, quicquid sumus, ipsius est, inuitare deberet, vt essemus liberalissimi in eos, quos solos ipse nobis commendauit. cum verò polliceatur, se & in hac vita centuplum, & in futura sempiterna premia redditurum, quæ tanta est vel ingratitude, vel socordia, aut potius vesania, nolle, si non ob amorem tanti muneratoris, certè tantæ propositæ utilitatis contemplatione, esse in pauperes liberalem? quam verò iusta erit eorum in Geennam, atque æterna incendia relegatio, qui nequæ summa Dei erga se charitate permoti, neque saltem vt mercenarij, tantorum promissorum spe illecti, neque demum vt serui minis terri, ad rem tam præstati faciliem prouocentur? nam ob hanc causam minatur, se in ignem æternum missurum eos, qui hanc beneficentiã præstare recusauerint, vt vel metu ad benigne faciendū permoueantur. qui ergo neque profusa illa charitate Dei erga se, neque tam felicibus promissis, neque horrendis illis minis æternarum pœnarum excitatur ad id opus, ad quod ipsa per se natura inuitat, cogitate, quæ Geennæ idoneæ esse possint ad tantum scelus castigandum

gandum. hæc uelim ciues mei ut identidem uersetis animo, ac beneficentiæ accuratius posthac operâ detis, quæ bona omnia uobis est conciliatura. Post triduum ergo inuenerunt eum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Ecce ubi inuenitur Iesus, inter eos uidelicet, qui Diuina tractant. nam ij doctores erant legis periti, & qui in Diuinis scripturis uersabantur. inter eiusmodi homines inuenitur Iesus, inter eos uerò, qui nugis, ac fabulis uacant, qui lasciuos sermones miscunt, qui detractionibus, & oblocutionibus operam dant, qui terrena semper negocia tractant, inter huius generis homines inquam inueniri non potest. ubi fuerint congregati (inquit) duo, uel tres in nomine meo, in medio eorum sum. congregantur in nomine Iesu, id est, in nomine Seruatoris, qui in mutuo congressu tractant ea, quæ ad salutem æternam pertinent. quod quam sæpe à uobis fiat, uestras ipsi conscientias interrogate. ut uerò, quanti hoc sit, intelligatis, hoc unum præcipua causa est, cur homines plurimis malis inuoluantur, & nunquam inueniant tempus, quo à suis erroribus resipiscant. cum enim hæc ars querendæ animarum salutis & dignitate, & fructu ceteris omnibus artibus antecellat, reliquæ autem artes, ut perdiscantur, & tempore, & laboribus, & sumptu indigeant, quo pacto hanc, quæ diximus esse omnium maximam, quis assequetur, si nullum laborem adhibeat, nullum ei adipiscendæ temporis spatium præbeat? & reliquæ quidem artes, ac disciplinæ humano ingenio repertæ, & quæ nihil amplius afferunt, quam ut huius temporariæ uitæ commodis inferuiant, licet manu palpari queant, & oculis peruiideri, rectè tamen à quocumque sine instituentis doctrina nequeunt comprehendi. hanc uerò, quæ & inuisibilis est, & occulta, & quæ non solum oculis, sed ne animo quidem nisi purissimo perspicere potest, quam ineptum est credere, solam non egere doctore? quod si præterea addas, eius errorem, & ignorationem, non temporarium damnum, nec quod facile reparatur, sed animæ interitum, ac mortem parere sempiternam, quæ uecordia est, in re tantī momenti tam stupidos esse homines, atque à sua salute tam uehementer alienos? & tamen plures facile reperias, qui, cum admonentur, ut in templū conueniant, quo tempore Diuina lex tractatur, & populo declaratur, respondeant, unumquenque scire, quid sibi sit faciendum. O prophanum responsum, & à sacrarum scripturarum sententia alienissimum. hoc si uerum est, cur dicit Diuina lex? præceptum Domini lucidum illuminans oculos. & lucerna pedibus meis uerbum tuum, & lumen semitis meis. & mandatum lucerna est, & lex lux. quibus sententijs significatur, legem Dei id efficere mentis oculis, quod lumen corporeum in caliginosa nocte ambulatibus. quod posthæc declarauit apostolus Petrus, cum dixit. habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes,

tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco . & sanè, quemadmodum ijs, qui in tenebris ambulant, sæpius impingant, necesse est; sic ijs; qui sine Euangelica luce res quaslibet tractant, multa peccant, quæ ne peccata quidem esse intelligunt . quod ego sanè in multis uestrum experior, ijs præfertim, qui uel rarò, uel nunquam ad uerbum Dei audiendum accedunt, ubi solum inuenitur Iesus . nam doctores, ubi inuenitur, sunt prophætæ, apostoli, euangelistæ, ac legitimi uerbi Dei concionatores . Inuenerunt ergo eum in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem . non dixit, docentem, quamuis is esset, qui docet hominem scientiam . & profectò fieri non potest, quin multa ab eo docerentur . si enim dictum olim à quodam fuit, se plurima à discipulis didicisse, quàm multa ab hoc illos fuisse edoctos credendum est, qui sapientia est patris? cur ergo nõ dixit, docentem, sed audientem, & interrogantem eos? iam diximus, Seruatorem Christum acceptæ à nobis naturæ rationem habere semper uoluisse: cum ergo duodecim annorum ætas discendo potius quàm docendo idonea sit, monstrosum fuisset uisum, si puer ea ætate docendi officium accepisset . quare audiebat quidem, & interrogabat, ut puer, & discipulus, sed ipsis suis interrogationibus, discendi occasionē eis præbebat . quo exemplo docemur, quo nos pacto geramus, quoties cum ijs loquendum nobis est, qui aliquo in gradu sunt, quem reuereri nos oporteat, ut scilicet tamen si nos eruditione, & scientia simus illis superiores, ea tamen utamur dexteritate, ut eos quidem admoneamus ueritatis rerum, de quibus agitur, sed rationem interea eorum dignitatis habeamus . Credibile autem est, eum de Mesiæ aduentu, eisq; regni conditione, de tempore, quo esset expectandus, de eiusdem natura interrogauisse . quod & fecit, cum iam uir factus interrogauit Pharisæos, quid eis uideretur de Christo, cuius esset filius . qui cum respondissent, Dauid; rursus interrogauit . quid ergo Dauid appellat eum Dominum dicēs, dixit Dominus Domino meo sedē à dextris meis . si ergo Dauid in spiritu appellat eum Dominū, quomodo filius eius est? hac autē interrogatione inuitabat eos, ut accuratius disquirerent de Mesiæ natura, atque sic colligerent . credimus Mesiā de semine Dauid nasciturū, quemadmodū sacra nobis litera pollicentur . uerum, cū Dauid uocet eū suum Dominū necesse est, illū esse maius quiddam homine, alioqui non est hominū mos, suos ipsorū filios dominos suos appellare . ex hac autē disquisitione, facile persuaderi eis potuisset, Mesiā duas habuisse naturas, unā, quā haberet ex Dauid, ob quā filius Dauid uocatus esset, alterā Diuinā, iuxta quam Dauid appellasset eū suū Dominū . neq; ita offensi fuissent, cū Seruator Christus aiebat, se filiū esse Dei, qui potius occasionē habuissent habendi ei fidē, & in eum credendi, præfertim cū magnifica eius signa id testarentur, ob quæ admonerat eos dicēs,

si mihi.

si mihi non uultis credere, operibus credite . id est, si ob hanc externam hominis formam offendimini, ipsa contemplamini facta, quæ me esse maius quid homine testantur, & declarant, quod pater in me manens ipse facit opera, quod est perinde, ac si dixisset, filius sum Dei . eiusmodi ergo interrogationibus uti poterat Iesus, ut paulatim inciperent admoneri ad uentus Mesiæ . & hanc opinor ob causam non expectauit plenam ætatem, sed duodennis præbuit hanc suæ virtutis significationem, ut, cum factus uir esset, facilius eum possent agnoscere . & sanè ista omnia iuuare eos multum poterant ad credendum ei suo tempore, si hisce rebus tractandis operam dedissent . meminisse . n. poterant, quæ vulgata fuerant à pastoribus de angeli oraculo, quòd . s. natus esset eo die Seruator Christus Dominus . successit Magorū aduentus, qui professi fuerūt, se uidisse stellam significantē natū esse regē Iudæorū, quo nomine Mesiā signari Herodes ipse alienigena intellexit, cū quæsuit à sacerdotibus, & scribis, ubi Christus nascetur . multò uerò magis ipsi Diuinæ legis periti intelligere hoc potuerunt . quid Zachariæ patris Ioannis oraculum, quod præcursor Ioannes futurus esset Mesiæ? quid uerba Symeonis, & Annæ? non ne ingentē afferre lucē poterāt ad agnoscēdā hanc ueritatē? accessit hoc, quod nūc tractamus . nā ex ijs, quæ pro certo habendū est Iesum illis doctoribus respōdiffe, multa didicerūt, quæ si cū uir factus prædicare cœpit, memoria retinuissent, faciliē in ueritatis agnitionē venire eis licuisset . sed uidetur eorū numero fuisse, qui nihil minus, quàm ueritatē quererēt, dū amabant primos accubitus in cœnis, primas cathedras in synagogis, salutatiões in foro, & uocari ab hominibus Rabbi . Stupebāt autē oēs, qui eū audiebant, super intelligentiā, & respōsis eius . ecce quod dicebamus, Iesum, sub ea interrogationi specie, tanquā aliquid discere ab eis uellet, accepisse respōdēdi occasionē, quasi apertius declarari sibi postularet, quæ eos rogauisset . atq; ex eis respōsionibus multa in mediū posuisse, quæ eorū oculos ad percipiēdū ueritatē aperirēt . ut exēpli gratia, si interrogasset, quæ nā illa salus, ac redēptio, quæ expectabatur faciēda per Mesiā, futura esset, corporeā ne, an spiritalis, ipsi uerò dixissent, futurā tēporariā, atq; corporeā, is respōdisset, qui esse id posset, cū multa prophetarū loca reperiātur, quæ spiritalē potius illā futurā indicēt . quam rem ubi astruxisset, poterat rursus interrogare, num simplex, ac purus homo futurus esset Mesiā, an aliquid coniunctum maius homine . si dixissent solum hominem futurum, respōdisset, citassetq; auctoritates scripturarum, quæ contrarium demonstrare uiderentur . multa que in hunc modum, quæ cum non cuius peruia essent, meritò stupebant, super intelligentiā, & respōsis eius . Et uiso eo (inquit) admirati sunt, uidelicet Ioseph, & Maria . neque enim expectare poterant, ut ea ætate uersari inter doctores reperiretur . mater

V. 2. uerò.

verò (dicit aliquis) quæ sciebat illum esse filium altissimi, quo pacto est admirata? potuit & ipsa admirari, cum, etsi sciret, quemadmodum illum genuisset, sancti videlicet spiritus opera, meminissetque ingentium illarum Gabrielis angeli pollicitationum de filij præstantia, non tamen ante plenam filij ætatem ista expectabat. Et dixit mater eius ad illum. ecce mater filium alloquitur, ut quæ sola partem in illius generatione habuisset. Ioseph illi cedit, qui sciret, se duntaxat Mariæ sponsum esse, neque præterea aliud commune cum illa in ea generatione habere. & quid dixit mater? fili, cur fecisti nobis sic? ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. materna quidem auctoritate filium querulis verbis alloquitur, sed ea tamen dexterritate, ac modestia, qua erga eum, quem sciret etiam filium Dei, esset utendum. atque in hac etiam parte huius virginis prudentiam licet obseruare. non aperte increpat, sed quærit causam, cur hoc fecerit. experta erat, illum etiam in tam tenera ætate omnia agere prudenter, omnia irreprehense, & ob hanc causam dixerat dudum Euangelista. puer autem succrescebat, & corroborabatur spiritu, & implebatur sapientia, & gratia Dei erat super illum. cernis quanta in illo puero erant priuilegia? hæc ergo cum mater quotidie in filio cerneret, videns illum hoc præter parentum opinionem fecisse, non tam reprehendit, quam mirata est, atque iccirco interrogat, cur hoc fecerit. cur fecisti (inquit) nobis sic? ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. cur commisisti (inquit) ut uterque nostrum parentes tui hoc afficeremur dolore, ut fuerit necesse, te tribus diebus quærere? obserua etiã Mariæ prudentiam, ac modestiam, quod præfert Ioseph sibi, & illum prius dicit doluisse, deinde se ipsam addit. præterea patrem Iesu appellat ob eam tantum causam, quod ita passim putabatur. malebatque se admiranda illa dignitate interim priuari, quod virgo peperisset, ut sponsi sui honori faueret. quod sanè exemplum mulieribus omnibus, quæ viros habent, ante oculos habendum esset, ut semper mariti honorem suo ipsarum anteferrent. quod si fieret, domus essent pacatissimæ. cum verò vxor, postposita viri reuerentia, primas sibi vindicare vult, nunquam iurgia, & crimina deesse possunt. Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. esto, doluerit Ioseph ob metum, ne tantæ spei puerum forte amisisset, certe mater metuere hoc non poterat. certam enim habuerat fidem verbis, ac promissis angeli, qui dixerat, Deum illi daturum regnum David patris sui, eumque regnaturum in domo Iacob in æternum, atque illius regni finem nullum futurum. cur ergo dolens quærebat? quod doleret, materno affectui ascribendum est, quæ tanto, ac tam charo filio vel ad horam priuari ægrè ferebat. quod verò quærebat, ne hoc quidem mirandum est. nam faciebat, quod matrum est officium, quæ in tenera ætate curam filiorum maiorem habent, quam in reliquis ætatibus. & quamuis eum sciret esse filium Dei, sciebat tamen etiam esse homi-

hominem ex se genitum, cuius cura sibi esset credita. quare etsi non dubitabat, illum assecuturum, quod angelus ei dixerat, officio tamen suo illam fungi erat consentaneum, cui si defuisset, fuisset reprehensa, ut quæ tantum munus studiosè non custodiuisset. alioqui, si hoc faciendum illi non erat, cur reliquis in rebus curam eius gerebat, & gesserat ab ipso ortu, ac deinceps? nam eadem est in omnibus ratio, & quod hic obijcere quis vellet, in alijs idem obijci posset. stat ergo, ut & nihil dubitaret de eo, quod prædictum ab angelo fuerat de hoc filio, & tamen quæreret, ut officio fungeretur suo. audi Paulum, qui nihil dubitabat de æternis illis bonis, sibi à Christo in cælo repositis, & ob hanc causam fidens aiebat. reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex. & alibi. scimus, quod si terrenum nostrum domicilium huius tabernaculi destructum fuerit, ædificationem ex Deo habemus, domicilium non manu factum, æternum in cælis. & tamen dicebat, sic curro, non quasi in incertum, sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte, cum alijs prædicauero, ipse reprobus efficiar. quid ais Paule? certus es de salute, & reprobus effici metuis? hoc sanè ænigmati persimile est. sed non est ænigma (inquit) quandoquidem hæc salus datur studiosè in agone decertantibus, & tandiu de ea certus sum, quandiu meo muneri non desum. sic & beata Maria certò sciebat filium non esse perdendum, sed nolebat muneri deesse suo, ideo dolens eum quærebat. qua in re cogitandum est, quanto in errore maxima hominum pars versetur, qui tantum abest, ut Iesum quærat, ut suis etiam perditis moribus illum à se eijciant, & tamen sperant, se illum demum inuenturos. sed falluntur miseri, & ex eorum numero sunt, de quibus propheta ait. execrandus homo, qui peccat in spe. quærendus est Iesus, & studiosè quærendus, & cum inuentus fuerit, danda est opera, ut non dimittatur, dicendumque cum sponsa illud epithalamij. tenui eum, nec dimittam. sed non ita fit. nam videntur mihi nunc homines iocari potius cum Iesu, quam eum quærere. ecce enim hisce Seruatoris Christi natalicijs diebus tota ferè ciuitas cælestium sacramentorum est facta particeps, quod nihil fuit aliud, quam Iesum quærere, paulò verò post successerunt bacchanalia, quibus Iesum dimisistis, atque à vobis abalienastis. hoc quid aliud est, quam iocari cum Iesu? at hic iocus, nisi caueatis, interitum vobis allaturus est sempiternum. quare mutate hanc mentem, mihi credite, & eo animo Iesum quærite, ut nunquam postea illum dimittatis. quod tum fiet, cum eo animi affectu, ac dolore eum quæsieritis, quo beata Maria quæsuit. Dolentes (inquit) quærebamus te. & ait ad illos, quid est, quod me quærebatis? an nesciebatis, quod in ijs, quæ patris mei sunt, oportet me esse? non opus erat, (inquit) ut me quæreretis, cum scire deberetis, oportere me in negocijs patris esse occupatum,

patum. In illis autem verbis, quid est, quod me quærebatis? tacitè signifi-
 cauit, non fuisse necesse, eos sollicitos de se esse, cum ipse prospicere sibi
 esset idoneus. sed non erat tempus, ista apertius declarandi. quod verò se-
 quitur, an nesciebatis, quod in ijs, quæ patris mei sunt, oportet me esse? vi-
 detur admonere, quod cogitare debuissent, cum Ierololymam ad solen-
 nem diem adijissent, illum ibi permansisse, patris negocia tractaturum.
 At illi non intellexerunt sermonem, quem locutus est ipsis. neque id mi-
 rum, mysteria enim hæc erant suo tempore reuelanda. sciebat quidem
 Maria, illum esse filium Dei, quare illud, quod dixit, Euangelista, eos non
 intellexisse, non est accipiendum de eo, quod mentionem fecerit patris.
 Nam credibile est, Mariam iam olim aperuisse ipsi Ioseph, quæcunque
 angelus illi dixerat, quod filius Dei esset appellandus. sed potuerunt non
 intellexisse, quid illud vellet, oportet me in ijs, quæ patris mei sunt, esse,
 & quænam essent illa patris negocia, quibus oporteret illum interesse.
 hæc enim si tunc non intellexerunt, nihil est, quod miremur, cum non-
 dum reuelata fuissent hæc mysteria. nunc verò apertè intelligimus, illum
 semper fuisse in ijs, quæ patris sui essent, cum salutem pararet humani ge-
 neris, ad quam faciendam missus à patre fuerat. salus autem hæc acquiri-
 tur ex fide in Christum. sic Deus dilexit mundum (inquit) vt filiū suum
 vnigenitum daret, & omnis, qui credit in illum non pereat, sed habeat vi-
 tam æternam. certa autem credendi in illum via est, Diuinarum scriptura-
 rum perscrutatio. iccirco ipse admonerat Iudæos dicens, scrutamini scri-
 pturas, ipsæ enim testimonium perhibent de me. cum ergo audiret do-
 ctiores, & interrogaret de vera sacrarum scripturarum intelligentia in ne-
 gocijs patris versabatur. Et descendit cum eis, venitque Nazareth, eratque
 subditus illis. Quid magni est, subiectum esse parentibus filium? sed co-
 gitabat Euangelista, quantæ esset humilitatis, & quam submissi animi, fi-
 lium Dei tam multis annis subiectum esse voluisse Mariæ, & Ioseph. quod
 exemplum omnibus Christianorum filijs semper præ oculis habendum
 esset. si enim is, qui erat sapientia patris, & in quo erant omnes thesauri sa-
 pientie, & scientie absconditi, parentum imperio subiectus erat, quasi ab
 eis regi opus haberet, quis hominum est tanta vel sapientia, vel prudentia
 præditus, qui omnem erga parentes adhibere reuerentiam nõ debeat,
 si etiam deliros eos, & minimè integra mente esse conspiciat? sed nunc
 cernas quàm plurimos, quamuis nulla vel eruditione, vel prudentia sint,
 ubi primum adoleuerint, parentes spernere, & nulla erga eos uti reueren-
 tia. & ij demum reperiuntur ob hanc culpam pessimè, atque ocysimè
 uitam finire. sicut enim in lege Domini, atque in decalogi præceptis pro-
 mittitur, fore, ut ij, qui parentes honore affecerint, eisque obediuerint, lon-
 go tempore uiuant super terram; sic equum est, ut, qui contraria ingre-
 diuntur via, eorum dies breuiores in terra fiant, & præterea violenta, atque
 abomi-

abominanda morte vitam claudant, id quod quotidianis exemplis vsu
 euenire conspiciamus. Cernere etiam est alios recusare parentibus, & se-
 nio, & inopia confectis opem ferre: quæ res quàm sit detestanda, vide quid
 dicat Salomon. qui subtrahit aliquid à patre, aut à matre sua, & dicit non
 esse peccatum, particeps homicidæ est. quod si aliqua subtrahere parenti-
 bus, homicidiū vult existimari Salomon, quo constituendi sunt gradu ij,
 qui confici fame, ac reliquis necessitatibus parentes suos sinunt? quid?
 quod reperti in hac vrbe sunt, qui cum parentibus litigauerint, atque adeo
 (ò scelus dignum repentino terræ hiatu, qui viuos eos absorberet) qui sa-
 crilegas manus in eos iniecerint? ego verò omnes moneo, & multò ante
 prædico, si quisquam me episcopo ausus fuerit, vel verbis, nedum factis in-
 iurius esse in parentes, me seuerissima castigatione in eos animaduerfu-
 rum, & ea vsurū censura, quæ toti ciuitati terrorem incutiat. esto, sint pa-
 rentes morosi, queruli, impatientes, deliri. tamen parentes sunt, & sum-
 mo post Deū honore prosequendi, neque vnquã iustã causam habent filij,
 cur de illis querantur. ames parentē (ait quidã externus) si æquus est, sin-
 aliter, feras. Velim verò, vt & parētes in filijs educandis maiore cura vterē-
 tur, quàm eos facere video. nullū. n. adhibēt studiū, vt illos in timore Dei,
 & Euangelicis præceptis seruandis educēt. sinunt illos dissolutè viuere, lu-
 dunt, & iocantur cū eis, neque meminerunt, quid vir quidã sapiens dicat.
 lacta filium tuum, & pauentem te faciet, lude cū illo, & tristitia te afficiet.
 qui etiam docens, quo pacto essent educandi, aiebat. filij tibi sunt? erudi
 illos, & curua eos à pueritia eorū. hoc si fieret, postea quàm in viros euasis-
 sent, eandē seruarent disciplinã, quam à parentibus accepissent. Et Iesus
 proficiebat sapiētia, & ætate, & gratia apud Deū, & homines. tale quid su-
 perius dixit Euangelista, intellexitque de ætate puerili vsque ad duodecimum
 annum. hic verò intelligit de reliqua ætate. profectus autem ille accipien-
 dus est, quemadmodū supra diximus, quod. s. pro ætatū gradibus id osten-
 debat, quod tamē semper ab initio acceptæ à nobis naturæ habuerat. pro-
 ficiebat etiã gratia apud Deū, atque homines, dum ea faciebat, quæ grata es-
 sent Deo, & in hominū consuetudine vivebat irreprehensus. quod tum
 demum, aut potius tunc solum assequi licet, cum quis Deum præ oculis
 semper habet, & in lege Domini meditatur die, ac nocte. nã eiusmodi ho-
 mines, cū in factis omnibus suis Deū in cõsiliū adhibeāt, atque ab eius pen-
 deant voluntate, nihil agunt, quod non omni ex parte iustum, & rectum
 sit. quare gratos eos esse omnibus necesse est. atque ita fit, vt, qui Diuinis
 legibus obtemperant, soli digni sint, atque apti, qui inter homines summa
 cum tranquillitate uiuant, feliciterque diem suū claudant. quod vtinã no-
 bis omnibus assequi contingat. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui
 cū patre, & spiritu sancto est honor, & imperium sempiternum. Amen.

ORATIO QVARTADECIMA.



ANNO autem decimo quinto imperij Tiberij Cæsaris, Pontio Pilato præfide Iudææ, tetrarcha verò Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Iturææ, & Trachonitidis regionis, & Lyfania Abilenes tetrarcha, sub pontificibus Anna, & Caïpha, factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto, & venit in omnem regionem finitimam Iordani, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Cum scripturus esset Euangelista initium prædicationis Euangelicæ, rei omnium maximæ, quæ orbi terrarum accidere unquam possit, ad historiæ rationem pertinebat, describere, qui tunc rerum potirentur, & nomen eius, qui in Romano imperio primas teneret, & eorum, qui Iudææ, ac vicinis regionibus, vbi hæc prædicationis cœpta est, & pontificum etiam, qui Iudææ genti in ijs, quæ ad Diuinæ legis per Mosen datæ cultum pertinerent, præessent. meminit ergo imperatoris Romanorum, qui successit Augusto, quem dudum, vt eius imperij latitudo, ac monarchia intelligeretur, audiuius præcepisse, vt describeretur vniuersus orbis. meminit & præsidum, qui Iudæam, & vicinas regiones regebant per tetrarchias, quòd scilicet pro quarta quisque parte regnaret, id enim significant tetrarcha, & tetrarchia Græcæ voces. quanquam hæc narratio seruire mysterio poterat. vt, cum audiretur, & Romanos, & Herodem alienigenam genti Iudæorum imperare, veniret
 :: homines in memoriam eius prophetiæ, quam dixit Iacob. non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat Silo, id est, is, cuius illud sceptrum legitime sit futurum. cum ergo auditur sceptrum ablatum, atque in manu alienigenarum positum, intelligi potest, Mesiam, id est, Christum aduentasse. quæ res ad fidem Euangelicæ prædicationi habendam inuitare auditores poterat, cum Ioannes Christo perhiberet testimonium. Hoc ergo tempore, & rerum statu ita se habente, factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. vide, vt progressus Christianæ philosophiæ ipsis eius initijs consentiat. annuntiata fuit ab angelo Gabriele Ioannis natiuitas ante, quam illa Christi annuntiaretur. præcucurrit Ioannes natiuitatem Christi, quia etiam eius prædicationis futurus erat præcursor. & profectò necesse erat, vt tanta nouitas, quanta fuit introductio Euangelicæ veritatis, magna haberet præcœmia, ingentemque præparationem. impletur ergo, quod angelus prædixerat Zachariæ, cum de nascituro Ioanne dixit. ipse præcedit ante illum in spiri-
 tu

ORATIO DECIMA QVARTA. 85

tu, & uirtute Eliæ, ut conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, ut paret Domino populum instructum. quemadmodum enim, qui in disciplinas aliquas incumbere uult, non statim ad celeberrima gymnasia mittitur, sed prius docetur domi Latinas, & Græcas interdum literas, ut in gymnasijs aptior sit percipiendis ijs facultatibus, quibus operam dare uelit; sic oportuit instrui populū à Ioāne, ac præparari, ut percipiendæ Christi prædicationi aptior fieret. Quod autem ait, factum esse super eum uerbum Domini, Hebraismus est, familiaris in prophetis, quo significatur, uirtutem, & munus prophetiæ illis Diuinitus fuisse traditum. addidit autē, in deserto, quia dixerat superius Euangelista, illum uersatum fuisse in desertis locis, donec ueniret dies, quo ostendendus erat apud Israelitas/ item obserua, Christianam omnem philosophiam è cælo allatam, totamq; à Diuinis oraculis pendere, atque iccirco solam syncera, ac solida ueritate niti. quod nō facile in alijs facultatibus, & hominum ingenio excogitatis disciplinis inuenies, in quibus multa falsa deprehendi necesse est, cum scriptum sit, omnis homo mendax. Et uenit in omnem regionem finitimam Iordani, prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum. Daturus initium baptismi, quo ad Christi baptismū præpararet, meritò regionem, Iordani finitimam eligit, ut in eo accedentes baptizaret. prædicabat autem baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, id est, in illa inuulgatione baptismi, hortabatur homines ad pœnitentiam, quemadmodum legis apud Matthæum, qui ait. uenit Ioannes Baptista, prædicans in deserto Iudææ, & dicens. pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. quod autem addit, in remissionem peccatorum, intellige eam remissionem, quæ per baptismum Christi danda erat. neque enim baptisma Ioannis remissionem peccatorum habebat, sed ad remissionem conferebat, id est, præparabat homines, ut acciperent baptismum, quod habet remissionem peccatorum. nam imperfectum fuisse baptismum Ioannis, ostenditur in Actis apostolorum, ubi Paulus, cum interrogauisset quosdam, in quo baptizati essent, illiq; respondissent, Ioannis baptisate, dixit. Ioannes baptizauit baptismum pœnitentiæ, populo dicens, in eum, qui uenturus esset post ipsum, ut crederent, id est, Christum Iesum. & his auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu. fuit ergo ille Ioannis baptismus, pœnitentiæ, non remissionis, quæ Christi baptismi reseruabatur. nam habuerunt quidem & Hebræorum cæremoniæ uaria baptismata, sed ea, quemadmodum & munera, & hostiæ ad interioris hominis purificationem non penetrabāt. quare legimus ad Hebræos, res eiusmodi non posse iuxta cōscientiam perfectum facere seruientem, sed ea solummodo in cibis, & in potibus, & in varijs baptismatibus, & in iustificationibus carnis, usque ad tempus cor-
 X rectionis

rektionis imposta. ea enim erant instituta, nō ut conferrent ueram perfectamque iustitiam, sed ut ijs figuris assueti, aptiores essent homines capessendæ ueritati. quare in eadem epistola dicitur. si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis uitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum eternum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam uestram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo uiuenti? ecce ut ex similitudine corporeorum sacrificiorum, fidem facit efficaciam, quæ est in mysterijs Euangelicis. signanter autem dixit, ad emundationem carnis, quod scilicet ijs, qui immunditiam cōtraxerant ex rei cuiuspiam immundæ cōtactu, atque eiusmodi rebus, ex illa aspersione mundi iam censerentur, sed aspersio illa ad animam non perueniebat, ut peccata posset auferre. impossibile enim est (inquit) sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata. baptisma ergo Christi ab eius sanguine uim accepit remittendorum peccatorum. quod obseruans Ioannes apostolus dixit. hic est, qui uenit per aquam, & sanguinem Iesus Christus, non per aquam solum, sed per aquam, & sanguinem. nam per aquam Moses quidem uenit, cum illo duce per mare transit populus, quod baptismi figura fuit. uenit ergo per aquam solum Moses, qui significauit quidem figura quadam ablutionem hominis, non tamen exhibuit re ipsa iustificationem, quia defuit sanguis. at Iesus Christus non solum attulit baptismum significantem ablutionem peccatorum, uerum etiam obtulit sanguinem, quo nos redempti sumus à peccatis nostris, & à quo ipse baptismus accepit efficaciam. Sicut scriptum est in libro sermonum Esaiæ prophætæ, dicentis. uox clamantis in deserto, parate uiam Domini, rectas facite semitas eius. omnis uallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur, & erunt praua directa, & aspera in uias planas, & uidebit omnis caro salutare Dei. Dixerat factum fuisse uerbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto, quod ut ostenderet, quanto cum mysterio sit factum, dicit hoc multò ante fuisse ab Esaiâ prophetatum, ut, secundum Domini testimonium, intelligeretur, Ioannem non solum fuisse prophetam, sed etiam plus quàm prophetam, ut qui non solum ipse prophetauerit, uerum etiã fuerit ab alijs prophetis de ipso prophetatum, quæ res ad Euangelicæ ueritatis cōfirmationem facit. cum cernitur, eam tam solidis niti fundamentis. quid ergo scriptum est in Esaiâ? uox clamantis in deserto. hoc idem ipse Ioannes respondit, cum interrogatus à Phariseis, quis esset, dixit. ego uox clamantis in deserto, dirigite uiam Domini, sicut dixit Esaiâ propheta. illa autē in deserto prædicatio significabat accersendã esse ecclesiã ex gentibus, atque ad clamorẽ Euangelicæ prædicationis congregandã. quæ ecclesia deserto cōparabatur in prophetis,

tis, cuius futuram fœcunditatem Esaiâ intuens aiebat. multi filij deserte magis, quàm eius, quæ habet virum. nam ecclesia ex gentibus ante Christi aduentum, ueluti uidua erat, ac sine viro, id est, sine Deo, & eius agnitionis expertis. synagoga uerò Iudæorum virum habebat, nempe Deum, qui sæpe in prophetis in persona uiri, & amatoris eam alloquitur, præsertim cum suam illi ingratitude obijcit. cū ergo propheta præuideret, rem in contrarium cessuram, atque ob Iudæorum incredulitatem ecclesiam ex gentibus ad fidem esse conuertendam, dixit futurum, ut ea, quæ antea deserta erat, ac destituta, plures susciperet filios, quàm ea, quæ habuerat virum, quorum copiam eadem ipsa miraretur. quare idem Esaiâ alio loco alloquens ecclesiam ait. & dices in corde tuo, quis genuit mihi istos? ego sterilis, & non pariens, transmigrata & captiua, & istos quis enutriuit? ego destituta, & sola, & isti ubi hic erant? quod uerò ex gentibus hæc copia colligenda esset, adiecit. hæc dicit Dominus Deus. ecce attollam ad gētes manum meam, & ad populos sustollam signum meum, & afferent, filios tuos (id est, qui tui futuri sunt, copulati in vnam fidem) in uinis, & filias tuas super humeros portabunt, & erunt reges nutricij tui, & reginæ nutrices tuæ. alio item loco. ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. attolle per circuitum oculos tuos, & uide. omnes isti congregati sunt, uenerunt tibi. filij tui de longe uenient, & filia tuæ ad latus educabuntur. tunc uidebis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium uenerit tibi. Vox ergo clamantis in deserto. clamare oportuerat, ut uox illa per orbem omnium terrarum exaudiretur. & quid dicit illa uox? parate uiam Domini, rectas facite semitas eius. mirum quàm stulte interpretentur eiusmodi loca Hebræi, quæ ad tempus Mesie pertinent, ut uerè agnoscat, adhuc uelamen illis esse positum super faciẽ Moysis, ut in gloriam uultus eius nequeant penetrare, & intueri rerum maiestatem, quæ sub illo uelamine absconduntur. intelligunt enim, quod repurgandum sit desertum, ut populus Iudaicus suauiter ex captiuitate in terram promissam redeat. at Euangelistæ docent, quis uerus sit huius loci sensus, quæ hic interpretantur. quod ergo ait, parate uiam Domini, rectas facite semitas eius, secundum hemistichium prioris est interpretatio. quod in Hebræorum locutionibus frequens est. rectas enim facere semitas Domini, est parare uiam eius. quod ut facere possent Iudæi, præcurator missus est Ioannes, de quo angelus prædixerat Zachariæ. ipse præibit ante illum in spiritu, & uirtute Eliæ, ut conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, & parat Domino populum perfectum. & Zacharias pater Ioannis alloquens puerum ait. & tu puer, propheta altissimi uocaberis, præibis enim ante faciem Domini, parare uias eius, ad dādā

notitiam salutis populo eius. & alius propheta. ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui preparabit viam tuam ante te. in his ergo predictionibus dicitur, hunc paraturum viam, in Esaia autem admonetur populus, ut ipse paret viam Domini. quo mihi videtur significari, oportere nos esse cooperatores Dei, & cum prophetas, ac verbi sui concionatores mittit, non satis esse audire, quid dicant, nisi & nos, quod in nobis est, praestemus. ad hoc enim ipsum mittuntur sancti Dei homines, ut nos ad recte facta inuitemur. parant ipsi viam, cum admonent, qua sit ingrediendum. nos vero paramus viam, qua Dominus ad nos venire possit, cum praeparamus corda nostra Domino, quemadmodum Samuel populum admonebat. & tunc rectas facimus semitas eius, nequid obliqui, ac prauu inueniat in eis, quo prohibeatur accessus eius ad nos. peccata enim sunt quaedam tanquam interruptiones viae, impediens Dei accessum ad nos. ob hanc causam dicebat Esaia. iniquitates vestrae diuiserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis. Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur, & fiet, quae obliqua sunt, directa, & aspera in vias planas, & videbit omnis caro salutem Dei. haec sunt eiusdem Esaiae verba, nisi quod non curauit Euangelista ad verbum recitare sententiam, ut mos est apostolorum, atque Euangelistarum. quod ergo ait Lucas, videbit omnis caro salutare Dei, in Esaia est, & reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est. nam ex aduentu Seruatoris Christi, & Euangelicae praedicatione, reuelata est Domini gloria, dum vera Dei agnitio in mundum introducta est, qui antea infinitis errorum tenebris plenus erat. hanc gloriam cecinerunt angeli, cum multitudo caelestis exercitus laudare coepit, ac dicere, gloria in altissimis Deo. uidentque omnis caro, id est, omne hominum genus, est enim Hebraea locutio, sicut & illud, uerbum caro factum est. & caro, & sanguis non reuelauit tibi. & non contuli cum carne, & sanguine. in ijs enim locutionibus intelligitur homo, & humana natura. uidit ergo omnis caro, quod os Domini locutum est. quod idem est cum uerbis Euangelistae, qui ait. & uidebit omnis caro salutare Dei. nam salutare Dei est uerbum Dei, quod scilicet os Domini locutum est, id est, genuit. nam in Diuinis, patrem loqui uerbum, est generare filium. hoc autem dicendi modo utuntur prophetae, ad ostendendam eandem substantiam patris, ac filij. his enim loquendi uelaminibus & ueritas prophanis celabatur, & suo tempore fuit intellecta. sicut enim uerbum, quod profertur, est quidam partus mentis, interiorum eius conceptum exprimens; sic filius Dei est quasi quoddam uerbum patris, eiusdem patris naturam enuntians. qui uidet me, (inquit) uidet & patrem meum. ob hanc causam Ioannes Euangelista significare uolens eandem

dena

dem filij cum patre substantiam, uerbum appellauit; cum dixit. in principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum. Illa autem uerba, omnis uallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur, quid uelint, declaratur per ea, quae sequuntur. & fiet, quae erant praua, directa, & aspera in vias planas. est enim metaphora, qua ostenditur, facilem futuram uiam uolentibus Deum agnoscere, & ambulare in praecipis eius, quemadmodum facile ambulatur, ubi itinera plana sunt, nec uallibus, & collibus sunt inaequalia, & aspera. nam impletio uallium, & humiliatio collium id efficit, ut uiae aequae, ac planae sint. significatur igitur, aduentum Christi allaturum tantam lucem orbi terrarum, ut futurus sit facilis omnibus accessus ad Deum. de qua facilitate alibi idem Esaia ait. & haec erit ipsis directa uia, ita ut stulti non errent per eam. de hac Moses quoque loquens ait. mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in caelo situm, ut possis dicere. quis nostrum ualet ad caelum ascendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus, atque opere compleamus? neque trans mare positum, ut causeris, & dicas. quis enim nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos usque deferre, ut possimus audire, & facere, quod praecipit? sed iuxta te est sermo ualdae in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum. quem locum interpretans Paulus ait. hoc est uerbum fidei, quod praedicamus. quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitauit a mortuis, saluus eris. quod si scire uis apertius, quam plana sit haec, quae per Euangelij praedicationem commonstrata est uia, ut recte de ea dixerit Dominus, est scriptum in prophetis, & erunt omnes docti a Deo, confer eam cum uijs, in quibus gentes antea ambulabant, & uidebis, tantum hanc ab alijs distare, quantum planae uiae, & quae nullam asperitatem, uel offendiculum habent, ab illis distant, quae omnibus asperitatibus, & difficultatibus sunt plenae, aut quantum meridiana lux a densissimis tenebris differt. qua de re cum alijs locis meminerim me uobis uerba fecisse, satis haec in praesentia sint. illud tantum addam. ingenti nobis esse dedecori, in tam facili, ac plana, addam & pulchra uia, in qua maximam in dies conficere spatia deberemus, nos tam inerte incedere, ut uix mouere uestigia uideamur. Dicebat ergo ad turbas, quae exhibant, ut baptizarentur ab ipso. progenies uiperarum, quis uobis submonstrauit, ut fugeritis a uentura ira? Vbi audita est Ioannis praedicatione, & noua illa baptismi introductio in remissionem peccatorum, turbae primae memorantur, ac promiscuum uulgus exisse, nempe e ciuitatibus, & oppidis, ut ab eo baptizarentur. nam eius-

modi

:: modi hominum genus expeditius est ad capeſſendam oblatam verita-
 tem, modo non deſint, qui eam illis commonſtrent . ſola enim ignora-
 tia illis impedimento eſſe ſolet ad rectè facta . qua ſublata, mox apti ad ea
 ſunt . qui verò cumulan- diſ diuitijs, & vitæ ſplendori, & adipiſcendis hono-
 ribus toti incumbunt, non ſola illis obſtat ignorantia . ſed plerun- que no-
 :: lunt intelligere, (quemadmodum ait propheta) . vt bene agant, auerſan-
 turque monitores, & ex eis ſunt, de quibus Eſaias ait . qui dicunt videnti-
 :: bus, nolite videre, & aſpiciētibus, nolite aſpicere nobis ea, quæ recta ſunt .
 loquimini nobis placentia, videte nobis faceta, auferre à me viam , decli-
 nate à me ſemitam , ceſſet à facie noſtra ſanctus Iſrael . auaritia enim in
 primis, & ambitio impediunt acceſſum ad Euangelicam veritatem . de
 :: quarum priore legimus, quòd , cum Dominus doceret, non poſſe homi-
 nes Deo ſeruire, & Mamona, audiebant omnia hæc Phariſæi, qui erant
 auari, & deridebant illum . de altera verò alibi dixit idem Dominus . quo
 :: modo poteſtis credere, cum gloriam accipiatis alter ab altero ? quæ cum
 ita ſint, quàm turpe eſt, Chriſtianum hominem, cui tanta pareſacta veri-
 tas eſt ea appetere, quæ ad cœleſtem hanc philoſophiam adipiſcendam
 ſunt impedimento ? Turbis ergo accedentibus, vt baptizarentur ab ip-
 ſo, dicebat Ioannes . progenies viperarum, quis vobis ſubmonſtrauit, vt
 fugeretis à ventura ira ? Quærat hic fortasſe aliquis, cur tam aſpero exor-
 dio vſus Ioannes ſit, turbas allocuturus, quæ dulcibus potius viderentur
 alliciendæ fuiſſe ſermonibus . ſed ſciendum primum eſt, aliam eſſe ratio-
 :: nem alloquendi ſuos, aliam externos . aliam eos, qui recens ad fidem ſunt
 introducti, aliam, qui iandudum crediderunt . hæc in ſcripturis ſacris ve-
 teris, ac noui teſtamenti facile reperias, vbi prophetæ ſuos Iſraelitas ſeue-
 ris ſimè reprehendunt . at cum Ionas, in Niniuem externam ciuitatem miſ-
 ſus fuit, contentus admonuiſſe eos vltionis, quæ poſt quadraginta dies ci-
 uitati imminabat, pepercit reprehentionibus . ſic Paulus in Areopagum
 :: introductus, ſuæ quidem philoſophiæ rationem, quam ab eo poſtulaue-
 rant, reddere ſtudit, verum in increpationes non prorupit, quârū tunc
 non fuiſſent capaces . neque verò æquum erat illis vti, quibus in ſibi ſubie-
 ctos potius, quàm in externos eſt vtendum . at verò cum Corinthios allo-
 :: quitur, quos iandudum in ære ſuo habebat, de ſcortatore illo, qui nouer-
 cam duxerat, & verbis, & factis ſumma vtitur ſeueritate, & in ſcortato-
 rem ipſum, & in eos, qui tatum ſcelus nutriri paſſi fuiſſent . ſic Stephanus,
 :: cum cerneret Iudæos ſuum genus tam obſtinato aduerſus Chriſtum ani-
 mo tantæ veritati obſiſtere, demum in acrem erupit reprehentionem , &
 :: dixit . duri ceruice, & incircunciſi corde, & auribus , vos ſemper ſpiritu
 ſancto reſtititiſtis . neque uerò, ſi epiſcopus aliquos, quamuis Chriſtianos,
 ſed non ſuæ diocæſeos, alicuius erroris admoneret, eadem dicendi liber-
 tate

tate in eos uteretur, quæ in ſibi ſubiectos . rurfus ſi ſuos alloquens , eã di-
 cendi moderatione, & quaſi pudore uteretur, quò externis uerba faciès,
 nò rectè faceret, neque utile eſſet audientibus, qui ex ea paſtoris modera-
 tione facile inſoleſcerent, & fierent effrenes . cum ergo Ioannes ſuos allo-
 queretur, quos ſciret longius à recta uia, atque à Diuinæ legis præceptis
 recetiſſe, ſi in eos acerbius inuectus fuit, officio functus eſt ſuo, & aliorū
 prophetarum morè imitatus . obſerua enim Eſaiæ prophetandi princi-
 pium, quanta cum ſeueritate in omnes, & principes, & populum inueha-
 tur . appellat gentem peccatricem, populum grauem iniquitate , ſemen
 nequam, filios ſcleratos, appellat principes Sodomorum, & populum
 Gomorræ . Et hæc quidem, quod ad ſuos, aut externos pertinet, eadem
 differentia ſeruari debet inter eos, qui uel recens crediderūt, uel iam diu
 in fide ſunt uerſati . videmus . n . in Actis apoſtolorum ob eos, qui noui
 erant in fide, Paulum quaſdam ſeruafſe legis ceremonias, quas tamen in
 Galatis reprehendit, qui ob tempus debuerant eſſe in fide ſolidiores . ſic
 in epiſtola ad Hebræos acrius inuehitur in quosdam . cum deberetis (in-
 quit) eſſe magiſtri pro temporis ratione . rurfum opus habetis, ut doceamus
 uos, quæ ſint elementa inſitij eloquiorum Dei . Præterea in illis uer-
 bis, progenies viperarum, nò ſolos illos taxauit, qui ad eum accedebant,
 ſed ipſum Iudæorum genus, quod prophetarum uocibus ſemper aduer-
 ſabatur, quemadmodum Stephanus obiecit illis, cum dixit . duri ceruice,
 & incircunciſi corde, & auribus, uos ſemper ſpiritu ſancto reſtititiſtis, ſicut
 patres ueſtri, ita & uos . quem prophetarum non ſunt perſecuti patres ue-
 ſtri ? & occiderunt eos, qui prænuntiabant de aduentu iuſti illius, cuius
 nunc uos proditores, & occiſores fuiſtis . idem & ſeruator ipſe fecit . cum
 enim quidam dixiſſet ei, ſe obtuliſſe filium ſuum diſcipulis eius curan-
 dum, neq; eos id potuiſſe, reſpondit . O generatio incredula, & peruerſa
 :: ſa, quandiu uobiscum ero ? quandiu uos patiar ? uideri quidem alicui poſ-
 ſit, his uerbis taxare diſcipulos, ſed non ita eſt . nam totam Iudæorum gen-
 tem redarguit, iccirco dixit . O generatio . cū ergo audis generationem,
 intellige Iudæorum genus, quod cernebat ob ſolam incredulitatem eſſe
 perdendum, præſertim cum is, qui rogabat, crimen ſuæ incredulitatis in
 diſcipulos Chriſti reiſceret . is enim fuit, qui dixit . ſiquid potes, adiuua
 nos . Progenies (inquit) viperarum . cur ? ferunt , uiperas , cum nāſcun-
 tur, dilacerare matris uterum . ſic Iudæi interficiēbant prophetas, & do-
 ctōres , qui parentum numero illis eſſe debuērant . ob hanc cauſam & ip-
 ſe Dominus eos cædis huius accuſans, ſerpētes , & progeniem uiperarum
 uocat . ſic enim habes apud Matthæum . uæ uobis ſcribæ, & phariſæi, quia
 ædificatis ſepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iuſtorum, & di-
 cētis . ſi fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocij eorum .
 in

in sanguine prophetarum. itaque testimonio estis uobismet ipsis, quod filij estis eorum, qui prophetas occiderunt, & vos implete mensuram patrum uestrorum. serpentes, progenies viperarum, quomodo fugietis à iudicio Geennæ? Progenies ergo viperarum, quis submōstrauit uobis, ut fugeritis à uentura ira? huiusmodi loquendi more uti solemus erga eos, qui à suæ salutis cura solent esse alienissimi. cum enim aliquē cernimus, qui semper in varijs sceleribus versatus sit, respiscētē, atque ad cor redeuntem, mirari solemus, quo pacto, atque unde ea facta hominis mutatio sit. sic & Ioannes quasi admirans, homines sceleratos, atque à sceleratis parentibus ortos ad se venire, ait. quis submōstrauit uobis, ut fugeritis à uentura ira? uenturam autem iram mihi uidetur hic intelligere illam reprobationem Iudææ gentis ob eorum incredulitatem. ira enim pro supplicio, atque ultione frequētissimē in scripturis sacris accipitur. illa autē ultio maxima fuit omnium, quas ea gens passa unquam fuerit. nam supra mille, ac quingentos annos hæc ira in eos defauit, nequedum finem accipit. ab ea autem fugerunt, quicumque per Ioannis, & Christi, & eius apostolorum prædicationem Euangelicam ueritatem receperunt. huic autem reprobationi succedit supplicium sempiternum. quæ utraque ut cauerent, adiecit. facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. non contentus dixisse, fructus pœnitentiæ, adiecit, dignos. nam ij demum firmam habent spem remissionis. quinam uerò sunt digni, atque idonei fructus pœnitentiæ? opposita peccato facta iustitiæ. atque hoc est, quod multos nostra ætate ita decipit, ut uerear, maximam partem ob hanc causam in Geennam detrudi. putant enim, se idoneam egisse pœnitentiam, si semel per annum sacerdotem adeant, ac post peccatorum homologesim, dicant se eorum pœnitere. sed falluntur miseri, neque enim illa idonea pœnitentia est, neque illi digni fructus pœnitentiæ, sed oportet adhibere facta singulis peccatis opposita. auaritiæ quis studuit? nunc exerceat liberalitatem. fraudem fecit proximo? nunc non solum reddat, quod iniuste accepit, sed de suo indigentibus tribuat. hoc te docuit Zachæus publicanus ecce (inquit) dimidium bonorum meorum do pauperibus, & siquid aliquem fraudauit, reddo quadruplum. superbus quis fuit, & contumax, & insolens? nunc se ad proximum quenque deiciat. & qui prius omnibus se suis cogitationibus anteferebat, iam se omnibus inferiorem agnoscat. lasciujs, & scortationibus ob luxum, & uiuendi intemperantiam operam dedit? nunc castiget corpus suum, & in seruitutem redigat, cogatque carnem seruire spiritui. maledictis, & oblocutionibus aliorum vitam lacerauit? nunc bene de omnibus & loquatur, & sentiat, hi sunt digni fructus pœnitentiæ, ex quibus sperari potest, remissionem peccatorum consequenturam. facile uerò agnoscuntur ij, qui hos fructus faciunt. nam ij soli esse

esse deprehenduntur, quos uerè, atque ex animo pœnitet, quæ uera pœnitentia ex eo agnoscitur, quod nunquam posthac ad eadem peccata relabuntur. intelligunt enim tandem, quàm sit abominanda res peccatum, quod à Deo summo hominis bono auocat, atque in Diaboli tyrannidem tradit. hominem animal ratione præditum, similem ratione carentibus animalibus facit. quis obsecro uestrum pateretur externam sui corporis formam in equum, aut canem, aut in aliquod aliud ratione carens animal conuerti, remanente tamen in anima ratione, ac mente, & in ea forma usque ad mortem degere, si etiam quis ei non solum Italiæ, sed totius terræ regnum polliceretur? at uerò cum peccatum ratione, ac mente priuet, efficiatque, ut ea pars, in qua uerus est homo, (nam corporis forma non efficit hominem) in beluam euadat, audebit quispiam, qui hoc intelligat, posthac in peccatum relabi? non opinor. in eundem modum si quis cogitaret, multò deterius esse, in Diaboli potestatem ob peccatum uenire, quàm in barbarorum, ac crudelissimorum hominum manus, sicut qui eorum expertus sæuitiam nunquam committeret, ut rursus in eorum ueniret potestatem, sic multo magis quicumque per ueram pœnitentiam semel à Diaboli tyrannide fuisset liberatus, nullo modo unquam committeret, ut in immanissimi hostis potestatem reuertèretur. si cogitaret item, peccatum efficere, ut homo sempiternis bonis ob momentaneam peccati uoluptatem priuetur, atque æternis tradatur Geennæ cruciatibus, nunquam profecto inueniri posset quispiam tam stultè insanus, qui semel liberatus à peccato, ad illud se reuerti pateretur. eiusmodi homines, qui ista omnia animo uersant, necessariò fructus pœnitentiæ dignos faciunt. qui uerò summam totius negocij in sola peccatorum exhomologesi constituunt, neque eiusmodi cogitationibus munire se aduersus peccatum student, ij dignos fructus pœnitentiæ nunquam faciunt: cuius rei signum est, quod paulò post eadem peccata repetunt. & in eis illud impletur, canis reuersus ad uomitum, & sus lota ad uolutabrum luti. At hæc maxima hominum pars mihi uidetur esse, qui quotannis quidem ob cōsuetudinem, uel potius ob metū, ne à reliquo Christianorū cœtu separantur, sacerdoti peccata sua confitentur, neque unquā uerè perpurgantur. dum toto serè anno in sordibus peccatorum degunt, nec ulla renouati interioris hominis signa præ se ferunt. in hoc errore cum magnam huius ciuitatis partem esse uideam, uehementer excrucior, dum uideo quanto in periculo uersentur, & serè in manifesta æternæ salutis iactura. dum sibi quidem persuadēt, remissa per manus sacerdotis impositionem sibi fuisse peccata, neque intelligunt, solam illam pœnitentiam certam habere peccatorum remissionem, quæ dignos fructus faciat. ij uerò cum nullos unquam fructus fecerint, quæ digni queant appellari, uos colligite, quid

spei de eorū salute superfit. Hęc itaq; uersate identidem animo fratres charissimi, atque in rebus tanti momenti, ubi salus agitur sempiterna, ne sitis tam supini, quā fuitis hactenus, sed cum timore, & tremore nostram operemur salutem. neq; satis unquam studij adhibitum opinemur. quod cum in rebus temporarijs alicuius momenti fieri soleat, quid studij non est adhibendum, ubi agitur æternitas, & uel æterna bona sperantur, uel æterna mala metuuntur? pudeat tandem aliquando momentaneis hisce rebus tā pueriliter affixos esse, & nunquam de æternitate cogitare. desinamus pueri esse sensibus, sed, ut uiros decet, seria, & grauiā, & nobis, qui tanti à Deo facti sumus, digna tractare incipiamus. hoc enim & ad præsentem uiam melius agendam faciet, & ad futuram felicitatem adipiscendam. iuuante domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est honor, & imperium sempiternum. Amen.

O R A T I O Q V I N T A D E C I M A .



IT ne cœperitis dicere intra uos ipsos, patrem habemus Abraham. dico enim uobis. potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios ipsi Abraham. Vide, ut omnibus diuinis beneficijs homines abutantur. decreuerat Deus gentem unam è reliqua orbis fece seligere, per quam mysteria, quæ ad generis humani salutem pertinent, exerceat, & ex qua filius ipse Dei carnem acciperet, ac salutem operaretur in medio terræ. hoc tam ingens beneficium intelligere debuerant Iudæi, & rectis, atque honestis factis præ alijs gentibus ita illustres esse, ut gloriari merito possent, ac dicere. notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius. & factus est in Salem locus eius, & habitatio eius in Sion. at illi genus quidem suum iactabant, sed facta tanto genere digna præstare non erat illis curæ. hunc eorum tumorem reprehendebat propheta Ieremias olim dicens. nolite confidere in uerbis mendacij dicentes. templum Domini, templum Domini, templum Domini est, arbitrati scilicet, nunquam permittitur Deum gētem illam perditum iri ob magnificum illud tēplum, quod erat in Ierusalem suo nomini dedicatum. Cum. n. propheta eis interminaretur interitū, respōdebant ei. absit, ut Dominus propter peccata nostra deuastari permittat tēplum, quod suū magis est, quā nostrū. quare admo-

admonēbat, ne fiderent ijs mendacibus, ac uanis cogitationibus, ostendebatque, quid faciendum illis esset, ut propitium Deum habere possent. bonas (inquiēs) facite uias uestras, & studia uestra, & habitabo uobiscum in loco isto dicit Dominus exercituum Deus Israel. in eundem modum inuenias illos iactantes genus Abraham in Euangelio. cum enim dixisset Dominus. si uos manseritis in sermone meo, uerè discipuli mei eritis, & ueritas liberabit uos, responderunt ei. semen Abraham sumus, & nemini seruiuimus unquam. quomodo tu dicis, liberi eritis? Dominus uerò, non agnoscentibus illis ingenuitatem aliam, neque seruitutem, quā illam corporis, docuit, illam uerè seruitutem esse, quæ à peccato proficiscitur. & dixit. amen amen dico uobis, quod omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati, Ioannes ergo, sciens illos hoc morbo laborare, admonet eos, ne frustra gloriantur, ut dicant, se patrem habere Abraham, nisi addant facta tanto parente digna. nam generositas sanguinis, non in sanguine, sed in imitatione paternæ præstantiæ agnoscitur. quare Dominus eisdem Iudæis dicebat. si filij Abraham essetis, opera Abraham faceretis. nunc autem queritis me interficere, hominem, qui ueritatem uobis locutus sum, quam audiui à Deo. hoc Abraham non fecit, quem scilicet habere patrem gloriati. ex tam sceleratis ergo factis demum declarauit, eos non Abraham, sed Diaboli filios esse. uos (inquit) ex patre Diabolo estis, & desideria patris uestri uultis implere. ait ergo Ioannes. ne cœperitis dicere intra uos ipsos, patrem habemus Abraham. dico enim uobis. potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios ipsi Abraham. existimatis (inquit) nisi uos, quamuis scelesti, atque impij, reseruemini in uita, desitutum esse genus ipsius Abraham? multum aberratis à uia. Deus enim, qui omnia creauit ex nihilo, multò facilius efficere potest, ut hi lapides in filios Abraham conuertantur. simul tacitè indicatur, fore, ut gentes, quæ lapides adorantes, in morem lapidum obduruerant, ad Euangelicam prædicationem mollescerent, efficerenturque uerum Abraham semen. non enim omnes, qui sunt ex Israel, sunt Israel, neque quia sunt semen Abraham, statim omnes filij. sed in Isaac uocabitur tibi semen. hoc est, non qui filij carnis, ij filij Dei, sed qui sunt filij promissionis, recensentur in semen. quæ uerò promissio hæc fuit? promissionis (inquit) sermo hic est. in tempore hoc ueniam, & erit Saræ filius. sicut enim in generatione Isaac, promissio illa Dei generari fecit Isaac, cum Abraham corpus iam mortuum esset, cum centum ferè natus esset annos, & emortua uulua Saræ; sic Diuina uirtus ex aqua & spiritu sancto regenerat uerum Abraham semen, ut non ex sanguinibus, neque ex uoluntate carnis, neque ex uoluntate uiri, sed ex Deo nascantur. poterit ergo Deus ex lapidibus istis patriarchæ filios dare, sicut ferè & prius fecit. uulua enim Saræ

lapidibus erat durior, & tamen ad procreandos filios gratiam consecuta est. Iam verò & securis ad radicem arborum posita est, omnis ergo arbor non faciēs fructum bonum, exciditur, & in ignem conijcitur. accepta est ab agricultura similitudo. nam agricolæ, si uidēt arborem aliquam ex ijs, quæ fructus ferre solent, aliquos quidem fructus ferentem, sed non quot deberent, obseruant, quid in causâ sit, & remedium vitio consentaneum adhibent, ut, si cernunt eam nimium lasciuiare, ramos aliquos amputant, ut, qui relictī sunt, copiosorem afferant fructum. sin omnino infructifera euadit, euellunt eam ab radice, & igni comburunt. hac Saluator Christus vsus fuit similitudine, cum dixit. ego sum vitis vera, & pater meus agricola est. omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum, & omnem, qui fert fructum, purgabit eum, vt magis fructum afferat. superuacuum in palmitibus ramusculorum amputationem, appellat purgationem, vt vberiore fructum afferant. sic nimirum vsu euenit in nobis. nimia enim corporearum rerum copia, nimius successus lasciuiare facit animum, vt salutare fructus non ferat. sicut ergo, cum cernimus agricolam putantem & purgantem palmites, & superuacua auferentem, non eum reprehendimus, sed potius mercedem ei pro illo facto reddimus; sic cum Deus paterna castigatione nos cohibet, ac veluti palmites purgat, non est dolendum, sed agenda potius gratia, quòd nos ferendo fructui efficiat aptiores. multò enim hoc melius est, quàm si facti ob laxam, ac dissolutam vitam infructiferi, excidamur, atque in ignem conijciamur, quòd hic Ioannes interminatur Iudæis, qui sæpe quidem, cum aliqua peccabant, castigabantur, & in hostium potestatem captiui dabantur, & tanquam lasciuienti arbori rami abscindebantur, vt post castigationem fructum ferrent. nunc verò videtur præuidisse Ioannes fore, vt eagens propterea, quòd in Christum credere noluerit, tota disperderetur. quare ait. nisi dignam egerint poenitentiam, iam securim ad radicem arboris esse positam, decretamque sententiam perdendæ totius gentis, & tanquam integræ arboris euellendæ. quòd & factum cernimus. nam anni supra mille & quingentos sunt, cum è suis sedibus pulsi, vagi per orbem feruntur, quia noluerunt agnoscere tempus visitationis suæ, quemadmodum Saluator eos admonuit. quæ vltio multò magis ab ijs, qui hac ætate se Christianos profitentur, & nomen Christo dederunt, metuenda est. nos enim magis iniurij in Christum sumus, quàm vnquam Iudæi fuerint. nam illi non agnouerunt illum esse Christum, quamuis suo quidem vitio, sed tamen non agnouerunt, multò verò minus illum esse filium Dei. quin ob illam ipsam causam dignum morte iudicauerunt, quòd filium Dei se faceret. nunc verò nostri fatentur, illum esse filium Dei, & sedere ad dexte-

dexteram Dei, & datam illi esse omnem potestatem in cælo, & in terra, & flecti illi omne genu cælestium, terrestrium, & infernorum, & tamen cum dictis, tum factis sceleratis tanquam hostem insectantur: tantum abest, vt veluti Deum adorent. hæc tam prophana, & sacrilega facta, miror quo pacto sperare audeant homines ferenda esse à Deo, cum longo interuallo superent Iudæorum impietatem, quam tanta cum feueritate vltum fuisse Deum diximus. hoc admonuit Paulus eos, qui ex gentibus in Christum crediderant, cum ad Romanos scribens dixit. quòd si nonnulli rami defracti sunt, tu verò cum esses oleaster, insitus fuisti illis, & confors radices, & pinguedinis oleæ factus es, ne gloriaris aduersus ramos. quòd si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. dices igitur. defracti sunt rami, vt ego infererer. bene dicis. propter incredulitatem defracti sunt, tu verò fide stas. ne efferaris animo, sed timeas. nam, si Deus naturalibus ramis non pepercit, vide, ne forte nec tibi parcat. obseruanda sunt Pauli verba. non illis obijcit vlla scelera. erant enim tunc non solo nomine, sed re ipsa Christiani. & tamen iubet eos cauere; ne, si ob adeptum donum efferantur animo, & glorientur aduersus Iudæos, & ipsi excidantur. hic verò in tanta fece, ac Christiani nominis conculcatione, quid non est metuendum? Et interrogabant eum turbæ dicentes. quid ergo faciemus? Quanti refert, bene affectum habere auditorem, qui intelligat, quicquid à pastore dicitur eò spectare, vt auditorum salus paretur. non sunt eius increpationibus indignati, sed potius compuncti. oportet enim subiectos scire, ac pro certo habere, pastorem, & eum, qui spiritualis patris officio fungitur, semper eundem esse, tamen in loquendo varios præ se affectus ferat. intuere Samuelem, cui cum Deus dixisset, poenituisse se, quòd constituisset Saulem regem super Israel, tristitia affectus est Samuel, & clamauit ad Dominum tota nocte. & tamen cum accessisset ad Saulem, durissimis illum verbis increpauit, atque inter cætera dixit. propterea quòd abiecisti sermonem Domini, abiecit te, ne sis rex. & paulò post, cum rogaret Saul Samuelem, vt honoris gratia reuerteretur cum eo, respondit. non reuertar tecum, quia proiecisti sermonem Domini, & proiecit te Dominus, ne sis rex super Israel. & conuersus est Samuel, vt abiret. ille autem apprehendit summitatem pallii eius, quæ & scissa est. & ait ad eum Samuel. scidit Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. cernis quanta verborum feueritate vsus sit? neque tamen propterea cessabat intra se, & coram Deo lugere eum, ut oportuerit Deum dicere Samueli. usque quò tu luges Saul, cum ego proiecerim eum, ne

regnet

regnet super Israel? oportet ergo eum, cui animarum cura est credita, eodem quidem semper affectu esse, ut scilicet bonum subiectorum semper quærat: uerum in ipsa cum illis consuetudine magna utendum est uarietate, pro naturarum uidelicet differentia. quemadmodum si quis feram multiplicem, ac multiformem, ex uarijs feris compositam, maioribus, & minoribus, mitioribus, & agrestioribus regere conetur, ac mansuefacere, esset ei prorsus labor, & ingens negocium, tam inæquali, & diuersæ præfese naturæ. cum neque eisdem uocibus, neque cibis, neque contractatione, neque sonitu, neque alijs agendi modis singulæ earum ferarum gaudeant, sed aliæ alijs, uel delectentur, uel doleant, nempe qualis cuiusque natura est, & consuetudo. quid hunc oporteret facere, qui huius generis feræ præfesset? quid porro aliud, quam ut multiformi esset, ac uaria scientia, & consentaneam cuique adhiberet curam, ut ei rectè ageretur fera, ac seruarietur? eodem modo cum hoc commune ecclesiæ corpus multis, ac uarijs constet & moribus, & sententijs, tanquam unum compositum animal, & inæquale, omnino necesse est, ut præful, & simplex idem sit, seruata in omnibus rectitudine, & quam maximè multiplex, ac uarijs ob priuatos cuiusque mores, ut, dum cum omnibus uersatur, aptus sit, & accommodus. nam quemadmodum corporibus non eandem medicinam, & cibum adhibent medici corporum, sed alij alium, prout uel bono sunt corporis habitu, uel egroti; sic animæ differenti ratione, & modo curantur: testes uerò curationis ij sunt, quorum & morbi. hos quidem agit oratio, illi uerò erudiuntur exemplis. alij stimulis indigent, alij freno. nam alij tardi sunt, & qui difficile ad honestum moueantur, qui orationis uerbere sunt excitandi. alij spiritu feruidiores, quam æquum sit, & non facile ab animi impetu cohibentur, tanquam pulli generosi ultra metam currentes, quos meliores oratio astringens, & cohibens facere poterit. Alijs quidem laudatio profuit, alijs uituperatio, utraque opportunè: contraque, sine opportunitate, & ratione nocere. alios adhortatio corrigit, alios increpatio, & ea alios, si publicè redarguantur, alios, si occultè admonentur. consueuerunt enim alij quidem contemnere priuatim admonentes, multitudinis uerò reprehensione fieri modestiores. at alij ad libertatem reprehensionum impudentes euadere, qui tamen secreta increpatione erudiantur, & pro misericordia obedientiam reddant. Horum quidem omnia accuratè obseruare etiam minima necessarium est, quicumque, dum latere arbitrantur, (nam hæc eorum est ars) tanquam sapientiores instantur: aliorum uerò quædam negligere melius est, ut uidentes non uideamus, & audientes non audiamus, ut est prouerbum, ne ad impudètiã eos prouocemus, studio reprehensionum obruentes, & demum ad omnia reddamus audaces, pudore, qui medicamentum est per-

persuasione, solito. & sanè quidem irascendum quibusdam est, nobis non iratis, & despiciendum non despicientibus, & desperandum, quamuis non desperemus, ut cuiusque natura requirit. Et alij mansuetudine curandi, atque humilitate, & alacriter meliores nobis spes pollicendo. & alios quidem uincere, ab alijs uerò uinci sæpe conducibilius est. & aliorum copiam, & potentiam, aliorum inopiam, aut infelicitatem, uel laudare, uel deprecari. nõ enim, ut in uirtute, & uitio accidit, ut illa sit optima, atque utilissima semper, & omnibus, hoc uerò pessimè atque abominandum; ita & in hac nostra curatione unum, atque idem, aut salutare, aut perniciosum semper, & eisdem ostenditur, ut austeritas, & lenitas, aut eorum singula, quæ enumerauimus. sed alijs quidem hoc bonum est, atque utile, alijs uerò contrarium opinor, ut inciderint & tempora, & res, & eorum, qui curantur; mores admiserint. Quæ omnia quidem oratione distinguere, atque exactissimè dispicere, ut summam curationem comprehendamus, non est possibile, quamuis ad hanc quis peritiam summa cura, prudentiaque peruenerit. sed in ipsa experientia rerum, rationi curatrici, ac uiro demonstrantur. At in uniuersum nobis illud cognitum est, quòd quemadmodum ijs, qui in aliquo sublimi, & excelso fine progredi uolunt, hinc, aut hinc declinare non est tutum, neque si etiam id, quod inclinatur, exiguum esse uideatur. eorum autem securitas est, si libramentum æquale seruetur; sic & in his, utramcunque in partem quis pendat, siue ob uitium, siue ob imperitiam, periculum non leue labendi in peccatum, & ipsi, & ijs, qui reguntur, imminet. sed uia regia uerè ingrediendum est, & circumspectum, ut neque in dexteram neque in sinistram, ut aiunt prouerbia, declinemus. Et hæc quidem, atque aliæ plures huius generis difficultates pastori propositæ sunt, quas tamen, aut certe maximam earum partem superari in primis facit subiectorum beneuolentia, & bene erga rectorem suum affectus animus. qui si desit, illud accidit, quòd in uitiosis uasis usu euenit, ut, si in illa optimus etiam liquor immitratur, continuò uitium capiat. sic qui malè affecto animo est, optima quæque, ac saluberrima pastoris monita in acorem uertit, quamuis alioqui suauia, ac dulcia natura sint. oportet ergo animum, qui facturus fructum sit, imitari eam terram, quam Euangelica parabola bonam appellat, quæ sublati illis rebus, quæ impedire fructum memoratur, iactum semen suscipit, & uberem fructum profert. Turbæ ergo illis Ioannis Baptistæ increpationibus tanquam stimulis excitatæ (uerba enim sapientium quasi stimuli, & tanquam clauis in altum defixi, ait Salomon) rogauerunt eum, quid sibi esset faciendum. nam dixerat quidem Ioannes, ut, si fugere à uentura ira uellent, dignos fructus pœnitentiæ facerent. uidentur ergo nunc postulare, ut hæc uerba planiora illis faciat, doceatque,

beatque, quam sit via faciendi dignos fructus poenitentiae. Respondens autem dicit illis, qui habet duas tunicas, impertiat non habenti, & qui habet escas, similiter faciat. Papae quam exactum initium suae praedicationi facit, & quam exquisitam philosophiam subito ab eis requirit, a qua nos, qui penè nascimur Christiani, & nomē Iesu cum lacte nutricis haurimus, tanto distamus intervallo. sed hoc vitioso more fit. praua enim educatio in causa est, dum parentes alieni ab ea doctrina, quam Christus Dei filius è cœlo ad nos attulit, neque quicquam aliud minus quam illam agnoscentes, teneros filiorum animos terrenis imbuunt affectibus. fitq; in illis, quod poeta quidam externus dixit.

Quo semel est imbuta recens seruat odorem

Testa diu.

nam ita imbuti docentur quidem nomen Christi, sed eo tantum modo, ut ad corporis aures duntaxat perueniat, maiusque parentibus studium est, ut filij parandis pecunijs, acquirendis honoribus, augenda domui afficiantur. quare cum eisdem affectibus crescunt, putantque satis esse, si Christum voce profiteantur, quamuis factis negent. huiusmodi autem homines maiore cum difficultate in rectam vitam aguntur, quam ij, qui nunquam antea Christianam philosophiam agnouerunt. quod evidentissimè declaratum fuit in ijs, qui à simulachris ad Christum conuertebantur. nam ij mox apti erant non solum ad contemnendas pro Christo opes, sed ad vitam etiam pro eo omnibus tormentis exponendam. facilius enim est recenti animo inserere veritatem, tanquam ceræ, cui nulla adhuc forma impressa sit, quam contra alias literas, malas inquam doctrinas, & dogmata pium inscribere sermonem, ut confundantur, & inordinatè misceantur posteriora prioribus. nam viam quidem calcare praestat lenem, & tritam, quam insuetam, & asperam, & terram arare, quam saepius aratrum scidit, & mollit. in anima verò scribere, in qua nondum prauus sermo impressus sit, neque in altum vitiosae literae defixæ. sic enim duplex, & pulchro pictori labor imminet, & abolere priores formas, & inducere meliores, & quæ digniores sint permanere. Oportet ergo eos, qui ex Christiana philosophia fructum capere velint, illam toto pectore haurire, atque in eius contemplationem omnes affectus transferre, quod in ipsis nascentis ecclesiae initijs faciebant ij, qui nomen Christo dabant. vendebant enim domos, & possessiones, & ponebant pretia earum ad pedes apostolorum, & nudum Christum nudi sequebantur. Qui habet (inquit) duas tunicas, impertiat non habenti, & qui habet escas similiter faciat. per hæc verba intelligitur, debere homines, qui Christianam philosophiam cōplecti serio velint, præter ea, quæ ad honestum victum, & cultum sunt necessaria, cætera præbere indigentibus. & hæc præcepta fuerunt in ipso prædicationis

cationis Euangelicæ diluculo, antequam prodiret oriens, & sol iustitiæ Christus appareret. nunc verò cum processit, & creuit usque ad perfectum diem, multò maiora essent præstanda, nempe quod ipse dixit. si vis perfectus esse, uade, & uende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & ueniens sequere me. & tamen ne illa quidem præstantur, quæ præcursor turbis proposuit rudibus, & quibus nondum ulla Euangelicæ perfectionis facta fuerat mentio. ecquis enim uestrum est, qui post tantam agnitam ueritatem, post tot Euangelica toties à me repetita monita, in animum induxerit illud facere, quod Ioannes imperitis turbis in ipso prædicationis initio proposuit faciendum? optarim uerè, ut quicumque ex uobis, qui uel non credunt, uel egre ferunt, cum ex me saepius audiunt, oportere eum, qui seruari cupiat, præter honestum uictum, & cultum, cætera indigentibus dare, obseruarent hæc Ioannis uerba. quid enim est aliud, ex duabus tunicis, unam egenti dare, & de escis idem facere, nisi ex duplo, quod quis habet, dimidium, quod superest, alijs impertiri? & hoc, ut fugiatur uentura ira. neque enim mox, ubi quis Geennam fugit, dignus est cœlo. non es fur? non pasces in cruce coruos. sed non continuo dignus es præmio. quid ergo ad regnum adipiscendum opus præterea est? nempe quod dictum fuit adolescenti illi diuiti, qui, cum dixisset, se impleuisse omnia præcepta ab adolescentia sua, audiuit. unum tibi adhuc deest, uidelicet ad uitam æternam acquirendam, de qua interrogauerat. quid ergo illud est? uade, & uende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & ueniens sequere me, & habebis thesaurum in cœlo. & alibi. nolite timere pusillus grex, quia placuit patri uestro dare uobis regnum. quid ergo? uendite, quæ possidetis, & date eleemosynam: facite uobis sacculos non ueterascentes, thesaurum non deficientem in cœlis. cernitis me parum dixisse cum monui, præter honestum uictum, & cultum, cætera danda esse pauperibus, regni parandi gratia? & sane parum dixi. si enim cœlorum regnum uim patitur, & uiolenti rapiunt illud; quæ uis adhibetur, cum id datur, quod superest ad uictum, & cultum? dandum est ergo etiam ex eo, quod necessarium est. sic enim est intelligendum, quod dicit Dominus. ex ijs quæ suppetunt, date eleemosynam. sic Tobias filium hortabatur, ut pro facultatibus daret eleemosynam, cum multæ essent, multum, cum paucæ parum. Venerunt autem & publicani, ut baptizarentur, & dixerunt ad illum. magister quid faciemus? at ille dixit ad eos. nihil amplius, quam constitutum est uobis, exigatis. Venit mihi nunc in mentem uerborum Domini, cum dixit. quis nam est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore dimensum cibum? oportet enim uerbi Dei dispensatorè & fidelem esse, & prudentem. ad fidem pertinet, ut ex animo negocium Domini tractet, atque,

omni studio operam det, nequid sua negligentia depereat ex ijs, quæ suæ curæ sunt credita. ad prudentiam uerò spectat, ut omnia cum iudicio administret. alterum si desit, non sine subiectorum damno accedere unquam potest. si. n. desit fides, multa negligentur necesse est. si prudentia, multa peccantur, dum rectè se facere quis existimat, est enim quisque pro illius captu regendus. nam alij quidem egent, ut lacte nutriantur, id est, dogmatibus simplicioribus, & crassioribus, quicumque habitu pueri sunt, ac nuper geniti (ut quis dixerit) uirilem sermonis cibum non ferentes, quem si quis supra uires adhibuerit, fortasse oppressi, & grauati, cum non sufficiat mens, ut illic materiam, ita hic id, quod ingreditur, trahere, & tanquam in sanguinem, & succum uertere, damnum etiam priorum uirium patiantur. alij uerò egentes ea sapientia, quæ inter perfectos tractatur, & altiori, ac solidiori cibo propterea, quod ad discretionem ueri, ac falsi idoneè sensus exercuerint, si lactis potum accipiant, & oleribus, infirmorum alimento nutriantur, egrè ferant. nec iniuria, cum non secundum Christum corroborentur, neque crescant laudabili incremento, quod sermo Dei parit, perficiens in uirum, & ad mensuram spiritualis ætatis ducens eum, qui recte nutriatur. Quod uerò de dogmatibus dictum est, idem & quod ad uitam pertinet, est sentiendum. neque enim eadem equè ab omnibus sunt requirenda. nam ijs, qui aliquid iam uirtutis affecti sunt, maiora, ac perfectiora proponi debent. qui uerò, quid sit uirtus, nondum agnouerunt, sed carnem, & sensus hætenus sunt secuti, alia ratione, ac uia erga eos utendum est. quod cernimus fecisse Ioannem, qui aliud proposuit publicanis, quam turbis fecerat. nam publicani minus capaces erant, ut qui publicis exigendis uectigalibus occupati, priuati lucri gratia plus exigent, quam à principibus fuisset constitutum. quare in Euangelio malè audiunt, & qui hoc nomine appellantur, coniungi cum peccatoribus consueuerunt. atque iccirco qui inimico in Christum erant animo, obijciebant ei, quòd cum eis haberet consuetudinem, dicebantque discipulis illius, quare cum publicanis, & peccatoribus comedit magister uester? Interrogabant autem eum & milites, dicentes. & nos quid faciemus? & ait illis. neminem concutiatis, nequem calumniemini, & contenti estote stipendijs uestris. eadem erga milites utitur prudentia, ut non altiorem ab eis philosophiam exigat, sed contentus est in præsentia, si abstineant a uitio, quod militibus ferè commune est, a calumnia uidelicet, ac concussione, & stipendijs sint contenti, quæ uictus gratia à rege, accipiunt. iccirco obsonia appellauit, quæ nos vertimus stipendia, nomen Latinis magis agnitum, & quo in re militari uti consueuimus. In hac autem Ioannis prædicatione obseruandum est, quam mul-

ti nunc

ti nunc quoque à praua, & perdita uita reuocarentur, si ueri, ac legitimi uerbi concionatores nunquã deessent. idem enim proculdubio & nunc uis ueniret, quòd tunc accidit. atque ij, qui nunc à uia Dei sunt alienissimi, ad uocem pastoris expergerent, si pastores officio fungerentur suo. sed cum ij, qui duces aliorum esse deberent, nihil minus, quam ista curent, & plerunque pessimis exemplis gregem potius corrumpant, quam iuuent, grex Christi interea ite perditum. & messis quidem multa est, operarij autem pauci. quare faciamus, quòd Dominus ait. rogemus Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam, ne tam miserè pereat ille populus, qui pretioso sanguine filij Dei redemptus fuit, cui cum patre, & spiritu sancto est honor, & imperium sempiternum. Amen.

ORATIO DECIMASEXTA.



EXPECTANTE autem populo, & cogitantibus omnibus in corde suo, num ipse esset Christus ille, respondit Ioannes uniuersis dicens. ego quidem aqua baptizo uos, sed ueniet fortior me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum. ipse uos baptizabit spiritu sancto, & igni, cuius ventilabrum in manu ipsius, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Ingens est, atque admiranda uis Euangelicæ ueritatis, quam ubi quis in animi penetralia semel introduxit, ea, quæ maximè expetenda alijs uidentur, non solum superat, uerum etiam auersatur. nam qui huius lucis fuerunt expertes, Diuinos honores summo studio ambiebant, & malitiosis interdum artibus utebantur, ut inter Deos relati existimarentur. nostri uerò siquid egissent, quòd humanas uires superauisset, ut Diuinum aliquid in eis appareret. ubi cernebant, se ob eam rem in admiratione haberi, omnem Diuinitatis, aut quòd magni aliquid essent, opinionem totis uiribus ab hominum mentibus euellere conabantur. cum enim Petrus, & Ioannes claudum illum, qui in porta templi eleemosynam petebat, sanauissent, & totus populus accurrisset stupefactus, hoc uiso Petrus respondit ad populum. uiri Israelitæ, quid miramini super hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra uir-

Z 2 tute

tute, aut pietate effecerimus, vt hic ambularet? moxque declarauit, hoc factum fuisse virtute Iesu Christi, quem ipsi occidissent. rursus accidit, ut, cum Paulus, & Barnabas essent Lystris, prædicarentque Euangelium, vir quidam ibi esset debilis pedibus, claudus ab utero matris sue, qui nunquam ambulauerat. hic audiuit Paulum loquentem, qui intuitus eum, & videns, quod fidem haberet, fore, vt saluus fieret, dixit magna voce. surge in pedes tuos rectus. & exiit, ambulabatque. turbæ verò cum vidissent, quod fecerat Paulus, sustulerunt vocem suam Lycaonicè dicentes. Dij in specie hominum descenderunt ad nos. & vocabant Barnabam Iouem, Paulum verò Mercurium, quod is esset dux sermonis. sacerdos autem Iouis, qui erat ante ciuitatem illorum, tauros, & coronas ad uestibula afferens, cum turbis uolebat sacrificare. quod ubi audierunt apostoli Barnabas, & Paulus, conscisis uestibus suis insilierunt in turbam, clamantes, ac dicentes. viri cur ista facitis? nos quoque iisdem, quibus vos obnoxij malis, sumus homines, annuntiantes, vt ab istis vanis conuertamini ad Deum viuum, qui fecit cælum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt. Cernis, quantam vim habeat agnitio veritatis, & eius studium, quæ ea recuset, atque adeo abominetur, quæ maxima passim solent existimari? quid enim maius, aut dignius accidere cuiquam potest, quam vt Deus credatur, ac Diuinis honoribus honestetur? Ioannes igitur rectè, cum circumferri audit, nùm ipse sit Christus, apertè fatetur, se eum non esse, quemadmodum in Euangelio secundum Ioannem legimus, quando miserunt Iudæi ex Ierosolymis sacerdotes, & Leuitas, vt interrogarent eum, tu quis es? & confessus est, & non negauit, & confessus est. non sum ego Christus. vide & in his verbis accuratam circumspectionem. interrogatus enim, quis esset, ante quam responderet interrogationi, studuit euellere ex eorum mentibus tam ingentem opinionem, quam de eo habebant, quod scilicet ipse esset Christus. nihil opus est (inquit) vt à me expectetis, dum dicam, me esse Christum. neque enim sum. obseruanda sunt etiam illa Euangelistæ Ioannis repetita verba, & confessus est, & non negauit, & confessus est. non sum ego Christus: vt ostenderet summam Ioannis & integritatem, & animi submissionem, qui omni assueuratione affirmaret, se non esse illum Christum, quem Iudæi expectabant. nam etsi apud Iudæos, & reges, & sacerdotes Christi appellarentur, vnus tamen erat, qui singulariter expectabatur, in lege, ac prophetis promissus, à quo Iudæorum salus omnis, & liberatio, & redemptio, & eius gentis celsitudo, & declaranda maiestas sperabatur. iccirco dicebant discipuli duo illi, qui ob Domini Iesu mortem sperare desierant. nos autem sperabamus, quod ipse esset redempturus Israel. & rursus post Domini

mini resurrectionem, ij, qui conuenerant, interrogabant eum dicentes. Domine, num in tempore hoc restitues regnem Israeli? mirum verò, quo pacto Christiani à tam admirandis exemplis se faciant alienos, ac tam ambitiosè honores, ac dignitates expetant, quibus si etiam digni essent, ad contemplationem tamen Diuinæ huius philosophiæ contemnere eos deberent. cum verò præterea semper ferè eis partibus destituantur, quibus honores dandi sunt, addaturque temeritas ambitioni, quis rem tam monstruosam satis admiretur? sed redeamus ad Euangelicam historiam. Expectante autem populo, & cogitantibus omnibus in corde suo, num ipse esset Christus. sciebant eum magni sacerdotis filium, viderant admirandam in victu, & cultu abstinentiam, & vitam ab infantia actam in solitudine, quæ angelorum potius, quam hominum consuetudine esset digna. quare iudicium omnium inclinabat, fieri potuisse, vt ipse esset Christus. cur ergo Christus hanc viuendi rationem non sibi instituit, vt facilius agnosceretur, atque à Iudæis reciperetur? sed obserua, eos, qui illum non receperunt, fuisse malè affectas mentes, & qui mundi gloriam plus amabant, quam illam Dei, studebant auaritiæ, atque ambitioni, eiusmodi autem homines nullum, quamuis omni ex parte absolutum, vitæ genus admirantur, solasque sequuntur sui animi appetitiones. ij enim ne Ioannis quidem baptismum receperunt. de quibus ipse Lucas ita scribit. omnis populus audiens, & publicani iustificauerunt Deum baptizati baptismo Ioannis. pharisei autem, & legisperiti consilium Dei spreuerunt aduersus semetipsos, non baptizati ab eo. quod cernens Dominus dixit. cui ergo similes dicam homines generationis huius, & cui similes sunt? similes sunt pueris sedentibus in foro, & acclamantibus inter se, ac dicentibus. cantauimus vobis tibijs, & non saltastis. cecinimus vobis lugubria, & non plorastis. venit enim Ioannes baptista neque edens panem, neque bibens vinum, & dicitis, Demonium habet. venit filius hominis edens, ac bibens, & dicitis, ecce homo edax, & vini potor, amicus publicanorum, ac peccatorum. ij ergo neque lugere voluerunt cum Ioanne, id est, laudare, ac imitari, & amplecti seueriorè illius victum, neque saltare cum Iesu, id est, ciuiliorem, ac remissiozem eius vitam approbare. qui verò bene affecto fuerunt animo, vtrique fauerunt, & utriusque vitæ rationem, quamuis diuersa videretur, comendauerunt. cernebatur enim Christum cum peccatoribus, ac publicanis versari, eorum salutis gratia, vt ex illa communis vitæ consuetudine, ad fidem, & rectam vitam allicerentur. In hac itaque populi expectatione, nùm Ioannes esset Christus, respondit Ioannes vniuersis dicens. ego quidem aqua baptizo vos, sed veniet fortior me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum. ipse vos baptizabit spiritu sancto, & igni. Quod ait, illum respondisse vniuersis, ostendit,

ostendit, quam accuratè studuerit, tantam amouere de se opinionè apud populos, ne deciperentur, dum crederent illum esse Christum, & auocarentur à fide in eum, qui uerè esset Christus, & quam ut declararet, ipse præcescit, & hanc prædicationem aggressus est, & baptizare cœpit, ut præpararet homines ad baptismum Christi, eo quòd suum baptismum minus perfectum esset. ego quidem (inquit) aqua baptizo uos, id est, meum hoc baptizandi in aqua ministerium non est res, quæ omneis habeat numeros, sed preparatio quædam inuitans uos ad pœnitentiam, ut remissionem peccatorum accipiatis, cum baptismo Christi baptizabimini. in eo enim plena uis est, quare addit. sed uenit fortior me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum. ipse uos baptizabit spiritu sancto, & igni. conatur, quantum potest, se deicere, ut maior gloria accedat Christo. si enim is, qui tantus erat, ut ob uitæ sanctitatem Christus existimaretur, indignum se iudicat, qui soluat corrigiam calceamentorum (quod uilisissimi mancipij esse officium solet) eius, quem dicit post se uenturum, quantus futurus expectandus est, quem post se uenturum asserit? Venit (inquit) fortior me. appositè sanè. nam is est, qui fortem alligauit. cum fortis armatus (inquit) custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet. cum autem fortior illo superueniens uicerit eum, uersa arma eius auferit, in quibus confidebat, & spolia eius distribuit. Ipse baptizabit uos spiritu sancto, & igni. non negat, quin baptismus Christi constet etiam aqua. nam ipse apertè dixit. nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei, sed eius partis meminit, id est, spiritus sancti, à qua baptismus Christi omnem accipit efficaciam. aqua tamen adhibetur, ut, cum anima constemus, & corpore, in ijs mysterijs aliquid corporeum adhibeatur, quod signum sit earum rerum, quæ interius in anima aguntur. exempli gratia. aqua utimur ad abluendum, & abstergendas sordes. baptismi ergo aqua significat, spiritus sancti uirtutem efficere, ut ueteris hominis peccata auferatur, & quasi abluantur, & fiat nouus homo, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate ueritatis. de hac aqua dictum fuit per prophetam. effundam super uos aquam mundam, & mandabimini ab omnibus inquinamentis uestris, & ab omnibus spurcitijs uestris mundabo uos. & dabo uobis cor nouum, & spiritum meum ponam in medio uestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & mandata mea custodiat, & operemini. cum baptizatur homo, mergitur aquis. quid hoc? audi Paulum. an ignoratis, quòd quicumque baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem ipsius baptizati sumus? sepulti enim sumus unà cum Christo per baptismum in mortem, ut, quemadmodum surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. dum enim baptizamur,

mur, deponimus, & quasi obruimus peccata, quod cœperat facere mors Christi. etenim pro peccatis nostris mortuus est, liberare nos ab eis uolens. effecit ergo mors Christi depositionem, ac mortificationem peccatorum, & quantum in ipso fuit, totum perfecit: restat sola fides nostra, & agnitio, & propositum. hæc autem per baptismum declarantur, qui dum accipitur, magis ostenditur, quantum salutem attulerit mors Christi. pulchre ergo dixit. in mortem ipsius baptizati sumus, quasi moriamur similem ei mortem, dum quasi sepelimus in baptismo peccata. & euidentius salutaris eius mortis lucrum declaratur, dum nos interea ad salutis plenitudinem per baptismum adbibemus agnitione, & propositum, & fidem, unde sequitur innouatio uitæ, & imago quædam resurrectionis Christi, post quam & nostrorum demum corporum resurrectio est secutura. Hanc ergo ob causam, quæ diximus, corporea signa in Christianis mysterijs adhibentur. sic & cū Dominus corporis, & sanguinis sui sacramentum instituit, sub specie panis, & uini id fieri uoluit, ut, cū his duobus uita hominis alatur, significaretur illud, quod ipse dixit. caro mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus. Baptizabit (inquit) uos spiritu sancto, & igni. hoc uideatur esse, quòd in Actis apostolorum legimus dixisse Dominum. Ioannes quidem baptizauit aqua, uos autem baptizabimini spiritu sancto, nò post multos hos dies additur autè ignis, quia, cū datus illis fuit spiritus sanctus, apparuerunt dispersitæ linguæ tanquam ignis. Cuius uentilabrum in manu ipsius, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem cõburet igni inextinguibili. & hæc etiam similitudo, quem admodum & superior de securi ad radicem arboris posita, accepta est à re rustica. nam ubi separandum est granum à paleis, uentilabro utuntur agricolæ, atque in area utrunque uentilantes, alterum ab altero separant. uidetur autem in superiori similitudine, de securi ad radicem arboris posita, prædixisse reprobationem illius gentis, quæ à terra promissa auellenda, & releganda, ac per orbem dispergenda esset, hoc autem de fine, quem & boni, & mali sunt habituri. iccirco non solum ignis hic meminit, quod & in priori similitudine fecit, cum dixit. omnis arbor, quæ non fert fructum bonum, exciditur, & in ignem mittitur, sed uocat ignem inextinguibilem. per quod uerbum non quadrat, si intelligatur illa Iudææ gentis reprobatio, quæ etsi abiecta nunc est, speratur tamen demum illius conuersio. sic enim Paulus ait. nolo uos ignorare fratres mysterium hoc, quòd excæcatio ex parte Israel accidit, donec plenitudo gentium aduenerit, & sic totus Israel saluus erit. Appellat ergo triticum bonos, paleas malos. quemadmodum enim, dum tritura in area fit, utraq; calcantur, & cæduntur, sed hoc interest, quòd paleæ franguntur, triticum integrum manet, sic in hominum uitæ usu uenit. nam boni pressuris, &

afflictionibus, tantum abest, ut frangantur, ut etiam fortiores, praestantioresque euadant. mali vero mox cedunt tentationibus, & franguntur, & non aduersa solum, sed multo magis prospera illos eneruat, & frangunt. sicut enim ijs, qui Deum diligunt, omnia cooperantur in bonum, sicut ait Paulus, sic in probis omnia in eorum perniciem conuertuntur. recte enim dictum est in Jeremia. quid paleis ad triticum, dicit Dominus? palea res mobilis est, & leui quouis vento huc, atque illuc impellitur. sic improbae mentes varijs aguntur affectibus pro rerum incidentium qualitate. si res secundae sunt, insolescit improbus, exultat, Deum obliuiscitur, proximum quenque contemnit, abutitur donis sibi a Deo datis, lasciuuit, euadit intemperans. si rerum fors mutetur, despondet animum, blasphemat, superos, & inferos lacescit iniuria, quia palea est, & nihil solidi in se habet, quo sustineatur. illius enim cogitationes aguntur more equorum, qui excusso rectore currum vagi trahunt, atque in praecipua feruntur. sic ij, quia rationem tanquam aurigam, & moderatorem quendam abiecerunt, seque perturbatis, ac vitiosis affectibus regendos tradiderunt, omnia faciunt in compositum. paleae sunt infaecundae mentes, quae semper in temporarijs curis, ac negocijs versantes, nihil pariunt, quod permanere idoneum sit. nunquam cogitant, quid illis fiet tempore purgandae areae. nunc se aliquid putant, quod bonos opprimunt. sicut enim in tritura, dum paleae permixtae sunt tritico, videntur paleae supereminere, ita nunc dum improbi cum bonis in ecclesia versantur, fastu, pompis, ornatiore cultu, delicatiore victu, aedificiorum magnificentia, fauore principum probis viris antecellunt, ut vix appareant. impleturque in eis, quod ait Salomon. cum surrexerint impij, abscondentur homines. sed attendendum est, quid mox eodem loco sequatur. & cum illi perierint, multiplicabuntur iusti. vbi enim ventilabro illo Diuini iudicij seiuncta fuerint paleae a tritico, tunc vtriusque natura, & tritici virtus, & palearum vilitas agnoscetur. Illud tempus ante oculos habendum esset, quod si fieret, ij, qui nunc paleae sunt, conuerti in triticum possent. nam hoc privilegio donati sunt homines, ut in eis fiat, quod in materialibus paleis fieri non potest. vide enim, quid dicat Paulus scribens ad Timotheum. in magna domo non tantum sunt vasa aurea, & argentea, verum etiam lignea, & testacea, & alia quidem in honorem, alia vero in contumeliam. si quis igitur expurgauerit seipsum ab ijs, erit vas in honorem, sanctificatum, ac commodum vtilibus Domini, ad omne opus bonum praeparatum. cernis, ignobile vas, si se expurgauerit, fieri posse vas honestum, & sanctificatum, & quod prius erat inutile, post purificationem fieri accommodum vtilibus Domini? haec tanta occasio inuitare sceleratissimos quosque deberet, ac perditissimos ad dandam operam, ut ex paleis triticum fierent.

neque

neque uero nunc esse necessarium iudico, pestilentissimum quorundam huius aetatis, quos praedestinatores appellare consueui, errorem, atque impium dogma refutare, qui partem generis nostri ita abiectam, & neglectam a Deo fuisse contendunt, ut seruari nunquam possint, sed ad aeternos cruciatus ab initio sint destinati. nam meministis me superiore anno copiose multis orationibus ostendisse, scripturas sacras ueteris, ac noui testamenti illi eorum sententiae reclamare. quare nunc eandem repetere disputationem iudicauimus superuacuum. Purgabit ergo aream suam. haec purgatio in finem reseruatur ob eam causam, quam ipse Dominus dixit in parabola zizaniorum. cum enim serui illius patrisfamilias uiderent zizania creuisse in agro cum tritico, rogauerunt, num uellet, ut irent, atque euellerent zizania. at ille respondit. non, ne forte euellentes zizania eradicetis simul & triticum. non solum quia ij, qui nunc zizania sunt, fieri triticum possunt, ut dudum de uasis dicebamus ex uerbis Pauli, uerum etiam quia probi dum exercentur molestijs, & uexationibus malorum, tanquam zizaniorum, ipsi ex herba triticum fiunt. si enim zizania euellerentur ante tempus, id est, tollerentur impij, fieri posset, ut ij, qui triticum futuri sunt, deficiente illa exercitatione malorum, fructum non ferrent, & quasi triticum ante tempus sine fructu euelleretur. quid ergo? expectate (inquit) tempus messis, & tempore messis dicam messoribus. colligite primum zizania in fasciculos, ut comburantur. triticum autem congregate in horreum meum. Idem est, quod hic dicit, congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Huius ignis mentio in Euangelijs quidem apertissima est, in prophetis autem more prophetarum fit suboscuro, quemadmodum & de aeterno iustorum praemio. In Esaia enim sic legitur. in tympanis, & citharis, & bellis plausibilibus expugnabit eos. praeparata est enim ab heri Tophet, etiam pro rege praeparata, profunda, & dilatata. incendium eius ignis, & ligna multa. flatus Domini sicut torrens sulphuris incedens eam. ubi sub Assyriorum historia ostenditur, iustos Deum laudare in caelo, qui suos a tantis eripuit periculis. impios autem in Tophet, id est in Geennam deiecerit. non dicit Assyrios tantum in hoc mundo ferendos, sed etiam in futuro infernalibus poenis perpetuo cruciandos. Geenna. n. hic Tophet dicitur, ita appellata a loco prope Ierusalem extra muros in valle filiorum Ennon, ubi cadauera, & immunda quaeque proieciabantur. & fortasse alibi tam clare descriptum non inuenies, consentientibus etiam Hebraeis cum nostris scriptoribus. & primo quidem dicitur praeparata ab heri, id est, ab initio mundi. hoc enim, heri, non raro significat in scripturis sacris. ut illud ad Hebraeos. Christus Iesus heri, & hodie, ipse & in secula. Hebraei quoque exponunt, infernum iam ante paratum,

AA praedi-

prædicentibus prophetis, etiam regi, tametsi cum exercitu suo non perierit. secundò indicat propheta profundum esse infernum, & latum, quo agnoscas multitudinem damnandorum. tertio dicit, habitaculum illud esse igneum, ut intelligas cruciatum perpetuum. quartò Geenna est æterna, quia spiritus, & uoluntas Domini perpetuam uim incendij suppeditat. Hæc æterni ignis commemoratio, ut dudum dicebamus, in prophetis fit subobscurè, quemadmodum & de æterna in cælo iustis agenda uita. at sub Euangelio utrunque est vulgatisimum. ibunt iij (inquit) nempe qui execratione digni fuerint, in ignem æternum, iusti autem in uitam æternam. & rursus. uermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. & pluribus alijs locis hæc æternitas & pœnarum, & præmiorum memoratur. & tamen homines, qui hanc fidem profitentur, tam inerte uiuunt, ut rem tantam nihil curare uideantur. Si audiret hæc ciuitas, principem suum exitium illi interminari propterea, quòd in eum peccauissent, nullum non lapidem mouerent, ut malum illud euitarent. nunc uerò milles lætalibus criminibus quotidie Deum offendunt, quibus æternæ mortis minæ intentantur, & nihil serio, nihil ex animo fit, ut homines tantum malum, æterna uidelicet supplicia deprecantur. pro re temporaria, quam tamen per mortem saltem sunt amissuri, tam uehementer solliciti sunt. ubi uerò agitur æternitas, stertunt. O uecordiam, o stupiditatem. si iuberet princeps, ut certam pecuniæ summam ciuitas daret, alioqui ferro, & igni uastanda, totam dependent summam, & ne teruncium quidem deesse paterentur, quin aliquid potius adderent, ut magis principi gratificarentur. audiunt minas æterni ignis, parati ijs, qui egentibus cibum, potum, uestem, hospitium non præbuerint, infirmorum, & in carcere positorum curam neglexerint. & tantum abest, ut ista omnia præstent, ut uno dato panis frusto, satis se fecisse putent, neque verentur, ne, cum tam multa prætermittant, quæ danda præcipiuntur, æternis ignibus cruciandi tradantur. si princeps polliceretur ijs, qui pecuniam mutuam illi darent, se duplum peracto anno redditurum, uenderent ciues facultates omnes, ut maiorem pecuniæ summam mutuandam inuenirent. promittit Christus ijs, qui chari aliquid ipsius gratia relinquunt, centies multiplicatam mercedem in hac ipsa uita, & in futura æterna felicitatem, & stolidi, atque ingrati homines tantum bonum ridere uidentur, quemadmodum ex factis ipsis manifestissimè declaratur. quis hanc stupiditatem satis obstupefcat? an hoc non est semper pueros esse sensibus? nam puerorum mos est, neque magna commoda, neque magna damna æstimare, si parentes ex agrorum pro-

uentibus,

uentibus, aut ex mercatura ingens aliquod lucrum faciant, atque hoc infantibus nãrent, non animam aduertunt, neque intelligunt. si corruat domus, aut grandio vineas, ac segetes perdat, nõ videtur ad eos damnatum illud pertinere. si uerò quippiam, exigui quidem pretij, sed quod sensibus arrideat, illis detur, exultant gaudio: si domuncula ex luto, quam infantibus construere solent, à quopiam deuastetur, irrequietis lacrymis, ac lamentis, affliguntur. sic homines in hisce momentaneis rebus toti sunt occupati, earum lucro efferuntur lætitia, in iactura summa tristitia afficiuntur. ubi uerò æternitas agitur, neque terrentur æterni ignis contemplatione, neque æternorum bonorum spe unquam inflammantur. atque hoc illis accidit propterea, quòd uera fide sunt destituti, & de ijs cogitant; tanquam de re nihil ad se pertinente. nunquam in has cogitationes bene se penitus dant, neque eas in penetralia cordis admittunt, quòd si facerent, obseruarent diligentius, quòd ait Paulus. horrendum est incidere in manus Dei uiuentis. hic horror nos non inuadit. & cum homines parandis pecunijs inhiant, neque admodum curant, quibus artibus eas parent, modo fiant diuites, non uenit eis in mentem uerborum Domini, cum ait. quid prodest homini, si uniuersum mundum lucretur, animæ uerò suæ detrimentum patiat? filius enim hominis uenturus est in gloria patris sui cum angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum opera sua. hoc tribunal miror quo pacto non semper ante oculos habeatur, ut intrepidus ante illud stare liceat. si enim ad principis tribunal accerseremur, essemusque nobis conscij, quòd principem offendissemus, summo studio daremus operam, ut eum antè placaremur muneribus, & eius amicorum intercessione, quàm ad tribunal traheremur. certò scimus, nos ad æterni regis tribunal esse statuendos, multorum nobis scelerum sumus conscij, scimus quibus muneribus tanta maiestas, & quibus intercessoribus placetur, nempe liberalitate in pauperes, qui ueri, ac certi futuri sunt apud eum intercessores, atque adeo susceptores. facite (inquit) uobis amicos de Mamona iniquitatis, qui, cum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula. hæc inquam scimus, & nullum adhibemus studium, quo tam ingens periculum euadamus, & præterea in æterna recipiamur tabernacula. Cui obsecro tam anxie congeritis diuitias, præcipuam uestri interitus causam? uobis? quo pacto, cum ad finem usque uitæ quærendo defatigemini, & ante mori contingat, quàm illis serio frui unquam liceat? paratis eas filijs? ut quid? ut, quòd ferè euenire cernitur, eis abutantur, & causa illis sint, cur in æterna Geennæ incendia relegentur? tu uerò, qui huius mali occasionem præbuisi, qui hoc intelligere poteras, neq; cauisti, cenfes, te impune abiturum? ociosa uerba in iudicium uocabuntur, & tantus error sine

examine prætermittetur? O dolores maiores quam parturientis, cum te filij causa, & filius se tui causa æternis cruciatibus traditos conspicietis, neque vnquam ab hoc spectaculo auocare oculos licebit. nemo ferret in hac vita pro filij commodis in igne diem vnum agere, & non recusant homines, vt filios diuites relinquunt, in sempiterni ignis incendia relegari. quod insanix genus æquari huic possit? Hæc cogitantes charissimi, expergiscamur tandem aliquando, & demus operam, ne simus palcæ inextincto igni tradendæ, sed triticum potius, in Dominicum horreum feliciter congregandum. Iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & potestas, & imperium in secula seculorum. Amen.

O R A T I O D E C I M A S E P T I M A .



MULTA quidem & alia exhortans euangelizabat populo. Iam alibi diximus, Euangelistarum scopum esse, ea tantum scribere, quæ satis esse iudicabant, ad veritatem euangelicam hominibus declarandam: quod aperte Ioannes Euangelista ostendit, cum dixit. multa quidem & alia fecit Iesus, quæ non sunt scripta in libro hoc. hæc autem scripta sunt, vt credatis, quod Iesus est filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine ipsius. Quod autem multò plura, & sublimiora, ac dignissima, quæ scriberentur, Ioannes dixerit, facile conijci potest ex paucis uerbis, quæ Ioannes Euangelista commemorat, cum ait. Ioannes testatur de ipso, & clamauit dicens. hic erat, de quo dicebam, qui post me venturus est, mihi antepositus est, quia ante me erat, & de plenitudine eius accepimus omnes, & gratiam pro gratia. quia lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est. Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ille narrauit. Cernis quantæ rerum maiestas in breui hoc sermone delitescat? ostendit eius Diuinitatem, cum ait, ante me erat, nempe ab æterno, sicut ipse dixit, ante quam Abraham fieret, ego sum. alioqui si de accepta à nobis natura intelligatur, neque de Abraham, neque de Ioanne quadrabit, cum vterque corporea natiuitate præcesserit. ostendit ipsum esse omnis boni fontem, à quo & Ioannes ipse, & prophetæ omnes hauserint, quicquid habuerunt. De pleni-

plenitudine (inquit) eius omnes accepimus (video enim optare vos, vt hæc verba declarem, ne frustra recitata videantur) & gratiam pro gratia. & hoc cur dixerit, declarat. quia lex per Moysen data est, gratia autem, & veritas per Iesum Christum facta est. vt sit sensus. nos omnes de copia Diuinitatis eius ingentem accepimus gratiam pro exigua, si vtraque comparetur. nam lex quidem aliquid profuit ad deterrendos animos, ne ita præcipites ferrentur in scelera. sed gratia, qua seruamur, & veritas, qua impleta sunt omnia, quæ fuerant ante promissa, per Iesum Christum venit. atque in primis quod pertinet ad agnitionem Dei, qui cum inuisibilis sit, ac lucem habet inaccessam, hunc filius nobis explicauit, id quod Moyses non potuit, atque hoc est, quod ait. Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ille narrauit. quibus verbis & eius Diuinitatem declarauit, cum dicit, eum esse in sinu patris, quamuis etiam in terra esset, sicut & Dominus dixit. filius hominis, qui est in caelo, & cum patre æqualitatem. cum enim dicit, vnigenitum narrauisse, id est, ostendisse Deum, nempe patrem, idem cum illo est, quod Dominus dixit. qui videt me, videt & patrem meum. & illud. in sinu patris, idem est, quod illud, ego in patre, & pater in me est. quod verò ait, neminem vnquam Deum vidisse, cum tamen in scripturis sacris inueniatur, quosdam dixisse, vidisse Dominum, & rursus, uidi Deum facie ad faciem, visiones illæ non referebant substantiam Dei, sed similitudines quædam erant, quin ne angeli quidem comprehendunt substantiam Dei, quamuis videre dicantur faciem eius. Rectè ergo dixit Lucas, Ioannem multa alia dixisse, cum adhortaretur, & euangelizaret populo. idem mos postea seruatus in ecclesia fuit, vt non magnopere curauerint omnia scribere, quam multa enim, & obseruatione digna, & dixisse, & fecisse apostolos credendum est, dum orbem omnium terrarum peragrarent, vt homines ad fidem Christi conuerterent, quæ silentio fuerunt prætermissa? sciebant enim, regnum Dei non esse in sermone, sed in virtute. atque iccirco factum etiam est, vt multa, & admiranda martyrum pro Christo certamina, aut scripta non sint, aut frigide interdum scripta. ethnicorum verò, externorumque scriptorum alia fuit ratio, quorum dogmata cum verborum argutijs, ac sophismatibus plurimum consent, plus in illis loquacitatis, quam succi esse deprehenditur. quod ex eorum scriptis cuique esse apertissimum potest. Herodes autem tetrarcha, cum corripere ab illo de Herodiade vxore fratris sui, deque omnibus malis, quæ faciebat Herodes, adiecit & hoc super omnia, & inclusit Ioannem in carcerem. hanc historiam fufus tractat Marcus Euangelista, quam cum ob pastorum incuriam non facile vobis notam arbitrer, non grauabor recitare. Herodes (inquit) misis satellitibus manus iniecit in Ioannem, & vinxit eum.

eum in carcere, propter Herodiam uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam uxorem. dicebat enim Ioannes Herodi. non licet tibi habere uxorem fratris tui. Herodias autem insidiabatur illi, volebatque occidere eum, nec poterat. Herodes enim metuebat Ioannem, sciens virum iustum, & sanctum, & observabat eum, auditoque eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. Et cum dies opportunus accidisset, cum Herodes in die natalis sui cenam faceret primatibus, ac tribunis, & primoribus Galilee, cumque introisset filia ipsius Herodias, ac saltasset, placuissetque Herodi, ac simul accumbentibus, rex ait puellę. pete à me, quod vis, & dabo tibi. & iuravit illi. quicquid à me petieris, dabo tibi, usque ad dimidium regni mei. at illa egressa dixit matri suę, quid petam? illa verò dixit, caput Ioannis Baptistę. & ingressa statim cum festinatione ad regem, petiuit dicens. volo, ut protinus des mihi in lance caput Ioannis Baptistę. & dolore affectus rex, propter iusiurandum, eosque, qui simul accumbebat, noluit eam rejicere, & cõfestim rex misso spiculatore, iussit inferri caput eius. at ille abiit, ac decollauit eum in carcere, & attulit caput eius in lance, & dedit illud puellę, & puella dedit illud matri suę. quo audito discipuli eius venerunt, & sustulerunt cadaver eius, posueruntque illud in monumento. Cerno, vos ad tam crudele spectaculum exhorruisse. & profectò res digna est, quã quiniis exhorrescat. Ioannes ille magnus Christi præcursor, & præco, quo maior, Christo teste, inter natos mulierum prophetarum non surrexit, nec propheta solum, sed plus quàm propheta, ut qui non solum prophetauerit, sed etiã de illo fuerit prophetatum. ecce (inquit) ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te. vir tantus ad saltatriculę postulationem, capite plectitur, & tantum scelus rex ipse permittit. cernitis dignitates, quò maiores sunt, eò stolidiores homines facere, & maiores peccandi grauius præbere occasiones? quis mente præditus, ambiat regna, & imperia, quibus exploratissimum est, omnes ferè abuti? perquirite historias omnes, & inuenietis, exercituum cedes, urbium euersiones, ac prouinciarum deuastatiões à regum stultitia fuisse profectas, ut rectè quidam dixerit.

Quicquid delinam reges, plectuntur Achini.

deterior eorum status est, quàm reliquorum hominum omnium. nunquam, aut certè quàm rarissimè ueritas ad eos ingreditur, dum ab assentatoribus ad illos accessus eius prohibetur, qui suis plausibus, & adulationibus principes dementant, finguntque eos, quasi terrestres Deos, & dum hæc quotidiana illorum aures circumsonant, persuaderi sibi omnia facile patiuntur, fiuntque cæteris hominibus stolidiores, acciditque illis, quod ijs usu uenit, qui in eminentiori aliqua specula positi, dum in terram prospectant, attoniti tanto hiatu, qui interiacet, obstupescunt, & quasi extra se fiunt. ij putant omnes sibi debere, & reli-

reliquos homines quasi alterius generis animantia despiciunt. quicquid uolunt, ualde uolunt, neque curant, rectum ne, an iniquum sit, quod pestulant. uide enim qualem Nabuchodonosor ille monarcha præ se insolentiam tulerit, cum accersitis sapientibus omnibus dixit, se uidisse somnium, quod esset oblitus. quare ipsi illud repeteret, atque ad memoriam ei reuocarent. illis uerò respondentibus, hanc rem superare hominis facultatem, ac solius Dei esse, rex persistabat in sententia, & demum illis non præstantibus, quod uolebat, præcepit, ut omnes sapientes Babylonis interficerentur, factumque fuisset, nisi Daniel huic se sceleri opposuisset. Quid uerò censetis reliqui orbis reges fecisse, cum reges Israelitici populi, apud quem unum eo tempore ueri Dei cultum, & agnitionem fuisse constat, omnes ferè uitam egerint maximè reprehensam. præter David enim, & Ezechiam, ac duos, aut tres alios, reliquos scripturæ sacrę reprehendunt, & damnant. Sed reuertamur ad Herodem, & in eo aliorum regum uitam contemplemur. quibus in primis carnis lasciuia est familiaris, à qua abstinere perinde illis est, quasi non uiuere. hic non contentus legitimo thoro, quo naturæ furorem sedare potuisset, accepit uxorem Philippi fratris sui. quo uitio ubi quis insanit, uide quid postea sequatur. cum enim antea metueret Herodes Ioannem, & obseruaret eum ob illius uitæ sanctitatem, nunc conijcit illum in carcerem propterea, quòd ab eo reprehenderetur, & pro gratia, quam ei debebat, quòd tanti erroris admoneretur, malefium repedit. Obserua item hominis leuitatem. offert saltatriculę ob eam tantum causam, quòd pulchrè saltasset, se ei daturum, quicquid postulauisset, usque ad dimidium regni sui. quid hac promissione uecordius, aut magis insanum? saltatrici dimidium regni offerre. Illud uerò demum omnes perdit animi numeros implent, quòd tanti uiri caput concessit postulanti, idque ueritus, ne frangeret iusiurandum. quid hac re stolidius? quis tam stultè insanus est, qui non intelligat, cum quis alicui iureiurando pollicetur, se præstaturum, quod petat, de re iusta esse intelligendum? alioqui si postulauisset, ut negaret, aut blasphemaret Deum, præstare oportuerat, quòd nullus unquam neque sapiens, neque stultus probauisset. non saltem cogitare debebat, si puella caput ipsius Herodis postulauisset, ipsum id non fuisse præstaturum, atque ideo, quòd ipse de suo capite nõ cõcesisset, ne de sanctissimi quidem uiri capite fuisse concedendum? Animaduertite etiã, qualis sit finis saltationis, ac tripudiorum. non ne hoc unum exemplum idoneum esse deberet, ad oēs eiusmodi ineptias à Christiano orbe penitus relegandas? quàm multa enim eiusmodi leuitates mala inuehant, adulteria, scortationes, inimicitias, cædes? nullus in Christiana philosophia deberet esse locus iocis, & risibus, cuius philosophiæ scopus est, æterna paranda salus, quæ non nisi

ardam viam ingredientibus comparatur, & eam viam veritas ipsa dicit à paucis inueniri. quis uestrum tandiu, dum de illius capite ageretur, persuaderi sibi sineret, ut saltaret, ac rideret? quòd si in metu temporarię uitę, quę tamen semel amittenda est, risus omnis uitaretur, quanta seueritas adhibenda esset, ubi metus urget ignis sempiterni? non saltem recordamur, quod ait Dominus. uę uobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis? & illud Salomonis. risum reputaui errorem, & gaudio dixi, quid hoc agis? & alibi. risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat. & melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum gaudij. Et hæc quidem, quę ad Herodis indignum facinus in Ioannem Baptistam pertinent, per anticipationem à Luca fuerunt dicta, ut contextus historię commodius aptaretur. nunc uideamus, quid dicat fuisse factum, quo tempore prædicabat, & baptizabat, prius quàm in carcerem conijceretur. Factum est autem, cum baptizaretur omnis populus, ut & Iesu baptizato, & orante, apertum sit cœlum. & descendit spiritus sanctus corporali specie, quasi columba in ipsum, & uox de cœlo facta est, quę diceret. tu es filius ille meus dilectus, in te complacitum est mihi. Baptismus, quemadmodum superius audiuius, institutus fuit, ut ex eo acciperent homines remissionem peccatorum. at Iesus, de quo scriptum est, qui peccatum non fecit, nec dolus inuētus est in ore eius, cur accipere baptismum uoluit? hoc Euangelista Matthæus tangit, cum dicit. tunc uenit Iesus à Galilæa ad Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo. Ioannes autem prohibebat eum dicens, ego debeo à te baptizari, & tu uenis ad me? respondens autem Iesus dixit ei. sine modo. sic enim decet nos implere omnem iustitiam. quibus uerbis significauit, se id fecisse, ut nobis præberet humilitatis exemplum, nequis demittere se dedignaretur ad agendam pœnitentiam, & baptismum accipiendum, & inde adipiscendam remissionem peccatorum. Sed in illis Ioannis uerbis à Matthæo recitatis, dubitari solet, cum dicit. ego debeo à te baptizari. uidetur enim illum nouisse. cur ergo alibi dicit, & ego nesciebam eum? respondendum est, Ioannem nouisse quidem antea Christum, ut summę sanctitatis uirum, quamobrem non se arbitrabatur idoneum, qui eum baptizaret, quem se crederet sanctiorem: sed nondum reuelata fuerat ei illius maiestas, quòd in eo scilicet salus omnium esset expectanda. sunt tamen, qui credant, ea ipsa hora fuisse illi reuelatum etiam ante, quàm signum sibi à spiritu sancto prædicum uidisset. Baptizatus Iesus orat. docens nos, ut, ubi per baptismum, & pœnitentiam consecuti remissionem peccatorum fuerimus, & renouationem interioris hominis, precemur Deum, ut sua in nobis dona conseruet, dicamusque cum propheta. confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. adhibendum est præterea studium ex nobis,

&

& labor. frenanda ieiunij lasciuia carnis, quod idem Seruator docuit, cum mox baptizatus abiit in desertum, & ieiunauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. hoc faciebat Paulus, qui quamuis raptus fuisset ad tertium cœlum, raptus in paradysum, ubi audierat arcana uerba, quę non licet homini loqui, uide tamen, ut cum timore, & tremore suam ipsius operaretur salutem. ego (inquit) sic curro, non quasi in incertum, sic pugno, non quasi aerem uerberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne postea quàm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. si Paulus tantum studium adhibebat, ne reprobus efficeretur, uir ille, qui tam ingenteis progressus in Christiana philosophia fecerat. nos, qui tanto ab eius perfectione distamus interuallo, quantum distat ortus ab occidente, quid non metuere deberemus? quid non circumspecterè? quid non cauere? & tamen nihil horum fieri uideo, perinde quasi exigua iactura sit, illud donum amittere, quod si adsit, æternam uitam nobis parat, si desit, in Geennam relegat, & illos cruciatus ignis sempiterni. atque hoc in causâ est, cur homines post exhomologesim peccatorum mox ad eadem peccata relabantur: quia non cogitant, quantum munus fuerit, accepisse à Deo ueniam peccatorum, & cum tanta maiestate rediisse in gratiam. si quis terrenum principem, cuius offensione capite plecti dignus fuisset, amicorum precibus tandem placatus sit, omni studio caueret, ne posthac eum offenderet, ne forte illius indignationem experiretur. reconciliati sumus Deo per sanguinem unigeniti filij eius, neque ueremur rursus illum offendere, neque illa uerba recordamur, ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Baptizato ergo Iesu, & orante, apertum est cœlum, & descendit spiritus sanctus corporali specie quasi columba in ipsum. Quod ait, apertum fuisse cœlum, figurata locutio est: quę ob duas causas fit, uel cum aliquid Diuini muneris è cœlo mittitur, accepta à nostris rebus similitudine. si enim quis mittere aliquid è tecto in domum uelit, aperiri oportet tectum ea parte, per quam res immittitur. uel certè quòd interdum quędam in aere signa quasi hiatus cuiusdam fiunt, ut uideatur cœlum aperiri, cum tamen substantia illa eiusmodi passionibus minime sit obnoxia. mystice autem aperiri cœlum Iesu baptizato significat, cœlum, quod peccatum Adę clauerat, fieri peruium ijs, qui baptismo Christi insigniti, fidem illius per rectè facta integram seruant. qui enim crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. sic & descensus spiritus sancti significat, inuisibiliter spiritum sanctum dari ijs, qui ex aqua, & spiritu sancto regenerantur: quod primis nascentis ecclesię temporibus apertissimis signis ostendebatur, cum ij, qui spiritum sanctum accepissent, mox uarijs linguis loquebantur, illud nimirum donum assecuti, quod primum apostoli per

BB spiritus

spiritus sancti aduentum acceperunt. in specie autem columbæ spiritus sanctus uisus est, cum ut Christi innocentem, ac puram uitam declararet, nam huic animali simplicitas tribuitur, estote (inquit) simplices sicut columbæ; tum ut significaretur, per Christum factam esse reconciliationem inter Deum, atque homines, sicut diluuij tempore columbarum oliuæ in arcam attulit, qua monstrabatur, diluuij aquas desuisse super terram ferri, & iam Dei iram quieuisse. hoc itaque loco spiritus sanctus, qui, cum Deus sit, æquè inuisibilis est, atque pater, ac filius, columbæ formam accepit, mysterio consentaneam. cum uerò in discipulos illapsus est, non in columbæ specie, sed in linguis igneis apparuit. quia nimirum iccirco eis datus fuit, ut & eloquentes, magnaquæ dicendi uipræditos, & charitate inflammatos efficeret. Et uox è cœlo facta est, quæ diceret, tu es filius ille meus dilectus, in te complacitum est mihi. ut indicaret, hunc esse selectum illum, atque unigenitum filium, quem pater sanctificauit, & misit in mundum. primum uox illa è cœlo uenit, deinde duæ illæ uoces, filius, & dilectus, in Græco cum articulo scriptæ sunt, *ὁ υἱός μου, ὁ ἀγαπητός*, id est, filius ille meus ille dilectus. per hunc autem alij in adoptionem recepti sunt, de qua re ad Hebræos sic scribitur. decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare. & ad Galatas. at ubi uenit plenitudo temporis, emisit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum acciperemus. & paulò post. itaque iam non es seruus, sed filius, quod si filius, & heres Dei per Christum. huic adoptioni frigide admodum respondemus, ut ne illam scire quidem uideamur, ita contrarijs factis eam auersamur, atque contempnimus, ut rectè semen iniquum, & filij scelerati appellari digni simus, quemadmodum per Esaiam dicitur. quod si digni esse uolumus, qui Christi fratres, ac filij Dei appellemur, conemur pro uiribus hunc Dei filium imitari, ad quem hic uox paterna dixit. tu es filius ille meus dilectus, in te mihi complacitum est, id est, in tua obedientia conquieui, implesti enim omnem voluntatem meam. hanc eius obedientiam ut imitemur, hortabatur fideles Paulus in hæc uerba. is sit in uobis affectus, qui fuit in Christo Iesu, qui cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, forma serui accepta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus ut homo, humilem præbuit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. quantus pudor est, à tanto exemplo tam uehementer abhorrere? deicit se Deus hominis causa, & homo insolenscit. quid hoc uitio monstruosius? nihil tam indecorum est homini

Chri-

Christiano, cui hæc ueritas patefacta est, quàm superbia, & arrogantia, quæ si apud ethnicos, & eos, quos sine Deo uocat Paulus, inueniebatur, minus est, quod miremur. hominem uerò, qui sciat, filium Dei se ita nostri causa deiecisse, ut nouissimus uirorū fieret, sicut per Esaiam fuit prædictum, quicquam insolenter agere, res profectò est, mille Geennis castiganda. Tu es (inquit) filius ille meus dilectus. amas & tu hanc appellationem dilecti? fac, quod docet Paulus. induite tanquam electi Dei, sancti, ac dilecti, viscera miserationum, comitatem, modestiam, mansuetudinem, lenitatem, sufferentes uos inuicem, & condonantes uobis mutuo, si quis aduersus aliquem habuerit querelam, quemadmodum & Christus condonauit uobis, ita & uos. uides hic, si Christum imitere, & te dilecti appellationem consequi posse? Et ipse Iesus incipiebat esse ferme annorum triginta, ut putabatur, filius Ioseph, qui fuit filius Eli, qui fuit Matthai, qui fuit Leui, qui fuit Melchi, qui fuit Ioanne, qui fuit Ioseph, qui fuit Matthiæ, qui fuit Amos, qui fuit Naum, qui fuit Esli, qui fuit Nagge, qui fuit Maath, qui fuit Matathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Iosech, qui fuit Iuda, qui fuit Iona, qui fuit Rhesa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosam, qui fuit Helnadam, qui fuit Her, qui fuit Iose, qui fuit Heliezer, qui fuit Ioram, qui fuit Matthai, qui fuit Leui, qui fuit Symeon, qui fuit Iuda, qui fuit Ioseph, qui fuit Ionam, qui fuit Eliachim, qui fuit Meleah, qui fuit Menam, qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit Dauid, qui fuit Iesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Nathan, qui fuit Naasum, qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Esrom, qui fuit Phares, qui fuit Iudæ, qui fuit Iacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Tharræ, qui fuit Nachor, qui fuit Saruch, qui fuit Ragau, qui fuit Phalec, qui fuit Heber, qui fuit Sole, qui fuit Cainam, qui fuit Arphaxat, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech, qui fuit Mathufala, qui fuit Enoch, qui fuit Iaret, qui fuit Malalehel, qui fuit Cainam, qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei. In hac genealogia, quam scribit Lucas, cum uideatur aliquot locis minimè concordare cum illa, quam scribit Matthæus, multi & Græci, & Latini multa scripserunt, ac uaria, quæ si hic commemorem, fastidium potius quàm utilitatem ullam afferent, præsertim cum hæcenus tam multi & docti, & exercitati uiri ita digladiati sint, ut, quæ alius tanquàm solidissima fundamenta posuerat, alius nouis rationibus illa destruat, & semper demùm aliquid serupuli reliquū sit, quare uelim in eiusmodi difficultatibus recordemini, quod uir quidam doctissimus dicebat. si credimus (inquit) Euægelistis, cætera omnibus in rebus, quas scripserunt, quòd Iesus ex uirgine sit natus, quòd Deus sit, cæteraquæ eius generis, quamuis hæc humana mente sint superiora; cur & in hac genealogia non credamus, eos pulchrè illam intelle-

BB 2 xisse,

xiffe, ac verè scripſiſſe, tamenſi nodos, qui in ea ſunt, ſoluere neſciamus? tutius igitur erit, hoc loco, ſi vitemus reprehendam à Paulo curioſiorem diſquiſitionem genealogiarum ſine carentium, quæ tatum lites generant, cum nihil ſit, quod fatiſ nobiſ magiſ facere debeat, quàm, vt dicebamus, perſuaſiſſimum nobiſ eſſe debere, utrunque Euangeliſtam optimè calluiſſe ſeriem illam generationiſ. in qua tamenſi noiſ illa variantia inter ſe nomina aptare ad amuſſim, aut quo demum pacto concordet ipſa ſeries, neſciamus, non tamen iccirco rem in dubitationem continuo vocare debemus. alioqui, quod haſtenus vſu euenit, idem in futurum euenturum proculdubio eſt, vt nunquam tam exquisitè quiſquam hanc rem ſit tractaturus, quin recenteſ ſemper ſcrupuli orientur. ne tamen nihil omnino dixiſſe videamur, primum illud dicam, quod non parum efficax eſt, ad horum Euangeliſtarum concordiam, quòd ſcilicet idem homo plerunque duo nomina habebat, vt in Euangeliſis etiam reperimus, Matthæum vocatum etiam fuiſſe Leui, quare cum Matthæuſ dicat, Ioseph filium fuiſſe Iacob, Lucas verò filium Heli, & aliquot loca in hunc modum; hæc duorum nominum ratio iuuare ad intelligentiam plurimum poterit. deinde cū duo fuerint Zorobabeles, & duo Saalthieles, & aliuſ ſit, quem ponit Lucas, aliuſ, quem Matthæuſ, nihil mirum eſt, ſi vtriuſque genealogiæ non omni ex parte conſentiunt, cum tamen vterque verum dicat, ſerunt & tertiam rationem, atque huius varietatiſ cauſam, quòd ſcilicet Dauid duos inter cæteroſ habuerit filioſ, Salomonem, & Nathan, & per lineam Salomonis, quam poſuit Matthæuſ, deſcendiſſe Ioseph Mariæ virginiſ ſponſum, per lineam verò Nathan, quam poſuit Lucas, deſcendiſſe beatam Mariam, quamuiſ poſituſ ſit Ioseph ſponſuſ eiſ in genealogia, cum muliereſ in eiſmodi genealogiſ poni minimè conſueuerint. hæc fatiſ eſſe vobiſ poſſunt, ad omneſ ſerè queſtioneſ ſoluendaſ, quæ in hac genealogia incidere ſolent. ſed altiora, & magiſ contemplatu digna in hac genealogia intueamur. Mirum proſectò eſt, quo pacto venerit in mentem egregio huic Euangeliſtæ Lucæ ponere hanc genealogiam, quæ in Deum vſque referatur. neque ſine maximo myſterio factum hoc eſſe credendum eſt. obſeruarunt autem vetuſtiſſimi, ijdemque doctiſſimi theologi, hic poni ſeptuaginta ſeptem generationeſ à Chriſto ad Deum, putantque ad hoc pertinere, quod in Geſeſi eſt ſcriptum. de Lamech ſumetur vltio ſeptuagieſ ſeptieſ. quaſi latenter, vt eſt moſ ſacrarum ſcripturarum occultare myſteria, ſignificetur, ſeptuageliſma hac ſeptima generatione fatiſ pœnarum datum pro generiſ noſtri peccatiſ, vt hoc numero plena remiſſio accipiatur, quemadmodum & Dominuſ interroganti Petro, ſi vſq; ſeptieſ remitteret fratri in ſe peccanti, reſpondit, non ſeptieſ, ſed ſeptuagieſ ſeptem, vt illiſ verbis intelligeret omnimoda remiſſio.

ſio. recenſet autem Lucas retrogrado ordine à Matthæo. nam Matthæuſ ab Abraham deſcendit ad Chriſtum. Lucas à Chriſto aſcendit ad Deum, fortatte vt oſtendatur, quod ait Pauluſ, quòd ſcilicet qui aſcendit, ipſe eſt & qui deſcendit primum in inferioreſ parteſ terræ, quodque iſ, qui natus eſt in carne, à Deo ſit. alia etiam ſub eſſe cauſa poteſt. difficiliſ crediti erat natiuitaſ Chriſti, quòd ſine ſemine fuerit. volentiſ igitur Euangeliſta oſtendere, quòd & aliã ſine ſemine factuſ ſit homo, ab inferioreſ aſcendit ad Adam, & Deum, vt non miremur, ſecunduſ Adam ſine ſemine factuſ, cum idem & primo Adæ acciderit. Quòd verò dixit, Ieſum tunc eſſe cœpiſſe ferme annorum triginta, cum baptizatuſ fuit, & poſt paulò declaratuſ mundo, exemplum nobiſ propoſituſ eſt, vt nequiſ aggredi audeat vel docendi alioſ, vel regendi prouinciam, niſi ea ætate, qua probitaſ hominiſ iam explorata eſſe poſſit. nam lubrica eſt adoleſcentia, & plerunque ſit, vt, qui aliquo temporis ſpatio probitatem præſtulit, mox ab humaniſ affectiſ ſuperatuſ, omni intemperantiæ ſe dedat. qua in re noſtra ætaſ, ſummo cum Chriſtianiæ rei damno, vehementer peccat. nam eccleſiaſtiſ gradus, eccleſiaſtica beneficia, atque adeo epiſcopatuſ ipſoſ, ſupremam inter Chriſtianoſ dignitatem, pueriſ dant, qui nihil aliud unquam præter laſciuiam, atque intemperanteſ moſeſ didicerunt. nullam Chriſtianiæ inſtitutioniſ curam habent, à ſacrarum ſcripturarum, quæ illoſ ad omne opuſ bonuſ inſtruere poſſent, ſtudio abhorrent. ioci, luſuſ, conuiuia, venationeſ, ſcorta, pellicatuſ, peculiare illoſ inſtitutuſ eſt: in iſ prouëtus eccleſiaſtiſtiſtiſ plurimuſ inſumunt, qui ob ſolam pietateſ fuerunt inſtituti. interea de animarum ſalute, pro quibuſ Chriſtuſ mortuſ eſt, nulla cogitatio, dum ij præſidendi munuſ inuaſerunt, & fieri paſtoſeſ audent, qui ne inter gregem quideſ Chriſti numerari digni ſunt. O ſcedam eccleſiæ Chriſti faciẽ, quouſque ſeruator Chriſte auerteſ faciẽ tuam à nobiſ, ob vitia tamen, ac peccata noſtra? recordare Domine quid feceriſ, atque adeo potiuſ, quid pro hac eccleſia ſiſ paſſuſ. remiſcere miſerationum tuarum, & miſericordiã tuarum, quæ à ſeculo ſunt. innoua dieſ noſtroſ ſicut à principio. ut tandem ſublatis tam perditis erroribuſ, ſua ſpecieſ tuæ ſponſæ reſtituatur, & nomen ſanctum tuum agnoſcatur ſuper noiſ fuiſſe inuocatuſ. cui cum patre, & ſpiritu ſancto eſt gloria, & magnificentia, & poteſtaſ, & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO DECIMA OCTAVA.



IESVS autem plenus spiritu sancto regressus est à Iordane, & actus est per spiritum in desertum, ac diebus quadraginta tentabatur à Diabolo, nihilque comedit in illis diebus. Exploratum esse cuique debet, Seruatoris Christi facta viuum esse exemplar eorum, quæ faciendæ à nobis sunt. videamus ergo, cur hac trigesimali anni ætate voluerit baptizari, & cur baptizatus mox in desertum à spiritu actus sit. neque erit inutile, si quæramus prius, cur à duodecimo anno vsque ad trigessimum nulla de illo fiat mentio. nam si quis hæc mysterio carere arbitraretur, prophanus omnino esset, neque dignus, qui inter eos numeraretur, qui nomen Christo dederunt. si quem enim ingenti sapientia præditum existimamus, opinamur, facta illius omnia plena esse sapientia, eum verò, qui est sapientia patris, & in quo sunt omnes thesauri sapientia, & scientia absconditi, iudicabimus quicquam fecisse, quod non sit summa cum sapientia coniunctum? sed quis cognouit mentem Domini, aut quis consiliarius eius fuit? verum nõ propterea deterreri debemus, cum pia harum rerum peruestigatio minimè illi displiceat. quin hoc mihi videtur esse in dato à Domino talento negociari, in quo talento is, qui negociari recusauit, indignationem Domini expertus fuit. Videtur itaque mihi primum, quòd in illa duodecim annorum ætate cum parentibus ascendit Ierolimam, documentum præbuisse, quid nobis sit faciendum. vt scilicet vbi quis ad eam ætatem peruenit, quæ aliquantisper Diuinarum rerum capax esse possit, curet ea doceri, quæ ad agnoscendum Deum, & vitam cum pietate agendam pertinent. ciuitas autem Ierolimam locus erat, ad quem Israelitæ omnes conuenire consueuerant, cum aliquid de lege Dei discere vellent. erant enim ibi sacerdotes, & legisperiti, ad quos proficisci lex præcipiebat, cum aliquid esset inquirendum. vt ergo huius tam necessaria rei nobis præberet exemplum Iesus, voluit duodecimo anno ad templum Dei proficisci, ibique doctores audire, atque interrogare, quòd factum egregiè astruit sententiam nostram. si enim tantum ascendisset Ierolimam, ac templum adisset, ex illo uno etiam confirmare liceret, quòd dicimus. cum verò præterea adiecit, vt doctores adiret, eosque audiret, atque interrogaret, nihil iam videtur relinqui dubitationis, quin ita sit opinandum. & quia hoc parentum esse officium debet, vt eò filios ducant, vbi legem Dei doceri possint, cum parètibz Iesus proficiscitur. hanc igitur ob causam præter eas, quas attigimus, cum

cum hanc historiam tractaremus, duodecimi anni Domini Iesu meminerunt Euangelistæ. à duodecimo verò anno vsque ad trigessimum nihil fecisse legitur, quo suam virtutem, ac potentiam declararet. etiam per hoc docens, hanc ætatem totam esse in eo occupandam, vt homo in rectè factis sese exercens, eas virtutes acquirat. quibus in plena ætate iuuare & alios possit. prius verò quàm ipse perfectus sit, non audeat in alios intèpe stiuè immatura dona transfundere. Hæc nos adoranda filij Dei exempla negligimus, idque in rebus in primis, quæ solæ æstimatione dignæ sunt, id est in cura regendarum animarum accipiendæ. nobis enim nullus est discendi, & docendi præscriptus terminus, tanquam illi lapides olim ijs tribubus, quæ vltra Iordanem, & quæ intra Iordanem erant, neque distinguimus, quibus illud, & quibus hoc tradatur, neque vlla est morum, & affectuum regula: sed ita res proiecta, & confusa est, atque ita malè affecti sumus, vt plures è nobis, ne dicam omnes, antequam ferè primum pilum deposuerimus, & iuueniles mores, antequam in Diuinis aula ingressi simus, antequam sacrorum librorum vel nomina nouerimus, antequam noui, ac veteris testamèti proprietatem, & primates agnoscamus, nondum .n. dico, antequam cenam abluerimus, & animi sordes, quas vitium nobis aspersit, tantum vt duo, aut tria pietatis verba didicerimus, eaque ex auditu, non ex disciplina, aut aliquantisper cum Dauid versati fuerimus, aut detritum pallium aptè nobis circumposuerimus, aut vsque ad Zonam simus philosophati, aliquam pietatis formam, ac speciem, tanquam colorem nobismet ipsis appingentes, papæ primam sedem elato animo appetimus. sacer etiam ex falsijs Samuel, repente sumus sapientes, ac magistri, & excellentes Diuinis in rebus, atque inter primos scribarum, & legis peritorum, & statuimus nos ipsi cœlestes, & appellari ab hominibus Rabbi querimus, & nusquã litera, omniaque spiritualiter intelligere opus est, & late nuge somnia, & indignaremur etiã, nisi vehemèter laudaremur. Mirum verò, quo pacto nõ intelligamus, quãto sit opus studio ad hanc Diuinarum rerum scientiam comparandam, qua fideles ad pietatè sunt crudiendi. nam saltandi quidè, & canendi tibia est doctrina aliqua, ac disciplina, & multo opus est tempore, & sudoribus plurimis, atque laboribus, & mercedes interdum dandæ, & rogandi intercessores, & longius peregrinandum, aliaque & faciendæ, & patientia omnia, quibus peritia comparatur. sapientiam verò, quæ præest omnibus, & omnia in seipsa bona complexa tenet, vt & Deus ipse hoc nomine magis, quàm alio quouis appellari gaudeat, quandoquidem multis vocatur appellationibus, ita leuem, & abiectam rem opinabimur, vt velle tantum sufficiat, & quis fiat sapiens? hoc sanè est summæ stultitiæ plenum. Dixit olim Salomon, se ingens malum vidisse sub sole, virum scilicet,

cet, qui sibi videretur sapiens. quanto verò deterius est, huic alios esse creditos erudiendos, qui ne propriam quidem ignorantiam sentiat? Hoc lacrymis quidem, & gemitibus, si quod aliud, vitium dignum est. medici verò, ac morbum sistere, Petri cuiusdam esset, aut Pauli, magnorum Christi discipulorum, & eorum, qui, cum illa in sermone, & facto gubernatione, signorum gratiam acceperat, & omnia omnibus fiebant, vt omnes lucrarentur. Et hæc quidem satis sint ad demonstrandum, cur eius Christi ætatis, quæ à duodecimo anno vsque ad trigesimum intercescit, nulla facta ab Euangelistis mentio sit. nunc videamus, quid significet, trigesimo anno Iesum fuisse baptizatum. opinor vt doceamur & hic, eum, qui nomen Christo dedit, quod in baptismo fit, oportere viriles induere mores, & semper tantâ philosophia digna aggredi, vt cogitationes, verba, facta, cœlestem consuetudinem referant. quandoquidem Christiana philosophia nihil est aliud, quam quædam eorum, quæ in cœlo fiunt, representatio. & ob hanc causam Paulus de ijs loquens, qui verè fideles erant, aiebat, nostra autem consuetudo in cœlis est; volebatque, vt eorum mens erecta semper in Deum esset. sine intermissione (inquit) orate. & alibi, nihil solliciti sitis, sed in omni oratione, & obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestrae innotescant apud Deum. & Petrus obsecro vos tanquam aduenas; & peregrinos abstinere vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam. vult, vt arbitremur nos in hac vita esse peregrinos, vt scilicet nihil ei afficiamur; multò verò maius est, quod dicit Paulus, nos scilicet mortuos esse. mortui (inquit) estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. & ob hanc causam volebat; vt superna quæreremus, vbi Christus est ad dexteram Dei sedens. superna curaremus, non quæ sunt super terram. Cernitis, quam exacta philosophia à nobis requiratur? quam cum fueritis contemplati; tunc facta vestra inspicite, & inuenietis, nullum penè inter Christianos vestigium superesse eius vitæ, quæ nobis agenda præcipitur. iubet Petrus, vt nos arbitremur esse aduenas, & peregrinos, at nos nullâ aliam nouimus patriam quam terram. admonet Paulus, Christianum hominem mortuum esse, & vitam nostram absconditam esse cum Christo in Deo. nos verò nullam vitam aliam videmus agnoscere, quam hanc mortis vmbra, neque vnquam tam miseræ, ac perditæ nos vitæ pudet. quid prodest, inter Christianos esse natos, & cum lacte nutricis nomen Iesu hausisse, si à primis annis vsque ad senectam ita viuunt, vt omnia præter Christum, & eius philosophiam nouisse videamur? hæc parentum præcipua educationis est culpa, qui, tantum abest, vt filios ad veram pietatem nutriant, vt ij in primis sint, qui eos à recta via abalienent, dum illis nihil aliud, quam opes parandas, honores ambiendos proponunt, & omnia, quæ Euangelicæ

doctrinæ

doctrinæ manifestissimè contraria sunt, & cum illa pugnant. quare habenda esset ante oculos hæc ætas, qua docendi nostri causa uoluit Dominus baptizari, & danda opera, vt occurramus omnes (vt docet Paulus) in virum perfectum, in mensuram plenæ ætatis Christi. Reliquum est, vt uideamus, cur mox post baptismum ductus à spiritu Iesus fuerit in desertum, vt tentaretur à Diabolo, cum tamen esset plenus spiritu sancto. simulque peruestigabimus, quid opus fuerit proficisci in desertum, ibique tentari. quamuis enim in illis Matthæi verbis, ductus est Iesus à spiritu in desertum, vt tentaretur à Diabolo, particula illa, vt, significare videatur consecutionem, non causam, quod in scripturis sacris non rarò inuenitur, nihil tamen impedit, quod quærimus. nam satis est audire, quod expectauerit Diabolus, dum in desertum iret, ut ibi eum tentaret. cur ergo in deserto illum tentat? id agit Diabolus, quod robusti athletæ solent. ij enim, quò sunt robustiores, minus dignantur cum obuiò quoque luctari, & cum illis duntaxat conferere manus quærent, quos si superent, gloriam inde se sperent reportaturos. Diabolus ergo, qui, sicut scriptum est, factus est, vt neminem timeat, non multum curat periclitari vires suas cum ijs, qui sponte se tentationibus offerunt, sequentijs, ac peccatis sua uoluntate dedunt. cur enim lasciuum hominem ad scortationes, atque adulteria inuitet, qui ea studiose per se quarit? cur auarum ad parandas opes exstimulet, cuius totus est in pecunijs animus? cur ambitiosum ad quærendos honores tentet, qui dies, ac noctes illis adipiscendis sua sponte inuigilat? cur eas mulieres ad pingendas genas, & vestium pompam comparandam hortetur, quæ ipse per se in hoc incumbunt, & hoc vnum somniant? vbi verò aliquem cernit, ab abstinentia, ac ieiunijs domare carnem, castigare cum Paulo corpus, illudque seruituti subijcere, spernere opes, contemnere honores, terrenos affectus omnes abijcere; continuo hunc obseruat, seque ad inuendam cum eo luctam parat. cum verò eiusmodi hominum genus à reliquorum hominum consuetudine se abducere soleant, ut aptius in hanc philosophiam incumbant. nam abnegatio sui ipsius, id est plena præteritarum rerum obliuio, & à propria uoluntate discessio, res est, quam in communi consuetudine uiuentem assequi difficillimum est, ne dicam prorsus impossibile. quin & ad tollendam crucem, & sequendum Christum quemadmodum ipse iubet, impedimento est in eiusmodi uita permixtio. nam præparatio ad ferendam pro Christo mortem, & mortificatio membrorum, quæ sunt super terram, & instructos esse ad omne imminens pro nomine Christi periculum, & nihil affectos erga hanc uitam esse, hoc tollere est crucem suam, ad quæ magna nobis impedimenta ferre cernimus hanc communis vitæ consuetudinem. ob hanc causam quicumque è nostris

CC bene

bene penitus in hanc se philosophiam dare decreuerunt, communi hoc uiuendi relicto more, amauerunt recessus, ac solitudines. cum ergo, ut dicebamus, huiusmodi hominum genus. à reliquæ multitudinis cœtu se disungant, intuitus Diabolus Iesum in desertum locum profectum, solitariam vitam agere, opinatus est, illum egregium aliquid uelle aggredi. quare ad eum tentandum se accingit. Hæc igitur causa est, cur in deserto Diabolus Iesum tentauerit, quod uero mox post baptismum in desertum abierit, ibique & ieiunauerit, & tentatus fuerit; per hoc docemur primum, debere nos dare operam, ut acceptam à Deo gratiam seruemus, ad quod opus castigatio corporis plurimum confert. deinde ut meminerimus, quod à quodam sapiente admonemur, fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Aliud præterea est, quod in hoc negotio discamus, & cuius exemplum nobis Seruator Christus proposuit. quid enim est Iesum prius in desertum secedere, ieiunare, tentari, quam prædicandi munus aggredere, nisi docere nos, ne regendi alios curam aggredi audeamus prius, quam & affectus carnis domuerimus, & nosmetipsos probauerimus, quo pacto uarijs tentationibus generose obistere simus idonei? rectè enim quidam sapiens dixit, qui non est tentatus, quid scit? & rursus, uasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. His animaduersis ad Euangelistæ uerba redeamus. Iesus plenus spiritu sancto regressus est à Iordane, & actus est per spiritum in desertum, & diebus quadraginta tentabatur à Diabolo, nihilque comedit in diebus illis. non satis fuit Euangelistæ dixisse, Iesum plenum spiritu sancto iuisse in desertum, nisi addidisset, quod ab eodem spiritu illuc actus esset, quod Matthæus quoque dixit. ductus est (inquit) Iesus à spiritu in desertum, per quod docemur, in rebus præsertim spiritualibus, oportere nos sequi ducem spiritum sanctum. rectè enim admonerat Ioannes apostolus dicens. nolite cuius spiritui credere, sed probate spiritus, num ex Deo sint. nam plerunque angelus Satane transfiguratur se in angelum lucis, & ea tanquam salutaria proponit, quæ demum reperiuntur fuisse perniciosissima. & tamen in hoc negotio uideo homines negligentissimos; ac propterea multa ab eis peccari, & grauiora, dum quicquid somniant, arbitrantur à Diuino spiritu fuisse profectum. quis uero audeat in rebus spiritualibus suis cogitationibus fidere, si meminerit, scriptum esse de Petro, quod nescierit, quid diceret, cum in illa admiranda Seruatoris Christi transfiguratione, petijt fieri tria tabernacula, unum Christo, alterum Mosi, tertium Eliæ, nimirum ut ibi magnificæ illi contemplationi vacare liceret? neque dubitandum est, admirandum illud spectaculum, nisi admodum purgatis mentibus non fuisse concessum, &

ob

ob eam causam, quamuis & alij apostoli capaces huius uisionis esse potuissent, soli tamen admissi fuerunt tres illi, qui nescio quid cæteris præstantius habere uidebantur. & nihilo tamen minus Petrus princeps apostolorum in tantarum rerum contemplatione protulit illa uerba, nesciès quid diceret. quanto uero magis id nobis metuendum est, qui tam multis errorum tenebris sumus circumfusi, ac tanto à Petri meritis distamus interuallo? hæc autem necessariò fuistis admonendi propterea, quod uideo nunc non paucos, qui se à spiritu Dei agi sibi persuadent, ac spirituale uitæ genus profitentur, sed tanto longius ab ea uia distant, quanto se propinquiores esse opinantur. In illo ergo deserto tentabatur Iesus à Diabolo quadraginta diebus, quibus scilicet ibi moratus fuit, & nihil comedit in diebus illis. Matthæus de hac historia uerba faciens, meminit & noctium. cum ieiunasset (inquit) quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit. Lucas uero dierum tantum meminit. quare ex utriusque Euangelistæ collatione, & alijs præterea scripturæ sacræ locis facile colligitur, ubi noctium fit mentio, esse Hebrææ linguæ proprietatem, ut idè sit dicere quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, quod solum, quadraginta diebus. alioqui si qua esset in sententia diuersitas, apponèdo, vel auferendo noctium appellationem, Lucas diligentissimus Euangelicæ historiæ scriptor, noctium etiam mentionem fecisset. nam quod quidam arbitrantur noctium mentionem factam, ne crederetur interdum qui dem ieiunauisse, noctu uero soluisse ieiunium, hoc non multum à Thracio commento distat, neque dignum, mea sententia, quod in hac huius loci interpretatione adhibeatur. Hæc autem Hebrææ locutionis obseruatio plurimum lucis affert alterius loci interpretationi, qui eruditissimos etiam uiros torquere solet, uidelicet quod dixit Dominus. sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. nisi enim Hebrææ locutionis habeatur ratio, nunquam tres dies, ac tres noctes inuenientur, quando Dominus in sepulchro iacuit. si uero Hebræorum more idem sit tribus diebus, & noctibus, quod solum tribus diebus, solutio non erit admodum difficilis, cum illa Domini in sepulchro commoratio trium particeps dierum fuerit. plurimum autem refert, ad ueram sacrarum scripturarum intelligentiam, nosse huius Hebrææ linguæ proprietates: quod quoniam aliquoties obiter pluribus earundem scripturarum locis ostendi, & errores etiam demonstraui, in quos uiri alioqui eruditissimi inciderunt, ob ipsarum proprietatum ignorationem, satis in præsentia sit exiguum hoc, quod admonuimus. nunc reliqua persequamur. Quadraginta diebus ieiunauit Iesus. quod ieiunauerit, iam diximus, hoc docen-

CC 2 di

di nostri causa factum fuisse. cur verò quadraginta diebus ieiunauerit, videndum est, quo factum sit mysterio. Consentaneum fuit, Seruatorem Christum ostendere Euangelicæ prædicationis veritatem non tum cœpisse duntaxat, cum Euangelium prædicari cœptum fuit, sed multò ante illius iacta fuisse fundamenta. quòd obseruauit Paulus, cum scribens ad Romanos, ac de Euangelio loquens dixit. quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo. & quidem, si obseruare diligentius velimus, cum genere hominum nata fuit Euæglica philosophia. nam, vt alia omittam, promissa fuit hæc salus per Dominum nostrum Iesum Christum facienda, iam tum, quando post peccatum primorum parentum dictum fuit serpenti, inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen ipsius, ipsum conteret caput tuum. verum in exitu ex Aegypto, & in data lege, & in scriptis prophetarum, copiosius præsignata, ac prædicta fuerunt nostra mysteria, id est, nouæ legis, quæ vt agnosceremus esse coniuncta cum veteri, nihilque inter vtranque distare, nisi quòd vetus lex figurauit ea, quæ sub Euangelio impleta sunt. iccirco Seruator ipse, ne putaretur nouum aliquid introduxisse, atque à lege omnino diuersum, præuenit hanc dubitationem, & dixit. nosite putare, quòd venerim ad soluendam legem, non veni, vt soluam, sed vt impleam. quæ impletio duobus modis facta ab eo fuit, cum scilicet, & impleuit ea, quæ de ipso scripta erant, & legi ipsi suam perfectionem dedit, ac dixit. nisi abundauerit iustitia vestra plusquam illa scribarum, & pharisæorum, non intrabitis in regnum celorum. & mox adiecit, quid dictum fuerit antiquis, & quid ipse dicat. vt ergo ostenderetur hæc continuatio nouæ legis cum veteri, aliqua præstitit, quæ in veteri lege fuerunt facta, inter quæ hoc fuit, quòd Moses accepturus legem, ieiunauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. & Elias cum fugeret impia Iezabelis minas, ambulauit sine cibo quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vsque ad montem Dei Oreb. quod ergo Moses legislator, & Elias prophetarum celeberrimus fecit, hoc Dominus Iesus summa legis, ac prophetarum præstare voluit, vt scilicet ieiunaret quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, idque prius, quam Euangelicam legem promulgaret, vt indicaret, se hac Mosis imitatione, eum esse Mosis similem, quem idem Moses prædixerat esse venturum, cum dixit. prophetam suscitabit vobis Dominus de fratribus vestris similem mei. hunc tanquam me audietis. sed cur is, qui maior multò erat Mose, & Elia, non superauit ieiunando illi quadraginta dierum numerum? nondum erat tempus declarandæ suæ potestatis. simul cauebat, ne Diabolus, quæ sibi insidiari cernebat, mysterium intelligeret. deinde ne videretur imaginariam carnem, & non veram naturam nostram accepisse, quòd hæretici quidam somniauerunt. quare

intra

intra illum dierum terminum se continuit, qui communis fuit cum illis, qui etiam ipsi homines fuerunt. simul exemplum nobis præbuit, vt iactantiæ suspicionem deuitaremus. reperiuntur enim, qui de abstinentia gloriantur, cum se aliquid plus cæteris ieiunauisse, atque abstinuisse cernunt. sicut ille Pharisæus, qui iactabat sua ieiunia, & dicebat, ieiuno bis in sabbato. interea contemnebat reliquos, seque aliquid esse putabat, quòd non esset, sicut cæteri homines. Aliam quoque addere causam possumus, vt doceremur, iudicium, ac modum adhibendum esse ieiunijs. nam continendus est quidem venter, quandoquidem ventris disciplina affectio-num est castigatio, & earum castigatio animi tranquillitas, & perturbatio-nis sedatio est, ac fecundissimus virtutum fons. abstinentia autem ventris ea est optima, quam corporis uiribus metimur. quibusdam enim etiam intensior afflictio uisa est non molesta, quin remissio potius, quam labor existimata est, ob soliditatem, & constantiam corporeæ constitutionis, & roboris. sed quod ijs tolerabile est, alijs occasio periculorum fuit. etenim tantam quis corporum ad corpora differentiam inueniat, quanta est græ, ac ferri ad samentitiâ lignorû materiam? quocirca abstinentia eligenda est pro ratione subiectæ virtutis. nã uirtutes quidẽ, quæ in sola anima con-formantur, omnes omnibus æquè proponendæ erunt, ut mansuetudo, modestia, humilitas, bonitas, fraternâ charitas, esse sine dolo, studiosum neritatis, patientem, tractabilem, humanum. has nanque præcipuas dicimus esse animi uirtutes, quandoquidem ad earum uel adaptionem, uel possessionem nihilò plus corpus animo affert, quam ut sit ei locus quidam, in quo de earum consideratione tractetur. abstinentia uerò unicuique pro corporis uiribus præfinietur, ut neque minus, quam uires ad-sint, decertet, neque ultra uires feratur. & hoc enim existimo esse confide-randum, uti ne ob nimiam abstinentiam corporis uirtutem dissoluẽtes, ociosum illud, atque inutile ad res studio dignas efficiamus. nam, cum Deus hominem faceret, non illum inertem, immotumq; esse uoluit, sed aptis sibi actionibus accomodum. in paradiso quidem, cum iussit Adam operari, & custodire eum (quamuis. n. dictum illud allegoricæ speculati-ioni adiaceat, tamen proprius etiam literæ sensus imitatione, & studio dignus est) postea uerò quàm inde excidit, sententiã proferens, quòd in sudore uultus uesceretur pane. quæ autem Adæ dicta sunt, omnibus etiam, quicumque geniti ex eo fuerunt, dicta fuisse hinc patet. nam mor-tis pœnam Deus aduersus eum declarauit, cum ait. terra es, & in terram reuerteris, omnes tamen ex eo progeniti, eiusdem cum illo pœnæ fuere participes. decet itaque nihil innouare præter naturam, ac terminos, à benefico naturæ auctore institutos, sed in illis permanẽtem, habere exer-citum corpus, nunquam immoderationibus dissolutum. hoc enim puto esse

esse

esse optimæ œconomix, positos terminos, ac præfixas leges sequi. alio-
 qui & ex pluribus Diuinæ scripturæ testimonijs rationem hanc astruere
 possumus. Diuina enim scriptura operari iubet, ac motu corporis exerce-
 ri, & aliorum potius imbecillitatem refouere, quàm aliena egere manu.
 at corrumpere illud, ac dissoluere nimia ignauia, nullo modo. & huius
 rei fidelissimum testem præbebo beatum Paulum, qui nunc quidem dic-
 cit. audimus quosdam inter vos sine ordine ambulâtes, nihil operis agen-
 tes. & ocium ordinis confusionem appellat. non enim (inquit) inordina-
 tē nos gessimus inter uos, neque gratis panem à quopiam comedimus,
 sed in labore, & defatigatione, nocte, & die operantes, quodque eo ma-
 ius est, necessitatibus meis, & ijs, qui mecum erant, ministrauerunt ma-
 nus hæ. alibi verò ait. quietos esse, & res vestras agere, & operari mani-
 bus vestris. Regia ergo via est ingrediendum, neque ad alterutram vllò
 modo declinandum, vt neque remissionem amplectamur, neque nimia
 abstinentia corpus reddatur inutile. siquidem enim pulchrum esset, solu-
 tum, ac remissum habere corpus, & iacere tâquam spirantem mortuum,
 tales omnes nos construxisset à principio Deus. quòd si non sic fe-
 cit, nimirum quod pulchrum esse nosset, hoc fuerat perfecturus. si ve-
 rò, quod pulchrum esset, hoc nos effecit, peccant, qui quod pulchrè fa-
 ctum est, ob iudicij inopiam, vti est, non seruant. Hoc tamen perspicien-
 dum est, vt ne prætextu corporeæ necessitatis, ad ministrandum volupta-
 tibus impingamus. si enim fieri posset, vt continua indigentia laborâtes,
 ea, quæ agere æquum est, corpore exerceamus, esset hoc optimum. ve-
 rum, quia hoc admodum paucorum corporum est, in eiusmodi cursu non
 decidere, oportet & mensuram ieiunandi tenere, & maximè necessarium
 patrocinium corpori adhibere, non voluptate ad vescendum duce, sed
 ratione necessitatem summa cum diligentia definiente, tanquam perito
 quodam medico, qui rebus accommodis sine vllò affectu misericordiæ
 infirmitatem curet. nam, cum hæc affuerit in animo præparatio, nihil
 qui vescitur, à non vescente secundus ad philosophiæ rationem appare-
 bit. sed intentione quidem non solum perpetui ieiunij, verum etiam
 non vescendi virtutem est assecutus, at ex corporis prouidētia optimæ ad
 ministrantis laudem habet. nam moderata corporis gubernatio, atque
 abstinentia nescit concupiscentias inflammare, & indomitas efficere per-
 turbationes, hoc enim exuperantiæ, ac deliciarum est. Hæc non frustra di-
 cta à nobis sunt ob multos, qui in re tam scitu, necessaria iudicio vti ne-
 sciunt, & pro fructu damnum referunt. sed illud in primis hac ætate do-
 lendum est, quòd ieiunium, res Christianæ philosophiæ tam vehementer
 consentanea, atque ad mentis exercitationem in pulchris meditationi-
 bus apprimè necessaria, ita negligitur, vt vix inueniatur, qui ieiunij ope-
 ram

ram det. quòd si qui interdum ieiunant, ita ieiunio vtuntur, aut potius
 abutuntur, vt nihil ex eo ieiunio vtilitatis capiant. primum enim cum in
 ieiunij mos sit, vt semel vno die comedant ieiunantes, ita vno prandio
 implentur, ac turgido ventre à mensa surgunt, vt nihilo plus ex illo ieiu-
 nio profecerint, quàm cū eodem die prandent, ac cœnant. deinde cū in-
 stituta ieiunia sint, vt liberior animus Diuinis contemplationibus vacet,
 seseque pijs, ac spiritualibus actionibus exerceat, nihil minus quàm hoc
 cogitatur. eadem enim, quæ & alijs diebus, negocia tractantur, litibus &
 cōtentionibus inuigilant, vsuris, ac rapinis student, & inopum oppresio-
 nibus. atq; hoc est, quod Deus per Esaiam populū suū reprehendit, qui
 cū lamentaretur, & cū Deo exoptularet, cur ieiunauerint, & non aspex-
 rit, respondet illis Deus. ecce in die ieiunij vestri inuenitur studiū pro-
 priæ voluntatis, & omnes debitores vestros repetitis. ecce ad lites, &
 contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impio. nolite ieiunare, sicut
 vsque ad hæc diem, vt audiatur in excelso clamor vester. nunquid tale est
 ieiuniū, quod elegi, per diem affligere hominē animam suam? nunquid
 cōtorquere quasi scirpū caput suum, & saccum, ac cinerem sternere? cer-
 nis, vt quæ alioqui optima sunt, ac præcipua ad placandum Deum instru-
 menta, nihil ei placeant, quando cum animi pietate coniuncta minimè
 sunt? quare adiecit, non ne hoc est magis ieiunium, quod elegi? dissolue
 colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui
 contracti sunt, liberos. & omne onus dirumpe. frange esurienti panem
 tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam, cum videris nudū, ope-
 ri eum, & carnem tuam ne despexeris. hanc eius ieiunij, quod fieri cum
 fructu possit, legem Deus nos per prophetam suum docet, & tamen vix
 inuenitur, qui hoc obseruet, atque ob hanc causam fit, vt ex re tam saluta-
 ri, tamq; ad Christianum vitā necessaria, nihil, vel certè quàm minimū vti-
 litatis capiatur. Verū, vt eò, vnde fueramus digressi, reuertamur, noluit
 Iesus ob causas, quas diximus, quadragenariū ieiunandi dierū numerum
 superare, quare adiecit Euāgelista. Et cōsummatis illis, deinde esurijt. per-
 misit naturæ officio fungi suo. nam verus erat homo, & necessitates, quas
 humanæ naturæ constitutio secum fert, pati non recusauit. Sed dicet ali-
 quis, qui fieri potest, vt illis quadraginta diebus nihil esurierit? eadem
 de Mose, & Elia moueri quæstio potest, cum & ipsi quadraginta diebus si-
 ne cibo fuerint, in quibus maiori miraculo hoc fuit, quàm in Seruatore
 Christo, qui, cū Deus esset, atq; homo, si maius aliquid, quàm cæteri homi-
 nes, effecisset, nihil erat, quod miraremur. quid ergo de ijs omnibus di-
 cemus? Moses quidem quadraginta illis diebus versatus cum Deo, ex
 illa consuetudine vires accipiebat, & animæ uirtus, quæ toto illo tempo-
 re cœlestibus alimentis reficiebatur, in corpus etiā redundabat, illudque
 seruabat,

seruabat, ne ieiunando deficeret. & hanc ipsam fortasse ob causam nostra corpora post resurrectionem perpetuo sine cibo sunt duratura, quod scilicet animæ glorificatio, quæ ex Diuinæ uisionis nutrimento proficiscitur, incorruptum corpus seruabit, ut incorporeo cibo immortalis homo perseueret. & sanè tale quippiam uidentur poetæ somniauisse, cum fingerent, immortalium Deorum alimentum esse nectar, atq; ambrosiam. & hæc quidem de Mose. de Elia uerò scriptum est, illum in fortitudine illius panis, & aquæ, quæ angelus ei præparauerat, ambulauisse quadraginta diebus, & quadraginta noctibus usque ad montem Dei Oreb. quod uidelicet ille cibus uim eam habuerit, totis illis quadraginta diebus nutriendi corporis, quam quotidianus panis habuisset. in Seruatore autem Christo, qui non homo solum, sed cum accepta natura nostra cõiunctam habebat Diuinitatem, ista modis omnibus faciliora erant, & quod serui potuerant, multò magis ipse omnium Dominus potuit. ergo per totos illos dies (dicit aliquis) famem non est passus Iesus, cum dicat Euangelista, illum post quadraginta dies esuriisse? nollem ego uos hisce curiositatibus multum assuescere: sed quoniam cerno plerosque uestrum in rebus eiusmodi non rarò hæsitare, & rogatus interdum sum, ut scrupulos huius generis, qui torquere homines solent, euellam ex animo, non pigebit breuiter uobis & in hac quæstione pro uiribus facere satis. Esuriuit Iesus, & sitiuit, & defatigatus est, quãdo quidem similis nostri factus est, præter peccatum. in illo itaque quadraginta dierum spatio accidere illi potuit, quod unicuique nostrum usu euenire experimur. ieiunat quis, exempli gratia, usque ad uesperam. in illo interuallo sentire potest in ediam, quam tamen fert, neque ita destituitur naturâ uiribus, quin expectare uesperam non possit: quod si duorum, aut trium dierum spatio sine omnino cibo degere uelit, omnino deficiat. neque nunc de paucis loquor, qui ita constitutum habent corpus, ut plures dies ferre in ediam queant. & ij tamen certum habent tempus, ultra quod sine naturæ perniciæ prorogare ieiunium non ualent. tale quippiam ergo accidere etiam Domino Iesu potuit, ut scilicet toto, quo ieiunauit tempore, famem quidem sit passus, quam tamen pertulerit. peractis uerò quadraginta diebus permisit naturæ, ut cibum sentiret sibi iam esse necessarium. quod ut animaduertit Diabolus, uide quid dicat Euangelista. Dixit autem illi Diabolus. si filius es Dei, dic lapidi huic, ut panis fiat. Diabolus Græca uox est, Latinis dicitur calumniator, quam appellationem iam tum meruit, cum calumniari Deum apud primos parentes conatus fuit. cum .n. interrogasset eos, quare Deus præcepit uobis, ne uesceremini ex omni ligno paradisi? illique respõdissent, de fructu lignorû, quæ sunt in paradiso, uescimur, de fructu uerò ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus, ne

come-

deremus, & ne tâgeremus illud, ne forte moriamur, adiecit sèrpēs. nequaquã morte moriemini. scit. n. Deus, quod in quocunq; die comederitis ex eo, aperietur oculi uestri, & eritis sicut Dij, sciètes bonû, & malû. ecce calûniã, quasi Deus inuideret eorû bono, uerereturq; ne ex illi ligni esu pares sibi efficeretur. ab hac calûniã hostis humani gûris nomē accepit, ut Diabolus uocaretur, & quicunq; eû imitatur, et pximo cuiq; calûnias struant, hac appellatione digni sunt. quæ cogitatio efficere deberet, ut oēs à calûniã abstinerent. quanti. n. horroris est, Diaboli nomē mereri? & tamē quã plurimi nomen hoc sibi cõparat, neq; aduertunt. Si filius (inquit) es Dei, dic lapidi huic, ut panis fiat. metuēbat Diabolus id, qd demû euenit, ne imperiû, qd sua fraude acceperat in hoies, sibi eriperetur? cõiecturas iã habuerat huc eẽ Dei filiû, p̄sertim ex paterna uoce, ubi dictû fuit, tu es filius meus dilectus, in te cõplacitû est mihi. quare pponit ei rem, quæ Dei propria est. rerû naturã imutare, ut. s. ex lapidibus panes efficeret. uerû qd assequi tentator ex hoc uolebat? opinor primû, Diabolû imitatû fuisse eos milites, uel duces, qui in magna rerû desperatione oia têtant, quãuis ignorēt, qd inde salutis sit cõsecuturû. deinde cernēs illû esurire, & ea pati, quæ reliqui hoies solēt, ausus est illû aggredi, recordatus idē sibi cefsisse feliciter, cû primos parētes têtauit. & uide, ut appositè rē exordiat. decepit primos parētes in cibo, cû persuasit, ut uesceretur ex ligno, qd p̄ceperat Deus, ne cõtingerēt, nûc quoq; Christû têtã, exordiû têtationis à cibo facit, hortaturq; ut, si filius Dei est, cû pos sit ex quauis re panē facere, nō patiatur se cõfici fame, sed ex lapidibus panes creet, ac inediã expleat. Quarat hic fortasse aliq; qd peccasset Iesus, si ex lapidibus panes fecisset, atq; expleffet famē? nihil peccasset, si nihil aliud cogitetur, q̄ ei uis p̄tã. cur ergo id nō fecit? iã ab ipso audies causã. ex quo, docemur, q̄ circûspectè nobis agendû sit, cû qd suggeritur cogitationibus nostris, uidēdûq; accuratius, neq; d malitię delitefcãt sub illa superficte, quæ rē licitã p̄ferre uideatur, ne forte angelus Satanę trãsfiguret se in angelû locis. neq; .n. vlla periculosior têtatio est, q̄ ea, quæ speciẽ boni præ se fert. ecce .n. in hac têtatione uidebatur Diabolus amicè consiliû dare, ac persuadere Christo, quẽ esurire cerneret, ut huic periculo deficiēdi præ inedia mederetur, cum posset, esse. n. nefas sponte sibi mortē arcessere sine causã, ac sine ullo fructu. audiam ergo, & discamus, quo pacto fraudulētã têtationes superemus. Et respõdit ad illû Iesus dicēs. scriptû est. nō in solo pane uiuit hō, sed in oī uerbo, qd procedit ex ore Dei. singulare superandarû têtationû remediû est, sacrarû scripturarû perfugiû. ad has. n. tanquam ad clarissimos septétriones cursus est dirigendus, si recta uti uolumus nauigatione. citat ergo diuinæ legis auctoritatē. & uide q̄ appositè. sunt. n. Mosis uerba, qui ostēdere uolens populo Israelitico, quãtis in deserto affecerit eû Deus bñficijs, inter cætera dixit. an recordaberis cūcti itineris, p qd adduxit te Dñs Deus tuus. xl. annis p dẽsertû, ut affligeret te, atq; têtaret, & nota fieret, quẽ in tuo

DD animo

animo uersabantur, utrum custodires mandata illius, an non. afflixit te, & esurire te permisit, & dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu, & patres tui, ut ostenderet tibi, quod non in solo pane uiuat homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Domini. illud uero, in omni verbo, Hebraismus est, ut uerbum pro re accipiat. citat ergo Dominus hanc auctoritatem, ut latentem Diaboli malitiam detegat. tentatoris erat mens, ut Iesus Diuinę gratię, atque auxilio diffusus sibi ipse caueret, atque ex hac diffidentia peccaret, ex quo peccato impediretur nostri generis redemptio. huic malitię respondens Iesus, quamuis (inquit) ut homo esuriam in hoc solitudinis loco, non tamen Diuinę gratię est diffidendum, Diuinęque prouidentię. cum enim non sponte huc uenerim, sed duce sancto spiritu, uereri non debeo, ne Deus me sua ope destituat, ne ue necessitatibus omnibus succurrat meis. sed certę fide expectandum mihi est, ut in hac solitudine cibum suppeditet suauissimum, quo iam olim quadraginta annorum spatio illos paut, qui ab eius verbo non recesserunt. In hac autem prima tentatione ingentem Seruator Christus doctrinam prębuit ijs, qui Euangelio parere uoluerint. nam ita respondens certiores fideles fecit suarum promissionum, quodque nullo modo dubitandum est, quamuis molestissimę quęque, ac grauissimę ingruant aduersitates, sed Diuinis semper fidendum pollicitationibus, quemadmodum admonet apostolus cum ait. fidelis est Deus, qui promisit, & impossibile est mentiri Deum. Sed miseranda res accidit nobis. nam docemur in his Seruatoris tentationibus, quo pacto eas superemus, quę nobis fiunt, neque unquam, cum necesse est, ad hęc coelestia, & Diuina documenta referimus animum. etenim hęc tentatio nobis sępę suggeritur, neque aduertimus sicut enim hic tentator consuluit Domino Iesu, ut de cibo sollicitus esset, sic quicunque per totam uitam parandis pecunijs student, & coniungunt domum domui, & agrum agro copulant, uenturęque, ne, si bonam facultatum partem pauperibus impertiantur, deficiant inopia, ij proculdubio hac tentatione laborant, sed eam cęci non intelligunt, neque ad remedia accurrunt, ad quę hac Seruatoris Christi doctrina docemur accurrere. deberemus enim eadem uerba repetere. scriptum est. non in solo pane uiuit homo, sed in omni verbo, quod egreditur ex ore Dei. & illud rursus meminisse, quod in Euangelio ab eodem Domino admonemur, cum ait. nolite solliciti esse dicentes, quid edemus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? querite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hęc omnia adjicientur uobis. hęc tam salutaria remedia ę cęlo allata, nunquam animorum nostrorum morbis curamus adhibere. & in corporum quidem morbis

anxię

anxię medicinam perquirimus, ubi uerò languet animus, pręcipua hominis pars, & quę sola hominem constituit, supini oscitamus. hoc extremę dementię, ac summa miseratione est dignum. Et subduxit illum Diabolus in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna orbis terrę in puncto temporis, & ait illi Diabolus. tibi dabo potestatem hanc uniuersam, & gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, & cuicunque uolo, do illam. tu ergo si adoraueris prouolutus coram me, erunt tua omnia. Sunt aliqui, quorum generosior est animus, qui facile delicias ciborum, ac uentris edacitatem superant, sed ab honorum, ac dignitatum appetitione vincuntur. hoc cum sciret Diabolus, altera hac tentatione aggreditur Iesum. uide uerò, quàm periculosus sit ambitiois morbus. quamuis enim sciret Diabolus Iesum maximę sanctitatis uirum, non tamen desperauit, fore, ut regnorum mundi pollicitatione, rem faceret sceleratissimam, ipsumque Diabolum pro Deo adoraret. uerè enim honorum, ac potentię affectatio, plena à Deo auersio est, & in omnia scelera hominem rapit. nil generi hominum perniciosius hoc morbo est, ex quo infinita mala, pręsertim bella, cędes, euerfiones urbium, ac regnorum proficisci consueuerunt. & tamen nihil apud miseros mortales frequentius est negocijs ambitionis. Obserua etiam, quàm rectę Seruator dixerit, Diabolum esse mendacem, patremque mendacij. dicit enim sua esse hęc regna, sibi que tradita, seque illa suo arbitrio tribuere. princeps quidem mundi uocatus est ab ipso Domino, cum dixit, uenit princeps mundi huius, & in me nõ habet quicquam, sed hic mundi appellatione nõ regna intelliguntur, sed homines mali, qui sub eius imperio esse uolunt. iccirco Paulus, cum dixisset, nõ est nobis lucta aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi dominos, adiecit, rectores tenebrarum seculi huius. at uerò regnandi, atque imperandi potestas à Deo est, quem admodum idem Paulus ait. omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit, non enim est potestas nisi à Deo, quę uerò sunt potestates, à Deo ordinatę sunt. & hęc quidem Diabolus. Iesus uerò quid? Et respondens Iesus dixit illi. abi post me Satana. scriptum est enim adorabis Dominum Deum tuum, & illum solum coles. Satan, siue Satanas Hebręa dictio est, & significat aduersarium. & ob hanc causam alibi cum Petrus hortaretur Dominum, ut propitius sibi esset, neque occidi se pateretur, uocatus est ab eodem Domino Satan, quod aduersaretur ei, ne uoluntatem patris impleret, ac pro salute generis nostri moreretur. uehementius autem hic respondet, quàm superiori tentatione. illic enim tantum dixit, scriptum est, hic uerò addit, abi post me Satana, docens debere nos, ubi Dei cultus, & honor agitur, multo esse seueriores, quàm reliquis in rebus. rursus quoque scripturę sacrę auctoritatem profert, tan-

quàm fortissimum telum aduersus tentationes. & hoc testimonium ex Deuteronomio acceptum est. vbi sic legitur. Dominum Deum tuum timebis, & illum coles, iurabisque in nomine eius. non ambulabitis post Deos alienos cunctorum gentium, quæ in circuitu vestro sunt. solus ergo Deus adorandus est. quòd si inuenimus aliquos etiam probos homines adorasse quempiam, vt cum dicitur, adorauit regem, & prostrauit se ante regem in faciem suam super terram; erat reuerentiæ genus quoddam, non is adorandi modus, quem hic Diabolus postulabat. Et nunc quidem sublatus est ille simulachrorum cultus, quem ethnici exercebāt, vt Iouis, Martis, & monstrorum eiusmodi, & tamē idololatræ adhuc reperiuntur. siquidem Paulus aliquot suarum epistolarum locis appellat avaritiam cultum simulachrorum, qui cultus nihilò inferior est illo, quem exercebant ethnici, sed multò crudelior, ac perniciosior. nam in aris Deorum, quos gentes colebant, immolabantur animalia ratione carentia, in altaribus verò avaritiæ dicatis immolantur homines, dum avari sua cupiditate, atque insatiabili opum appetitu efficiunt, vt maxima hominum pars egestate confecta, vitam agant quauis morte duriorē. Superatis hisce duabus tentationibus, non deterritus est Diabolus, neque ijs contentus, tertio Iesum aggreditur. quo exemplo admonemur, non confestim debere nos finem tentationum expectare. nam rectè uir quidam pius dixit. hoc præmonitōs nos esse uolo, neminem super terram absque tentatiōe victurum, vt cui forte tollitur aliqua, alteram securus expectet, aut forte nō securus, sed magis pavidus, & sic petat ab ea liberari, ut nunquam sibi in corpore mortis huius libertatē perfectam, aut requiem audeat polliceri. Et duxit illum Ierosolymam, statuitque eum super pinnam templi, & dixit illi. si filius es Dei, mitte te ipsum hinc deorsum. scriptum est enim. angelis suis mandauit de te, ut seruent te, & in manibus tollent te, ne offendas ad lapidem pedem tuum. Cernens tentator Iesum sacrarum scripturarum testimonijs instructum superare obiectas sibi tentationes, malitiosè proponit ei tertiam tentationem, quæ scripturarum quidem testimonio niti uideretur, sed tamen suberat fraus, quia non in eam sententiam proponit locum scripturæ, in quam fuerat factus. neque enim uerba illa scripta sunt, ut quis se temere periculis obijciat, à quibus angelorum ministerio liberetur, sed ut fiducia addatur fidelibus illis, qui hunc scopum habent, ut Deo placeant, atque eius pareant uoluntati. huiusmodi enim hominibus promittitur, cum humana præsidia defuerint, etiam angelorum auxilium affuturum. quia ergo hæc auctoritas peruersè citata à Diabolo fuit, confutat eam Iesus alia scripturarum auctoritate, rectè, ac propriè adhibita, & ait. dictum est, non tentabis Dominum Deum tuum. tentare enim Dominum Deum esset, sine ulla ratio-

ratione, & causa præcipitem se è templi pinnaculo dare, & tentare uelle. num Deus nouo miraculo opem ferat. cum in desertum (inquit) profectus fui, hoc Diuina uoluntate, atque à spiritu sancto actus feci, atque ideo Diuinæ prouidentia diffidere non debui, quamuis solitarius ille locus esset, atque alimentis destitutus. at uerò in hanc templi pinnam tu maligne me attulisti, non spiritus Dei duxit. & tu es, qui mihi persuades, ut me deorsum hinc mittam, non ipse Deus, qui si hoc præciperet, nō timerem, neque dubitarem, quin angelos mitteret, qui me tuerentur. neque uerò sententia illa dicta à propheta fuit ob eos, qui tibi obediūt, sed qui Deum audiunt, & præceptis illius obtemperant, atque eius certissimis promissionibus fidunt. In hac autem tertie tentationis responsione duo à Diuino præceptore nostro docemur. primum enim admonet, ubi Diuinum uerbum deest, quod & præcipiat, & promittat, ibi spem salutis figere nos minimè debere, neque cœlestem expectare protectionem, quæ & adiuuet, & à Diabolicis tentationibus seruet. deinde docet, ut summa cum diligentia Diuinas scripturas consideremus, & rectum, ac uerum earum sensum, propriumque curemus habere, ne falsa earum interpretatione, uel à Diabolo, uel ab eius membris, hæreticis uidelicet, decipiamur, atque à ueritate abducamur. nam hæreticorum est proprium rectam sacrarum scripturarum intelligentiam inuertere, easque ad confirmanda sua dogmata retorquere, quæ res plurimos errores in Christianum orbem inuexit, ac quotidie inuehit. neque uerò solum ab hæreticis hæc mala proficiuntur, uerum etiam ab ijs, qui se in primis catholicos profitentur, dum Diuinis auctoritatibus abutuntur, non animaduertentes, qua ratione illis sit utendum. ut cum, exempli gratia, legunt Deum per prophetam dicentem. honorem meum alteri non dabo, usurpant sibi hanc sententiā, quoties eorum honor uidetur periclitari, neque intuentur, quàm imperitè hoc faciant, & præterea cum suo, ac proximi cuiusque damno: nam hoc contra eos facit potius, qui, quod solius Dei est, sibi ipsis uendicare uolunt. neque enim, ubi quid Deum decet, continuo idem hominibus conuenit. Deum enim decet laus, & honor, & gloria. homines uerò quid? cum feceritis omnia, quæ præcepta uobis sunt, dicite, serui inutiles sumus. at seruo inutiles quæ gloria debetur? cernis quanta hæc sit imperitia? damnum uerò hinc ingens sequitur, dum freti hac sententiā homines, student ambitioni, & appetendis honoribus, & pro honore proprio litigant, quod ubi faciunt, quomodo illud apostolicum seruant, honore inuicè præuenientes? & illud. nemo que rat, que tua sunt, sed que aliorum? rursus alij citat auctoritates, que nusquam in scripturis sacris reperiuntur, & tamē eas proferunt, tanquam propheticas, apostolicas uel sententias. ut est illud. maledictus homo, qui negligit famam suam.

suam. hoc nusquam neque in veteri, neque in nouo testamento reperitur. legimus quidem in prouerbis Salomonis. ne des alienis honorem tuum, vel rectius ad Hebraicam veritatem, robur, vel decorem tuum. sed videamus, quo sensu hoc dictum sit, & inueniemus nihil minus, quam quod isti volunt, esse intelligendum. dixerat prius, ne appropinques foribus domus meretricis, deinde adiecit, ne des alienis robur tuum, & annos tuos crudeli. ne forte impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena. admonet ergo, ne quis consuetudinem cum meretricibus habeat, quia inde & facultates, & vita ipsa interdum amittitur. non ergo hic honoris fit mentio eo sensu, quem ipsi intelligunt, & ex praua intelligentia de fama, tanquam de proprio honore contendunt, neque observant, quod ait Paulus. per infamiam, & bonam famam. quibus verbis docemur, oportere Christianum hominem infamiam, & calumnias ferre, quoties opus est. Cauendum est ergo primum, ne eas auctoritates citemus, quæ non extant, deinde vt rectam interpretationem queramus, quæ profecto non cuiusuis est, & tamen omnes eam se habere arbitrantur, & temerariè nimis ad suas opiniones Diuinas auctoritates accommodant, à quarum vero intellectu longissimè distant. quod vitium ego inter aliquos vestrum esse, non sine maximo meo dolore, ac molestia interdum reperi. Audiuius tentationes, quas Iesus pertulit, & quo pacto eas superauerit, sacrarum videlicet scripturarum testimonijs, quod & nobis est faciendum, vt, cum tentatio aliqua ingruit, per fugium hoc perquiramus. nam omnis scriptura (ait Paulus) Diuinitus inspirata est, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iustitia, vt integer sit Dei homo, ad omne opus bonum apparatus. non parum etiam iuuat precatio, atque ad Deum mente, ac cogitatione confugere. ob hanc enim causam admonebat discipulos Dominus dicens. vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem. his geminis instrumentis muniti, omnia hostis nostri Diaboli machinamenta, ac tentationes facile, Deo iuuante, qui nunquam petentibus deest, superabimus. tantum cauendum est, ne nobis ipsi desimus nostra ignauia, atque socordia. quod generosè faciemus, si Dominum Iesum, eiusque tolerantiam ante oculos habeamus, meminimusque, quod ad Hebræos scriptum est. deponentes omne pondus, & circumstans peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in ducem fidei, & consummatorem Iesum, qui pro sibi proposito gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque ad dexteram sedis Dei sedit. recogitate enim eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem. voluit enim per omnia fratribus esse similis, vt misericors fieret. cum ergo habeamus pontificem, qui compati possit infirmitatibus nostris,

stris, tentatum per omnia pro similitudine absque peccato, teneamus professionem, speremusque victoriam. cum .n. ipse mundum vicerit, dat nobis fiduciam eiusdem superandi, ac principem eius, tantum quod nostrum est, adhibeamus, agamusque viriliter, eumque, atque eius exempla studio se imitemur. cui cum patre, & spiritu sancto est honor, gloria, magnificentia, potestas, & imperium per omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO DECIMANONA.



Et consummata omni tentatione Diabolus recessit ab illo vsque ad tempus. Postrema hæc de historia tentati Domini Iesu verba visum est in hodiernam orationem seruire, cum satis multa superiori oratione fuerint dicta, & verendum esset, ne animi nostri stomachus nimio cibo obrueretur. quod cum in corporeis alimentis cauendum sit, tum multò magis hoc faciendum est in spiritualibus cibis, & imitandus euangelicus ille fidelis dispensator, & prudens, quæ constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore dimensum cibum. non quouis tempore, neque sine mensura, sed vtriusque habita ratione. fidelis est dispensator, cum ea distribuit, quæ sibi à suo Domino fuerunt credita, recta dogmata, rectaque vitæ institutio. prudens est, cum diiudicare scit quæ, & quibus, & quo tempore, & quatenus sint dispensanda. nam sapièter quidam inter theologos præstantissimus dixit, non omnium esse de Deo philosophari, neque passim id faciendum, neque apud omnes, neque omnia. sed cogitandum esse, quando, & quibus, & quatenus. non omnium inquam est, cum hoc munus sit eorum, qui exercuerint animum, & ingentes in Diuinis speculationibus progressus fecerint, & prius purgatum animum & corpus habuerint. nam impuro purum tangere, minimè tutum est, sicut neque infirmo oculo solis radios intueri. quo verò tempore tractanda hæc sunt? cum ocium habemus ab externo hoc cœno, ac turbatione, neque præcipua nostri pars prauis formis, & erratibus confusa est, vt cum pulchræ literæ prauis moribus permixtæ sunt, aut cœno vnguèti fragrantia. re enim vera vacare oportet, vt agnoscamus Deum. & cum opportunum tēpus acceperimus, theologiæ rectitudinem diiudicare. apud quos autem ista sunt philosophanda? quibus hoc studium

dium curæ est, qui hoc negocium à reliquis rebus omnibus distinguunt, neque nugaciter, vt cætera, illud tractant sine iudicio, & sine vlla animi præparatione. quæ verò, & quatenus? quæ ad formandum ad pietatem animum sint idonea, & auditorum vires assequantur. ne, quemadmodum vocum, aut ciborum exuperantia aures lædunt, aut corpora, vel onera, quæ vires superent, opprimunt subeuntes, aut vehementiores imbre terram, sic auditores aut nimia copia, aut rebus eorum capacitatem superantibus oppressi, etiam in prioribus viribus damnum faciant. hanc ergo ob causam libuit, ea, quæ de Domini Iesu historia tentationis reliqua sunt, in hodiernum diem seruari, vt diuisa in duos dies longior materia, spatium concoquendi, interioris hominis stomachus habeat, & hæc spiritualia alimenta veluti in succum, & sanguinem conuertantur, nequa cruditas, atque indigeries oriatur, quod non minus animi stomacho, quam corporis officere solet. Age itaque, & has superioris cœnæ reliquias persequamur. & primum dubitationi occurramus, quæ cuidam ex ijs, qui præfentes hic sunt, in mentem venit, aut potius nõ vna est dubitatio, sed duæ, ac tres etiam. & primum, cum Diaboli tanquam nostri generis hostis infestissimi, tentatio propria esse videatur, cur aliquoties in scripturis sacris etiam Deo tribuatur. deinde cur dicat apostolus Iacobus Deum neminem tentare, cum contrarium in scripturis sacris reperiatur. postremò num liceat homini quærere tentationes, cum dictum sit, ductum fuisse Iesum à spiritu in desertum, vt tentaretur à Diabolo, & Seruatoris facta, degendæ vitæ nostræ exempla sint. Quod ad primam quæstionem pertinet, plurimum refert, quo quis animo quid faciat. laudatur cœlestis pater, quòd proprio filio non pepercerit, sed pro nobis, ac salutis nostræ gratia tradiderit illum. reprehenditur Diabolus, quòd miserit in cor, ut traderet eum Iudas. reprehenditur & Iudas, ac Iudeorum principes, quòd tradiderint eum in condemnationem mortis. vnde in eodem negotio tanta diuersitas? nimirum ex animi proposito. Deus tradidit filium, vt benignè nobis faceret. sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Diabolus, & alij eius instrumenta tradiderunt Iesum in mortem, odio atque inuidia perciti. idem ipsum de tentatione est dicendum. tentat Diabolus, ut seducat, & perdat. Deus verò vt iuuet, ac magnificos faciat eos, quos tentat. nam tentauit Abraham, cum iussit, vt filium suum immolaret. quam ob causam? audi quid demum ei dixerit. nunc cognoui, quòd timeas Dominum, quia nõ pepercisti filio tuo vnigenito propter me. tentatio hæc nihil fuit aliud, quam exploratio, aut rectius declaratio virtutis Abrahæ, quæ latuisset, nisi tentatio fuisset adhibita. idem factum est in Iob, & Tobia, & eius generis uiris, de quibus scribi-

scribatur, Deus tentauit eos, & inuenit eos dignos se. &, tanquam aurum in fornace probauit eos. nam uasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. sic in Deuteronomio scribit Moses. si surrexerit in medio tui propheta, aut qui somnium uidisse se dicat, & prædixerit signum, atque portentum, & euenerit, quod locutus est, & dixerit tibi, eamus, & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis; non audies verba prophetae illius, aut somniatoris, quia tentat uos Dominus Deus uester, vt palam fiat, utrum diligatis eum, an non. id est, permittit hæc, vt appareat, quàm firmo animo illi adhiereatis. cum ergo Deus, quoties nos tentat, id nostræ utilitatis gratia faciat, tentatio verò ferè in malam partem accipi consueuerit, rectè tentatoris appellatio datur Diabolo, qui tentat, vt perdat, & afficiat malo. Quod verò Iacobus dicit, Deum neminem tentare, illud alio sensu dicit, uideamus enim illius verba. sic enim ait: nemo, cum tentatur, dicat, quòd à Deo tentetur. Deus enim tentati non potest malis, ipse autem neminem tentat. unusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. quorum verborum hic esse videtur sensus. mentionem fecerat tentationum, cum dixit. omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes uarias incideritis. hic autem distinguit inter eas: vt tentationes, de quibus hætenus locutus est, eę sint, quę ad adipiscendam virtutem, & animi robur proficiunt; aliæ verò sint tentationes, quæ cuique ex sua concupiscentia, & non satis domitis affectibus proficiuntur. & harum tentationum causam dicit non esse Deum, qui, cum nullis malis tentetur, ne alios quidem tentat. nam, vt ex externis quidam ait. natura Diuina, ac beata, neque ipsa habet, quod illam uexet, neque cuiquam negocium facessit, hæc enim circa mortalem, terrenamque naturam uersantur. tentationes ergò, quæ constantiam animi turbent, atque confundant, non à Deo proficiuntur, at, quæ ab ipso sunt, eę magis constituunt animum, & clariorem hominem faciunt, vt cum tentauit Abraham. Num verò, quod postremò quæsitum est, liceat homini tentationibus sese obijcere, hic facienda distinctio est. alio enim modo is obijcit se tentationibus, dum difficilia aliqua aggreditur adipiscendæ uirtutis gratia, alio is, qui peccandi occasiones non uitat. sunt, exempli gratia, qui uirginitatem, & castam uitam amplectantur, his proculdubio mox tentatio sit comes, dum & caro reluctatur, & Diabolus suis facibus ad peccandum inflammat. obijcit ergo hic se tentationi, non tamen vt tentaretur, sed vt eam uirtutem assequeretur, quę angelis pares facit. rursus alius, qui idem uitæ institutum elegit. nimium sibi fidens, inter puellas uersatur, cum illis iocatur, quasi explorans, quantum in continentia profecerit. quin audio fuisse quosdam, qui opipare quotidie epularentur,

larentur, vt obfistendo ftimulis carnis maiorem uirtutem declararent. & ijs tentationibus obijciunt, fed uitiose. fi enim res hæc laudata effet, hanc imitatus effet Paulus, fed contrarium potius de fe fcribit. caftigo corpus meum, & in feruitutem redigo, ne cum alijs prædicauerim, ipfe reprobus efficiar. Debet igitur homo difficillima queque pro uiribus aggredi, quibus uirtus acquiritur, & paratur falus. non enim coronabitur, nifi qui legitimè certauerit. quod cum facit, non dicitur quærentes tentationes. tametsi ille hoc uitæ institutum fequantur. neque uerò deprecari eas, atque auerfari debet, fed precari Deum, ne ab eis superetur. quemadmodum Seruator Christus monuit, vt peteremus. & ne nos inducas in tentationem, fed libera nos à malo. etenim fi fugeremus tentationes, fugeremus coronas, que generose ferentibus tentationes dantur. quin Paulus penè iugillat Corinthios, quod leuiter fuiffent tentati, cum ait. tentatio uos non apprehendit nifi humana, id est leuis, & exigua. confueuit. n. uti hac uoce Paulus in hunc sensum, ut cū alibi dicit. humanū dico propter infirmitatē carnis uestræ. aliud etiā bonum ex tētatio ne fequitur; quod nos ipsi nobis effcimur noti. multi. n. superasse se putāt aliqua uitia, à quibus demū ingruente tentatione adhuc fe detineri intelligunt. ad hoc autē agnoscendū, non parū confert, solū esse, & ocium agere ab externis negocijs. id enim hominum mentibus accidit, quod in uijs usu euenire cernimus. nam uia, que ab hominibus frequentatur, & continuis pedum gressibus atteruntur, herbas non proferunt, quamuis in ipsa terra femina insint: quod manifeste cernitur, cum deficiente illo hominum incessu, mox germinant: simillimè animi hominum habent in fe delitescencia uitia, quæ ignorant, dum quotidianis huius mundi negocijs occupati, non ea aduertunt, neque de illis cogitant. quod si cessare interdum didicerint, continuò incipiunt ipsi animo aperiri. sed reuertamur ad Euangelica uerba. Et consummata omni tentatione, Diabolus recessit ab illo usque ad tempus. illud scilicet tempus, cum Dominus dixit. uenit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. quod uerò dicit, in tribus illis tentationibus consummatam fuisse omnem tentationem, significatur, tres illas tentationes omneis alias facile in fe complecti, & eum, qui ab ijs tribus fuerit superatus, nullo negocio ad omnia scelera posse rapi. nam gulæ uitium, quæ fuit prima tentatio, ac uentris edacitatem ea fequuntur, quæ sub neutro sunt. iccirco Paulus cum dixisset, non in comestationibus, & ebrietatibus, adiecit, nō in cubilibus, & impudicijs, quibus uitijs ubi fe quis obstrinxit. cōtinuò in beluinā ferē naturā degenerat, & more suū in uoluptatis luto seper immoratur, neq; attollere se unquā ad res hoīe dignas potest. in qđ malum ubi quis delapsus est, quid ab eo iā speretur boni? altera tētatio fuit ambitio,

ambitio, & potentia, atque honorum appetitio, quæ & ipsa ubi mentem hominis inuasit, peccatorum examen secum trahit, nihilq; est ad rapiendum in omne nefas hominem hoc affectu potentius, & ob hanc causam externus quidam poeta exprimere uolens huius uitij efficaciam, ad maxima quæque patrandæ scelera, inducit tyrannum quendam ita dicentem.

Si ius uiolandum est, regni causa

Violandum est, in reliquis pietatem colas.

cuius enim animus semel obsessus ab hoc tyranno fuerit, prius quidem, quàm optatas dignitates sit assecutus, nihil non machinatur, ut earum fiat compos. fidem non nouit, amicitias obliuiscitur, in genus proprium, & suum sanguinem sæuit, ut reperti interdum sint, qui non solum fratres, sed parentes ipsos interfecerint regnandi causa. ubi uerò assecuti sunt, quod uoluerunt, eandem animi prauitatem, cum qua ad illum honorem aspirarunt, non solum seruant, sed augent etiam. auaritiæ, rapinis, dolis, subiectorum oppressiōibus dediti, ut ferarum potius, quàm hominum præ se imaginem ferant. Tertiam tentationem proposuit Diabolus uanam gloriam, cum hortatus fuit Iesum, ut se demitteret è pinna templi, ut ex ministerio angelorum gloriam assequeretur. at in hunc scopulum quicumque incidunt, multò periculosiorem ijs, quos poetæ interdū sunt fabulati. illis feris, quæ in eo scopulo habitant, uinctis manibus traditur la cerandus, præsertim si in aliquo gradu, ac dignitate sit positus. quæ uerò sunt hæc feræ? indignatio, tristitia, inuidia, disidia, calumniæ, ira aduersus eos, qui nihil læserunt. uoluptas, cum equales cernunt ignominia affectos, luctus, cum eos uident honestari. laudum amor, honoris appetitus, hoc sanè maximè omnium humanam præcipitat animam. sermo ad gratiam, illiberales assentationes, degeneres blanditiæ, contemptus pauperum, diuitum cultus, honores ratione carentes, damnosæ gratiæ, quæ & præbentibus, & accipientibus periculum creent. seruilis timor, & qui uilissima mancipia deceat. dicendi ablata libertas, humilitatis imago quidem multa, re autem ipsa nusquam, redargutiones & increpationes è medio sublata, uel, ut rectius dicam, in humilem quenque etiam modum superantes, in præditos autem dignitate aliqua, ne labia quidem mouere audent. has omnes, atq; his multò plures scopulus ille nutrit feras, omni quidem hominum generi perniciosas, sed ijs in primis, qui celsiorem in ecclesia gradum tenent, à quibus feris qui semel capti sunt, in tantam trahi seruitutem coguntur, ut multa sæpenumero in sceminarum gratiam faciant, quæ dicere etiam turpe est. & cum Diuina lex eas à sacerdotali munere arceat, illæ se sua sponte ingerunt. & quia per seipsas nihil possunt, aliorum ministerio assequuntur omnia, ac tantum audent, ut ecclesiæ præsules interdum acerbius increpent, ac mordeant, quàm domini proprios.

seruos. quod si ij, qui episcopatus, atque ecclesiasticas dignitates habent, ijs vitiosis affectibus carerent, non solum foeminarum quamuis potentium, sed ne regum quidem minas pertimerent. Recte ergo Euangelista treis illas tentationes, quibus Diabolus Iesum aggressus fuit, omnem appellauit tentationem. & consummata (inquit) omni tentatione, Diabolus recessit ab illo vsque ad tempus. sed videamus etiam Marthae verba. sic enim dicit. tunc reliquit eum Diabolus, & ecce angeli accedebant, & ministrabant ei. cernis finem tolerandae tentationis, & quemadmodum ij, qui Dei voluntati sese committunt, ac illi fidunt, cum humanum deest auxilium, angelorum, & caelestium illarum mentium ministerio fiant digni? profectus fuerat Iesus, sancto spiritu inuitante, in desertum, cibis, & humanis alimentis destitutum, esuriit, non haesitauit diffidentia, certo sciens, eius spiritus auxilium non defuturum, qui eum illud impulerat, quod & factum est. nam mox accesserunt angeli, & ministrauerunt ei. hoc nobis exemplo esse deberet, atque in factis nostris omnibus cogitandum in primis esset, quid Diuina lex praecipiat, & illud implendum, caetera Diuinae curae, ac prouidentiae relinquenda. ipsa veritas Dei filius ait. ne solliciti sitis animae vestrae, quid edatis, neque corpori vestro, quo induamini. quaerite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & haec omnia adijcietur vobis. his verbis si fidem haberemus, praestaremus omnia generose, quaecumque audimus in Euangelio nobis proposita. ut cum legimus, qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat, quibus verbis significatur, oportere eum, qui ad Euangelicam regulam velit viuere, praeter illa, quae ad moderatum victum, & cultum necessaria sunt, caetera omnia cum indigentibus communicare. haec inquam cum legimus, si fidem haberemus Euangelio, nihil haesitantes praestaremus, neque vereremur, nequid ex hac liberalitate nobis deesset, ac Diuinis potius promissionibus, quam nostrae arcae, nostrisque horreis fideremus. sed de contraria facimus, declaramus apertissime, nos offide esse destitutos, quamuis eam voce, ac verbis profiteamur. Et reuersus est Iesus in virtute spiritus in Galilaeam, & fama exiit per vniuersam regionem de illo, & ipse docebat in synagogis eorum, & glorificabatur ab omnibus. Peracto ieiunio, & superatis tentationibus accingit se Iesus ad parandam nostri generis salutem, cum esset iam virtute spiritus munitus, sine qua facta hominum omnia imbecilla sunt, atque inefficacia. atque hoc in causa est, cur ij, qui ministerium verbi Dei, & curandarum animarum acceperunt, cum hac spiritus virtute sint destituti, parum proficiant, ac plurimum inutile fiat eorum ministerium, dum Diuini spiritus igne carentes, calorem, quem non habent, communicare cum aliorum mentibus non possunt. nam recte quidam inter externos oratores praestantissimus dixit.

vt

vt nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quam nisi admoto igni, ignem concipere possit, sic nulla mens est tam ad comprehendendam vim oratoris parata, quam possit incendi, nisi inflammatus ipse ad eam, & ardens accesserit. non ne vides, vt apostoli exiguo annorum spatio totum omnium terrarum orbem caelesti lumine, pulsus tam densis errorum tenebris illustrauerint? cur hoc? nimirum quia virtute spiritus armati, aduersarias omnes potestates fuderunt, fugaruntque, & eo igne sancti spiritus, quo ipsi erant afflati, reliquos etiam inflammauerunt. qui spiritus feruor, & calor, quia nunc illis deest, qui hoc officij munus aggrediuntur, aut potius inuadunt. fit, ut nihil penè proficiatur, neque auditores ad frigida loquentium verba accendantur. Reuersus est autem Iesus in Galilaeam, quamuis sciret, se minus honoris ibi habiturum, cum in ea regione ciuitatem suam haberet. duo hic nos docens, primum, vt rationem nostrae patriae habeamus. deinde, vt fugiamus ostentationem, sed vnus duntaxat propositus nobis scopus sit, seruandarum animarum studium. at nunc magna eorum pars, qui concionandi prouinciam acceperunt, in primis gloriae student, & honestiores suggestus quaerunt, ex quibus hominum famam aucupentur, qui si Iesum imitari scirent, res eis melius cederet. si enim solam Christi gloriam, & earum animarum salutem, pro quibus Christus mortuus est, quaerent, ipsi multo clariore euaderent, & ex fructu, qui eorum praedicationem sequeretur, exiguo temporis spatio fierent celeberrimi. vide enim, quid hic de Domino Iesu dicatur. fama exiit per vniuersam regionem de illo: nam probitas lucem quandam secum affert, quae homines vel inuitos prodit. non potest (ait Dominus) ciuitas abscondi super montem posita. & sicut sol, vbi primum se mundo offert, latere non potest, cum a suis ipsius radijs prodatur; sic homines vere spirituales, & qui ex illa cum Deo consuetudine plurimum lucis acceperunt, etiam si conentur lucem illam abscondere, & in Mosis exemplum, cuius & ipsius facies, ex eo, quod versatus cum Deo fuerat, radiabat, velamen super faciem ponere, necesse tamen est, splendorem illum tandem aliquando foras dari. quod hic vides in Domino Iesu impletum, qui, cum sine villo fastu in suae patriae synagogis doceret, glorificabatur ab omnibus. Et venit Nazareth, vbi erat nutritus, & intrauit secundum consuetudinem suam die sabbatorum in synagoga, & surrexit, vt legeret. Meministis superius a Luca fuisse dictum, cum de Seruatoris infantia historia texeret, & vt perfecerant omnia secundum legem Moysi, reuersi sunt in Galilaeam in ciuitatem suam Nazareth, ibi ergo & conceptus, & nutritus fuerat, vt autem doceret, nos teneri debere magna erga patriam nostram charitate, voluit primam illam esse, in quam beneficium exerceret. nam quod proxime dixit Euangelista, docebat in synagogis eorum, videtur per anticipationem fuisse dictum, cuius rei non difficilis est coniectura. hic. n. non dicit Iesum pri-

mum

num prædicasse, sed legisse. erat autem apud Iudæos consuetudo, ut diebus sabbatorum conuenirent, iccirco conuentus ille, ac locus etiam ubi conueniebant, synagoga, id est, congregatio, uel conuentus uocabatur, in quem locum ubi conuenissent, aliquid ex lege, aut prophetis legebatur, postquam lectionem aliquid rursus uiua uoce ad audientium ædificationem dicebatur. cuius rei testimonium habemus in Actis apostolorum. sic enim de Paulo, & Barnaba scribitur. uenerunt Antiochiam Pifidiae, & ingressi synagogam die sabbatorum federunt. post lectionem autem legis, & prophetarum miserunt principes synagogæ ad eos, dicentes. uiri fratres, si quis est in uobis sermo exhortationis ad plebem, dicite. cū ergo dicat hic Lucas surrexisse Iesum, ut legeret, credibile admodum est, Iesum, ubi regressus fuit in Galilæam, prius quàm prædicandi in synagogis officium aggredere, lectoris officio functum, ut ex ea legendi occasione, paulatim prædicationem inchoaret. cernis, ut omnia modestiæ, ac submissi animi exempla nobis Iesus præbuerit? Et traditus est illi liber Esaiæ prophetæ. & ut explicuit librum, inuenit locum, ubi scriptum erat. spiritus Domini super me, propter quod unxit me, ad euangelizandum pauperibus misit me, ut sanem contritos corde, ut prædicem captiuis remissionem, & cæcis uisum, & emittam contractos per remissionem, ut prædicem annum Domini acceptum. Obserua, quàm circūspectè incipiat se aperire. necesse enim erat, ut agnosceretur filius Dei, & Christus ille Iudæis promissus, ut per fidem in illum seruarietur. quod cum esset faciendum, uoluit, ut prophetæ ipsi, qui multis ante seculis illius aduentum prædixerant, etiam cum aduenit, initium eius declarandi facerent. inter omnes autem prophetas Esaias multis locis apertissimè de Christo loquitur, ut nõ minus Euāgelista, quàm propheta meritò queat appellari. Diuino ergo nutu factum est, ut daretur ei legendus Esaias, & ille locus occurreret, in quo ea de Christo scripta sunt, quæ audistis. sed intueamur ipsa uerba. Spiritus Domini super me, propter quod unxit me. ungebantur reges, sacerdotes, & prophetæ, oportuit ergo, ut Iesus, qui has omnes dignitates longe cæteris excellentius habebat, & ipse ungeretur, id quæ excellentiori modo, quàm reliqui omnes. quo ergo pacto unctus fuit? audi Dauid. dilexisti (inquit) iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ cõsortibus tuis. & in Actis apostolorum. unxit eum Deus spiritu sancto, & uirtute. nimirum quando requieuit super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, ac timoris Domini. Ad euangelizandum pauperibus misit me. hoc testimonium euangelizandi pauperibus protulit Dominus, cum duo ex discipulis Ioannis Baptistæ ab eo missi interrogauerunt. num is esset, qui uen-

turus

turus expectabatur. inter cetera enim signa, quod ipse esset, posuit & hoc, atque dixit. pauperibus euangelizatur. Sed mirum est, cum Euāgelium propositum fuerit, ut prædicaretur omni creaturæ, cur hic dicat in propheta, se missum ad euangelizandum pauperibus, perinde quasi diuites nihil ad hanc prædicationem pertineant. & reuera ita est. nam causam diuitum pro re desperata posuit Dominus, cum dixit. facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. & ob hanc causam per sacram omnem scripturam diuites passim malè audiunt, uæ, & minæ illis intentantur. at contra pauperes ubique curæ Deo esse memorantur. parceret (inquit) pauperi, & inopi, & animas pauperum saluas faciet. & edent pauperes, & saturabuntur. & tibi derelictus est pauper. & oculi eius in pauperem respiciunt. & sexcenta alia. neque id mirum. nam ij sunt in primis, qui Deum agnoscunt, qui eum prædicant. pauper, (inquit) & inops laudabunt nomen tuum. diuites autem non sic. nam cernimus quotidie homines, quod sunt ditiores, eò longius eorum animos à Deo distare. toti affixi terræ sunt, cogitationes eorum, uerba, facta terram tantum sapiunt, nunquam attolli à terra nouerunt. immites præterea, neq; ulla in calamitosos homines mouentur misericordia, sed eos potius diuexant, ac diripiunt, de quibus pulchrè scribit beatus Iacobus. nonne diuites (inquit) tyrannidem exercent in uos, & ijdem trahunt uos ad tribunalia, & ijdem malè loquuntur de bono nomine, quod inuocatum est super uos? quem enim diuitem audias de Christo, de quæ euangelicis dogmatibus philosophari? quem cernas è ditioribus ad audiendum uerbum Dei in ecclesiam sapius conuenire? malunt concionis tempore per forum deambulare, aut nugis, ac rifibus vacare, quàm vna hora hic sedentes cœlestem hanc philosophiam audire. & cum magis grati Deo esse deberent ob maiora ab illo accepta beneficia, ingratiore alij omnibus sunt, atque in Deum, & Christum eius magis iniurij. nam ij ferè sunt blasphemi, scortatores, adulteri, impij, Diuini cultus irrisores, omnis pietatis inimici, & omnibus uitij, ac peccatis obnoxij. meritò ergo, cum Euangelij prædicatio promittitur, mentio diuitum nulla fit, sed pauperum duntaxat. de quibus idè Iacobus ait. nonne Deus elegit pauperes mundi huius, diuites in fide, & heredes regni, quod promissit ijs, à quibus dilectus fuerit? sed cur, cum pauperibus promittatur hæreditas regni, eiusque æterni, datur eis à scripturis sanctis pauperum appellatio, cum potius ij diuites, illi pauperes sint uocandi? quo enim pacto diues uocari dignus est, qui hoc duntaxat uitæ momento caducis diuitijs fruitur, post paulò æterna inopia laboraturus? scripturæ sanctæ dant appellationes pro usu præsentis temporis. quare eos, qui temporarijs hiis facultatibus, atque opibus abundant, diuites uocat, eos uerò, qui

qui

qui ijs defertuntur, pauperes. in terea tamen admonent, quid de pte; sentiendum fit, & quorum conditio sit melior. diuites (inquit) egerunt, & esurierunt, inquirentes autem Dominum nullo deficient bono. quæ diuitum egestas, atq; esuries non de futura tantum uita intelligenda est, cum etiam aquæ guttula ad refrigerium linguæ indigebunt, quemadmodum de diuite illo in Euangelio scriptum est, sed etiam de præfenti hac uita. nam ferè quò quis ditior est, eò maiorem habendi famem, ac sitim patitur. cernis quàm felix pauperum, id est, inquirentium Deum (nam hos ostendimus in primis Deum quærere) præ diuitibus conditio declaratur? quid enim infelicius, quàm in maximis opibus semper egere? contra uerò, quid beatius, quàm in summa inopia omnibus bonis abundare? & profectò monstro perfimile uideri deberet, siquid superesset in nobis ueræ fidei, hominem, cui Christianæ philosophiæ nota sint dogmata, posse terrenis opibus affici, quæ maximo, ac singulari ad æternam parandam salutem passim prædicantur esse impedimento. Ad euāgelizandum (inquit) pauperibus misit me. Hebræa dictio significat non solum pauperes, sed etiam mites, humiles, afflictos, oppressos, quæ nomina ijs conuenire non possunt, qui confidunt in uirtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur, & qui in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur. ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate, & impietate sua. Hæc autem de ijs diuitibus sunt dicta, quos diuites huius mundi appellare cum Paulo possumus, qui pecunias pro Deo habent, quorum studium rectè idem Paulus simulachrorum cultum uocat. nam qui diuitijs utuntur, ut Christianum hominem decet, easque ad omne opus bonum instrumenta faciunt, & tanquam res Dei, non suas, ut fideles dispensatores in pauperes tribuunt; ij non diuites huius mundi, sed Euangelici diuites uocandi sunt, & digni, qui in eorum numero collocentur, quibus euāgelizare missus est Iesus. sic contra pauperum appellatione non ueniunt omnes, qui egent pane, rebusque ad uitam necessarijs. nam multos huius generis inuenias interioribus cogitationibus diuitias tractare, appetere honores, ac magistratus, querulos præterea, suffrones, obrectatores, & pluribus alijs uitijs obnoxios. ij non sunt inter euangelicos pauperes numerandi. sed illi, qui in medijs afflictionibus longamines sunt, non murmurant, sed gratias potius agunt, ac Diuina iudicia reuerentur. Ut sanem contritos corde, de quibus etiam alibi scriptum est. qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. qui sunt autem contriti corde? ij, de quibus Dauid ait. cor contritum, & humiliatum Deus nō despiciet. quos ex animo peccasse, ac Deum offendisse pœnitet. cuius rei signum est, cum posthac ad peccata non redeunt, sic enim ipse uult, cum ait. ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius

rius

rius tibi aliquid contingat. huius generis homines sanat Iesus. qui uerò singulis annis ad eadem peccata reuoluuntur, ij manifestissime arguuntur, non habuisse contritum cor, neque pertinere ad hanc Domini Iesu sanationem. Ut prædicem captiuis remissionem, siue libertatem. quam libertatem? de qua Zacharias Ioannis pater dixit. ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi in sanctitate, & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. & rursus. ad dandam notitiam salutis populo eius, in remissionem peccatorum eorum. sic cum promulgari cœpit Euangelium, prædicatum fuit baptisma in remissionem peccatorum. hæc erat humani generis captiuitas, quam deflens Paulus aiebat. uideo aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis mee, & captiuum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis. miser ego homo, quis me eripiet à corpore mortis huius? & mox liberatorem confitetur, & ait. gratias ago Deo per Iesum Christum dominum nostrum. Et cæcis uisum, & emittam contractos per remissionem. aperuit Euāgelista sensum sermonis Hebræi. nam in Hebræo est, & uinctis apertionem carceris. humanum enim genus cæco errorum carcere detinebatur. uenit autem lux Euangelica, ut illucesceret, quemadmodum idem Zacharias ait) ijs, qui in tenebris & umbra mortis sedebant. & Esaias. populus, qui sedebat in tenebris, uidit lucem magnam. habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. & alibi de hoc carcere ait. ut diceres ijs, qui uincti sunt, exite, & ijs, qui in tenebris sunt, reuelamini. & Zacharias. tu quoque in sanguine testamenti tui, emissi uinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. quibus uerbis ostenditur, Christi sanguine redemptos omnes, qui erant in lacu, aqua saluari destituito, & qui uincti spem habuerunt, sese hoc sanguine liberandos. hanc ergo apertionem carceris Lucas interpretatus est cæcis uisum, & emittam contractos per remissionem. quanquam & hoc à Christo non solum in spiritua illuminatione, sed etiā in hominum corporibus factum est, quod etiam alio loco fuit ab Esaiâ prophetatum. tunc aperientur (inquit) oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. tunc saliet claudus quasi ceruus, & aperta erit lingua mutorum. ad quam prophetiam uidetur tacite remississe Dominus, cum discipulis Ioannis interrogantibus, num is esset, qui uenturus erat, dixit. ite, & renuntiate Ioanni, quæ auditis, & uidetis. cæci uident, & claudi ambulant. leprosi mundantur, & surdi audiunt. Ut prædicem annum Domini acceptum, uel annum piæ uoluntatis Domini. hoc illud est, quod cecinerunt angeli nato Domino. in terra pax, hominibus. *εὐδωκία*, id est, bona Dei uoluntas erga homines, dum recõciliari illis decreuit. uidetur autem alludere ad annum Iubilei, quo serui libertate donabantur, quæ res figura erat liberationis per Christum fa-

FF cienda.

ciende. Hactenus autem recitauit Lucas Esaiã locum, citandi loci gratia, alioqui credendum est, Dominum totum illum Esaiã contextum legisse, qui ad Christum pertinet. sequitur enim, ut consolarer omnes lugentes, ut ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam, pro cinere oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. predicat ibidem fructus, quos ecclesia productura erat. & uocabuntur (inquit) in ea arbores iustitiæ, plantatio Domini ad glorificandum, & edificabunt deserta à seculo, & ruinas antiquas erigent, & instaurabunt ciuitates desertas, dissipatas in generationem, & generationem, quibus uerbis prædicatur, Christianos futuros quasi arbores, ac plantas, quas Dominus, ut fructum ferrent, posuit in ecclesia, tanquam in horto uoluptatis. ut homines inde glorificarent patrem, qui est in caelis. sunt & reparatores collapsi orbis instaurantes ruinas eius, quæ tam in Iudæis, quam in gentibus à generatione in generationem contigerunt. prædicat metaphoricis, allumentas gentes in ecclesia ad docendum, & ait. stabunt alieni, & pascent pecora uestra, & filij peregrinorum agricolæ, & uinitores uestri erunt. uos autem sacerdotes Domini uocabimini, ministri Dei nostri. dicetur uobis, fortitudinem gentium comedetis & in gloria eorum superbiētis. pro confusione uestra duplici, & pro labore laudabunt partem suam. quorum uerborum sensus hic est, & uos tanquam sacerdotes mactabitis eas gentes, & per uerbum Euangelij conuertetis ad Christum, & comedetis fortitudinem earum, id est fruemini bonis earum, scilicet potentia, opibus, eloquentia, ac similibus. atque ita pro confusione uestra, quam aliquando ab eis sustinistis, recipietis duplicia, uidelicet gaudium in spiritu, & exteriorem bonorum subuentionem, sicut & pro illata ignominia exultabitis de portione eorum. Hęc inquam, & alia, quæ sequuntur, quæ data opera prætermitto, uitande longioris orationis gratia, lecta fuerunt a Domino Iesu: sed satis fuit Euangelistæ citasse locum, ad quem prospiciendum accurrere quiuis posset. Et complicato libro, reddidit illum ministro, ac resedit. quod ait complicato libro, & superius, ut explicuit librum, neque usus fuit uerbo aperienti, & claudendi, id factum est ex more Hebrææ gentis, quæ adhuc in oblongis membranis, quæ conuoluuntur, legem scriptam habet. cum ergo legendum esset, oportebat explicare uolumen illud, quod peracta lectione rursus complicabatur: ex illo autem complicandi, & conuoluendi more, uolumina appellata sunt. quare in psalmis legimus. in uolumine libri scriptum est de me, id est, in lege Moïsi. quin olim ethnicis quoque hic usus uoluminum multus fuit, quod pro uerbum illud indicat, ad umbilicum perducere. erat enim umbilicus lignum, circum quod rotabatur membrana, & uolumen illud,

illud. Complicato ergo libro, reddidit illum ministro, & resedit. nã dum legeret, steterat, ob reuerentiam Diuinarum scripturarum. ipse earum auctor honorem illis detulit. quanto magis nos id præstare deberemus? sed video nunc nullum honorem, nullam reuerentiam adhiberi. primum enim, cum campani æris sonitu accersitur ciuitas ad uerbum Dei audiendum, maxima pars contemnit accedere, neque cogitant homines, quantum hoc nomine Deo debeant, qui cœlestes thesauros nostro generi tradiderit, & iudicia sua (ut ait psaltes) nobis manifestauerit. deinde ex ijs etiam, qui conueniunt, non pauci nulla penè cum attentione astant, & plerumque censores episcopi potius, quam uerbi Dei auditores esse deprehenduntur. ob quam ingratitude timeo uehementer, ne, cum tantam donorum Dei copiam ciuitas negligat, ueniat illa fames, cuius in Amos propheta fit mentio in hæc uerba. ecce dies ueniunt, dicit Dominus, & emittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ; sed audiendi uerbum Domini. quid? quod ecclesiastici ipsi, ac sacerdotes, dum quotidianum Diuinarum laudum pensum persoluunt, id agunt sedentes, id quæ incompositissime, ac sæpe etiam in triuio se collocant, ut in ipsa rei Diuinæ tractatione plures habeant prætereuntes, quibus cum nugentur. O uere prophanos animos, & sacrilegas mentes: O scelus dignum, quod non iam episcopi uerbis, sed uerò missis è celo fulminibus castigetur. ij, qui Diuinam legem in primis honestare deberent, & populis prædicare honestandam, ipsi primi sunt ad eam irridendam: quid enim est aliud irridere, si hoc non est? sedentes, iacentes, nugantes Diuina uerba tractare? uerè in eos Esaiæ uerba magis conueniunt, quam in populum Iudæorum. Populus (inquit) hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me. discamus hic ex Domini facto scripturas sacras reuereri, & eum illis honore exhibere, qui eas decet. Et omnium in synagoga oculi erant defixi in eum. ex sola lectione conuertit in se totius synagoga oculos. nam attentè legebat, & cum affectu, qui affectus nescio: quo modo in audientium etiam animos uidetur penetrare. hoc idem usu eueniret ijs, qui ex Euangelio, aut Pauli epistolis, aut alijs sacrorum uoluminum libris in ecclesia legunt, si ea, quæ legunt, ipsi obseruarent, atque ex animo legerent. permouerent enim audientium animos, essetque illa lectio concionis loco: sed tantum abest, ut id faciant, ut dici etiam eis illud possit, quod Philippus Eunucho dixit. intelligis ne, quæ legis? quin & multi ne legere quidem emendatè sciunt. & hi tam absurdi abusus ideo ecclesiam Christi occupauerunt, quod ij, qui ascisci in clerum postulant, non cogitant officia, quæ illis sunt exercenda; sed unus eis duntaxat scopus est, una cogitatio, unum uotum, ut ecclesiasticis beneficijs ditescant. cætera non

asfis faciunt. Cœpit autem dicere ad illos. hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris. quomodo impleta? quia is erat, cuius ille Esaia locus, quem legerat, mentionem faciebat. vide verò Domini modestiam. non dixit, is ego sum, quem audistis hic in Esaia loquentem, ne videretur sese iactare. verum, quia opus erat, ut aliquando agnosceretur, & in eum crederetur, vsus est verbis quidem minus apertis, sed quæ tamen idem significarent, & suo tempore intelligerentur, quamvis tunc non fuissent intellecta. sed satis interim fuit, si ea verba intra se cogitarent, atque ex ea cogitatione aptiores fierent huic Evangelicæ veritati percipiendæ. quod si rem aperte dixisset, cum nondum essent capaces, offensi fuissent potius, quam eruditi. Hi Domini mores, atque hæc exempla proposita nobis ad imitandum sunt, ut disponamus sermones nostros cum iudicio. neque enim satis est, rem, de qua facturi verba sumus, esse sua natura bonam, sed videndum, si & temporis, & audientium ratio postulet, ut dicatur. ob hanc causam aiebat Dauid, se abstinuisse etiam à bonis, metuens, ne & illa in calumniam ab aduersarijs raperentur. nam omne verbum, quamuis bonum, nisi tamen ad ædificationem sit, non ex eo caret periculo, quod quis locutus sit bonum, sed ex eo, quod non ad ædificationem fuerit, contristat spiritum sanctum. hoc manifestè docuit apostolus dicens. omnis sermo spurcus de ore vestro nō procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus, & hoc adiciens, & nolite contristare spiritum sanctum Dei, in quo ob signati estis. at tristitia afficere spiritum sanctum, quam ingens sit malum, quid vel dicere opus est? quod si ea, quæ sua natura sunt bona, non quouis tempore, coram, & quibuslibet sunt pronuntianda, quid de ijs dicendum est, qui quicquid in buccam venerit, sine villo iudicio proferunt? qui præterea nugis, tota die, obrectationibus, impudicis verbis operam dant? de quibus scriptum est, sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, venenū aspersionem sub labijs eorum. quorum os execratione, & amaritudine plenum est. admonet Seruator Christus, de omni verbo ocioso, quod locuti fuerint homines, reddendam esse rationem in die iudicij. & homines, qui hæc audiunt, non solum ab ociosis verbis, sed ne à turpibus quidem, & lasciuis, & proximum quenque lacerantibus abstinent. Paulus ijs, qui dudum à simulachrorum cultu, & beluina vita recēserant, præcipit, ut non solum ab obscœnis verbis abstineant, verum etiam ab ijs, quæ faceta, & urbana vocantur. nam post agnitam hanc veritatem, nullus huiuscemodi leuitatibus esse locus debet. ij verò, qui penè nascuntur Christiani, & cum lacte nutricis nomen Iesu hauriunt, ethnicis ipsis sunt impudentiores. Sultiloquium, (ait Paulus) aut urbanitas, quæ ad rem non pertinent, nec nominetur in vobis. cernis, quam exactam philosophiam à Christianis

homi-

hominibus requirat Paulus, & quam nostri ab ea degeneret mores? quod si nihil aliud mali eiusmodi dissoluta verba parerent; vitiosa tamen per se essent, cum linguæ plectrum datum sit, ut in Dei laudibus exerceatur. sed omnia ferè præterea mala inde proficiuntur, lasciuum (exempli gratia) quis verbum protulit coram adolescentulis, siue viris, siue sceminis, hoc in eorum pectora veluti uenenum illabitur, quod totum animum inficit, & exiguo ex illo semine impudicissima facta oriuntur. alias opes, & honores laudat, audit hoc tenera ætas, atque illo affectu imbuitur, quo semel imbuta, eum seruat, & exercet, atque cum eo conuiescit. alius de proximo quopiam detraxit, excipitur illud verbum, atque ad aures eius, de cuius fama detractum est, perfertur, neque cessatur, donec uulnera plerunque, ac cædes sequantur. hæc sæpe fieri, cernimus, neque ab hac linguæ petulantia abstinent homines, putantque, rem leuem esse uerba, à quibus tot mala proficiuntur, sed cogitandum esset, res interdum minimas uim habere ingentem, quemadmodum beatus Iacobus nos admonet. ecce (inquit) equis frena in ora immittimus, ut obediant nobis, & totum corpus illorum circumagimus. ecce naues quoque cum tantæ sint, & à uentis sæuis agantur, circumaguntur à minimo gubernaculo, quocunque impetus dirigentis uoluerit. ita & lingua pusillum membrum est, & magna iactat. ecce exiguus ignis quantam materiam incendit. & lingua ignis est, mundis iniquitatis. sic lingua constituitur in membris vestris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis, & inflammatur à Geenna. quibus exemplis ostendit apostolus, ingentem uim habere linguam in utranque partem, & ad bonum, & ad malum. si enim homines rectè uti lingua scirent, bona omnia in Christianum orbem introducerentur, si nihil audiretur, nisi Diuinæ laudes, benedictiones, de futura uita collocaiones, de moribus, de castitate, de iustitia, ceterisque uirtutibus, perduceretur ueritas ad adolescentiam summa cum uitæ integritate, uirilis ætas in eadem sinceritate iuuentutem exciperet, atque in hunc modum ad senectam usque felicissimè perueniretur, & ex ea ad illam uitam, quæ nobis in cælo aterna promittitur. nunc uerò cum pro spiritualibus hymnis, ac psalmis infantes amatoriam, ac lasciuam plena cantica doceantur, nullusque nisi de hoc uitæ somnio sermo habeatur, deque ridiculis, ac iocosis, & scurrilibus, & obscœnis uerbis, fit, ut omnes ætates ita uitiètur, ut, nō dico Christiani hominis, sed hominis tantum, id est, ratione præditi animantis imaginem rarò præ se ferant. Quare moneo, ut tam improbi, tamque indigni Christiana professione abusus corrigantur, & moderatius uti lingua discatis, & sermo uester, quemadmodum admonet Paulus, semper cum gratia sit sale conditus. sermo Christi habitat in uobis abundè cum omni sapientia,

piencia, doceteque, & comonete inuicem hymnis, & laudibus, & canticis spiritualibus, cum gratia canentes in corde uestro Domino, eadem docete filios vestros, vt tenera ætas Diuinis laudibus assuescat. vbi .n. pulchra iaciuntur fundamenta, optimū surgit edificium, quod & hanc vitā facie tranquilliorē, & futuram illam, atq; eternam cōparabit. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est honor, gloria, magnificentia, potestas, & imperium per omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO VIGESIMA.



H omnes testimoniū illi dabāt, ac mirabātur super gratia sermonū, qui procedebāt ex ore ipsius, dicebātq; , non ne hic est filius Ioseph? Videtur ex his verbis post lectionem Iesum dixisse aliquā ad audiētū adificationem. nisi dicere malimus, qđ fortasē est credibilis; Lucā hoc dixisse non ob illū solū diē. quō legit, sed ex eo, quod aliās etiā postea fuisse locutus: propterea testimoniū illi dabāt, & mirabantur ob gratiā sermonū, qui ex illius ore prodibāt. & hoc viris ecclesiasticis exēplo esse deberet, vt, cū res diuina sit, in qua semper vna lectio ex Euāgelio, altera ex reliquis scripturis ponitur, sacerdos ad populū adificationē, ea, quę lecta sunt, interpretetur, multoq; hoc magis necessariū esset, quoniā ex lectiones Latine leguntur, & pleriq; oēs, qui stant idiotæ sunt, ac Latina lingua ignari. qđ quia passim nō fit, summa Christianæ doctrinæ ignoratio Christianū orbem occupauit. ex qua ignoratione sequuntur errores plurimi, & multa sæpe peccantur, quæ ne peccata quidē esse intelliguntur, & pastorū ignauiā miserē pereūt illæ animæ, p quibus Christus mortuus est. Quod verō ad hanc historiā pertinet, obserua patriā ingratiudinē, laudabāt, & mirabātur eius dicēdi gratiā, & eodē tēpore offendebātur, quod esset filius fabri, atq; a deo faber. nā hoc apertius legitur apud Marcū, qđ sic ait. & egressus inde abiit in patriā suā, & sequebātur eū discipuli sui, & cū adesset sabbatū, cœpit in synagoga docere, multiq; audientes obstupuerūt, dicentes. undē huic & hec, & quę est sapiētia, quę data est illi, & virtutes tales, quę per manus eius efficiuntur? non ne hic est faber ille, filius Marię, frater Iacobi, & Iosē, & Iudę, & Simonis? non ne & sorores eius hic nobiscum sunt? & offendebātur in illo. obscuritate generis illi obijciebāt, & ob eā offendebātur, ex qua offensione impediebātur, quō minus in eius doctrina proficerēt. cernis quantū mali afferat fastus, & ea opinio, quod opes, & externus iste splendor aliqd sit, neq; unquā vel cōmunē originē cogitare, vel vbi vera dignitas, veraq; sita sit gloria? non ne oēs ex vno patre profecti sumus, & oēs æquē nudi ex vtero matris pdimus? quod si forte aliqua alius plures alio facultates possideat, non propterea, qui tenuior est, suā amittere debet dignitatē. non ne cernimus

regum

regū filios interdū regno priuari, & eorū locū a tyrannis occupari, neq; tñ spoliari ob exiliū eo nomine, quin regū filij appellētur? offendebātur in ea re, quę nullius esse deberet momēti, neq; obseruabāt Diuinā virtutē, quę in eo ex admirāda doctrina, admirādisq; factis cernebatur. idē ipsum & nunc frequētissimē accidit. attoniti sunt homines ad externū hūc rerū splendorē, & gloriā, cernūt hominē multa possidētē, stipatū satellitibus, priosis vestibus ornatū, argētea, & aurea supellectili vtentē, in honore positū, huic suscipiūt, admirātur, celebrāt, quīs sit ebriosus, impudicus, auarus, crudelis, breuiter ab omnibus vitijs obsessus. aliū verō summa virtute præditū despiciūt propterea, quod pauper sit, atq; externis hisce bonis, si tamē bona rectē appellari possunt, quę tot mala pariūt, destitutus. qđ indignatus vir quidam sapiēs aiebat. locutus est pauper sensatē, & nō est ei datus locus. diues locutus est, & oēs tacuerūt, & verbū illius vsq; ad nubes perducēt. pauper est locutus, & dicūt, quis est hic? Non ne hic est (inquiūt) faber ille? cum nutricius eius Iosēph, qđ illius putabatur p̄, faber esset, nō recusabat Iesus fabrilē artē exercere. mirū pfectō exēplū, filiū Dei, ad tā humilia, se nostri grā demississe. sed multo est mirabilis, homines, qđ eius fidē p̄stētur, atq; vt Deū adorāt, & omnī regē, tātū ab illius imitatione abhorre, vt eos solos magnos arbitretur, qđ nihil agūt, & ociosi tota die p forū ambulāt, & lusibus, ac iocis operā dāt, arbitraturq; re ignominia plena, si in artē aliquā incubant. quæ Geenna idonea erit, ad tāā ingratiudinē, tātūq; scelus viciscēdum? neq; verō sine summa sapiētia (quid .n. Desapiētia nō sapiētissimē fecisse credēdū est, ex omnibus quęcūq; fecit?) voluit Iesus patre, vt putabatur, in terra habere fabri, cū is esset, p quē cœlestis pater fabricatus est omnia. nā omnia p ipsum facta sunt, & sine ipso factū est nihil, qđ factū est. Et ait illis. omnino dicetis mihi hanc similitudinē. medice cura te ipsum. quęcūq; audimus facta in Capernāū, fac & hic in patria tua. cur hec dixerit Iesus, apertius intelligitur ex Marco, vbi sic legitur. nō poterat ibi virtutē vllā edere, nisi quod paucos infirmos impositis manibus sanauit, ac mirabatur ppter incredulitatē illorū. videtur ergo, ciues eius cū eadē impudētia, qua illi generis ignobilitatē obijciebāt, etiā obijcere, cur nō ea mirabilia signa ederet quę alijs in locis illū fecisse audiuisēt, quę verba hoīum erāt, qđ vel obrectare, vel irridere parati potius erant, quā in eū credere. nā & tale qđ obijciebāt ei fratres eius, qđ in eū nō dū credebāt, dicebātq; , trāsī hinc, vade in Iudæā, vt discipuli tui videāt opera tua, quę facis. nemo q̄ppe in occulto facit aliqd, & q̄rit ipse palā esse. at miracula Diuina faciēda nō sunt, vel ob ostētionē, vel vt spectatiū curiositati, fiat satis. quare tū ēt, cū ad Herodē ductus fuit, speraretq; Herodes signū aliqd ab eo fieri cernere, nō solū signū nō fecit, sed ne locutus qđē fuit. Qđ aut scribit Marcus, nō potuisse Dñm ibi virtutē vllā edere, nō hoc detrahit potētiā Dñi, sed arguit eorū incredulitatē, quę ipedimēto erāt, quō minus ibi Iesus miracula ederēt, in quibus nō solū

ope-

operantis potentia requiritur, sed eorum fides, qui accepturi beneficium sunt. illud ergo uerbum, non poterat, perinde est, ac si dictum fuisset, non erat consentaneum. quod autem hoc uerbum in scripturis sacris diuersis accipiatur modis, satis liquet. nam posse, & non posse, interdum quidem significat defectum uirium, ac pro tempore, aut ratione alicuius, ut cum dicimus infantem certare non posse, atque athleta officio fungi, aut catulum recens natum aspicere, aut aduersus hunc certare. fortasse enim aliquando certabit, qui nunc infans est, & catulus suo tempore aspiciet, & qui certare cum hoc non potest, cum alio certabit. interdum uero illud, non posse, accipitur pro eo, quod est, maiori ex parte, ut illud. non potest ciuitas abscondi super montem posita. potest enim aliqua forte abscondi, alterius altioris montis obiectu. interdum dicimus, non posse quid fieri, id est, non esse rationabile. ut non possunt filij sponsi tandiu ieiunare, dum sponsus cum illis est. cuius generis esse mihi uidetur, quod dicebamus, non poterat ibi signa edere. etenim cum ad curationes utriusque sit necessarium, & curandorum fides, & curantis potentia, non erat rationabilis curatio, fide deficiente. ponitur etiam non posse, pro non uelle. ut, non potest mundus odisse uos, & quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? quomodo enim horum utrumque non poterant, nisi quod nonlebant? sunt etiam quaedam, quae natura quidem fieri non possunt, Deo autem uolente sunt possibilis. & non posse eundem secundo nasci, & per foramen acus camelum transire: quid enim prohibeat haec fieri uolente Deo? praeter haec omnia autem est, quod prorsus fieri possibile non est, ut malum esse Deum, aut Deum non esse. hoc enim ad Diuinae potentiae imminutionem pertinet et potius, quam ad potentiam, si diceretur, Deum esse posse malum, aut posse non esse, aut posse mori. sic dicimus omnino fieri non posse, ut quod non est, sit, dum non est, aut bis duo esse simul quatuor, & decem. ad hanc significationem pertinet, quod legimus apud Ioan- nem, non posse quicquam filium a se facere, nisi quid uiderit patrem facientem. nam ex his uerbis occasionem accipiebant haeretici derogandi dignitati filij Dei, tanquam minus potentis, atque ideo minoris. neque aduertebant, hunc locum pro filio facere. nam impossibile est, quicquam facere filium, quod non faciat pater, quia omnia, quaecunque habet pater, filij sunt, sicut rursus, quae filij sunt, & patris sunt. nihil igitur habet priuatum, quia communia omnia, quandoquidem & ipsum esse commune est, ac paris honoris, quamuis filius sit a patre, iuxta quod dicitur, & ego uiuo propter patrem. at quomodo cernit patrem facientem, & idem ipse facit? num sicut qui formas describunt, & literas, quia aliter assequi ueritatem nequeunt, nisi ad archetypum spectent, & inde dirigantur? at quo pacto sapientia egeat eo, qui se doceat? uel non faciat quicquam, nisi doceatur?

ceatur? quo autem modo facit pater, aut fecit? nunquid alium subsistere prius fecit mundum pro praesenti, aut subsistere faciet futurum, & ad illa spectans filius, alium quidem effecit, alium autem facturus est? quatuor ergo mundi hac ratione erunt, alij patris opus, alij filij. quae sane ratio esset absurdissima. at uero purgat a lepra, a Daemoniis, & morbis liberat, & uiuificat mortuos, & super mare ambulat, & alia facit, quaecunque fecit, quo exemplo? & quando haec pater antea est operatus? illa ergo uerba significant eandem & honoris, & potestatis aequalitatem. haec autem obseruatio possibilis, atque impossibilis, alia etiam loca, quae alioqui difficilia sunt, in scripturis sacris enodabit. ut est illud ad Hebraeos. impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati, & prolapsi sunt, rursus renouari ad poenitentiam: non enim hic aufert poenitentiam, sed illud impossibile ponitur pro admodum difficili, & quod raro usu eueniat, ut qui tam multis Dei donis sint ditati, si ingrati recedant, ac labantur, postea redeant ad poenitentiam. & haec quidem ob uerba ex Marco citata, dicta sunt, nunc redeamus ad Lucam. Medice (inquiunt) cura teipsum. prouerbum est ab arte medendi acceptum. medici enim, qui alios curandi artem profitentur, si suae ipsorum curationi desint, aut tueri suam ualeitudinem nesciant, probro illis esse consuevit. sic obijciebant isti Domino, cur in patria sua, quam tanquam seipsum curare deberet, non tanta signa ederet, quanta in Capernaum facta audiuiissent. ait autem. amen dico uobis, nemo propheta acceptus est in patria sua. idem hic sensus est cum Marci uerbis, quamuis aliquid uariare uideantur. sic enim scribit. dicebat autem illis Iesus. non est contemptus propheta, nisi in patria sua, & inter cognatos, & familia sua. Solent fere homines non tam rerum magnitudinem, quam raritatem mirari. quid enim est admirabilius, quam mortuos ad vitam reuocare? & tamen si medicorum esset mos tam saepe mortuis vitam restituere, quam saepe sanitatem restitunt, nihil maiori esset admirationi: mortuorum suscitatio, quam nunc est curatio aegrotantium. ipsa enim consuetudo tollit admirationem. eduntur quotidie a Deo miracula, sed ob consuetudinem non agnoscuntur. quotannis uinum ex aqua fit, dum terrae humor in uas ingrediens in uinum conuertitur, sic ex paucis seminibus ingentes segetes nascuntur. & tamen frequentius in ore est hominum, quod fecit Iesus signum, cum in Cana Galilaeae conuertit aquam in uinum, & cum ex quinque panibus satiavit quinque millia hominum. & haec quotidiana miracula nemo fere miratur. cernimus quotidie quandam resurrectionem in nobis, dum cibus, & potus in uiam carnem, & sanguinem conuertuntur, neque hoc unquam aduertebant philosophi illi, qui, cum resurrectionis mortuorum fieret mentio, iridebant eos, qui hoc dicerent. quemadmodum accidit, cum Paulus

in Areopago philosophos illos alloqueretur. Ob hanc ergo causam & prophetæ minori erant in honore in sua patria, suoque genere ob quotidianam, quam cum eis habebant, consuetudinem. qui tametsi Diuina oracula prædicarent, ob copiam tamen, & frequentes conciones eos fastidiabant, ac contemnebant. ubi verò ad exterarum gentes proficiscerentur, in magna habebantur reuerentia eorum dicta. uide. n. quid acciderit Ionæ, qui missus ad prædicandū Niniuitis, ad primi diei allocutionem, tota ciuitas cum rege, ac principibus eius ad pœnitentiam conuersa est. Ieremias uerò supra xl. annos prophetauit Ierosolymis, & urbis excidiū prædicabat, neque unquam fides illi fuit habita. idem & nunc accidit, quòd scilicet raritas obseruationem parit, copia uerò contemptum. si episcopi, qui per totam Italianam nulli ferè pastoris officio funguntur, ut gregem Christi curæ suæ creditum pascant, concionandi proprium munus aggredierentur, illis præsertim in urbibus, ubi huius rei nulla extat memoria, & ter, aut quater duntaxat per annum, concionaretur, tota conflueret ciuitas ad pastoris audienda uerba. hic uerò, ubi per totum annum episcopus hoc facit, hæc copia efficit, ut uestrum hoc cōmodum minus agnoscat. Sed in ueritate dico uobis, multæ uiduæ erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cœlum annis tribus, & mensibus sex, cum facta esset famēs magna per omnem terram, & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarephtha Sidonis ad mulierem uiduam. & multi leprosi erant in Israel sub Elissæo propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus. Probat exemplis, quod dixerat, si forte his narrationibus errorem suum intelligerent, docetque iustam ob causam se non edere tam multa signa, quam alibi edidisset, ipsosque in causa esse ob suam incredulam mentem. hæc autem duo exempla in historia regum posita sunt, quæ cum sciam à maxima uestri parte ignorari, ut etiam reliquas ferè scripturas, nō pigebit, ea breuiter hic commemorare. Ad Eliæ uerba, castigandi populi gratia, clausum fuerat cœlū annis tribus, & mensibus sex, quemadmodum hic ex Euangelio audistis. cœlum uerò hoc loco intelligitur aer, ubi coguntur nubes, ut inde demittatur pluuia. dicitur autem cœlum claudi metaphoricās, cum non dantur, quæ inde dari consueuerunt, sicut aperiri dicitur, cum dantur, aut cum inde aliquid apparet. iccirco cum Stephanus uidit Iesum stantem à dextris iuratus Dei, dixit se uidisse cœlos apertos. Cum ergo interminatus fuisset Elias regi Achab, ac dixisset. uiuit Dominus Deus Israel, in conspectu cuius sto. si erit annis his ros, & pluuia, nisi iuxta oris mei uerba, & factum est (inquit) uerbum Domini ad eum dicens. recede hinc, & uade contra orientem, & abscondere in torrente Carith, qui est contra Iordanem, & ibi de torrente bibes, coruisque præcepi, ut pascant te ibi. abiit ergo,

& fecit

& fecit iuxta uerbum Domini, cumque abiisset, sedit in torrente Carith, qui est contra Iordanem. corui quoque deferebant ei panem, & carnes mane, similiter panem, & carnes uesperis, & bibebat de torrente. Post dies autem aliquot siccatum est torrentis. non enim pluerat super terram. factus est ergo sermo Domini ad eum dicens. surge, & uade in Sarephtha Sidoniorum, & manebis ibi. præcepi. n. ibi mulieri uiduæ, ut pascat te. surrexit, & abiit in Sarephtha. cumque uenisset ad portam ciuitatis, apparuit ei mulier uidua colligans ligna, & uocauit eam, dixitque ei. da mihi paululum aquæ in uase, ut bibam, cumque illa pergeret, ut afferret, clamauit post tergum eius dicens. affer mihi obsecro & buccellam panis in manu tua. quæ respondit. uiuit Dominus Deus tuus, quòd non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinae in hydria, & paululum olei in lecytho. en colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciam illud mihi, & filio meo, & comedamus, & moriamur. ad quam Elias ait. noli timere, sed uade, & fac, sicut dixisti, uerum tamè mihi primum fac de ipsa farinula. subcinericium panem paruulum, & affer ad me, tibi autem, & filio tuo facies postea. hæc autem dicit Dominus Deus Israel, hydria farinae non deficiet, nec lecythus olei minuetur usque ad diem, in qua Dominus daturus est pluuiam super faciem terræ. quæ abiit, & fecit iuxta uerbum Eliæ, & comedit ipse, & illa, & domus eius per dies multos, & hydria farinae non defecit, & lecythus olei non est imminutus, iuxta uerbum Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ. Censes in toto Israele reperiri potuisse uiduam tanta fide, quanta hæc Sarephthana alienigena fuisse reperta fuit? meritò ergo Israeliticis uiduis omnibus fuit anteposita. uide enim ingentem mulieris fidem. uidua erat, quæ res pusillanimores efficere mulieres, per se pusillanimes solet. nam uiri præsentia addit animos ad fidendum. quæ autem uiri solatio sunt destituta, etiam in magnis pferunquæ diuitijs diffidere consueuerunt, nedum in tanta inopia, in qua hæc uidua esse deprehendebatur. ingentem proposuit illi Elias tentationem, ut scilicet ex illo farinae pugillo primum Eliæ faceret subcinericium panem, deinde sibi, & filio. nesciebat mulier illum esse Eliam celeberrimum prophetam. nosse quidè eum potuit esse Hebraum ex uestium genere, quemadmodum & Samaritana mulier Iesum. & ob hanc causam, quia hæc Eliam hominem Hebraum norat, dixit. uiuit Dominus Deus tuus. notum enim erat, Hebræos Deum cœli colere. cætera illum ignorabat. & tamen ad simplicem ignoti hominis promissionem, obtulit exiguas farinae reliquias uiro Dei, ac prius illū pauit, quam se, ac filium. nos uerò habemus ipsam ueritatem, Dei filium promittentem, omnia ad uictum, & cultum necessaria, nobis esse adiicienda, tantum quæramus regnum Dei, & iustitiam eius, & nullam ueræ fidei præbemus significationem. abundat

dat arca pecunijs, horrea tritico, vino torcularia, vestes à tineis cōsumuntur, & in tanta rerum copia ne superuacua quidem dare curamus in obsequium Christi, & eius fratrum inopia subuenire, & ad quæ ipsa natura sponte inuitari deberemus, nisi auaritia omnem exuere fecisset humanitatem, ea post tam felicia promissa impendere recusamus, & præterea inter tam monstrosa facta, ne ethnicis quidem hominibus ratione præditis digna, cœlum nobis audemus polliceri, cum faciamus opera, quibus in Euangelio Christus manifestissime æternum ignem cōminatur. ite (inquit) maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & angelis eius. quare? esuriui enim, & non dedistis mihi cibum. sitiui, & non dedistis mihi potum. nudus eram, & non me operuistis. hospes eram, neque me accepistis hospitio. infirmus, & in carcere, & non venistis ad me. hæc audiunt, qui Christum confitentur, & cum ea faciunt, quibus Christus æternum ignem minatur, sibi tamen persuadent, se in eorum numero futuros, qui æterni regni futuri hæredes sunt. quid hac recordia stolidius? quid hac spe desperatius? quid respondebunt ij, qui semper aliquid habent præter id, quod ad necessarium victum, & cultum pertinet, & benignè indigentibus facere recusant, cum illis admirandū hoc Sarephthanę mulieris exemplum obijciatur? mulier erat, infirmus sexus, atque ad magna, ac generosa facta, ut hoc erat, parum aptus. accedebat uidiuitas, alterum malum, & quod deicere etiam generosas mentes posset. filium habebat in summa inopia alendum, nihil supererat aliud, nisi pugillus farinæ, & in tanta rerum angustia voci prophetæ, nunquam antea agniti obtemperat. O factum omnem superans admirationem, O surdas aureis, & cæcos oculos hominum, & ferrea corda, quæ tam obstupescendo exemplo non permouentur. Multa erant alia in hac historia obseruanda, sed ad alterum, cuius hic in Euangelio est facta mentio, veniendum est, quod eò libentius faciam, quod in hac huius viduæ narratione vidi uos attentissime, ac summa cum voluptate audiuisse. Multi leprosi (inquit) erant in Israël sub Elissæo propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus. Hæc historia, quam scio vobis etiam superiori esse minus notam, ita scripta est in libris Regum. Naaman princeps militiæ regis Syriæ, erat uir magnus apud Dominum suum & honoratus. per illum enim dedit Dominus salutem Syriæ. erat autem uir potens robore, sed leprosus. porro de Syria egressi fuerant latrunculi, & captiuam duxerant de terra Israel puellam paruulam, quæ erat in obsequio uxoris Naaman, quæ ait ad dominam suam. vtinam fuisset Dominus meus ad prophetam, qui est in Samaria, profectò curasset eum à lepra, quam habet. ingressus est itaque Naaman ad Dominum suum, & nuntiauit ei dicens. sic; & sic locuta est puella de terra Israel. dixitque ei rex Syriæ.

vade,

vade, & mittam literas ad regem Israel. qui cum profectus esset, & tulisset secum decem talenta argenti, & sex millia aureos, & decem mutatoria vestimentorum, detulit literas ad regem Israel in hæc verba. cum acciperis epistolam hanc, scito, quod miserim ad te Naaman seruum meum. vt cures eum à lepra sua. cumque legisset rex Israel literas, scidit vestimenta sua, & ait. nunquid Deus ego sum, vt occidere possim, & viuificare, quia iste misit ad me, vt curem hominem à lepra sua? animaduertite, & videte, quod occasione querat aduersum me. quod cum audisset Elissæus uir Dei, scidisse videlicet regem Israel vestimenta sua, misit ad eum dicens. quare scidisti vestimenta tua? veniat ad me, & sciat, esse prophetam in Israël: venit ergo Naaman cum equis, & curribus, & stetit ad ostium domus Elissæi: misitque ad eum Elissæus nuntium dicens. vade, & laua se septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua. atque mundaberis. iratus Naaman recedebat dicens. putabam, quod egredieretur ad me, & stans inuocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret me. nunquid non meliores sunt Amana, & Pharphar fluuij Damasci omnibus aquis Israel, vt lauer in eis, & munder? cum ergo vertisset se, & abiret indignans, accesserunt ad eum serui sui, & locuti sunt ei. pater, si rem grandem dixisset tibi propheta, certè facere debueras, quanto magis quia nunc dixit tibi, laua se, & mundaberis? descendit, & lauit in Iordane septies, iuxta sermonem uiri Dei, & restituta est caro eius, sicut caro pueri paruuli, & mundatus est. reuersusque ad uirum Dei cum uniuerso comitatu suo venit, & stetit coram eo, & ait. verè scio, quod non sit Deus in uniuersa terra, nisi tantum in Israël. Placuit vobis, vt ex oculis vestris, & vultu cerno, hæc historia, sed scio, nō minus vobis futurum gratum, siquid in ea, quod vos edificet, loquar. quare hoc nō inuitus faciā. verū nā expectetis, dū singulas eius partes cōmenter, sed eatātū, quæ magis annotatu digna sunt, pertractabo. & primū obseruemus, quæ fuerit huius edendi miraculi occasio, puella scilicet Hebræa à latrunculis Syriæ captiua ducta, cuius verbis domina eius permota uirū est allocuta, ille verò regem, atq; in hūc modum veri Dei maiestas inter ethnicos fuit declarata. verè n. omnia seruiūt ei, & nihil fit in regno prouidentię, quod non summam secum afferat sapientiam. & ex ijs, quæ nobis mala uidentur, maxima bona prodire facit. quare, si illius gloriæ effemus studiosi, omnia, quanuis infestissima, ac calamitosissima æquisimo animo ferre delectaret, idque multo magis, si cogitemus, eadem aduersa, nisi per nos stet, in maximam nostram utilitatem conuerti, & semper quidem ad animæ salutem, pleunque uerò etiam ad temporaria commoda plurimum conferre. non meministis, quid illi castissimo Ioseph acciderit? cui non uideretur dolendum, cum fratrum inuidia uenundatus fuit? accessit

grauior

gravior calamitas, quod suæ dominæ calumnia coniectus in carcerē fuit, quis non hoc supremum malum esset arbitratus? at per hæc media ad tantam euectus gloriam fuit, ut secundus à rege constitutus fuerit, ac seruator mundi appellatus. post tam felicem rerum exitum, quis illam uentionem, & illum carcerem non beatum iudicauit? ita sane est. malorum nostrorum soli nos causa sumus, qui more infantium non intelligimus, paternam Dei curam, ac prouidentiam eò spectare, ut bene nobis sit, quamuis interea aliquid accidat, quod sensibus nostris, atq; appetitionibus contrarium esse uideatur. nam & pueris multa prohibentur, quæ optant. quin & cæduntur plerunq; à parentibus, & tamen omnia, eorum utilitatis gratia fiunt. At puella (inquires) non fuit liberata. ego uerò contrarium puto, quòd ob acceptum beneficium eam liberam dimiserit. nam ingentia munera, & magnifica obtulit Elissæo, qui cum accipere recusauisset, ac puer serui Dei, cupiditate pecuniæ illectus, in scio Elissæo cucurisset post eum, ut aliquid peteret, ubi Naaman intuitus illum fuit, defiliijt de curru, & ei occurrit, & duplum rei, quam petierat, dedit. quare ex tam generosa grati animi significatione, nihil est dubitandum, quin uel puella dimissa fuerit libera, uel, si remansit, uolens remanserit, eo quòd bene, ac liberaliter tractaretur, meliusq; in domo tanti principis haberet, quam in sua patria, ubi fieri potuit, ut pauperem ageret, vitam. Fortasse uerò ante hoc, quod diximus, obseruandum illud est, quod ait, per Naaman Dominum dedisse salutem Syriæ. quibus in uerbis duo docemur. primum, ut in omnibus rerum euentibus, quicquid accidit, Dei prouidentia ascribamus. ecce enim hic cum dixisset, illum magnum fuisse, & honoratum apud dominum suum, expectabatur, ut more externæ historiæ, redderetur huius honoris ratio, ac diceretur. is enim sua industria, ac bellica uirtute seruauit Syriam. nò hoc dixit, sed, per illum dedit Dominus salutem Syriæ. hoc autem plurimum refert & ad pietatem, & ad uiuendi usum. nam hoc pacto non inolescunt homines, cum omne bonum Deo acceptum referat, & præterea cum intelligamus à Deo omnia gubernari, æquiore animo, quicquid acciderit, ferimus. qui uerò hunc scopum non habent, cum ingruunt bella, subiecti nunc Gallos, nunc Germanos, nunc Hispanos accusant, & suis murmurationibus peccatis peccata addunt, principes uerò elati euadunt, putantq; se sua uirtute euasisse uictores, & dicunt, manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia. uide enim, quid dicant tumidi. Deus (inquit) ego sum. & alius meus est fluuius, & ego feci me ipsum. & ille monarcha insolens. non ne hæc est Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? quod quam uehementer Deum offenderit, rei euentus declarauit. cum enim sermo adhuc ef-

set in ore regis, uox è cælo ruit in hæc uerba. tibi dicitur Nabuchodonosor rex. regnum tuum transibit à te, & ab hominibus eijcient te, & cum bestijs, & feris erit habitatio tua, fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias, quòd dominetur. excelsus in regno hominum, & cuiuscunq; uoluerit det illud. eadem hora hæc omnia impleta in rege fuerunt. Alterum, quòd ex illis uerbis docemur, est, quòd et si gentes ignorabant Deum, & esse sine Deo dicebantur, quodq; Deus dimiserit eas ingredi uisus, eas tamen regebat, ac earum regna. quare, cum cernimus Turcas, & Christiani nominis hostes nos premere, ad hæc cogitationem accedere debemus, quòd omnia Dei imperio, agantur, permittiq; hostes nostros ob scelera nostra nobis esse superiores. ex qua cogitatione inuitabimur ad pœnitentiam, atque ad meliorem uitam. & inde fiet, ut misertus nostri Deus, uictoriam restituat suis. quam felix esset orbis Christianus, & quam multa rectè fierent, in quibus nunc errant homines crassis erroribus, si ad scripturæ sacræ auctoritates oculos in factis, & uerbis, & cogitationibus nostris defixos haberemus. Illud uerò fortasse quispiam uestrum miretur, cur Elissæus ad tanti principis aduentum officij causa non surrexerit, eiq; occurrerit. cur ergo hoc non fecit? duas opinor ob causas. primum, ut prophetiæ sua dignitas seruaretur, in qua Diuinæ maiestatis uirtus elucebat. nam & regum legati dignitatem, ac grauitatem maiorem seruant, dum legationis officio funguntur, quam ubi eam deposuerunt, quia in eis regis persona quædam geritur. altera causa est, ut docerentur homines, hanc externarum rerum pompam, quam plerique omnes solam plurimi faciunt, apud Deum nihil esse. quòd uerò uiri Dei, ubi est opus, sese ad infimum quenque demittant, uide, quid idem Elissæus alibi fecerit. cum enim mulier quædam, cuius filias, quem Elissæi precibus impetrauerat, mortuus erat, illum adijisset, passus est eam apprehendere suos pedes, cumq; e accessisset Gieci, ut amoueret eam, ait homo Dei. dimitte illam. anima enim eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & non iudicauit mihi. neque hoc contentus, surrexit, & cum ea profectus est usque ad eius domum, & suscitauit ei filiū. sic Elias ille, qui apertè corripuerat regē, ad cuius uerba clausum fuerat cælū annis tribus, & mēibus sex, ubi tamē iussu Dei reuersus est, ut daretur pluuia super terrā, cū ea pluuia iam immineret, admonuissetq; regē, ut iungeret currū, & descenderet, ne occuparet eum pluuia, ipse Elias rāquam unus è seruis regis, accinctis lumbis currabat ante Achab, donec ueniret in Iezrael. ita homines Dei nunc regibus committantur, nunc se deiiciunt, omniaq; eorum & dicta, & facta eò spectant, ut gloria Dei consulatur. Hic ergo Elissæus non prodijt ad principem militiæ, sed misit ad eam nuntium, qui diceret. uade, & lauare septies in Iordane, &

recipiet

recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis. Neque minus obseruandum est, quod sequitur. iratus Naaman recedebat dicens: putabam, quod egrederetur ad me, & stans innoceret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret me. nunquid non meliores sunt Amana, & Pharphar flumij Damasci omnibus aquis Israel, ut lauer in eis, & munderi uide, quam verum sit, quod ait Paulus: animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei: stultitia siquid illi sunt, stultam rem arbitratur. mutare aquis Isreliticis aquas Damasci, quas meliores iudicabat. non enim intelligebat mysterium, quod per Iordanem significaretur aqua baptismatis, in qua à spirituali leprâ fideles mundarentur: verum hic ethnici viri error excusari obignorationem potest: sed illi maximè sunt reprehendendi, qui episcopi sui monita, tantum abest, ut audiant, ac feruent, ut etiam eius censores esse uelint, idque in ijs, quæ ad ipsius duntaxat episcopi iudicium deberent pertinere. at ij ab animæ lepra non mundabuntur, quia obstinato animo aduersus pastorem suum, etiam postea, quam sæpius fuerunt admoniti, pugnant. at Naaman non sic fecit. uide enim quid sequatur. cum uertisset se, & abiret indignans, accesserunt ad eum serui sui, & locuti sunt ei. pater, si rem grandem dixisset tibi propheta, certè facere debueras, quantum magis, quia dixit tibi, lauare, & mundaberis? intueretur seruorum prudentiam, quæ tamen in eorum domini laudem redundat: nam, ut quidam sapiens ait, sicut est princeps, sic & ministri eius, & qualis est rector ciuitatis, tales & habitantes in ea. appellant patrem, quæ & ipsa maxima est huius principis commendatio. quem non ita appellarent, nisi se erga subiectos patrem præbuisset, quod cum omnibus, qui constituti in dignitate sunt, faciendum esset, maxima tamen pars omnino non prater affectum paternum. opportuna fuit autem hic patris appellatio, ut ei facilius persuadeant, cum ei ut patri consulant: utuntur & ratione, quæ aptissima erat ad persuadendum. audita seruorum sententia Naaman continuo mentem mutat, & seruorum consilium sequitur, & hoc generosi animi indicium est, ac bene affecti, regi se pati, & non pertinaciter suæ opinioni fidere. quam uirtutem ego in paucis ex hisce meis ciuibus cerno. plures enim, cum semel aliquid animo decreuerunt, mordicus sententiam illam tenent, idque magnanimitate esse arbitratur, ac tum magnos se putant, cum nemini cedunt: ita miseri pro uirtute uitium amplectuntur, sed poenas sepe dant, dum illorum obstinatio in eorum perniciem fertur: Naaman uero quantum ex eo, quod seruorum consilio cessit, lucratus est? nam descendit, & lauit in Iordane septies iuxta sermone uiri Dei, & restituta est caro eius, sicut caro pueri paruuli, & mundatus est, reuersusque ad uirum Dei cum uniuerso comitatu suo uenit, & stetit coram eo, & ait. uerescio, quod non sit Deus in uniuersa terra, nisi

tantum

tantum in Israel. Felix lepra, quæ ueri Dei agnitionem in huius uiri mentem introduxit, quæ si defuisset, neque morbo laborasset ullo; in illo simulachrorum cultus errore perdurasset. nemo unquam mente præditus auerfari deberet molestias, & morbos, & aduersa, quæ nunquam sine Dei uoluntate accidere hominibus possunt. ex ijs enim paratur animæ salus. infirmitas grauis (ait quidam sapiens) sobriam facit animam. ideo qui spiritu Dei reguntur, etiam gratias agunt ob castigationes, & afflictiones. confitebor tibi Domine, (ait Esaias) quoniam iratus es mihi. & Paulus gloriabatur in afflictionibus, ob bona, quæ cernebat inde proficisci. gloriamur (inquit) in afflictionibus, scientes, quod afflictio patientiam pariat, patientia uero probationem, probatio autem spem. porro spes non pudefacit, quia charitas Dei effusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. & beatus Iacobus. omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes uarias incideritis. quare? illud scientes, quod probatio fidei uestre parit patientiam. hic est pretiosus aduersitatum fructus, contra uero, ea, quæ tantopere appetuntur, ut incolumitas corporis, diuitiæ, honores, eneruant animos, & obliuisci seipos, ac Deum faciunt. sed redeundum iam est ad Euangelicam narrationem. Et repleti sunt omnes in synagoga ira, hoc audientes. intueremur male affecti animi infelicitatem. admonuit eos sui erroris, suæque incredulitatis, & rationem reddit, cur non edat in patria sua ea signa, quæ in Capernaum edidisset. profert è scripturis sacris exempla consentanea suæ rationi, quod sub Elia prætulerit Deus extraneam uiduam omnibus uiduis, quæ essent in Israel, ob egregiam eius fidem, quodque sub Elisæo è tot leprosis, qui erant in Israel, nemo fuerit mundatus, nimirum ob fidei inopiam. alienigena uero Naaman hæc curationem esset assecutus ob fidem. reliquum erat, ut errorem agnoscerent, incredulitatem exuerent, seque idoneos redderent adipiscendis Domini curationibus. illi uero pro salutari admonitione indignantur. quis tantam insaniam non obstupescat? nihil magis salutare est homini, quam animi curatio morborum: & miseri mortales curantibus indignantur. si cuius corpus egrotat, quærit medicum, morbum aperit, pharmaca quamuis amara, & insuauia non recusat, & demum pretium laboris, & curationis medico soluit. ubi uero egrotat animus, præcipua hominis pars, latent medicum, quantum possunt maximè, qui si eos adeat, negant se ægrotare, & pro labore, ac studio, quod adhibet medicus, ut sanentur, rependunt maledicta, & obrectationes, & odia. hæc ego sæpius summo cum dolore experior, dum uideo neminem ferè uestrum me prosequi odio, nisi eos, qui, si ratione uti scirent, maiore, quam ceteri omnes, me charitate prosequi debuissent. detrahunt episcopo, qui coacti sunt pellicem relinquere, qui

HH

ob blas-

ob blasphemiam fuerunt castigati, qui publicos lusus exercere prohibentur, neque agnoscunt, se mihi plurimum hoc nomine debere, qui eos è Diaboli manibus eripere sim conatus. sed in his molestijs maximum mihi solatium præbent verba, & exempla Domini mei, ac Seruatoris Christi, qui iam prædixit, fore, vt hæc ministris suis eueniant. non est seruus (inquit) maior Domino suo. si me persecuti sunt, & uos persequentur. & si patrem familias Beelzebub uocauerunt, quanto magis domesticos eius? sed non tam mihi molestum est, quod ego patior, quam quod illi patiuntur. nam eorum salutis periculum maiorem multò mihi dolorem creat, quam quicquid ego ex hac re pati possum, si etiam corporis interitus cõsequeretur. cupio enim affectum illum Pauli mihi dari, cum dicebatur, quos cū magis diligeret, ipse minus ab eis diligebatur. ego (inquit) libentissime impendam, & expendar pro animabus uestris. Ciues ergo Domini Iesu pro saluberrimis monitis repēdunt furorē, & iram. & insurrexerunt, eieceruntque illum è ciuitate, & duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum. ipse autem transiens, per medium illorum ibat. horruiſtis, opinor, ad tam indignum facinus. Dominum Iesum ciues sui eijciunt è ciuitate, atque è monte præcipitem dare conantur. crimen profecto omnibus pœnis iudicandum. sed magis indigna nunc ab ijs patitur, qui eius fidem profitentur. nam ciues illius nondum eum norant, quis, & quantus esset. at nostri excusationem nullam habent de peccato suo. fatentur enim illum filium Dei, & tamen acrius eum insectantur, quam tunc illius ciues. quid enim aliud est fœdissimis blasphemijs eum incessere, quam illum eijcere è ciuitate, & eius gloriam in præceptis dare? sic quicumque lites, & discordias mouent, cum Christus sit pax nostra, cum pacem turbant, eijciunt Iesum è ciuitate. qui pauperes, quos Christus fratres appellauit, petētes eleemosynam, è conspectu suo eijciunt, & durè eis respondent, quid aliud, quam Iesum eijciunt, qui se in eis & accipi, & repelli profitetur? hæc manifestè in Iesum fiunt, his ille quotidie afficitur contumelijs ab ijs, qui illum adorant, aut potius adorare se simulant, neque tantum scelus aduertant. Duxerunt ergo Iesum ciues sui in supercilium mōtis, vt eum inde præcipitarēt, ille verò sua uirtute euasit. id enim significat, quod ait. ipse autem trāsfiens, per medium illorum ibat. sicut & cum Iudæi acceperunt lapides, vt iacerent in eum, & lapidibus obruerent, dixit Ioannes Euangelista. Iesus autem abscondit se, & exiit è templo. per absconſionem significans diuinam quãdam uirtutem, qua effecit, vt eum inuenire non possent, aut agnoscere. sicut & duorum illorum discipulorum oculi tenebatur, ne eum agnoscerent. nõ est autem passus Dominus se tunc occidi, quia nondum impleta erat

Euan-

Euangelica prædicatio. simul ex hoc facto intellectum est, Dominum, cum in crucem actus fuit, uolentem id esse passum: alioqui ea uirtute, qua hic euasit, etiam tunc, cum fuit captus, uti potuisset. quod ut declararet, accidit & illud miraculum, quod cum prodijisset, ac interrogasset, quem quærent, illique respondissent, Iesum Nazarenum, dixissetque ego sum; ad illam uocem, ego sum, abierunt retrorsum, ac ceciderunt in terram. ad humilis, & capiendi, & morituri uocem unam, ego sum, ita perterriti milites fuerunt, ut consistere non potuerint, sed corruerint in terram. qui tunc erit terror, cum in gloria patris sui uallatus omnium angelorum exercitibus, nõ iudicandus, sed iudicaturus orbem terrarum ueniet, atque ita exactè iudicaturus, vt dicat, etiam ociosa omnia uerba, quæ locuti fuerint homines, in iudicium uocanda? tam seuerum expectatur iudicium, & neque uerba, neque facta uilla nostra obseruamus, & perinde uiuimus, quasi hæc, quæ ex Euangelio recitantur, fabulæ sint, non res seriæ. ne quæso charissimi, ne tam supini in rebus tanti momenti dormiamus. fieri enim non potest, vt in tanta inertia regnum cœlorum consequamur, neq; in delicijs, ac molli uictu. non parum erit, si post exactam uitã, & acrem corporis castigationem, infinitoq; perpeſſo labore, contingat nobis æternis illis bonis frui. non ne cernitis, quàm ingens inter cœlum, & terram sit interuallum? quàm ingens, & periculosum inſtet bellum? & quàm facile homo ad peccatum relabatur? atq; vt nos undique circumſtet peccatum? & quot interſeratur laquei? cum ergo in hoc unum sit incumbendum, cur tam multas inducimus curas, præter eas, quæ naturales sunt? & plura nosmet ipsi nobis facesimus negocia? ac maiora semper onera addimus? non ne satis est alendi, & uestiendi corporis cura, & honestè regendæ domus, & rerum necessariarum studium? quamuis & ab ijs nos liberauit Christus, cum dixit. ne solliciti sitis animæ uestræ, quid edatis, neq; corpori ueſtro, quid induamini. querite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijciētur uobis. quod si pro necessario uictu, & cultu sollicitum esse non oportet, & ne pro crastina quidem die, ij, qui præterea tot alia onera sibi congerunt, quomodo respirare, atque in se redire unquam poterunt? non audistis Paulum dicentem, nemo militans implicatur curis huius uitæ? nos uero etiam deliciamur, & uentri inſerimus, ac ebrietati operam damus, & pro externis quidē negocijs fatigamur, in ijs uerò, quæ ad cœlũ pertinent, mollescimus. nescitis, quod hæc promissio super hominem est? fieri non potest vt is, qui humi repat, cœli uerticem tangat. nos uerò non secundum hominem uiuere studemus, sed ratione carētibus animantibus sumus detiores. nescitis, ad quod tribunal sistendi sumus? nõ cogitatis, quod & uerborum, & cogitationum rationem sumus reddituri? nos uerò ne de

HH 2 factis

factis quidem curamus. qui aspexerit (inquit) mulierem ad concupiscendum eam, iam adulterium patrauit cum ea. & tamen, qui ob curiosum aspectum pœnas sunt daturi, non recusant in hoc peccato putrescere. qui dicit fratri suo, stulte, in Geennam incidit: nos verò infinitis eum probris afficere, & uarijs modis insidiari non cessamus. is, qui amantem amat, nihilo plus habet, quam ethnichus: nos uerò & ijs inuidemus. quare ergo digni erimus uenia, quando quidem præcipitur nobis, ut ueteris legis terminos transiliamus, nos uerò minora multò illa mensura facimus? quæ nos ratio liberabit? quis nobis, cum puniemur, succurret? nemo usquam: sed necesse omnino erit, ut flentes, lugentes, stridentes dentibus, torti in extremas illas, & obscuras tenebras conijciamur. quare supplex obsecro, dum exiguum hoc uitæ uaticum habemus, ex ijs, quæ dicta sunt, compungamur, conuertamur, efficiamurque meliores, ne in illius diuitis exemplum, hinc abeuntes frustra defleamus. quamuis enim patrem habeas, aut filium, aut amicum, quamuis aliquem, qui fiduciam habeat apud Deum, nemo te ab his eripere malis poterit, si à proprijs factis proditus fueris. tale enim est tribunal illud, ut ex solis factis iudicet, alio autem modo seruari fas non est. & hæc dico, non ut tristitia uos afficiam, neque ut adigam in desperationem, sed ne uana, ac frigida spe nutriti, & illi, atque illi fidentes, propriam negligamus uirtutem. si enim inertes fuerimus, nullus iustus, nullus propheta, nullus apostolus ualebit patrocinari. si fuerint (inquit) tres uiri isti in medio eius, Noe, Daniel, & Iob, ipsi in iustitia sua liberabunt animas suas: sed nec filios, nec filias liberabunt, sed ipsi soli liberabuntur. si uerò studiosè, ac solerter agamus, sufficiet nobis factorum nostrorum patrociniū, ut bonis fruamur repositis ijs, qui Deum diligunt, quæ utinam omnes consequamur, iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est honor, magnificentia, gloria, potestas, & imperium per omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO

ORATIO VIGESIMAPRIMA.



HT descendit Capernaum ciuitatem Galilææ, ibique docebat illos sabbatis. & stupebant super doctrina eius, quia cum potestate coniunctus erat sermo ipsius. Recesit à patria sua Iesus, non irritatus illorum offensione, sed furori cedens, & intelligens, uerbum Dei nihil in illis tandiu posse proficere, dum ita commoti essent eorum animi. loqui uerò in aures audire nolentium, minimè est æquum. ubi enim auditus non est (ait quidam sapiens) ne effundas sermonem. nam, si, cum triticum ferendum est, obseruant agricolæ terræ bonitatem, ne seminis iactura fiat, quantò magis in uerbo Dei seminando selesctio est utendum, canendumque, quod admonet Dominus, nolite sanctum dare canibus, neque projiciatis margaritas ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant uos? quibus uerbis duo hominum genera notat, quibus pulchra hæc mysteria, quæ ob dignitatem sancta, & ob pulchritudinem margaritas uocat, non sunt communicanda. infideles. s. & qui sordidam, ac suillam uitã agunt. cum enim duæ in nobis præcipue partes sint, intellectus, atque affectus, ut uerbum Dei in ijs ambobus fructum ferat, oportet primum, ut intellectus uim suam subijciat Diuinæ auctoritati, neq; terminos sibi præfixos audeat transilire. deinde affectus purgatus sit, alioqui quicquid animus uitiosis affectibus obnoxius admittit, confessim corrumpitur. & ij sunt, qui margaritas pedibus calcant. nam cernimus plurimos, qui fidem quidem in Christum profitentur, sed terrenis affectibus sunt pleni, præsertim qui carnis lasciuia sunt dediti, ubi Christiana mysteria audiunt, ea spernere, ac ueluti pedibus calcare. quare iurè porcos appellauit. canes autem sunt ij philosophi, qui uim intelligendi quidem habebant, sed nimis ea fidebant, & nulli sententiæ assentiri patiebantur, nisi quam suis opinionibus metirentur, neque animaduertebant. humanam omnem intelligentiam nihil à puerorum cogitatis distare, si cum Diuinis consilijs conferatur. ij ergo, cum non assequerentur suis ratiocinationibus cœlestem hanc philosophiam, (nam animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei) eam dilacerabant detrahendo, & quò altiora erant mysteria, eò magis illa deridebant. cum contra oportuisset potius, magis uenerari, ut quæ humanam intelligentiam superarent. sed attolli nesciebant, & cum, exempli gratia, prædicaretur resurrectio mortuorum, dicere cum Paulo, quid incredibile uideri debet, si Deus suscitauit mortuos? miram hominum stultitiam.

fate-

fatebantur, Deum posse omnia, & resurrectionē mortuorū negabāt, quæ tamē Diuinæ uirtutis esset opus. ita animus, qui suis terminis cōtineri ne scit, etiā in proprijs uiribus damnū patitur. qui uerò dijudicare scit, quantū Deus homini antecellat, is eò perducitur, ut ea etiā assequatur, quæ humana mēte sunt superiora. atq; ita in utrisq; impletur, quod ait Dominus. omni habēti dabitur, & abundabit. ab eo autē, qui nō habet, etiam quod habet, auferetur. qui .n. habet hūc animi affectum, ut fateatur, multa fieri posse, quæ humana ratio nō assequatur, huic additur cœleste lumē, quo ea apprehēdat, quæ humanæ rationi minimē peruia fiunt. ut dicere & illi cū Paulo liceat, nos .n. nō spiritū huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis. ijs uerò, qui plus nimio ingenij uerbus fidūt, eadē vires etiā minuuntur, ut nō intelligāt, quæ humana ratio potuisset inuestigare. quod manifestissimē ostēdit Paulus, cū loquēs de resurrectionē, re philosophis maximē omnium incredibili, idq; in philosophorum in primis, quibus Corinthus abundabat, confutationem, pro maximo suæ sententiæ fundamento, exemplum à natura accepit. cum enim in dubitantium persona interrogauissent, quomodo resurgunt mortui? aut quali corpore ueniunt? quasi admiratus eorum stultitiam, qui nescirent a rerum natura huius dubitationis accipere solutionem, penē stomachatus dixit. insipiens, tu quod feminas, non uiuificatur, nisi prius moriatur. & hoc quod feminas, non corpus, quod nascetur, feminas, sed nudum granum, exempli gratia, tritici, aut alicuius ex cæteris. sed Deus illi dat corpus, ut uoluit, & unicuique feminum suum corpus. cernis, ut duas grauisimas quæstiones, uidelicet, qui fieri possit, ut mortui resurgant, & quali corpore sint resurrecturi, nullis alijs rationibus nixus, quàm à rerum natura acceptis, soluat, ostendatq; utrunque esse opus Dei, qui, quod in feminibus terræ mandatis agit, idem in corporibus, quæ nunc sunt pulueri terræ mādata, sit facturus? hæc naturæ exempla cur philosophi accipere nescierunt? nimirum quod nimis sua sapientia fidebant, ac propterea etiam quod habebant, aut habere poterant, ablatū ab eis fuit, & dicentes, se esse sapiētes, stulti facti sunt, & comprehensī sunt in astutia sua. ob hanc .n. duntaxat causam, cur Dominus reliquerit suam patriam, quod .s. frustra tempus contriuisset. neque hoc ei contrariū est, quod Paulus admonet Timotheum dicens, insta opportunē, importunē. hoc .n. uolebat fieri, ubi spes superabat aliqua fructus. at hic nihil erat, quod speraretur, propterea abiit, atq; idē docuit apostolos, ut facerent: quicūq; (inquit) nō exceperit uos, neq; audierit sermones uestros, ex euntes ex aedibus, aut ciuitate illa excutite puluerem pedum uestrorū in testimonium illis. Descendit ergo Capernaū ciuitatē Galilææ, quæ etī uirtuti,

ac rectē factis non responderet donis à Christo illi collatis, & signis editis, erant ibi tamē, qui uerbū Dei audirent. nā quod fuerit ingrata, alibi obijcit illi Dominus. & tu Capernaū, (inquiens) quæ usq; ad cœlos es exalta, usq; ad infernū detraheris, quoniā si in Sodomis factę fuissent uirtutes, quæ in te, mansissent usq; in hodiernū diem. Ibiq; docebat illos sabbatis. arbitror uos meminisse, dictū à me fuisse aliās, septimū quēq; diem Iudæis ex Dei præcepto decretum fuisse, ut in eo ocium, ac quies ageretur ab externis, corporeisq; negocijs, & ob hanc causam à quiete nomē illi fuisse additū. sabbatum .n. Hebræa uox quietē significat, siue cessationē, à uerbo *שבת*, quod est quiescere, ac cessare. decernebatur ergo ille dies Diuinis audiēdis lectionibus, & scripturæ sacræ interpretationi. nō quod alijs quoq; diebus non sint eadē pro uiribus tractanda. nam in Deuteronomio sic præcipitur. erūt uerba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & loqueris de eis sedēs in domo tua; & ambulans in itinere, dormiturus, atq; confurgens, & ligabis ea quasi signū in manu tua, eruntq; ut frontalia inter oculos tuos, scribesq; ea in limine, & ostijs domus tuæ. sed quia excusant aliqui, quod necessarijs rerum domesticarū curis impediatur, quod minus id præstēt, ad omnium tollendas excusationes, septimus hic dies decretus fuit, mandatumq; ut nihil in eo fieret operis, sed Diuinis duntaxat negocijs occuparetur. quare eo die conueniebant in uerū, ubi ex scripturis sacræ aliqua legebatur, erantq; præterea, qui ad audientū edificationē eas interpretarentur: & ob hanc causam Iesus sabbatis synagogas ingrediebatur, ibiq; docebat, ad cuius exemplum sancta Christi ecclesia uetustis cōciliorū institutis decreuit, ut episcopi diebus saltē Dominicis (qui dies pro Iudæorū sabbato nobis est) in tēplum conuenirēt, & uerba facerēt populo, qui & ipse eisdem decretis iubebatur pastoris sui concioni interesse, atq; ab eo uerba salutis audire. sed heu calamitosam nostri seculi fortē. nā nec episcopis curæ est suo officio fungi, & populus; tamētī alicubi pastor studeat creditū sibi à Christo. gregē pascere; maxima ex parte spiritualia hæc pascua auersatur. qđ multo maiori nobis probro est, quàm ijs Iudæis, qui in hac parte præuaricabatur. nā illis tēporarię tātū, atq; ad solū hanc uitā pertinētes siebāt promissioes, & earum cōtēplatiōe, ac spe studebāt Diuinis præceptis obtēperare. at nos, quibus & tēporaria bona, quæ Dei benignitate nobis liberalissimē suppeditatur, ac sine nostra etiā curā, si generosē in euangelicā philosophiā incūbamus. nam id ueritas ipsa pollicita fuit, cū dixit. nolite solliciti esse dicētes, quid edemus, aut quid bibemus, aut quo operiemur. quærite primū regnū Dei, & iustitiā eius, & hæc omnia adiicientur uobis. hæc inquā nō minus, quàm Iudæis nobis præstatur, & præterea regnū illud cœleste, atq; eternū promittitur, cuius apud Israelē secundū carnē nulla erat mentio, & tamen longē minus Diuinarum scripturarum studiosi sumus, quàm essent Hebræi.

Hęc æterni regni contemplatio, quid non efficere in nobis deberet? nullam .n. aliam ob causam admonebat apostolus, ut omnem rerū aliarum sollicitudinē deponeremus. nihil solliciti sitis (inquit) sed in omni oratione, & obsecratione, cū gratiarū actione petitiones uestre innotescāt apud Deū. & alibi semper gaudete, sine intermissione orate. uolebat, ut totum vitę nostrę tempus dies festus esset. iccirco aiebat. pascha nostrū immolatus est Christus, itaque festum celebremus. & nos, tantum abest, ut id præstemus, ut diem ipsū Dominicū magis prophanis rebus, quā reliquos omnes dies dedicemus. nam plerique omnes, ludis, iocis, spectaculis, crapulæ, & ebrietati eo die operam dant, & summum Diuinarum rerum silentium est. quare obsecro, ut vitiosum hūc morem deponatis, & uetusta sanctę ecclesię instituta incipiant instaurari. Et stupebant super doctrina eius, quia cum potestate coniunctus erat sermo ipsius. tale quid legimus in Matthæo. peracto enim sermone illo in monte habito, ait. & factum est, cum consummasset Iesus sermones illos, obstupuerunt turbę in doctrina eius. erat enim docens eos, ut auctoritatem habens, & non sicut scribę. multa esse poterant, quibus Seruatoris Christi prædicatione admirationem pareret magis, quā illa scribarum, quę sub illis uerbis comprehenduntur, ubi dicitur, cum potestate. id est, auctoritate coniunctus erat sermo ipsius. primum uitę integritas, & perfecta legis obseruatio, auctoritatē præbebat, quod scribę non habebāt. de quibus scriptum est. super cathedram Moysi sederunt scribę, & pharisęi. omnia ergo, quę dicunt uobis, seruate, & facite, secundum opera autem eorum, ne faciatis. dicunt enim, & non faciunt. alligant .n. hominibus onera grauiora, & importabilia, & ipsi nolunt ea digito mouere. simulatę seruabant legem. de cinabant enim mentam, & anetum, & cuminum, & grauiora legis præter mittebant. amabant primas cathedras in synagogis, primos accubitus in cœnis, salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. his uitijs cum essent obnoxij, nō poterat eorum prædicatione habere auctoritatem. nam rectę quidam non exiguę inter nostros auctoritatis dixit, cuius uita despicitur, restat, ut eius prædicatione contemnatur. erat in Christo dicendi efficacia, dum scripturis interpretandis mirē abstrusos sensus eruebat. quo munere scribę erant destituti, qui uelamen super cor habebant, & soli adherebant literę. hac efficacia permoti fuerunt ij, qui misi a suis primatibus, ut Iesum apprehenderent, cum re infecta rediissent, interrogati, cur eum non duxissent, responderunt. nunquam sic locutus fuit homo. mouebat præterea admirationem nouitas prædicationis, & regni cœlorum nomen, antea mundo ignotum. at his uos deberemus nunc magis obstupescere, quā ij, qui tunc eum audiebant. neque enim illis tota Euangelicę philosophię maiestas declarata erat, ut nobis est. offendi poterant il-

li ea

li ea uitę humilitate, in qua degebat, ignorabatur, quę in eo lateret maiestas. nos uero scimus, illum esse Dei filium, cui data fuit omnis potestas in cœlo, & in terra. scimus, illum primitias fuisse dormientium, & ad immortalem uitam resurrexisse, ascendisse in cœlum, sedere a dextris Dei, constitutum esse iudicem uiuorum, ac mortuorum, donatum illi esse nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, habemus tantam rerum dignitatem, ac maiestatem, & tamen quousquisque nostrum est, qui in harum rerum admirationem rapiatur? qui hæc frequentius cogitare, ac de his cum proximo quoque loqui curet? uerē in nos dici illud potest. Tyro, & Sidoni, & terrę Sodomorum remissius erit in die iudicij, quā uobis. nullum enim post conditum orbem, hominum genus magis ingratum fuit, quā hoc nostrum est, quibus tanta mysteria e cœlo allata fuerunt, ut cœlum in terram descendisse, & terra cœlum facta esse uideatur, & homines tantis muneribus honestati, ita hæc negligunt, ut nihil minus, quā ista, cogitentur. Mirabantur ergo beati illi auditores, qui cum studium adhiberent cœlesti huic philosophię audiendę, uoluit eos Dominus signis, ac miraculis efficere cōfirmatiores, quare sequitur. Et in synagoga erat homo habens spiritum Dæmonis immūdi, & exclamauit uoce magna dicens. sine, quid tibi nobiscum est Iesu Nazarene? uenisti ad perdendum nos? scio te, qui sis, sanctus ille Dei. Hic intueret efficaciam sermonis Domini, eiusque prædicationis, ex qua intellexit Dæmon, fore, ut ij, qui eam audirent, a Diaboli potestate liberarentur, & Dæmonum regnum disperderetur. quod re ipsa demum est intellectum. nulla enim hominum doctrina, nulla philosophorum quamuis ingeniosa dogmata, quamuis moribus plena documenta, errores a malis Dæmonibus introductos tollere e mundo potuerunt. at ubi lux Euangelica apparuit, continuo tenębrę ille, quę orbem omnium terrarum occupauerant, explosę fuerunt. hoc & nunc scientes scelesti Dæmones, conantur, quibus possunt, artibus, auocare homines, ne ad audiendum uerbum Dei conueniant. animaduertunt enim, rem hoc pacto bene sibi cedere. nam euidentissimē experimur, eos, qui Euangelicam hanc prædicationem auersantur, plerisque omnes tam alienos habere mores, & a Christiana professione abhorrentes, ut nihilo meliores ethnicis, & ijs, qui sine Deo in mundo erant, ac deteriores etiam sapius esse deprehendantur. hic itaque immundus Dæmon hæc animaduertens, atque inuidia percitus ferre non ualens, quod iam inchoari cernebat, apertas inimicitias profitetur, queriturque, quod uenerit ad perdendos eos, atque ad eorum regnum euertendum. Obserua uerō, ut superbia peculiare Dæmonum uitium sit, quę una res si cogitaretur, idonea esse deberet, ut

II

nunquam

nunquam inter Christianos reperiretur superbia. metuit Dæmon Iesum, & ad eius prædicationē exhorrescit, & tamen arroganter dicit. sine, id est, desine mihi esse terrori, quid tibi nobiscum est Iesu Nazarene? perinde quasi diceret. regnū nostrū nihil ad te pertinet, iura nostra uiolas. sine, ut, quod industria nostra iandudū adepti sumus, pacificè possideamus. iniuste facis, qui ueneris ad nos perdēdos. sed cur adiecit. scio te qui scis, sanctus ille Dei? cur eū prædicat, cū quo iniuriā expostulat? neq; .n. aduersariorū mos est inimici virtutē, ac magnitudinē cōmendare. hoc vel extorsit inuito virtus illa, quā cernebat in Christo. vel certè malitiosè, ut solet illud genus, simulat commendare, siue sperans adulando se impetraturum, ne eum expelleret, siue auctoritatē aucupans apud homines, & opinionem scientiæ (à qua nomen haberet, nam Dæmon dicitur, quasi *δαιμον* id est, sciens) quòd scilicet intelligeret, quæ adhuc homines latebant, nempe Iesum esse sanctum illum Dei, qui à Mose, & prophetis promissus multò ante fuisset. quare docens nos Dominus, eiusmodi spiritus minime esse audiendos, ne eorum fraudibus, ac mendacijs in errorem abducamur, vide, quid fecerit. Et increpauit illum Iesus dicens. obmutesce, & exi ab eo. primum indicit ei silentium, recusans à mendaci spiritu accipere testimonium. idem fecit & Paulus, quemadmodum in Actis apostolorum legimus. accidit (inquit) euntibus nobis ad precationem, ut puella quædam habens spiritum Pythonis, occurreret nobis, quæ questum magnum præstabat dominis suis diuinando. hæc subsecuta Paulum, ac nos, clamabat dicens. isti homines serui Dei altissimi sunt, qui annuntiant nobis uiam salutis. hoc autem faciebat multos dies. sed agrè ferens Paulus, & conuersus, spiritui dixit. præcipio tibi per nomen Iesu Christi, ut ex eas ab ea, & exijt eadem hora. pulchrum, & obseruandum exemplum, quo docemur, nulla unquam in re habere fidem verbis Dæmonum. ecce enim ueritatem dicebat spiritus ille, & Pauli prædicationem uehementer commendabat, ut gaudere potius debuisset. uerum hoc agrè tulit Paulus. non enim egebat malorum Dæmonum, atque hostium Christi testimonio. quæ res arguebat etiam certissimam Euangelicæ prædicationis ueritatem, qua confisi apostoli solo Dei testimonio, contenti erant. hæc autem exempla si Christiani homines obseruarent, exhorrescerent quicquam audire à Dæmonibus. nunc uerò quia hæc non attenduntur, multi curiosè inquirunt, & scire ab eis cupiunt futurarum rerum euentus, & præteritarum, & præsentium, neque intelligunt, quàm hoc sit ab euangelica doctrina alienum. hæc, & alia multa crasse peccantur, quia negligunt homines sacrarum scripturarum lectionem, ac propterea densis tenebris circumfusi, in errorem incidunt imprudentes. qui enim ambulat in tenebris, nescit, quo uadat, ait ue-

ritas.

ritas. Et cum proiecisset illum Dæmon in medium, exijt ab illo, nihilque illi nocuit. furens impetus Dæmonis hoc effecit, ut exiturus proijceret eum in medium. in terdum uerò torquent, ac discerpunt in ipso egressu, ut, quas possunt, ab hominibus sumat pœnas. hos imitantur ij, qui cum altero litigantes, ubi sentiunt, sibi esse cedendum causæ, non anteam dimittunt, quàm quanto possunt damno aduersarium afficiant. uerò Dæmonum imitatores, quorum mores cum per totam uitam sequantur, non credunt, se illis etiam in æterno igne socios esse tradendos, & audituros, ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & angelis eius. Et factus est pauor super omnes, & colloquebantur inter sese dicentes. quis sermo hic est, quia cū auctoritate, ac potestate imperat immundis spiritibus, & exeunt? & diulgabatur fama de illo in omnem locum undique finitimæ regionis. Miraculi magnitudo pauorem spectantibus iniiciebat, sicut & de Zacharia superius audiimus, cum uiso angelo turbatus est, & timor irruit super eum. nos uerò, qui hæc audimus, & tanquam præsentia contemplari deberemus, nullum interiorum affectuum motum sentimus, quia solis, corporis auribus ista percipimus. Et magna quidè hæc profectò sunt, imperare Dæmonibus, & ijs, quos Paulus appellat principatus, & potestates, dominos mundi, & rectores tenebrarum harum, quibuscum perdifficillima nobis lucta est, & hos eijcere, magnæ oportet esse uirtutis, neque hoc omnium est opus. sed res multò maior uincique nostrum proponitur, modo uelimus. cum enim septuaginta discipuli reuersi à prædicatione gratulabundi dicerent, Domine, etiam Dæmonia subijciuntur nobis per nomen tuum; ait autem illis. uidebam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem, id est, non noua res hæc est, tamen uobis recens esse uideatur. iam olim me spectante decidit eorum princeps. & adiecit. ecce do uobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem uirtutem inimici, & nihil uobis nocebit. uerum tamen in hoc nolite gaudere, quòd spiritus uobis subijciuntur, sed gaudete, quòd nomina uestra scripta sunt in cælis. at hoc assequi unicuique nostrum licet, si laboremus, si decertemus. hoc plus est multò, quàm ab alienis corporibus Dæmonia eijcere. nam quantum præstat anima corpori, tantum eiectio Dæmonum ab animâ, antecellit ei, quæ à corporibus fit. sed homines, qui tantum corporea & intueri, & admirari sciunt, solum admiraantur ea, quæ in obsessis corporibus Dæmones agunt, cum ea torquent, ac multis modis diuexant, neque intuentur, quòd miserabiliora sint, quæ in hominum animis efficiunt. irascitur quis, atque in illa ira multa scelerata, atque impia exercet, ac varijs damnis proximum quenque afficit. non agnoscis illum à malo Dæmone agitari? non miraris magis incompósitos motus, magisque expauescendos, & facta

II 2 ita

ita furentis multò damnosiora, quàm eius, cuius corpus possidetur à Dæmone? alius auaritiæ studet, totus in parandis diuitijs noctes, ac dies occupatur. hic proculdubio obsessus à Dæmone est, qui illum ita amentem facit, ut non solum mente, sed ne sensibus quidem rectè uti sciat. cernit aurum, pro numine illud habet, & tanquam Deum veneratur. quòd si mihi non credis, interroga Paulum, qui non semel auaritiæ cultum simulachrorum uocat: cernit egenum, suæ naturæ consortem, suum genus, suam carnem, non agnoscit illum ut hominem, sed tanquam à serpente, aut à fera aliqua resilit, eumque auerfatur, metuens, ne cogatur ei obolum dare. eadem aliorum uitiorum est ratio, à quibus ubi quis tenetur, mox possidetur à Dæmone. audi enim, quid de Iuda dicatur. cum Diabolus misisset in cor, ut traderet eum Iudas. quid est aliud mittere in cor, quàm eius cor possidere? & rursus, post bucellam intrauit in eum Satanas, id est, animum eius, ac mentem occupauit. & in Actis apostolorum, cum Ananias fraudasset de pretio agri, quem vendiderat, dixit ei Petrus. Anania, cur impleuit Satanas cor tuum, ut mentireris spiritui sancto, & fraudares de pretio agri? hæc obsessio, cum animus à Dæmone possidetur, multò est miserabilior, quàm ubi tantum corporei sensus obsidentur, & nemo hanc vel miratur, vel miseratur. ab obsessio cor, pore, dant operam homines, ut Dæmon eiiciatur, obsessum animum non est, qui studeat liberare. & tamen studiosius quærenda esset hæc liberatio, non solum quia pluris est facienda, verum etiam, quia in nostra semper est potestate, ut liberemur, si ad Dei benignitatem tota mente accurramus: quod in obsessis corporibus non semper homines assequuntur. Cum surrexisset autem Iesus de synagoga, introiuit in domum Simonis, socrus autem Simonis tenebatur magna febre, & rogauerunt illum pro ea, & stans supra illam, increpauit febrem, & febris dimisit illam, statimque surgens ministrabat illis. Seruator Christus, qui, ut ipse dixit, non habebat, ubi caput reclinaret, excipitur hospitio à discipulis, & æquum fuit, ut à Petro, qui antea Simon appellabatur, primum acciperetur, qui & feruidior erat cæteris, & princeps apostolorum futurus. sed ne ibi quidem ociosus edere panem uoluit, sed socrum eius curat, cuius subierat domum. neque enim prædicatores uerbi Dei utilitatis magis suæ gratia alienas adire domos debent, quàm eorum, quos adeunt. cibo egent, quo nutriantur, & dignus est operarius cibo suo. cætera aliorum utilitati inferuire debent. sed pauci admodum sincere hoc negocium tractant, qui etiam apostolorum tempore reperiabantur. quos sæpe Paulus in epistolis suis taxat, quòd suo ventri seruirent, non Christo. qui eiusmodi sunt (inquit) Domino Iesu Christo non seruiunt, sed suo ventri, & per blandiloquentiam, & assentationem decipiunt corda simplicium.

plicium. & alibi complures ambulant, de quibus sæpe dixi uobis, nunc autem & flens dico, inimici crucis Christi, quorum Deus uenter est, & gloria in dedecore ipsorum, qui terrena curant. Et rogauerunt illum pro ea. petendum est, ut accipiamus. nam paratus quidem erat Dominus adhibere sanitatem, sed non sunt danda cœlestia dona negligentibus. petite, (inquit) & accipietis. quærite, & inuenietis. pulsate, & aperietur uobis. omnis enim, qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit. & pulsanti aperietur. quàm multa nobis non dantur, eo quòd fumus ad petendum ignaui, aut, si petimus, nocua & damnosa petimus, quæ negari nobis utilius est, quàm si darentur? petitis, (ait beatus Iacobus) & non accipitis, eo quòd malè peratis. Et stans supra illam, increpauit febrem, & febris dimisit illam. mirus, ac nouus loquendi modus, quo usus etiam fuit Euangelista, cum sedauit Iesus turbatum mare. ille excitatus (inquit) increpauit ventum, ac tempestatem aquæ, & cessauerunt. increpauit febrem, quasi rem sensu præditam. omnia enim, arcana quadam, & nobis ignota ui, auctoris sui imperium sentiunt. neque id mirum, quando & ijs, qui in ipsum crederent, eandem hanc potestatem dedit, imperandi scilicet rebus sensu carentibus. si habueritis (inquit) tantam fidem, quantum est granum sinapis, dicetis monti huic, demigra hinc illuc, & demigrabit. sed quispiam fortasse uestrum iudicauisset aptius uocabulum, si dixisset, imperauit febre, quàm dicendo, increpauit febrem. nam increpare solemus eos, qui iniuste aliquid agunt. at febris quid iniuste habere in se potest, cum res sit, quæ sensu careat? cur ergo uerbo increpandi est usus Euangelista? fortasse ut ostenderet celeritatem curationis, ac discessus febris. cum enim increpamus aliquem, terretur magis, quàm cum ei imperamus, & ipsa increpatio utrunque in se habet, & reprehensionem, & imperium. ob hanc causam & in sedando mari eodè uocabulo usus est, cū dixit increpauit ventum, ut celerem uenti obedientiam declararet. quod si profundius aliquid uolumus perscrutari, significauit in illa increpatione rem indignam accidisse generi nostro, quod cum factum esset, ut bonis omnibus frueretur, atque iccirco in paradiso collocatus homo, inuidia Diaboli mors, & uaria morborum genera ingressa sunt in orbem terrarum. quæ malè ut demum perderet, ipse ad terras descendere non est dedignatus, ut genus nostrum instauraret, atque ad pristinam dignitatem reuocaret. iurè ergo increpauit febrem, ut quæ opus tam egregium ipsa, ac cæteri morbi, & mala, uitare, ac corrumpere auderent. Statimque surgens ministrabat illis. manifestum Diuinæ uirtutis indicium. naturæ enim terminos superat, ut quis a febre liberatus, mox exercendo corpori aptus sit. nam recedente febre, reliqua esse solet quædam imbecillitas in corpore, quæ eiusdem corporis instauracione paulatim discedit

dit, ut uix post multos dies uires pristinae restituantur. at focus Simonis, ubi primum febris dimisit illam, confestim uires recepit, ut statim illis ministrauerit. Quod autem in huius sceminae corpore factum est, idem ipsum in animis nostris, atque interiori homine fiet, si serio, & alacri cum affectu Iesum in cordis nostri domicilium accipiamus. mox enim mutabimus (ut ait Esaias) fortitudinem, & ex imbecillis fortes euademus. ecce enim Paulus persequebatur acerrime nomen Christi. at ubi primum agnitae ueritati adhaesit, continuo euasit robustissimus, & nomen illud, quod non diutertius fuerat persecutus, uehementius, quam caeteri omnes, coepit praedicare, ut gloriari potuerit, se plus omnibus laborauisse. sic ij, qui in ipsis nascentis ecclesiae initiis in Christum credebant, eodem, & uno tempore perfecte Christianam philosophiam assequabantur. & qui heri coluerant simulachra, hodie parati erant, non solum facultates amittere, sed etiam mortem oppetere pro Christi nomine. nos uero, cur hanc incolumitatem, hoc robur nunquam assequimur? nimirum quia non uere Iesum accipimus hospitio, ut Simon fecit, neque unquam eius praecipis obtemperamus, ut dicere de nobis liceat illud prophetae. in auditu auris obediuit mihi. fatemur nosse illum, & factis negamus. continua laboramus febre, & tantum abest, ut rogemus Dominum, ut eam auferat, ut etiam nos sanos esse arbitremur, & quo grauiori morbo laboramus, eo minus morbum sentimus. at ubi mali sensus non est, qui fieri potest, ut curatio adhibeatur? Cum autem sol occideret, omnes, qui habebant infirmos uariis morbis, ducebant illos ad eum, at ille singulis manus imponens, sanabat eos. Quid est autem, quod occidente sole turbas afferebant infirmos? cur non hoc meridie faciebant? opinor reueritas fuisse turbas tempus illud, quo praedicabat, ne uerbum dei intercideretur. interea uero ex finitimis locis afferebant eos, qui uariis morbis laborabant, & post praedicationem, quam Dominus tota die exercebat, tunc quaerebant curationem, quod exemplo nobis esse debet, quanti sit facienda Diuinorum uerborum tractatio, quae ob animarum curationem fit, & quanto dignior est anima corpore, tanto studiosius quaerenda essent ea, quae ad curandam animam pertinent. nunc uero contrarium fit. si quis enim in hanc urbem ueniret, qui morbos omnes corporum curandi certissimam artem profiteretur, non solum tota accederet ciuitas, sed circumquaque finitimae regiones omnes confluerent. ubi uero praesentissima remedia promittuntur curandorum animorum, minima ciuitatis pars est, quae hoc curet. ita miseri sola corporis bona quaerimus, perinde quasi solo corpore constemus, neque anima sit, quae sola hominem constituat. Si uero in illis uerbis, cum occideret sol, omnes, qui habebant infirmos uariis morbis, ducebant illos ad eum, at ille singulis manus imponens sanabat eos, uelit quis

quis mysterium quaerere, intelligere possumus per occidentem solem mortem Domini, qui sol est iustitiae, in cuius morte impletum est, quod uidetur in historia Samsonis per figuram praecessisse, quod scilicet moriens plures confecisset, quam cum uiueret. tunc enim princeps mundi huius eiectus fuit foras, & Demonum potestas subacta, tunc curationum gratia ita copiose effusa est, ut ad umbram Petri transeuntis curarentur, qui ab ea fuissent obumbrati. Exibant autem & Demonia a multis, clamantia, & dicentia. tu es Christus filius Dei, & increpans non sinebat ea loqui, quod scirent ipsum esse Christum. Virtus Christi, quam sentiebant Demonia, cum expellerentur, cogebat, ut faterentur diuinam eius uirtutem, sed non sinebat ea hoc dicere, quod scilicet esset Christus filius Dei, cum ob dictam superius causam, ne a mendacibus spiritibus testimonium accipere uideretur, quod dignitati suae praedicationis derogauisset; tum ne mysterium humanae redemptionis impediretur. si enim cognouissent (inquit) nunquam Dominum gloriae crucifixissent. ob eandem causam cum dixisset Petrus, tu es Christus filius Dei uiui, admonuit eum, ne hoc uulgaret. sic cum transfiguratus esset coram tribus discipulis, & gloriam suam declarauisset, descendens illis de monte, praecipit eis dicens. nemini dixeritis uisionem hanc, donec filius hominis a mortuis resurgat. Facto autem die egressus ibat in desertum locum, & turbas quaerebant eum, & uenerunt usque ad ipsum, & detinebant illum, ne discederet ab eis. quibus ille ait. & aliis ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, nam in hoc missus sum, & praedicabat in synagogis Galilaeae. Vide Domini studium. nihil cessat, & cum uno in loco praedicaasset, quantum satis esse iudicabat, in locum alterum se conferebat. nam cuiusque praedicandi uerbi Dei credita est cura, nunquam ei cessandum est, sed oportet eandem semper incudem tundat. Sed cur in desertum secessit? hoc fecit fortasse, ut oraret de more. nam utriusque negotio operam dabat, ut saepe ex uariis Euangeliorum locis cernere est. quem morem etiam apostoli postea seruauerunt. nam legimus in Actis apostolorum Petrum dixisse. nos deprecationi, & administrando sermone incumbemus. & alio loco. simul autem Petrus, & Ioannes, ascendebant in templum ad horam precationis nonam. nam haec precandi uirtus ingentes addit praedicationi vires, & ubi mens aliquandiu cum Deo uersata est, redit caelestibus nescio quibus radijs illustrata, qui in ipsa praedicatione in scio ipso concionatore declarantur. idque hic usum uenit, quod olim accidit Mosi, cuius facies ex consuetudine illa, quam quadraginta dies, ac totidem noctes cum Deo habuit, radiabat. & ignorabat (inquit) quod radians quasi cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini. Profectus etiam aliquando in desertum fuit Dominus recreandorum discipulorum

lorum gratia, nam tale quid & Marcus narrat. sic enim ait. & congregantur apostoli ad Iesum, ac renuntiauerunt ei omnia, & quæ egissent, & quæ docuissent. & ait illis. venite vos soli seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum. erant enim, qui venirent, & abirent multi, ac ne cibum quidem capere vacabat. quo exemplo docemur quantæ ij, quos subiectos habemus, ac fidei nostræ commendatos, curæ nobis esse debeant. quod multò magis tunc declarauit, cum passurus rogaret patrem, vt, si fieri posset, transiret ab eo calix ille. in tanto illo negotio non fuit oblitus discipulorum, sed aliquoties in eo, quo precabatur ipatio, eos inuisit. Rursus intuere turbarum affectum audiendi verbi Dei. turbæ (inquit) quærebant eum, & venerunt vsque ad ipsum, & detinebant illum, ne discederet ab eis. obliuiscabantur humana negocia, quibus res ad victum necessariae parantur, & solo Euangelicæ doctrinæ studio tenebantur. neque contentæ audire illum in ciuitatibus suis, ac oppidis, & vicis, etiam in deserta loca proficiscebantur, ut eum inuenirent. quis è meis ciuibus tanto vnquam amore cœlestis huius philosophiæ fuit inflammatus, vt eius adipiscendæ gratia, non per deserta loca, sed per trita, & habitata aliquot millibus passuum iter fecerit? quin magna ciuitatis pars, quod sæpe sum conquestus, è domo ad templum conuenire, & vna horula audire salutis verba dedignatur. Simul & hic obserua, turbas esse, quæ Iesum, atque eius prædicationem quærant. nulla diuitum, neque principum Iudæorum fit mentio. ita diuitiæ, & honores, & magistratus ad omnia rectè facta sunt impedimēto. Quibus ille ait. & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, nam in hoc missus sum. & prædicabat in synagogis Galilææ. Consolatur turbas. afferens causam, cur sibi aliò sit proficiscendum, vt scilicet & alijs ciuitatibus hoc regnum annuntiaret, additque, se ad hoc officij munus peragendum fuisse missum, quod & ab Esaia fuerat prophetatum. Spiritus (inquit) Domini super me, propter quod vnxit me, ad euangelizandum pauperibus misit me. hoc vnum munus exercuit Seruator Christus, atque ad hoc præstandum se missum profitetur: & episcopi, qui Christi vices gerunt, id præstare penè erubescunt. pastores appellari volunt, & pascendi officium, sine quo pastores uocari iure nequeunt, recusant. neque saltem ab ouium pastoribus exemplum accipiunt, qui dies, ac noctes in hoc incumbunt, ut gregem curent. uide te, quid Iacob pascendi peritus de se diceret. die, noctuq; æstu urgebar, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. & alius egregius pastor David non recusabat certamē cum vrsis, ac leonibus, vt gregem suum ab eorum dentibus tueretur. nō meminimus, quid Seruator Christus admonuerit Petrum, cum illi gregem suum commisit. ter rogauit, Petræ, amas me? & ter amorem confitenti dixit. pascere oues meas. vt doceret,

hoc

hoc vnum esse signum, quòd pastores Christum amēt, si eius gregem pascant. si pascere gregem, amoris indicium est, non pascere, quid significabit? at pascere, (inquit) sed per alium. ille alius pastor erit, non tu. illi fructus ecclesiastici sunt dandi. quid tu ex ea re fructum accipis, in qua nihil laboras? non cogitas, hanc vnā ob causam ditatam fuisse ecclesiam, vt eius ministri alerentur. tu verò, qui nullum præstas ministerium, quo iure, aut quo potius ore audes tibi quicquam usurpare de fructibus ecclesiasticis, qui ob solam, vt dixi, ministrantium curam, & laborem, & studium fuerunt instituti, non vt alij tanquam ignaui fuci alienos labores consumerent, ipsi interea nihil agentes? hoc factum episcopos primum tangit, qui vt primum in ecclesia Christi gradum tenent, sic omnium rectè factorū exempla præbere cæteris deberent. deinde ad omnes alios pertinet, quibus ecclesiastica quæuis munera incumbunt, neque ea præstant, sed contenti ecclesiæ prouentibus, & fructibus, exiguo pretio alios sufficientes, ipsi in ocio, & voluptatibus degunt. Quam verò absurda res ista sit, pascere duntaxat seipfos, neglectis ijs, quos curare deberēt, tum sæpe in prophetis reperias, tum per Ezechielem Deus ista conqueritur. Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipfos. non ne greges à pastoribus pascuntur? perinde quasi diceret non saltem exemplo pastorum crassum vestrum errorem agnoscitis? quem cernitis è pastoribus, qui suum gregem non pascant? vos verò quid? lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. quod infirmum fuit, non consolidastis. quod ægrotum non sanastis. quod contractum est, non alligastis. & quod abactum est, non reduxistis. & quod perierat, non quæstistis. sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. & dispersæ sunt oues meæ, eo quòd non esset pastor, & factæ sunt in diuorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt. errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in vniuerso colle excelsò, & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat, qui requireret, non erat inquam, qui requireret. Hæc si ullo unquam tempore, nunc quam maximè fiunt mala. quæ enim res tam neglecta usquam est, quam greges Christi, pro quibus tamen animam suam ipse posuit? quæ oues tam contractæ, tam ægrotæ, tam contemptæ, tam dispersæ, tam in diuorationem traditæ omnibus bestijs agri, quam nunc populi sunt Christiani? atque huius mali una, aut certè præcipua causa est, quod in rebus ecclesiasticis nihil quæritur aliud, quam temporarij fructus, idque tam auidè, aut rabidè potius, vt in prophanis rebus quærendis tantam ego rabiem nunquamprehenderim. cerno in hac uestra urbe, ubi quis sacerdos, aut è clero moritur, cui aliqua quamnis tenuia beneficia ecclesiastica

K K

sint,

fint, totam ciuitatem commoueri, omnes uelle in domum suam illa beneficia transferre, atque ubi semel in domum aliquam ingressa sunt, efficiunt pro viribus, ut sint illius domus hereditaria. ita facultates Christi suum efficiunt patrimonium. quodque magis mirum est, cernunt, experimento saepius didicerunt, eiusmodi ecclesiasticas facultates supremum interitum afferre domibus, & nec vel temporarij damni metu deterrentur, nam aeternorum malorum nulla est illis cura. haec memini me sepius ex hoc loco reprehendisse, sed nihil haecenus profectum est, quare obsecro per Dominum Iesum, ut tam crassos, tam perditos, tam a Christiana philosophia alienos mores deponatis, &, cum filios, vel nepotes vestros in clerum ascisci vultis, nihil de temporarijs ecclesiae fructibus cogitatis, sed vnus vobis sit scopus, ut fiant ministri Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, qui vestras animas ut pastores regant, non ut mercenarij negligant, aut velut lupi perdant. quid enim aliud est vir ecclesiasticus perditis moribus praeditus, quam lupus, qui sceleratis suis moribus gregem Christi disperdit, ac errare facit? neque enim pessima haec, & scelerata, quam cernimus, populi vita esset, si clerus viuum rectae, atque honestae vitae exemplar populo esset, in quod tanquam in speculum intuentes, mores suos componerent, quod faciebat Paulus, qui ad se imitandum inuitans alios aiebat. estote imitatores mei fratres, & considerate eos, qui sic ambulant, quemadmodum habetis nos pro exemplari. Haec si feceritis, & domus vestrae honestabuntur, & ditiores fient multo, quam nunc sunt, & regendis animabus operam clerus dabit, quae praecipua uia est, qua & vitam hanc agamus tranquilliolem, & illam demum sempiternam consequamur. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & potestas, & imperium, & nunc, & in omnia secula. Amen.



IACTVM est autem, cum turba immineret ei, ut audiret verbum Dei, & ipse stabat iuxta stagnum Genezareth, & uidit duas naues stantes ad stagnum. piscatores autem descenderant ex illis, & abluabant retia. ingressus autem in vnā nauim, quae erat Simonis, rogauit eum, ut a terra abduceret puillum, & sedens docebat de nauī turbas.

Ante, quam ad Euangelicorum verborum explanationem veniamus, tollenda est dubitatio, quae oriri quibusdam uestrum posset. in superiori enim Euangelij textu legimus, Dominum introisse in domum Simonis tanquam discipuli, in hodierna autem historia non erat Simon cum Iesu, sed in sua nauī, & cum alijs piscatoribus, ac demum ipse cum filijs Zebedaei sit discipulus Iesu. quid ergo hic est dicendum? non vnus est soluedae huius dubitationis modus. nam primum fieri potest, ut Euangelista non curauerit seruare ordinem temporum. quare potuit prius dicere, quod posterius fuit factum. quod facile quiuis reperiet, si omnes inter se conferat Euangelistas. neque hic mos a scripturis sacris abhorret. nam in psalmis videmus, ordinem temporis minimè fuisse seruatum, sed aliquos prius positos, qui posterius facti fuisse ex ipsa rerum historia manifestissimi deprehenduntur. quod si ordo temporis hic turbatus non est, dici potest, Dominum ingressum domum Simonis, ut hominis vnus ex ijs, qui eius verbum audirent, nequedum tamen in discipulorum, aut apostolorum numerum electus esset. nisi malimus dicere, quod coepisset quidem esse Christi discipulus iam tum, cum socrus eius curata fuit, sed nondum integrè relictis omnibus Christo adhaesisset. fieri ergo potuit, ut, cum haec facta fuerunt, quae hodie sumus tractaturi, nondum haberet discipulos Iesus, qui eum perpetuò sequerentur. solus itaque per Iudaeorum loca circuibat praedicans Euangelium regni. praedicabat regnum omnium rex, & minimus è populo victu, & cultu videbatur, atque ita pauper, ut non haberet, ubi caput reclinaret. O miram, & verè caelestem, verè Diuinam nostram hanc philosophiam. quis tunc Iesum intuens tam humilem, ut à turbis obrueretur, expectasset illum futurum, in cuius nomine omne genu, caelestium, terrestrium, & infernorum flectendum esset? cuius Euangelij praedicatione implendus esset orbis omnium terrarum, atque omnis mundi & potentia, & sapientia esset illi subiicienda? illum futurum, de quo in Actis apostolorum Petrus magna illa protulit verba. neque enim est aliud nomen sub caelo, in quo oporteat nos sal-

uos fieri? fundamentum nostræ philosophiæ est humilitas, & rerum omnium humanarum contemptio, ac despicientia. nos verò ita diuersum, atque adeo contrarium huic fundamento ædificium construimus. Imminebat ei turba, vt audiret verbum Dei. vbi cunque reperiuntur ij, qui negocium Euangelicum sincere tractet, nunquã auditores deesse possunt. semper enim messis multa est, quamuis operarij pauci. rogenus Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. Et ipse stabat iuxta stagnum Geneareth. hoc dicit Euangelista, vt ostenderet, illum ita pressum fuisse à turbis, vt commodum prædicandi locum non haberet. quare cogitauit de ingressu in nauim, vnde sequitur. Et vidit duas naués stantes ad stagnum, piscatores autem descenderant ex illis, & abluébant retia ingressus autem in vnã nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum, vt à terra abduceret pusillum, & sedens docebat de naui turbas. Duæ erant ibi naues, vna Petri, quem in hac, & superiori historia Simonem appellat Euangelista, quia nondum impositum erat ei nomen Petrus, quod nomen, ut inferius ostendetur, imposuit illi Iesus, cum è toto discipulorum numero selegit duodecim. est enim egregius hic Euangelista Lucas admodum accuratus in scribenda historia. hoc idem obseruauit in Actis apostolorum, cum de Paulo loquens, semper Saulum appellat, vsque ad eum locum, à quo videtur deinceps Paulus appellatus. narrans enim, quo pacto proconsul Sergius Paulus accersitis Barnaba, & Saulo, desiderabat audire sermonem Dei, resistebat autem illis Elimas magus, quærens auertere proconsulem à fide, & mox adiecit Lucas. Saulus autem, qui & Paulus. & ab eo loco in reliqua historia non iam Saulum, sed Paulum appellauit. vna ergo nauis erat Simonis, altera credenda est fuisse filiorum Zebedei. nam alibi legimus, eos nauim habuisse. ingressus autem est nauim Simonis, iam tum signans, illum futurum apostolorum principem, cuius officio primum vt voluerit. Obserua verò profundæ humilitatis, ac submissi animi admirandum exemplum. rogat Iesus Simonem, vt à terra pusillum abducat nauim. poterat sine precibus hoc impetrare. iam enim supra audiuimus, vulgatam fuisse famam de illo in omnem locum vndique finitimæ regionis. quare ad minimum tanti magistri nutum obedisset Simon. sed demisit se tamen ad preces. & quid rogauit? vt nauim à terra pusillum abduceret. perinde quasi diceret. exiguum quæso hunc laborem præsta, quod nullo negotio poteris. quam rectè dixit alibi Iesus. discite à me, quòd mitis sim, & humilis corde. hanc tanquam peculiarem virtutem suam filius Dei nobis commendauit. nos verò ita ab ea abhorremus, tanquam à re Christiano nomini inimicissima, cum tamen ea sit, quæ in primis Christianum hominem efficiat. Et docebat de naui turbas. sub diuo, solis caloribus expositus, sine sede, sine sub-

fello

fello docet Iesus è naui turbas. ego verò, ac mei similes in episcopali sede, in suggestu honestissimo, non turbis, sed honestis ciuibus, protecti ab æstu, & pluuia verba facere dedignamur. horreo, cum venit in mentem, nos ad huius iudicis tribunal esse statuendos, neque cogitamus, ista, & multò his plura nobis in illo iudicio esse obijcienda, neque vllam nos nostræ inertix, atque socordix iustam excusationem esse habituros, & quas nobis nunc, tanquam robustas, præteximus causas, nihil aliud quam vana somnia esse reperienda. quare non possum non vehementer probare sententiam præstantissimi cuiusdam episcopi, qui aiebat, mirari se, si quisquam præsul feruetur, cum tam exigua, aut tam nullam potius curam habeant earum animarum, pro quibus ille Dei filius ita se demisit, ita laborauit, tanta fecit, atq; adeo passus est. Vt cessauit autem loqui. nihil attigit Euangelista, quæ tunc locutus fuerit Iesus, sicut & in superioribus, sed satis ei fuit dixisse, quòd docuerit. neque enim propositum Euangelistis fuit, omnia scribere, quæ & dixit, & fecit Iesus. quæ si scriberentur per singula (ait Ioannes Euangelista) nec ipse, opinor, mundus caperet eos, qui scriberentur, libros. Vt cessauit ergo loqui, dixit ad Simonem. duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. vide Domini munificum animum. pro minimo illo obsequio præstitæ nauis, vult copiosam mercedem Simoni reddere. quin & alibi pollicetur, fore, vt, si quis alicui è suis det potum calicem aquæ frigidæ, non amittat mercedem suam. hoc enim est illud centuplum, quòd in hac ipsa vita se redditurum promittit, & tanto muneratori tam frigidè seruiamus. si haberemus, temporarium principem, qui profiteretur, se pro aureo nummo decem paulò post redditurum, omnes ei facultates offeremus spe decupli, cum tamen fieri posset, vt mors magnifica illa promissa impediret. filius verò Dei, quem certò scimus non posse suis deesse pollicitationibus, promittit in hac vita centuplum, & in futuro vitam æternam, & vix inuenitur, qui dare ei teruncium velit. hic autem tantus error ex fidei inopia proficiscitur, quæ fides si adesset, multò profectò magis Christo, id est, ipsi veritati crederemus, quam cuiquam humano principi. quibus tamen (quamuis scriptum sit, omnis homo mēdax) & eorum promissionibus maxima fides haberi solet. Duc in altū, & laxate retia vestra in capturā. humilis ille, qui premebatur à turba, & rogarat Simonem, vt acciperetur in nauim, & eam paulisper abduceret à terra, nunc maiestatem suã incipit aperire. sic. n. fieri oportebat, vt agnosci, & in eum credi à mundo posset. & hæc quidem Iesus. Petrus autem quid? Et respondens Simon dixit illi. præceptor, per totã noctē laborātes nihil cepimus. in verbo tamē tuo laxabo rete. intuere fidē Simonis. non fudit suę artis experi-

mento,

mento, ut dicat, fieri nō posse, ut eo die quicquā capiat, cū tota nocte laborādo nihil ceperit. se piscādi peritum nosse, quōd frustra sit laboraturus. nihil horū profert, sed credit præcipienti. ars quidē (inquit) mea contrariū docet, cū talia sepe expertus sim. sed tuo iussu laxabo rēte, & tuo præcepto magis, quā meæ experiētia fidē habebō. hoc est Christiana fidei proprium, Diuinis potius oraculis, quā suis cogitationibus fidere. cum enim humana ratiocinationes Diuinis consilijs longissimo interuallo sint inferiores, si ijs niti velimus, nunquam hanc è cælo allatam veritatem assequemur. vbi autem hęc fides firma non est, continuō vacillant dogmata, facta languent. quis enim, si verē crederet, quod in scripturis sacris admōnemur, Deum maiori affectu nos, nostraque curare, quā matres infantes suos, & capillos capitis nostri omnes numeratos esse, quod nulli vnquam amantissimi filiorum parentes somniauerunt, nō omnem mox sui sollicitudinem in Deum proijceret? quis nostrum, si plenam haberet fidem Seruatoris Christi verbis, quibus iubet, ne de victu, & cultu solliciti simus, tantum quæramus regnum Dei, & iustitiam eius, & hęc omnia nobis adiicienda, posset tam anxie huius vitæ curis incumbere, ac per totam vitam parandis pecunijs inuigilare? tota hęc philosophia fide nititur, qua deficiente omnia euertuntur. Simon ergo, qui olim auditorus erat, tu es Petrus, & super hanc petram, id est, super hanc fidei soliditatem ædificabo ecclesiam meam, maturē incipit hanc fidem exercere, & dicit. præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, tuo autem iussu laxabo rēte. & cum hoc fecissent, concluderunt piscium multitudinem copiosam. en fructum fidei. quod per totam noctem sua industria assequi non potuerant, vno momento sunt assecuti obediendo. idem ipsum hominibus contingeret, si Diuinis præceptis potius, quā suis consilijs niterentur. nam verum est, quod ait Salomon. benedictio Domini diuites facit. Rumpebatur autem rāte eorum, & annuerunt socijs, qui erant in altera nauī, vt uenirent, & adiuuarent ipsos. indicium copiosæ piscium multitudinis ruptio rātis. qua conspecta copia, non ualebant loqui præ stupore, ac lætitia, quare nutu significauerunt ijs, qui erant in altera nauī, ut essent illis auxilio. Et uenerunt, atque impleuerunt ambas naues, ita ut mergerētur, id est, obruerētur aqua. id enim accidit nauibus, quæ plus æquo plenz sunt. per hoc autem significauit Euangelista, ingentem fuisse piscium numerum, qui utranque nauim ad summum impleuissent. Hęc piscatio imago quædam esse uidetur eorum, quæ consecutis temporibus in ecclesia acciderunt. nauis est synagoga Iudæorum. in quam Iesus ingressus fuit. nā semen Abraham apprehendit. dico enim Christum Iesum (ait Paulus) ministrum fuisse circumcisionis propter ueritatē Dei, ad confirmandas promissiones patrum. huic nauī oportuit præesse Simonem

nem, qui obedientia, & fidei uiua præbuit exempla. hęc enim duo Christianam rem publicam constituunt, & cum omnes his geminis virtutibus præditos esse oporteat, tum in primis pastores, & doctores, quorum typum gerit Petrus. utitur Iesus Petri ministerio ad prædicandum turbis. in Petro enim, qui princeps erat apostolorum, designabantur reliqui omnes ministri sermonis, per quos ipse loquebatur. ego enim (inquit) dabo uobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri. non enim uos estis, qui loquimini, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. quōd autem eorum uires à Christo essent, testatur Paulus cum ait. unicuique nostrum data est gratia iuxta mensuram donationis Christi. quapropter dicit. cum ascendisset in altum, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus. & dedit alios quidem apostolos, alios uerō prophetas, alios Euangelistas, alios pastores, ac doctores. Labor totius noctis sine captura pisciū, significabat sedisse homines ante, quā uisitare nos oriens ex alto, in tenebris, & regione umbræ mortis. at ubi lux Euangelica orbem omnium terrarum illustrauit, imperatum fuit Petro, ut duceret in altum nauim, & laxarentur rētia in capturam. cū enim unius, ac veri Dei agnitio erat inter solos Israelitas, ut dicerent, notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius, & factus est in Salem locus eius, & habitatio eius in Sion, erat hęc nauis ueluti in sinu quodam maris collocata, neque lata sulcare æquora didicerat, sed luis, angustis sanē finibus continebatur, quin etiā inuidi isti nauis indignabantur, suas merces aliō trasferri. si enim Acta apostolorum legas, inuenies Iudæos, ubi cernerent, prædicationem hanc ad ethnicos etiam emanare, æmulatione exstimulatos concitauisse turbas aduersus apostolos. at ubi dictum fuit, duc in altum, & laxate rētia uestra in capturam, & euntes in mundum uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ, exiguo temporis spatio orbis omnium terrarum apostolicis rētibz conclusus fuit. quod cum prophete tot ante seculis intuerentur, uix semet ipsos præ lætitia, atque admiratione capiebant. uide enim, quid dicat Esaias alloquens ecclesiam, quæ prius sterilis fuerat, & infœcunda, adhuc dicent (inquit) in auribus tuis filij sterilitatis tuæ. angustus est mihi locus, fac spatium mihi, ut habitem. & dices in corde tuo. quis genuit mihi istos? ego sterilis, & non pariens, transmigrata, & captiua. & istos quis enutriuit? ego destituta, & sola. & isti ubi hic erant? & alibi exulta sterilis, quæ non paris. decanta laudem, & hinni, quæ non pariebas, quoniam multi filij desertæ magis, quā eius, quæ habebat uirum, dicit Dominus. dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas. longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida. ad dexteram enim, & ad leuam penetrabis, & semen tuum gentes heredita-

ditabit, & ciuitates desertas inhabitabit. Recte ergo dictum hic est, duc in altum, & laxate rætia vestra in capturam. vbi obseruandum est, dictum fuisse primum Petro singulariter, duc in altum, deinde simul omnibus, laxate rætia vestra in capturam. oportet enim in ecclesia vnum caput esse, Petrum videlicet, eiusque successores, qui vnitatem in ecclesia seruent. dum reliqui omnes in nutantis ecclesie necessitatibus cum eo coniuncti, illique adhærentes, vno consensu errores, qui identidem oriuntur, coactis concilijs tollunt. alioqui nisi esset vna primaria sedes, quam alia reuerentur, & quæ reliquas sua auctoritate & contineret in officio, & tueretur, quomodo Christiana vnitas fuisset vnquam seruata? ob hanc causam cum huius philosophiæ fundamenta iacerentur, cum duodecim viros Dominus elegisset, quos omnes apostolica dignitate honestauerat, vnum tamen declarauit, qui alijs in eadem dignitate præesset, eosque firmaret. ego pro te (inquit) rogavi Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. fratres ergo sunt episcopi omnes inter se, sed vno primario moderatore est opus, qui alios tueatur, atque stabiliat, ac fidei synceritatem in toto Christiano orbe cõtineat. hoc si cogitauissent is, qui tam multas hac ætate turbas concitauerunt, vt apostolicæ sedi derogarent, aut potius eam euerterent, fuissent profectò moderatiores, neque curassent illam è medio tollere, sed dedissent operam, vt pristinus ei splendor restitueretur, sublatis sordibus, quæ illi vitio temporum illitæ fuissent. Concluserunt ergo piscium multitudinem copiosam ita, vt rumpere rete. neque enim omnes, qui vocantur, & ecclesiam ingrediuntur, etiam perseuerant. multi (inquit) sunt vocati, pauci verò electi. & Esaias. multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiã. rumpunt rætate hæretici, schismatici, & qui vitiosis, ac perditis moribus ecclesiam Christi inficiunt. hi sunt, qui in alia parabola etiam foras proijciuntur, cum dicitur. simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti, quam, cum impleta esset, educentes, & secus litus sedentes, elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras proiecerunt. hæc ergo captura piscium præsentem ecclesie statum significat, in qua mali cum bonis permixti sunt. illa verò, quæ post resurrectionem Domini facta fuit, cuius Ioannes Euangelista meminit, solum electorum numerum complecti videtur. sic enim ibi legimus. traxerunt rætate in terram plenum magnis piscibus, centum quinquaginta tribus. & cum tot essent, non est scissum rætate. Quid verò significat, quod, cum dixisset, rumpebatur rætate eorũ, adiecit, & annuerunt socijs, qui erant in altera naui, vt venirent, & adiuuaret ipsos? docemur hic, quid nobis sit faciendũ, vbi primũ fracturæ alicuius signa apparêt. mox. n. nũc episcopales, nunc prouinciales, nunc œcumenicæ synodi cogendæ sunt, neq; tandiu expectandum,

dum, dũ eã ruptura fiat, vt frustra sarcindi labor suscipiatur. quod nostra hac infelicissima ætate usu euenisse iam cernimus. ingenti annorum numero neglectus fuerat & Dei cultus, & regendarũ animarum cura. episcopi nihil minus, quàm officio fungi suo curabant. clerus in omnia se dederat flagitia. populus, ueluti grex pastore carens, luporum, id est, malorum Dæmonum præda erat. uoces undique exaudiebantur, rem Christianam pessum ire. tandem, cum cernerentur hæreses auferre, coactum œcumenicum concilium est. quo spiritu? quo affectu? qua animi præparatione? minima episcoporum pars conuenit, & maior eorum numerus, qui conuenerant, uenerunt coacti, & inuiti morabantur, quasi ducti in pistrinum essent. morum, ac vitæ instaurationem non solum non querebant, sed etiam exhorrescebant. cum tractabatur de episcoporum residentia, eorumque & prædicandi uerbi Dei, & regendi crediti sibi gregis cura, cerneret illos perinde pallefcere, quasi de supremo eorum supplicio agererur. neque id iniuria. nam fatebantur mihi quidam ex eis, se, quo tempore episcopatum accepissent, nunquam de hisce rebus cogitauisse, neque ab alijs audiuisse, sed unum duntaxat sibi fuisse propositum scopum, vt ea dignitate, atque ecclesiasticis fructibus fruere, cætera se penitus nescire. quare uenerunt illi quidem ad concilium, non eo animo, vt in captura piscium Petrum iuuarent, sed coacti, inuiti, ac resistentes, & ignari prorsus, quid sit Euangelica piscatio. & sanè exitus rei declarauit, quàm egregij essent uel pastores, uel piscatores. decreta fuerant in concilio multa salutaria, tum ad tollendas hæreses, tum ad instaurandos mores pertinentia, præsertim de episcoporum officio. at vbi discessum à concilio fuit, episcopi ipsi ad pristinos mores, ac veterem vitam reuersi sunt, nihil curantes, quid fuerit à sacrosancta œcumenica Tridentina synodo constitutum. cur hoc? quia in ipsis horum malorum initijs, cum rætate incipiebat rumpi, non sunt accersiti adiutores, qui recenti malo occurrerent, sed permissum est ita rætate dilacerari, vt succurrere humanæ uires idoneæ iam non sint. neq; reliquum aliud superesse uideo, quàm vt Deus ipse prouinciam accipiat, & diris flagellis ita orbem concutiat, vt uel ingentium malorum terrore incipiant resipiscere, uel sumpta de illis pœna, & sublata hac Romuli sœce, emittat Dominus spiritum suum, ac renouet faciem terræ, & mittat operarios in messem suam, quæ multa quidem est, sed operarij pauci. Vultis verò, vt videamus, num aliquid mysterij lateat in illis uerbis. & uenerunt, atque impleuerunt ambas naues, ita vt mergerentur? hic geminæ naues mihi uidentur esse synagoga Iudeorum, & ecclesia gentium, quæ per apostolos, & eorum socios, id est, pastores, & doctores partim ducte, partim ducendæ ad fidem sunt. cum enim plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israel saluus erit.

erit. merguntur autem, id est, obruuntur aquis, dum ecclesia, quandiu in his fluctibus versatur, persecutionibus, atque aduersitatibus, tanquam marinis vndis continue agitatur. fortasse verò synagoga Iudeorum conuerteretur post ingressas gentes, ob admirationem æmulationi coniunctam, nam Paulus ait, salutem gentibus contigisse, vt ad æmulationem prouocarentur, citatque Mosen dicentem. ego ad æmulationem prouocabo vos per gentem, quæ non est gens, per gentem stultam ad iram commouebo vos. cum enim uiderint Iudæi plenitudinem gentium ingressam ad fidem, æmulatione, ac stupore pleni ingredientur & ipsi, & tale quid illis accidit, quod Petro accidisse hic narrat Lucas. sequitur enim. Quod cum videret Petrus, accidit ad genua Iesu, dicens. discede à me Domine, quia homo peccator sum. stupor enim circundederat eum, & omnes, qui cum illo fuerant, super captu piscium, quem ceperant. similiter autem Iacobum, & Ioannem filios Zebedæi, qui erant socij Simonis. Intellexit Simon, cui Euangelista per anticipationem addit cognomen Petri, fortasse declarationis gratia, tantam piscium capturam superauisse humanæ industriæ vires. quare Diuinum hoc fuisse opus agnoscens, ac reueritus maiestatem, accidit ad genua Iesu. uetus enim mos erat, qui & in ethnicis auctoribus reperitur, ut supplices eorum genua tangerent, quos precarentur, confitentes illorum potentiam. siquidem in gentibus robur quoddam esse videtur. quare quidam ex Græcorum poetis, cum dicere vellet, rem illam, de qua loqueretur, in Dei esse potestate, dixit. καὶ τὰ πάντα θεῶν ἐν γούνασι κείνου. id est, & hæc in Deorum genibus posita sunt. & Dauid imbecillas suas vires factas declarare uolens, genuum meminuit, dicens. genua mea infirmata sunt à ieiunio. accidit ergo ad genua Iesu dicens. discede à me Domine, quia homo peccator sum, indignum se arbitrabatur, apud quem, & in cuius naui Dominus uersaretur. iccirco rogat, vt discedat. quam animi submissionem imitatus centurio ille aiebat. domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum. inueniuntur alij contraria mente, qui Deum perosi, eius commercium, ac de eo sermonem auersantur. de quibus Esaias sic ait. populus ad iracundiam prouocans est, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus, nolite videre, & aspicientibus, nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt. loquimini nobis placentia, videte nobis faceta, auferte à me viam, declinate à me semitam, cesset à facie nostra sanctus Israel. Scribit etiam paulò inferius Lucas, cum homines regionis Gadarenorum, uidissent sanatum illum, qui à legione Dæmonum obsessus fuerat, Dæmonesque in gregem porcorum ingressos, & gregem præcipitem in stagnum abiisse, fuisseque suffocatum, multitudinem hominum finitimæ regionis Gadarenorum rogasse Do-

minum,

minum, vt discederet ab ipsis, quia magno timore tenebantur. ij autem non odio quidem hoc fecisse iudicandi sunt, sed seruili timore. videntur enim multorum scelorum fuisse sibi conscij, ac timuisse, nequo pacto etiam aliud damnum paterentur, quandoquidem porci perijissent. at Petrus indignum se iudicans tanti Domini commercio, rogat, vt à se discedat. non metuens, nequid ei mali ex hoc accideret, sed ob animi submissionem. iccirco adiecit. quia homo peccator sum. non quòd insignibus criminibus esset obnoxius. nam piscatoria ars, quam exercebat, simplex vitæ genus afferre secum solet. sed ob Domini admirationem sanctitatis, ac virtutis, in hunc se deiciebat modum. comparatio enim maiorem præbet sui agnitionem. sic Abraham nunquam se puluerem, ac cinerem vocauit, nisi quando locutus cum Deo fuit. sicut enim illiterati, aut qui parum literas callent, dum cum sui similibus versantur, aliquid se esse putant, vbi verò multò se doctiores experiuntur, tunc demum imperitiam fatentur suam; sic in virtutibus, qui se, vel paribus, vel inferioribus comparant, sibi plerunque placent, seque apud Deum in pretio esse sibi persuadent, cum interea multis, ac magnis vitijs, atque peccatis fordidi sint. cum verò occurrit illis quispiam sanctitate insignis, ac raris virtutibus præditus, tunc erubescunt, magni quippiam de se opinari. quare vtile esset, cum rectè aliquid facimus, referre animum ad eos, qui fuerunt in Christiana republica præstantissimi. hoc enim pacto & animi submissionem seruaremus, & inuitaremur ad maiora semper aggredienda. neque verò aliud magis in causa esse arbitror, cur ita parum in virtutibus, ac rectè factis proficiatur, nisi quòd homines ex deteriorum comparatione facta sua metiuntur. scortatur quis, sed ab adulterio interea, & sceleratioribus carnis vitijs abstinet. is bonum se censet præ adulteris, & mollibus, & sceleratioribus vitijs obnoxius. alius cum diues sit, non quidem eleemosynas exercet, verum, quia non rapit aliena, probitatis sibi non nihil ascribit, cum auaros, ac raptores contemplantur. multò verò magis se miratur, si quas eleemosynas det, tamen si non pro facultatum summa id faciat. at homines eiusmodi non solum sibi quicquam ex eis rebus placerent, verum etiam indignos se Christiano cognomine arbitrarentur, si ad eos viros animum intenderent, qui per totam vitam castitatem fuerunt amplexati, qui facultate omnes in pauperes distribuentes, nudum Christum nudi secuti sunt. Et ait ad Simonem Iesus. ne timeas, posthac homines capies. addit animos. iuuandi enim sunt pusillamines, atque in spem meliorem erigendi. simul obserua benignos, ac suauis Domini mores. uocaturus erat Simonem ad Euangelicum negocium, sciebat mores in naturam solere transire, ac propterea assuetum

LL 2 pesca-

piscationi agrè ab ea diuelli . quare dicit , velle se permittere , vt eandem artem exerceat , sed illum homines pro piscibus piscaturum . Contemplator item , quàm pulchra philosophiæ Euangelicæ iacta sint fundamenta . nam ne hoc quidem tacuerunt prophætæ , piscatores ad negocium Euangelicum eligendos . in Ieremia enim sic legitur . ecce ego mittam piscatores multos , dicit Dominus , & piscabuntur eos . postea verò , quàm prædicatum est in Iudæa , exierunt in nationes . similes facti venatoribus , qui omnia loca indagant . quare adiecit . & post hæc mittam eis multos venatores , & venabuntur eos de omni monte , & de omni colle , & de cauernis petrarum . Ezechiel quoque loquens de salutaribus aquis , quibus lauacrum baptismi designabatur , inter cætera ait . & stabunt super illa piscatores . ab Engaddi vsque ad Engallim siccatio fagenarum erit . plurimæ species erunt piscium eius , sicut pisces maris magni , multitudinis nimix . in cænohis autem eius , & in palustribus non sanabuntur , quia in salinas dabuntur . & super torrentem orietur in ripis eius ex vtraque parte omne lignum pomiferum . non defluet folium ex eo , & non deficiet fructus eius . quibus in verbis videtur quàm multa prædicatur . meminit piscatorum , de quibus dixit Dominus hic , posthac homines capies . & alibi . venite post me , & faciam vos fieri piscatores hominum . & multitudinem piscium , id est , uocandorum futuram . quodque iuxta omnes species piscium erit ibi piscatio . ut intelligas , Deum sine acceptione personarum homines vocare ad fidem . sed hæc salubres aquæ illapsæ in lacunas , & cænoisa loca , non sanant feculentas illas aquas , id quod obstinatis animis accidere scimus , quorum mens cælestibus aquis non dulcescit , sed magis insolescit , & irritatur . boni verò hac poti aqua , veluti arbor plantata secus decursus aquarum , proferunt fructum in domo Domini . Et subductis in terram nauibus , relictis omnibus secuti sunt eum . Intuere , quantæ sint veræ fidei vires . ad vnum Domini miraculum relictis omnibus sequuntur eum . nos tam multa ex Euangelij eius miracula didicimus . scimus illum ista relinquentibus promittere non solum vitam æternam , verum etiam in hac ipsa vita centuplum . & tantum abest , ut omnia relinquamus , ut ne ea quidem , quæ præter necessarium uictum , & cultum supersunt , ijs , quos fratres uocat suos , audeamus impertiri . cur hoc ? proculdubio ob fidei inopiam , dum nobis persuademus , nos credere , neque tamen credimus . sed oportet , ut ex factis nostris , quemadmodum apostolus Iacobus admonet , ostendamus fidem nostram . alioqui fides sine operibus mortua est . ponamus obsecro ante oculos propositum hodie horum apostolorum exemplum , incipiamusque seriò Euangelicum tractare negocium , ut cum illis æterni regni participes efficiamur . iuuante Domino nostro Iesu Christo , cui cum

patre ,

patre , & spiritu sancto est honor , & magnificentia , & potestas , & imperium , & nunc , & in omnia secula seculorum . Amen .

ORATIO VIGESIMATERTIA.



IT factum est , cum esset in quadam ciuitate , & ecce uir plenus lepra , cumque uidisset Iesum , prostratus in faciem , rogabat eum dicens . Domine , si uis , potes me mundare . & protensa manu tetigit eum , dicens . uolo . mundus esto . & confestim lepra discesit ab illo . Obserua Domini in prædicatione studium , atque ut omnibus equè se impertitur . nunc in uillis , & uicis , & campestribus locis , nunc in urbibus annuntiat Euangelium regni . doctis , & indoctis , rudibus , & peritis , rusticis , ac ciuibus illud communicat . nullum genus hominum , nulla ætas , nullus sexus ab hac philosophia prohibetur . quod in alijs facultatibus , ac disciplinis non reperias . atque ex hoc facile intelligitur , Euangelicam philosophiam à Deo esse , quæ cum maximis dogmatibus præ cæteris disciplinis sit honestata , esse tamen etiam rudibus , & imperitis , & abiecto cuique , ac humili peruia potest . atque adeo , quod est admirabilius , imperitiores horum sunt dogmatum capaciores , quod & ipse Diuinus Paulus admirabatur , cum ad Corinthios scribens aiebat . uidetis enim uocationem uestram fratres , quòd non multi sapientes secundum carnem , non multi potentes , non multi claro genere nati ; uerum quæ stulta erant secundum mundum , delegit Deus , ut pudesceret sapientes . & quæ erant imbecilla in mundo , delegit Deus , ut pudesceret ea , quæ sunt robusta . & quæ ignobilia erant in mundo , & contempta , delegit Deus , & ea , quæ non erant , ut ea , quæ sunt , deleteret , ut ne gloriaretur ulla caro coram ipso . rectè sanè . gloriabantur enim homines ob excogitatam humano ingenio sapientiam . & quid tandem sunt assecuti ? quæstiones solas , & molestam (ut ait Salomon) occupationem . mundum (inquit) tradidit disputationi eorum , ut non inueniat homo opus , quod fecit Deus , ab initio usque in finem . introducta est prædicatio crucis , & mundus Diuina sapientia impletus fuit . nam postquam in sapientia Dei non cognouit mundus per sapientiam Deum , uisum est Deo , per stultitiam prædicationis saluos facere credentes . non ne fuit hæc ingens humanæ sapientiæ pudescitio ,

Etio, atque deiectio? gloriabatur mundus ob humanam potentiam, & clarum genus, & his contenti homines terrena tantum curabant, & exiguis hisce uitæ spatij circumscripserunt. & ea relinquebant, quæ verum hominem, id est, rationem, ac mentem sola honestare idonea sunt. introducta est Evangelica prædicatio, quæ ista contemnens, ac pro nihilo putans, homines repente cœlestes fecit. ablatum est ergo per hanc prædicationem omne illud, quo frustra homines gloriari consueuerant. Verum, ut dicebamus, ex hoc agnoscitur, hanc à cœlo allatam fuisse philosophiam, quod communis est omni hominum generi, quod genus totum à Deo profectum est. num sapientum tantum huius mundi, & potentium, & nobilium est Deus? nonne & imperitorum, & imbecillium, & ignobilium? & horum sanè. si ergo omnium est Deus, consentaneum fuit, ut philosophiam excogitaret, cuius esse capaces omnes possent, & quæ omnibus æquè prædicaretur. & ob hanc causam eodem studio Dominus turbas alloquebatur, quo scribas, ac legis peritos. neque olim dedignatus fuit, cum muliercula Samaritana (ò maximum supernæ & bonitatis, & charitatis erga nostrum genus argumentum) de profundissimis loqui mysterijs. hæc admiranda exempla nusquam apud ethnicos, & philosophos, & oratores reperias, qui siquid paulò selectius dicturi essent, querebantur, furdum esse auditorium, & rem tantam dici extra conuentum, & eam frequentiam, in qua oratoris virtus niti solet. Hæc cogitatio, quod scilicet omnes ex æquo sunt ad Euangelicam hanc philosophiam accersiti, efficit, ut nunquam grauer, quacunq; de re, quæ ad Christianam doctrinam pertineat, ex hoc loco uerba facere, quamuis maior uestri huius conuentus pars artificibus, & idiotis, ac illiteratis, & uiris, & mulieribus constet. quin delector interdum contemplando Diuina hæc indicia, quæ dudum dicebam & Paulum ipsum solitum admirari. cur ij, qui doctrina, & ingenio pollent, & opibus, & genere, quæ & iuuare, & inuitare deberent eos ad maiora & præstanda, & assequenda, minus in hac cœlesti philosophia proficiant, alij verò illis partibus destituti, & alioqui ad sublimiores cogitationes inepti, ingentis progressus in ea faciant. hæc profectò est mutatio dextræ excelsi, & manus Domini excelsa, & non homo fecit hæc omnia. quæ cum ita se habeant, quid restat aliud, nisi ut omnes alacres, nec ingrati tanto muneri, ad hanc, quæ vobis à cœlo missa, uobis proposita est, Euangelicam doctrinam frequentiori semper conuentu accedatis. afferte piam, & præparatam, ac bene affectam mentem, cætera spiritus Dei subministrabit. cum hac mente siquis uestrum ingenium, & literas coniuncta habeat, duplex bonum, & duplex talentum est, in quibus negociari iubetur, sciens sibi reddendam esse rationem. agnoscat dona Dei, memineritque, cui plus committitur, plus ab eo etiam esse exigendum.

gendum. qui verò illo ingenij acumine, ac doctrina est destitutus, habet affectum, veluti talentum vnum, in quo tenetur & ipse negociari. alioqui si abiens fodiat in terram, & abscondat, terrenis occupatus cogitationibus, pœnas dabit, & illud ipsum auferetur ab eo. sed redeamus ad historiam. factum est, cum esset in quadam ciuitate, & ecce vir plenus lepra. cum hoc factum dicat Euangelista Lucas in quadam ciuitate, Matthæus verò asimilem historiam narret, neque dicat, id accidisse in ciuitate aliqua, sed in descensu à monte, sic enim ait. cum descenderet à monte, secuta sunt eum turbæ multæ, & ecce leprosus accessit. & eadem ibi narrantur, quæ & hic. videtur hic diuersus ab illo fuisse leprosus. nisi malimus dicere, in illo descensu ingressum quidem fuisse Dominum ciuitatem quandam, sed à Matthæo non fuisse dictum. Et ecce vir plenus lepra, id est, non parte aliqua corporis, sed toto corpore leprosus, ut magnitudo miraculi intelligatur. si enim lepra immedicabilis, ut ferunt, morbus est, si etiam partem duntaxat corporis occupet, ubi quis toto corpore leprosus curatur, multò est admirabilius. Cumque vidisset Iesum, prostratus in faciem rogauit eum, dicens. Domine, si uis, potes me mundare. intelligebat hic leprosus, Diuinam quandam virtutem esse in Domino Iesu. quare prostratus in faciem illum adorauit, & eadem Diuinitatis opinione dicit, in eius potestate positam esse sui curationem, modo uelit, cum de Deo sit scriptum: omnia quæcunque uoluit, Dominus fecit in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. & alibi. ipse dixit, & facta sunt. ipse mandauit, & creata sunt. obserua etiam modestiam uiri. non dicit, Domine munda me, potes enim, si uelis. non hoc dixit. sed quid? si uis, potes me mundare. optarim equidem, inquit, sanitatem, sed malo, ut hoc à uoluntate tua proficiscatur, cuius solum iudicium est irreprehensum. homines enim multa petunt, quæ si præstentur, damnum sint allatura. sic Martha, & Maria sorores Lazari, miserunt, qui diceret. Domine, quem amas, infirmatur. neque adiecerunt. ueni, & sana eum, vel, impera morbo, & saluus erit. & hæc quidem in corporeis morbis reuerentia est præstanda, ut ad Deum quidem accurramus, nolque eius misericordiæ commendemus, ita tamen, ut omnia uelimus ab eius uoluntate pendere. at cum animus curandus à peccati lepra est, accuratius est agendum, & aperte efflagitanda liberatio. uide enim, quid Dauid in ægritudine animæ diceret. amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. & alibi. sana animam meam, quia peccaui tibi. nos uerò contrarium facimus. cum enim laborant corpora, mox postulamus sine ulla Diuinæ uoluntatis contemplatione liberationem, vota facimus, adhibemus intercessores, & post Diuinum quæsitum auxilium, aut etiam

ante illud, humana omnia per fugia tentamus. cum ægrotat animus, primum finimus eum in illa ægrotatione conualescere, atque ita callum obducere, ut vix unquam integrè conualeſcat. deinde cum uenit in animum uelle curari, frigide admodum & Diuinam, & humanã opem quærimus. ecquis enim noſtrum eſt, qui ea uota pro animi incolumitate faciat, quæ pro illa corporis facit? qui peritos artis curandi animos eo ſtudio adeat, quærat, perueſtiget, quo illos corporis? ſtudioſè querit ſenatus homines, qui curare ſciant corpora, & honeſtis ſtipendijs illos conducit. de ijs uerò, qui animos curent, nullus unquam factus conuentus eſt, ut periti habeantur. Domine, ſi uiſ, potes me mundare. uide uerò, quantum profuerit huic leproſo, Diuinæ ſe committere uoluntati. ſequitur enim. Et protenſa manu tetigit eum dicens, uolo. mundus eſto. & conſeſtim lepra diſceſſit ab illo. Primum obſerua Domini humanitatem, ac benignitatem. res erat abominanda leproſus, quare ſatis fuiſſet, ſi Dominus ſolo uerbo ſine tactu, quod poterat, eum mundauifſet. uerum, ut doceret nos, ne quenquam etiam in horrendis morbis auerſemur, tangere eum uoluit. ſed cur eum tetigit, cum iuxta legem immundus eſſet, quicumque leproſum tetigiſſet? primum erat Dominus legis, quemadmodum alibi dixit. filius hominis Dominus eſt etiam ſabbati, quod multò maius erat, quàm lex de contactu leproſi. deinde uno, eodemque momento, & curatio lepræ, & contactus factus eſt, ut ne ſecundum legem quidem immunditiæ quippiam contrahere Ieſus potuerit. præterea obſeruandus eſt etiam in Domino eius loquendi mos, cum eſſet alicui reſpondendum. dixerat leproſus. ſi uiſ, potes me mundare. ad prius uerbum reſpondet. uolo. uoluntatem (inquit) meam requiris? en eam præſto. ad illud uerò, potes me mundare, reddidit effectum ſuæ potentiæ, cuius meminerat leproſus, & ait. mundus eſto. at alio loco, ubi quidam ſanitatem filij poſtulans dixit. ſiquid potes, adiuua nos, obſeruauit minus plenam uiri opinionem de ſua poteſtate, & iccirco tacitè obijciens ei fidei imbecillitatem, ſi potes (inquit) credere, omnia poſſibilia ſunt credenti. ſic cum Thomas dixiſſet. niſi uidero in manibus eius fixuram clauorum, & miſero digitum meum in locum clauorum, & miſero manum meam in latus eius, non credam. Dominus cum ei apparuit, quatuor horū, & aſpectus, & digiti, & manus, & fidei mentionem fecit, & dixit. infer digitum tuum huc, & uide manus meas, & mitte manum tuam in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. qui mos documento eſſe & nobis debet, ut in reſponſis dandis accurate, ac circumſpectè agamus. Et ipſe præcepit illi, ne cuiquam diceret. ſed uade, (inquit) & oſtende te ipſum ſacerdoti, & offer pro emundatione tua, quæ præcepit Moſes in teſtimonium illis. quod iuſſit, ne cuiquam diceret, docuit nos, ut, quò facta noſtra ſunt Diuiniora, eò minus

minus humanam gloriam queramus, & quod ad gloriam noſtram pertinet, ſemper uelimus eſſe ſecretum. ſublata uerò hac priuata gloriæ ſuſpicionem, omnia Diuinæ gloriæ debent deſeruire. quare alibi cum liberaſſet quendam à legione Dæmonum, dixit ei. abi in domum tuam ad tuos, & annuntia illis, quanta tibi Dominus fecerit, & miſertus ſit tui. & abiit, & cœpit prædicare in Decapoli, quanta ſibi feciſſet Ieſus, & omnes mirabantur. Cauendum eſt ergo in factis, & dictis noſtris, ne hoc affectu quicquam agamus, ut propriæ laudi ſtudeamus, atque hoc eſt, quod alibi admonebat Dominus, cauete ne iuſtitiam ueſtram faciatis coram hominibus, ut uideamini ab eis. ubi uerò huiuſcemodi affectus deeſt, omnia rectè facta in luce collocari ſe uolunt, ut & glorificetur Deus, & proximi quique ædificentur. ob hanc cauſam alio loco ait Dominus. luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant ueſtra bona opera, & glorificent patrem ueſtrum, qui in cœlis eſt. ut uideant (inquit) & glorificent, non uos, ſed patrem. hæc qui non obſeruet, mirari interdum poſſit diuerſa Domini in Euangelijs & dicta, & facta, quæ tamen ſi attentè conſiderentur, optimè inter ſe conſentiunt. Iubetur autem, ut oſtendat ſe ſacerdoti, & offerat pro emundatione ſui, quæ præcepit Moſes in teſtimonium illis. in lege ſic ſcriptum eſt. hic eſt ritus leproſi, quando mundandus eſt. adducetur ad ſacerdotem: qui egreſſus eſt caſtris, cum inuenerit lepram eſſe mundatam, præcipiet ei, qui purificatur, ut offerat duos paſſeres uiuos pro ſe, quos ueſci licitum eſt, & lignum cedrinum, uermiculumque, & hyſopum, & unum ex paſſeribus immolari iubebit in uaſe fictili, ſuper aquas uiuentes. alium autem uiuum cum ligno cedrino, & cocco, & hyſopo tinget in ſanguine paſſeris immolati, quo aſperget illum, qui mūdatus eſt, ſepties, & purgabit eum, & dimittet paſſerem uiuum ut in agrum auolet. infinite præterea adduntur cæremoniæ, quas, ne tædio uos afficiam, prætermitto. inter cætera autem præcipitur, ut die octauo aſſumat duos agnos immaculatos, & ouem anniculam abſque macula, & tres decimas ſimile in ſacrificium, quæ conſperſa eſſet oleo, & ſeorſum olei ſextarium. ob hanc ergo cauſam iubet hic Dominus, ut offerat pro emundatione ſui, quæ præcepit Moſes. & quod ait. in teſtimonium illis, pro eo uidetur eſſe, ac ſi diceret, ut teſtari poſſint te eſſe mundatum. neque diſplicet, ſi dicas, hoc iuſſiſſe Dominum, ut eſſet in reprehentionem, & condemnationem, ac teſtimonium, aduerſus illos, ut, quando accuſarent eum ueluti præuaricatorem legis, ex hoc arguantur, quò legem ſeruauerit, iuſſeritque ei, quem à lepra mundauerat, ut offerret, quæ præcepit Moſes in lege. quod ſi non feciſſet, ſacerdotes, qui erant auari, facile conquæſti fuiſſent, quò non obtuliſſet conſueta dona, & tota demum calumnia recidere in Dominum potuiſſet. Verum, quando lepræ hic facta mentio eſt. admo-

nendi estis, hoc præcipuè morbi genus figuram fuisse peccati, & morborum animi, atque ob hanc causam huius iudicium, ac disquisitionem exactissimam non medicis corporum, sed sacerdotibus fuisse referuatam, sic enim paulò ante illum locum, quem citauimus, est scriptum. Homo, in cuius cute carnis ortus fuerit diuersus color, siue pustula, aut quasi lucens quippiam, id plaga est lepræ, adducetur ad Aaron sacerdotem, vel ad vnum quemlibet filiorum eius. vt intelligeretur, hoc officij munus ad sacerdotalem dignitatem pertinere. quæ cum instituta sit ob ea, quæ ad Dei cultum, & salutem animæ spectant, facile colligi potest, hanc lepræ legem, cuius curationis declarationem voluit Deus esse sacerdotali muneri referuatam, figuram fuisse nostri sacerdotij. quando quidem omnia, vt Paulus admonet, contingebant illis in figuram. in sacerdotio autem nostro ad sacerdotalem ordinem pertinet iudicium & agnoscendorum, & remittendorum peccatorum. accipite (inquit) spiritum sanctum, quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorumcunque retinueritis, retenta sunt. vnde & multa in leprosis illis agebantur, quæ in spirituali lepra seruanda essent, & ex parte seruantur. leprosi enim prohibebantur in communi hominum consuetudine versari. sic qui spirituali lepra, id est, lætibus criminibus infecti sunt, non sunt digni, qui tandiu, dum eos non pœnitet, in cœtu fidelium habitent. & quamuis hæc censura nunc ob sacerdotum, ac pastorum incuriam maxima ex parte negligatur, sunt tamen quædam crimina, ob quæ per excommunicationem peccatores ab aliorum commercio segregantur. iubebatur item, vt, qui maculatus fuisset lepra, haberet vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contactum, contaminatum, ac sordidum se clamaret. idem ipsum in animæ lepra est faciendum. vestimenta dissuta esse oportet, vt peccata uelamen non habeant excusationis, quod propheta deprecabatur dicens. non declinet os meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. caput detectum, ut fidem habeat in Deum, & spem remissionis. nã diffidentia uelamen quoddam est, quod mentem, id est, præcipuam hominis partem, & veluti caput obtegit, ne feratur in Deum, atque ad eius misericordiam implorandam. os sit veste contactum, ne fiduciam sermonis, ac docendi habeat, alioqui auditorus. peccatori autē dixit Deus, quare tu enarras disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum. demum contaminatum se, ac sordidum clamabit. ne uidelicet eum pudeat, se peccatorē profiteri, & cū Paulo dicere. Christus Iesus uenit, ut saluos faciat peccatores, quorū primus ego sum. Verū, cum illorum figuras cum nostrarū rerū ueritate consero, & quāto interuallo spiritualis lepra, quæ à noui testamenti sacerdotibus curanda est, illam corporis antecellat, quæ

quæ sacerdotibus sub veteri lege curæ erat, miseret me nostrorum temporum, quibus tanta res tam miserè negligitur, ut nihil ferè reperiri neglectius possit. Mosaicæ legis sacerdotes peritissimi erant agnoscendæ lepræ, & eius genera. obseruabant subtilissimo iudicio cutem, pilos, colorem, & siquidem vidissent lepram in cute, & pilos in album mutatos colorem, ipsamque speciem lepræ humiliorem cute, & carne reliqua, iudicabant eum immundum, iubebantque, vt tandiu, dum leprosus esset, solus habitaret. sin lucens candor fuisset in cute, nec humilior carne reliqua, & pili coloris pristini, suspendebant iudicium. & claudebat eum sacerdos septem diebus, ac die septimo considerabat. & siquidem lepra ultra non creuisset, nec transiisset in cute priores terminos, rursus claudebat eum septem diebus alijs, & die septimo contemplabatur. si obscurior fuisset lepra, & non creuisset in cute, mundum iudicabat eum, quod non esset lepra, sed scabies. & multò plura in hunc modum, quæ dicere longū est, obseruabantur. in nostris autem sacerdotibus cōtraria omnia reperias. primū in scitiā ingentem, & penè monstruosam, & eò maiore quò maiore gradum, ac dignitatē in ecclesia tenent. & tamen quantò nostri deberent esse præstantiores? in ueteri enim lege sacerdotes lepram corporis, non curandi, sed curatam declarandi habebant potestatem. at sacerdotibus sub Euāgelio data est à Deo potestas, quæ Dei propria est, ipse enim dicit per prophetā. ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas. & hanc potestatem acceperunt nostri sacerdotes à Christo. quorum (inquit) remiseritis peccata remittuntur eis. at quotus quisque est, qui inter lepram, & leprā, id est, inter peccatū, & peccatū recto iudicio norit diuidi care? quin ipsi plerunq; pleni lepra sunt, neque id intelligunt. & qui curare seipsos nesciunt, quo pacto curare alios erunt idonei? quis eorum, cum leprosus, id est, peccator illum adit, accipiendæ curationis gratia, tam accuratè in animam inspicit, quàm illi in corpus faciebant? num lepra uetusta, an recens sit, & peccatum superficiem tantum occupauerit, an altius radices egerit. num peccatum ex ignorantia, aut repentino aliquo naturæ impetu profectum sit, an ex vitioso animo, & diu peccatis assuetu, peccandi que voluptate. peccatum enim, quod fortuito irrepsit, ac præter hominis morem, atque affectum, veluti scabies est, ob quam nemo deuitabatur, neque ab aliorum commercio arcebatur. qui uerò peccandi consuetudine, ac delectatione tenentur, alia in eos exercenda esset disciplina, neque tam facilis danda uenia, quàm nunc fit. ubi enim quis ad sacerdotem accedit curandus, & à peccatis absoluendus, si uiderit sacerdos illum singulis annis ad eadem peccata reuolutum, uereri debet, ne non intimis affectibus eum priorum scelerum pœnituerit. qui enim uerum peccatorum odium concipit, vt dicere cum propheta possit, ini-

quitatem odio habui, & abominatus sum, legem autem tuam dilēxi, is difficile rursus poterit ad peccatum trahi. nam rectè quidam dixit. cum inimico in gratiam nemo citò redit. cum ergo videt sacerdos aliquem paulò post factam exhomologesim solere quotannis eadem, & grauiora interdum peccata repetere, fidere eius pollicitationibus iam non debet, sed prius quàm eucharistiæ communicationem illi permittat, tentare per aliquot menses, & tanquam claudere, quod in ueteri lege fiebat. & siquidem per illud tempus abstinerit à peccando, tunc facienda est illi copia Diuinorum sacramentorum. sin reuersus continuò ad vomitum fuerit, certum est, illum minimè à lepra fuisse curatum. quare rursus totidem diebus claudendus tandiu est, dum verè lepræ macula ablata fuisse intelligatur. at ista non fiunt, sed ob sacerdotum incuriam, qui leprosus accedit, maiori obitus lepra reuertitur, cum interea se mundatum à lepra fuisse, certissimè sibi persuadeat. Et hæc quidem sacerdotes. qui verò curandi accedunt, nullum ne illi quidem studium adhibent, ut certam curationem se adeptos fuisse, possint intelligere. quis enim dubitet, oportere Christianum hominem magis laborare, ut ab animæ lepra mundetur, quàm alij ab illa corporis? & tamen quid laborant præ eo, quod in corporis lepra curanda uetus lex fieri præcipiebat? tot sacrificia, tot caeremoniæ adhibebantur, ut sola ego eorum lectione defatiger. at in spiritualis lepræ curatione quid laboris impenditur? quis oppositas uitij, in quibus est uersatus, uirtutes studet asciscere? hic scortationibus, & adulterijs, & lasciuia carnis per totam uitam operam dedit. quæ ieiunia, quam carnis castigationem postea adhibet, ut non solum dignos pœnitentiæ fructus, quemadmodum ex Euangelio præcipitur, faciat, uerum etiam ut in posterum caueat, ne in eadem flagitia relabatur? ille auaritiæ studuit, nullo, aut quàm minimo affectu erga pauperes hætenus fuit, totam mentem, omnes sensus, nocturnas, diurnasque cogitationes congerendis opibus impendit. accedit ad exhomologesim, particeps Christianorum fit mysteriorum, ut qui se à sua lepra curatum arbitretur, & tamen nullum curationis uestigium in eo deprehenditur. eadem in illo anxietas, & parandarum opum sollicitudo, nihil quicquam imminuta, at aucta potius inuenitur, eadem in egenos quosque crudelitas. & hunc tu à lepra curatum iudicabis, cuius ne pilus quidem à priore colore est immutatus? hoc sanè ueteris legis sacerdotes minimè iudicarēt. alius exercuerat inimicitias, de alterius fama detraxerat, odijs, & inimicitijs totus inseruierat, adit sacerdotem, hæc peccata confiterur, petit absolui, putatque ab illa absolutione se mundatum, cum ex ipsis consequentibus factis nihil de illius pristina mente, ac uitiosis affectibus, & priore lepra sit immutatum. eadem repetuntur inimicitia, eadem odia, eadem de proximi fama de-

tractio-

tractiones, ut uerissimum sit, quod sepe ex hoc loco dixisse memini, hanc peccatorum exhomologesim, quæ tam salutariter iam olim à sancta ecclesia fuit instituta, nunc pro peccatorum lenone usurpari, dum homines per eam putant se à peccatis absolui, & ex uana illa opinione nunquam ab eis liberantur. dum eos nunquam uerè pœnituisse certissimis argumentis deprehenditur. Illud præterea mecum cogitatè. in ueteri lege lepra corporis ita cauebatur, ut leprosi soli esse iuberentur, & quicumque maculatum lepra tangeret, esset immundus. in spirituali autem lepra, Deus bone, quàm nulla utimur diligentia. passim uagantur per urbem blasphemi, scortatores, adulteri, auari, raptores. nemo eos auersatur. quin ijs plerunq; , ut ditioribus, magis ab omnibus fauetur. at non olim ita fiebat, cum Christianorū mores erant compositiores. si quis (ait Paulus) cum frater appelletur, fuerit scortator, aut auarus, aut simulachrorum cultor, aut conuitiator, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi ne cibum quidem capiat. & alibi. si quis non obedit sermone nostro, per epistolam hunc indicate, & ne commercium habeatis cum illo, ut pudore suffundatur. Hæc facta indicant, maximam nostri partem esse lepra infectos, & commune malum communi dissimulatione tolerari. quare expergiscamur ciues mei, & desinamus tam periculosum somnum tandiu dormire, & cum hoc Euangelico leproso tota mente, atque intimis affectibus postulemus hanc emundationem: quam proculdubio, si eam non inerte, ac frigide, ut hætenus factum est, sed ex animo, ac omni adhibito studio, ac cura postulauerimus, consequemur.

iuuante Domino nostro Iesu Christo,
cui cum patre, & spiritu sancto est
gloria, & magnificètia, & potestas,
& imperiū, & nunc,
& in omnia secula seculorum.
Amen.

ORATIO

ORATIO VIGESIMA QVARTA.



Pernagabatur autē magis rumor de illo, & conueniebant turbæ multæ, ut audirent, & sanarentur ab infirmitatibus suis. ipse autem agebat in secessu in desertis, & orabat. Non exiguam parere potuit admirationem hoc curati viri miraculum, qui plenus erat lepra, & solo verbo mundatus à Christo fuerat. poterant enim ex hoc colligere, Christum Mose ipso fuisse multò maiorem. nam Moses Mariam sororem suam, quamuis multum orasset, sanare non potuit, hic autem solo iussu hominem plenum lepra mundauit. quare magis vulgabatur fama de illo, quæ res occasionem præbebat, vt turbæ etiam frequentiores conuenirent, cum vt Euangelicam doctrinam audirent, tum vt à suis infirmitatibus sanarentur. in terra Dominus, quò magis sentiebat famam de se augescere, eò libentius querebat solitudinem, in qua orare posset commodius. fugienda est enim in primis Euangelico prædicatori humanæ gloriæ appetitio, quæ vbi mentem hominis inuasit, eam ita corrumpit, ut nihil rectum, ac gratum Deo facere possit. oportet enim, vt totus ab hominibus pendeat, qui eiusmodi est, atque ad gratiam loquatur, plurisque eorum fauorem faciat, quàm veritatem. at vbi veritas periclitatur, quid consequi ex eius prædicatione potest boni? cuius autem cogitationes & à Deo initium habent, & in Deum desinunt, is tandiu patitur inter homines versari, dum se illis prodesse posse intelligit. cætera nihil hominum vel commercium, uel fauorem curat, cum multò maiora bona secum habitans experiatur. profectò enim nihil est tanti æstimandum, quantum est, claudentem sensus, extra carnem, & mundum positum, & in seipsum conuersum, nihilque humanarum rerum attingentem præter id, quod omnino necessitas cogat, secum, & cum Deo loquentem viuere supra ea, quæ aspectu sentiuntur, & Diuinas illustrationes semper puras in seipso ferre, quibus permixta non sint rerum inferiorum signa errantia. verè sine macula speculum Dei, & Diuinarum rerum, quod & sit, & semper fiat, dum lumine lumen accipit, & obscuriori id quod est perfectius, iam futuri seculi bonum spe percipiendo cum angelis versari, adhuc in terra terram relinquentem, & à spiritu in supernis collocatum. hunc statum quicumque sunt affecti, grauius eis sunt illa, quæ reliquis hominibus maxima videntur, coli, affurgi, celebrari, alijs imperare. vt rectè etiam quidam inter externos philosophos præstantissimus dixerit. si reperiretur ciuitas, in qua omnes sapientes essent, fore, ut maior inter eos esset contentio

ORATIO VIGESIMA QVARTA.

144

tentio fugienda gubernationis, quàm apud alios ambienda, neque facile inueniretur, qui dominari alijs uellet. nam appetitus ille regnandi, ac dominandi in alios ex animi inopia proficiscitur. qui si diues esset, ac veris, propriisque bonis abundaret, non mendicaret ista externa. quod pulchrè ostenditur in quadam parabola, quæ in libro Iudicum scribitur in hæc verba. Ierunt ligna, vt vngerent super se regem, dixeruntque oliuæ. impera nobis. quæ respondit, nunquid possum deserere pinguedinem meam, quæ & Dij utuntur, & homines, & venire, vt super ligna promouear? dixeruntque ligna ad arborem ficum. ueni, & super nos regnum accipe, quæ respondit eis. nunquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suauissimos, & ire, vt super cætera ligna promouear? locutaque sunt ligna ad uitem. ueni, & impera nobis. quæ respondit eis. nunquid possum deserere vinum meum, quod latificat Deum, & homines, & super ligna cætera promoueri? dixeruntque omnia ligna ad Rhamnum. ueni, & impera super nos. quæ respondit eis. si verè me regem vobis constituitis, venite, & sub umbra mea requiescite. si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros Libani. quæ parabola significat, regno quidem præficiendos esse viros clementes, fideles, prudentes. at iij. refugere consueuerunt, quibus iucundius est sua agere, ac sibi viuere, suisque animi bonis frui. mali verò, & qui minimè apti sunt, facile adducuntur, atque adeo potius inuadunt regnum, interea omnibus interioris hominis destituti bonis. & cū humana natura oblectari aliquo modo necesse habeat, neque eorū mens ijs rebus sit prædita, quæ verè hominè decet, coguntur operam dare ludis, iocis, saltationibus, comestationibus, & ebrietatibus, quæ sequuntur cubilia, & impudicitiam, vt docet Paulus, vt vita eorū, si quis recto iudicio uti velit, omni morte sit infelicio. qui, cū aliquid seridum, vt putat, agere volunt, bella mouent, & urbes, ac prouincias, & regna euerunt, quare nihil eiusmodi principibus miserius, adde neque ineptius, neque stultius videri potest. atque hoc sanè malum vetustissimum est, quod facile mihi persuadeo, tum ex ijs, quæ in antiquis fabulis, tum quæ in historiarum scriptoribus inueniuntur. videamus enim (quando interdum licet in ecclesiæ ædificationem spoliare Aegyptios) quales Homerus describat suos reges, ac principes. siquidem Agamemnonem ambiciosum potius, quàm cordatum facit. quid autem stultius, quàm vnicae filia crudelissima cæde imperatoris mercari titulum? quid ineptius, quàm pro barbara puella tam iuueniliter digladiari? vt, quo suos amores retinere posset, Achillem sua spoliaret amicula? nec id sanè sine summo totius exercitus discrimine. tum autem quàm ineptè stomachatur Achilles, orbatus suis amoribus? quàm iuueniliter deplorat apud matrem? at hunc vnum nobis poeta velut absolutum egregij principis exemplar propo-

proposuit. ad hæc, quàm non sapienter indignatur Ajax? quàm seniliter delirat Priamus, dum Helenam prostituta pudicitia mulierculam amplectens, ac filiam appellans, negat se pœnitere belli, in quo tot clades acceperat, tot orbatus liberis, toties luctu funestatus, ne Paris non potiretur amica? quid multis? tota Ilias, quàm longa est, nihil est aliud, quàm quod quidam eleganter scribit.

Stultorum regum, & populorum continet astus.

quanquam & Odyssea suos habet procos, & Alcinoos crassos, & stultos. quin & Herculeum ipsum robustum facium, & animosum, sed hebetis, crassiq; ingenij. iam Hesiodus, quem nonnulli volunt antiquiorem Homero esse, principes *δαμναίους*, ac *μπίους* appellat, quod scilicet & parum saperent in administranda republica, & opibus per fas, nefasq; cumulandis inhiarent potius, quàm communibus populi commodis inferirent. cuiusmodi fingunt & Midam illum, ob animi stoliditatem afininis auriculis insignitum. & haud scio, an huc pertineat & illud, quod prisci ethnicorum theologi, qui iidem & poetæ erant, sapientiam Apollini tribuunt, ac Palladi, Ioui autem Deorum, & hominum monarchæ fulmen duntaxat trifidum, & nutum illum, ac supercilium relinquunt, quo totum tremefacit olympum. alioqui quis nepos, quis balatro unquam nugatus est nugacius, aut nequius nequam fuit, quàm hic, cui regnum mundi dederunt? technis fallit uxorem, quam tamen & sororem eandem, & coniugem faciunt. nunc cygnus, nunc taurus, nunc aurum factus insidias fruit mulierculis, subornat Ganymedes, & terram, ac cælum nothi implet. ad eundem modum Neptunum, & Plutonem feroces, & inexorabiles fingunt, sapientiam non tribuunt. Sed missas faciamus fabulas, veniatur ad historias. quid tandem cordis fuisse credis Cræso Lydorum regi, si modo talis fuit, qualem depinxit Herodotus, qui gemmis, & auro congesto fretus Soloni indignabatur, quod sibi felicitis cognomen non tribnerit? aut quid fingi potest stultius Xerse, cum ad Athos montem legatos mitteret, eamque contumeliosissimis, ac minacissimis literis terraret? cum Hellesponto mari certum plagarum numerum infligi iuberet? neque verò minus regaliter despuit Alexander ille Magnus, cū abdicato patre Iouis filius salutariter gauderet, dum vino certaret, dum in conuiujs ab adulatoribus ut Deum adorari se pateretur. dum quaeritur, hunc orbem suis victorijs angustum esse, & oceanum ingressus alios ferar, euolue omnes & ueterum, & neotericorum annales, comperies, uix seculis aliquot unum, aut alterum extitisse principem, qui non insigni stultitia maximam perniciem inuexerit rebus humanis. Et quidem si principes, qui hanc ueritatem, quæ Christiano orbi illuxit, ignorauerunt,

uixere-

uixere in ijs moribus, quos descripsimus, minore sunt digni reprehensione. eos verò, quibus tam admirandum exemplum propositum est, qui fatentur Iesum Christum esse filium Dei, illum, cui cælum, terra, inferi flectunt genu, qui ad hoc venit, ut doceret, qua via nobis esset ingrediendum, tam alienos esse ab eius doctrina, atque adeo præ cæteris magis iniurios in Christum esse, ac suis perditis moribus efficere, ut nomen Christi male audiat inter gentes, hoc non verbis sed fulminibus est uiscendum. quotus enim quisque principum est, qui huius regis regum, ac Domini dominantium Christi vitam, & mores, & exempla, & doctrinam ante oculos ponat, qui sepositas habeat horas, quibus sobrius in hanc cœlestem philosophiam bene se penitus det? in qua si exerceretur, non tam est clarus sol, quàm ipsi apud populos, ac gentes illucescerent, & hic clarissimum nomen, ac perpetuum sui desiderium relinquerent, & hinc abeuntes, immortalē felicitatem assequerentur. nunc verò, quia ista, quæ sola æstimanda essent, non cogitant, contra fit, ut & in hac uita pessimè ab omnibus audiant, & demum sempiterno igni tradantur cruciandi. Fugite ciues mei hæc somnia. nam uestra utilitatis gratia facta est omnis hæc narratio, quos video plerosque omnes plurimum ab hoc ambitionis vitio obsideri. cui ambitioni cum exiguis in rebus operam detis, declaratis, vos multò libentius oblata occasione maiora ambituros. quo vitio ubi quis obsessus est, quanta mala ex eo sequantur, iam olim demonstrauimus. discite Seruatoris exemplo interdum soli esse, & soli digna Christiano homine cogitare, ut inter eos & uos numeremini, in quorum numero beatus Iob esse cupiebat. cum regibus, (inquit) & consulibus, qui ædificant sibi solitudines. qui scilicet in se conuersi, ac secum habitantes, pulchris, diuinisque cogitationibus solitudinem illam interioris hominis ædificant. hoc magnorum virorum est, hoc verè reges, ac principes facit, hoc sobriam animam in primis facit. nam quotidiana ille in externis negocijs occupationes ebrietas quædam est, à qua nisi interdum fiat intermissio, & quasi à continuo potu uacatio, quàm periculosa res sit, uosmet ipsi iudicate. quis enim eius non miseretur, qui ita uino addictus esset, ut nunquam mente uti posset? at nihilò sunt minus miserabiles ij, qui semper terrenis curis affixi, nunquam tota uita ea uersare animo sciunt, quæ sola essent cogitanda. quid prodest, hosee Evangelicos thesauròs me toto anno uobis proponere, nisi illis ditari, & illis frui studeatis, ac tanti magistri mores imitari? Iesus itaque seorsum agebat in desertis, & orabat, & quantum per prædicationis officium licebat, secum habitabat. Et factum est quodam die & ipse docebat, erantque pharisæi sedentes, ac legis doctores, qui uenerant ex omni castro Galilææ, & Iudææ, & Ierusalem, & uirtus Domini erat ad sanandum eos. perseverat Do-

NN

mi-

minus in prædicatione Euangelij regni . quandoquidem ad hoc se missum fuisse professus est . interea conuenerant pharisæi , qui doctrinam Diuinæ legis profitebantur , ac propterea etiam pharisæi vocabantur , quasi segregati ad hoc munus tractandi , & interpretandi scripturas sacras . & ob hoc docendi officium dixit alibi Dominus de eis , quod sedissent super cathedram Moysi , quod doctorum , ac magistrorum est proprium . & ob hanc causam opinor Lucam , hic dixisse , quod sederent , ne suæ dignitati derogarent . conuenerunt ergo pharisæi , ac legis doctores , quos infra appellat scribas , ex diuersis oppidis , ac vrbibus , neque adiecit Euangelista , quod dixerat de turbis , quod scilicet uenissent , ut audirent eum , id est , vt & hac prædicatione Euangelica fieret eruditiores , sed vel ob curiositatē , vel , quod ferè semper faciebant , vt eum obseruarent , si forte inuenirent in eo , quo criminari , & accusare eum possent . cuiusmodi hominum genus video adhuc reperiri in hac ipsa etiam ciuitate , qui in hunc populi conuentum veniunt concionante episcopo , non vt ab eo quicquam discant , sed vt venentur aliquod verbum ex eius ore , quo illum accusare , atque ab episcopatu deicere possint . & vide , quàm studiosè id agant , & quàm nihil vel minimum prætermittant , quo sui voti compotes fiant . Acciderat superioribus mensibus , vt lampades quædam concionis tempore accensæ è conspectu meo starent , & oculos offenderent , iussi eas tan diu extinctas manere , dum concio perageretur , deinde rursus accenderentur . confestim athlete mei ornant accusationem , quod rem fecerim , quæ hæresim sapiat , ac prohibuerim , ne lampades imaginibus accenderentur . idem fecerunt , cum dixi , oportere illum calicem deijci , quem in summa ædícula posuerant , quam corpori Christi esse dedicatam voluerunt . cum enim calix ille significet corpus Christi esse ibi collocatum , neque tamen adhuc esset , præberi ex eo idololatriæ occasionem . mox etiam hic aliam calumniã struunt , dicuntque , me imaginibus derogare , & veterem hæresim iam diu damnatam suscitare . quid obsecro calici cum imaginibus ? nunquid calices more imaginum honorantur . aut ego absolute prohibui etiam calicum imagines , nisi quatenus idololatriæ periculum creant ? rursus quando ex senatus consulto leges constitutæ fuerunt de moderandis sumptibus , & pompis , & dotibus mulierum , vt leges illæ solidius starent , adieci & ipse auctoritatem meam , denuntians excommunicandos esse , qui hæc leges violarent . quod si qui malitiosè à summo Pontifice impetrare quicquam contra hæc decreta tentauissent , totum fore surreptitium , neq; apud Christum absoluendum , qui hoc esset machinatus . me . n . scire summi pontificis animum , qui nollet à me intentatæ excommunicationi quicquam derogare . hic isti victores iam se arbitrati sunt , & me iã iam ab episcopatu deijciendũ , qui de summi pontificis

ficis dignitate detraxerim . quasi ingenti damno sim afficiendus , si priuer episcopatu , eũ nihil mihi accidere felicius possit , quàm vt tam periculoso onere sine mea culpa leuer . ita miseri , dum accuratè in mea verba , & facta inspicere conantur , se ipsos obliuiscuntur , neque fructum vllum ex hac verbi Dei prædicatione referre sciunt . ego interea gaudebo in sinu (vt dicitur) qui Domini mei Iesu Christi socius quantula ex parte sim , cuius verba scribæ , & pharisæi identidem malitiosè obseruabant . meminit autem hic Euangelista præsentia pharisæorum , & legis peritorum ob ea , quæ hic facta memorantur . Et virtus Domini erat ad sanandum eos . virtus , id est , potestas , ac vis , Græcè δύναμις . ingentem (inquit) præ se potentiam ferebat in curandis morbis . per quæ verba facilè colligitur , multos hic fuisse sanatos . sed memoratur tantum vnus curatio ob ea , quæ in hoc facto annotatũ digna acciderunt . Et ecce viri portantes in lecto hominem , qui erat paralyticus , & quærebant eum inferre , & ponere ante illum , & non inueniētes , quã parte illum inferrent præ turba , ascenderunt supra tectum , ac per tegulas demiserunt eum cum lectulo in medium ante Iesum . Paralysis Græca dictio significat genus quoddam morbi , cum ita dissoluta est virtus membrorum , vt omni eorum vsu destituatur egrotans . qui , cum etiam ex ipsorum membrorum contactu , dolere plerumque vehementer soleat , necesse fuit , vt eum in lecto portarent . Occupauerat autem turba etiam ingressum domus , vbi Iesus prædicabat , & sanabat ægrotos : neque enim in illa vrbe , siue castello , vbi tunc degebat , erat templum , vt nostra nunc sunt , in quibus ingens hominum numerus colligi potest . nam alibi ostendimus , cautum fuisse lege , vt in tota Iudæorum habitatione vnum duntaxat templum esset , vt Diuini cultus puritas integra seruaretur , neque varijs diuersorum locorum ritibus corrumpeteretur . is autem locus erat Ierosolymis . at Iesum Ierosolymis tunc non fuisse , declarant præcedentia verba , cum dixit , illos legis doctores venisse etiam ab Ierusalem . occupato ergo aditu , pleno fidei consilio vsi fuerunt , vt tectum ascenderent , ac per tegulas eum demitterent , & ponerent in medium ante Iesum . alius Euangelista dicit , illos perfosso tecto , funibus demisisse grabatum , in quo paralyticus decumbebat . Quorum fidem vt vidit , dixit illi . homo , remittuntur tibi peccata tua . Obserua ingentem fidei virtutem , quæ non solum suæ , verum etiam alienæ culpæ impetret remissionem . neq; enim tam mirum est , si corpus vnus per alterius fidem curetur , quando in morbis animæ oportet , vt peccator plus adhibeat de suo . sed opinabitur fortasse aliquis hoc exemplo , fore ; vt , vbi quis mori proximus factus , nequedum pœnitentiã ductus , & ab alienata iam ob morbum mente sit , proximorum fidem remissionem illi impetret peccatorũ . ne quæso , ne ad hæc infirma argumenta conuertamini . frater non redimet ,

ait propheta. audite ergo, vti res se habeat, ne vana spe, vt magna pars solet, decipiāmini. Quod ad animæ sanitatem pertinet, possunt quidem assidua preces, ac intenta fides impetrare, vt Diuina aspirante gratia peccator desipiscat, & errorem agnoscat suum: qui tamen si vocantem interius Deum audire contemnat, neque adhibeat, quod potest de suo, nihil eum aliena fides iuuat. in hoc autem paralytico fides offerentium opitulata quidem est, sed non totam effecit. neque enim potest ex Euangelijs argui, hunc paralyticum fide prorsus caruisse, quin contrarium potius colligere licet. si enim omnino fide caruisset, passus non fuisset se poni ante Iesum. & quod ait, Dominum vidisse illorum fidem, in illis comprehenditur etiam paralyticus ipse. Illud etiam in hac curatione est notandum, quod nihil expectantibus illis aliud, quam corpori morbi curationem, Dominus primum illam animi adhibuit, duas opinor ob causas. vnam, vt doceret, pluris faciendam esse animi incolumitatem, quam corporis. in ea enim est veri hominis constitutio, quod si miseranda res videtur, cernere corpus ita omni virtute destitutum, vt neque lingua, neque manibus, neque pedibus recte vti possit, aut ita distortis membris, vt alterum pro altero facere cogatur; multo profecto est miserabilius, paralyticam animam intueri, cuius officium cum esse debeat, vt lingua in laudes Dei, & proximi cuiusq; vtilitatem, atque edificationem, blasphemijs semper, & oblocutionibus, & detractioibus addicta sit. cum eius cor sanctarum cogitationum domicilium esse deberet, nihil unquam aliud cogitet, quam scelerata, & foeda, vt ferarum lustrum effectum sit. manibus vtatur non ad eleemosynas dandas, & proximum quenque iuandum, sed ad rapinas, atque ad caedes. omnium denique sensuum, ac membrorum officio ita abutatur, vt nihil recte, atque vt a natura sunt instituta, facere sciant. hæc multo miserabilissima est paralytis, qua maxima hominum pars laborat, & tamen tantum abest, vt solliciti sint, quibus artibus curentur, vt etiam medicos oderint, qui curare eos velint. Altera causa est, cur prius animam quam corpus sanauerit, quod corpori morbi ob peccata oriri solent, quod manifestè declarauit Dominus, cum alterum paralyticum, vt est apud Ioannem, curauit, qui triginta & octo annos ægrotauerat. cum enim postea reperisset illum in templo, dixit ei. ecce sanus factus es, ne amplius pecces, nequid deterius tibi contingat. Dominus ergo in peritorum medicorum morem, causam morbi affert, vt morbus tollatur. & hic etiam mirum est, quanta stupiditas miseros homines occupet. vbi enim quis ægrotat, cum certò sciat ab Euangelio edocens, morbos ob peccata immitti, deberet confestim sponte ipse accersere sacerdotem, & peccatorum exhomologesim ex animo facere. & tamen ita à tam saluari facto abhorrent, vt vel, si id faciunt, coacti faciant, vel

tantum differant, vt cum faciendâ exhomologesim est, morbus sic increuerit, vt rationis, ac mentis vsus, aut nullum, aut penè extinctum habeant, & desperata iam sit ægroti curatio. quis tantam vecordiam non stomachetur? quis non videat, hæc à verè ethnicis mentibus proficisci? auferte obsecro tam pudenda facta: quod posthac facilius erit, quòd audio post tot meos clamores cœpisse plurimos uestrum iam exaudire. quòd si, ut cœpistis, perseueretis, exiguo negotio uetus ille, & uitiosus mos noua consuetudine tolletur. Homo remittuntur tibi peccata tua. in Matthæo appellat filium. confide (inquit) fili, remittuntur tibi peccata tua. quibus verbis ingens fiducia datur ijs, qui reuerti ex animo ad Deum velint, quòd non solum in seruos honestos, aut etiam amicos, uerum & in filios sint accipiendi. quòd si cogitarent homines, non tam frigide conuerterentur ad Deum, & semel reconciliati darent operam, ut nunquam ab eo posthac peccando recederent. Et cœperunt cogitare scribæ, & pharisæi, dicentes. quis est is, qui loquitur blasphemias? quis potest remittere peccata nisi solus Deus? Iam alibi admonuimus, cur legis periti scribæ uocarentur, uidelicet à sacrarum scripturarum peritia. cum enim Diuina lex ob quandam excellentiam scriptura appelletur, ij, qui huius scripturæ scientiam profiterentur, scribæ uocabantur, sicut à philosophia philosophi, à medicina medici, sic à scriptura scribæ. Venerat Seruator Christus, ut per fidem in illum seruarentur homines, fides autem integra erat, vt non tantum verus homo crederetur, sed etiam verus Deus. credi autem Deus non poterat, nisi Diuina facta edidisset. hic ergo fecit, quod Dei proprium est, remittere uidelicet peccata. scribæ autem, & pharisæi, qui hoc mysterium ignorabant, arbitrati sunt, Dominum rem blasphemam locutum, qui, quòd solius esset Dei, sibi usurparet. Deus enim per prophetam, dicit. ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas. Vt cognouit autem Iesus cogitationes eorum, respondens dixit ad illos. quid cogitatis in cordibus uestris? uide sapientiam Domini, & præterea humanitatem. cogitauerant tantummodo, non autem protulerant uoce scribæ, ac pharisæi, Dominum blasphemasse propterea, quòd fecisset re, quæ solius esset Dei. nunc, vt eis occasionem, si velint, credendi præbeat, rem aliam facit, quæ & ipsa Dei propria est. scriptum est enim. scrutans corda, & renes Deus, respondet ergo cogitationibus eorum, & ait. Quid cogitatis in cordibus uestris? utrum est facilius, dicere remittuntur tibi peccata, an dicere, surge, & ambula? alio facto uult ostendere, se Diuina potestate præditum. uelim (inquit) uos ipsos huius rei, qua uidemini offendi, esse iudices. uos, si interrogemini à me, utrum maius sit, iubere, vt peccata huic remmittantur, an iubere, vt, qui paralyticus nunc est, continuo sanus surgat, & abeat, respondebitis, hoc posterius nihilò inferius esse

esse priore. Vt autem sciatis, quod filius hominis habet potestatem in terra remittendi peccata, ait paralytico. tibi dico. surge, tolle lectulum tuum, & vade in domum tuam. non dixit, ut agnoscat, me Deum etiam esse, qui remittere peccata possim, non enim quicquam profecisset, sed offendisset magis, cum tantæ veritatis capaces minimè fuissent, præsertim non ita bene affecti animo: sed dixit tamen, quod tantumdem valeret. vt sciatis (inquit) me, quod prius feci, potuisse facere, non solum iubeo, vt hic paralyticus sanus surgat, sed in plenæ sanitatis argumentum, tollat & lectulum, in quo fuerat portatus, & illum in domum vsque suam auferat. Isque confestim surgens coram illis, tollebat, in quo iacuerat, abiitque in domum suam glorificans Deum. & stupor corripuit omnes, & glorificabant Deum, & repleti sunt timore, dicentes, vidimus admiranda hodie. Quod dicit, stuporem corripuisse omnes, quodque omnes repleti sint timore, id est, reuerentia, atque admiratione, Matthæus Evangelista refert ad turbas. sic enim scribit. & cum vidissent turbæ, admiratæ sunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit talem potestatem hominibus: quod si scribæ, & pharisæi pariter fuissent admirati, oportuerat, eorum in primis meminisse, vt quæ dignior audientium pars esset. videntur ergo eo animo perdurasse, quo venerant. opinor enim eos duplici morbo laborauisse, & arrogantia, & inuidia, quorum vtrunque prohibebat, ne ei assentirentur. alioqui ex tam aperto Domini facto primi ipsi esse debuerant, qui admirarentur, ac Deum glorificarent. esto enim concedatur, illos primum cum causâ de blasphemia dubitauisse, cum diceret, remittuntur tibi peccata tua. cum præterea detexit illorum cogitationes, quod & ipsum Dei est proprium, & post hoc addidit miraculum repentinae curationis paralytici, quod ipsi maius fortasse arbitrati essent, quam illud prius. nisi enim ita esset, non proposuisset eis Dominus, ac dixisset, vtrum est facilius, dicere, remittuntur tibi peccata, an dicere, surge, & ambula? cum hæc inquam facta sint, quæ nullis argumentis refutari poterant, cur non credebant? cur non ipsi illius virtutis, ac potentie erudebant concionatores? cernitis, quantum mali afferat malè affectus animus? fugite superbiam ciues mei, fugite inuidiam. neque verò id ego admonéo sine causam. nam video plerosque vestrum vehementer hoc morbo laborare, ac propterea ita cæcos fieri, vt ea, quæ maxime essent laudanda, continuis incessant calumnijs, neque vllis quamuis fortissimis, ac apertissimis rationibus abduci à sua erroris opinione possint, & sanè parum esset, si ipsi soli peccarent: præ eo malo, quod inde sequitur. nam eorum error latius serpit, & venenatis linguis alios seducunt, & eis sua somnia persuadent, verè germina serpentis antiqui, atque, ut dicitur, mali corui malum onum. nam & serpens, quod Deus ad unam hominis vtilitatem iusserat,

ferat, ne uesceretur de ligno scientiæ boni, & mali, illud ipse cepit calumniari, quasi inuidiæ insimulans Deum, atque hoc pacto perdidit nostrum genus. sicisti, dum, quod rectè, ac sanctè uel factum, uel dictum est, cauillantur, seducunt simplicium animos, ac totam inficiunt ciuitatem. at uerò mihi etiam serpente uidentur deteriores. nam serpens tandiu astutia sua usus est, dum eam sciebat latere. isti uerò tametsi admonentur, eorum insidias, ac fraudes esse proditas, nihilo tamen minore animo uenenum suum diffundere non cessant. neque unquam uenit illis in mentem exacti illius iudicij, in quo non solum perniciosâ hæc, uerum etiam ociosa uerba erunt examinanda. Verum, quando sumus inuicem membra, ne cessemus, tum continuis ad Deum precationibus, tum amicis admonitionibus dare operam, ut à tam misera paralyfi curentur, & portare ipsi incipiant lectum, à quo nunc portantur, id est, ut non solum non sint graues ijs, qui eos ferunt, sed etiam aliorum uerrucis ignoscant, cum sciant, suis tuberibus hactenus ab alijs ignotum fuisse. neque enim cuiusquam salus est desperanda. nam charitas omnia sperat, ait Paulus. quod si assequemur, non erit minus glorificandus Deus, quam in hac, quam audistis hodie, huius paralytici curatione, in qua Diuina declarata fuit uirtus Domini nostri Iesu Christi, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & potestas, & imperium, & nunc, & in omnia secula.

Amen.

ORATIO

ORATIO VIGESIMA QVINTA.



T post hæc exijt, ac vidit publicanum nomine Leui, sedentem ad telonium. & ait illi, sequere me. & is relictis omnibus surgens secutus est eum. Mirum, ac nouum eligendorum apostolorum genus. dudum piscatores elegerat, nunc uocat publicanum. oportebat enim, ut omni ex parte admiranda esset hæc philosophia, ut intellexeretur, non esse eam ab hominibus, neque per hominem, quemadmodum Paulus de suo apostolatu dicebat. neminem autem scribarum, & pharisæorum, ac legis peritorum elegit, sed quæ stulta in mundo erant, ut ne quis gloriaretur, se quicquam attulisse de suo. Vidit publicanum nomine Leui. is est Matthæus egregius Euangelista, qui scribens ipse hanc historiam aperte nomen suum ponit, & ait. præteriens Iesus illinc, uidit & hominem sedentem in telonio, qui Matthæus dicebatur. Lucas uerò, & Marcus alterum nomen minus uulgatum posuerunt, parcentes famæ. nam publicani malè audiebant, ob officium infame. erant enim publicani, qui publica uestigalia emebant, ut inde lucrarentur, & publica damna priuatam facerent utilitatem. inferius uerò cum scribit Lucas, Dominum elegisse ex omni discipulorum numero duodecim, quos apostolos appellauit, non Leui, sed Matthæum nominat, quia rem dicebat illi honorificam. pulchrum exemplum, quod & nos oporteret imitari, ut, cum de nobis loquimur, nosmet deiciamus, neque erubescamus uitia nostra, atque peccata cõfiteri. quod faciebat Paulus, qui se peccatorum primum prædicabat, seque fuisse blasphemum, & contumeliosum. appellabat se abortiuum, & indignum, qui vocaretur apostolus. ubi uerò de alijs sermo habendus est, honestè de illis loquamur. nunc uerò contrarium fit. nam nos ipsos, ac nostra extollimus, ac magnificamus, aliosque deiciamus, atque aliorum probra nostram arbitramur commendationem. quod negocium quam sit frequens apud meos ciues, illorum conscientia relinquo examinandum. Vidit publicanum sedentem ad telonium. in sua illum officina deprehendit, curis telonij implicatum, ut maior uocationis efficacia intelligeretur. solent enim homines, quò maioribus terrenarum rerum occupationibus detinentur, eò minus esse apti Diuinis sermonibus audiendis, ob hanc causam cum uerbum Dei tractandum est, non solum festus dies eligitur, quo uacare homines ab humanis negocijs solent, uerum etiam ipsum mane, prius quam humanæ sollicitudines animum inuadant. Vidit ergo publicanum nomine Leui sedentem ad telonium,

lonium, & ait illi. sequere me. at is relictis omnibus secutus est eum. magnificum factum, quodque declarat, illum ex animo huic assensisse uocationi. sed quo pacto uenit illi in mentem relinquere omnia, cum Dominus minimè hoc illi imperasset? credibile est, hunc interdum audiuisse Dominum loquentem de æterno illo regno, cuius mentio commouebat audientes. quemadmodum legimus de illo adolescente, qui multas habebat diuitias, qui ad æternæ uitæ nomen inflammatus, rogauit Dominum, quo pacto eam assequeretur. hoc idem alibi fecit & quidam ex legis peritis. cum ergo cerneret Matthæus se uocari ab ipso Domino, ut se sequeretur, quem Dominum sciebat nihil habere, iudicauit (ò uerè philosopham mentem) indecorum, si quicquam sibi reseruaret, atque à magistri moribus discreparet. & profectò necesse est, ut, quicumque in hanc philosophiam bene se penitus det, terrena hæc omnia contemnat, ac despicatui ducat. sed hoc, quod nunc dico, non facile creditur ab ijs, qui hæc audiunt, propterea, quòd pauci admodum sunt, in quorum animos hæc ueritas penetrauerit. audimus hæc quidem ab ipsa infantia, sed tanquam Romanorum historias, interea exercemur, atque adeo ab ipsis parentibus trahimur ad ea, quæ sunt ab hac philosophia alienissima. ut nunquam dici possit, uerè nos, & ex animo factos fuisse Christianos. atque ut rem ita se habere intelligatis, exemplum accipite à rebus, quæ quotidie uobis ante oculos versantur. scit homo nullum certum habere se hic uiuendi spatium, & tamen in re tam incerta, atque instabili maximos labores perfert, varijs se obijcit periculis, ut opes paret, ut honores adipiscatur: & in alijs interea, si ob cæcum amorem sui impeditur, quò minus sua iudicet, experitur, hos labores sæpe in cassum subiri, & homines frequentissimè plus molestiarum, quam commodi reportare. neque tamen propterea à tanto errore, ac penè insania patitur se abduci. cur hæc tam absurda fiunt? nimirum ob uehementiorem affectum erga opes, & facultates, & honores. quòd si amor tantam habet vim, ut pro rebus & incertis, & caducis, & momentaneis tot labores suscipiant homines, tot se obijciant periculis, ut multi sæpe uitam cum re expetita amiserint; quid non conaremur pro sempiternæ felicitatis adeptione, si nos serio in eius cogitationem daremus? quis nõ libens obolum pro aureo nummo erogaret? at omnes totius mundi facultates pretium oboli non æquant, si cum ijs bonis conferantur, quæ nobis promittuntur, si toto pectore in Euangelicam philosophiam incumbamus. non est ergo, quod admodum miremur, cum cernimus, aut audimus, aliquos relictis omnibus sequi Christum. mirandum potius est, tam paucos id præstare in tanto hominum numero, qui se in Christum credere perrositentur. Et fecit ei conuiuium magnum Leui in domo sua, at Matthæus, cum hoc scriberet, re-

cubitus quidem meminit, sed ob modestiam tacuit, se magnum hoc conuiuium instruxisse. discite hinc, cum accipiendus est Christus, conuiuium magnum esse faciendum, id est, cum alendi, & iuuandi sunt pauperes, in quibus se accipi professus est, large, ac liberaliter esse hoc præstandum. sed vos contrarium facitis. cum enim conuiuia fiunt, vel ob nuptias, vel, vt cum amicis indulgeatis genio, non modo liberales, sed prodigi estis, vbi verò ob Christum fieri aliquid oportet, nihil inuenitur, quod in eius obsequium impendatis, aut ita exiguum, vt pudori potius sit, quàm laudi quod impenditur. Et erat turba multa publicanorum, & aliorum, qui cum illis accumbebant. cernis exempla quid faciant? vno accersito publicano, alij plures accedunt ad Iesum. sicut enim in malis moribus vnius vitium totam inficere ciuitatem idoneum est, ita vnius probitas multos ad meliorem frugem reuocare consuevit. iam incipit impleri, quod alibi dixit Dominus scribis, & pharisæis. publicani, & meretrices præcedent vos in regno Dei. O regnum omnibus obuium, atque à tam paucis expetitur. quod hominum genus tam à cælestibus cogitationibus alienum est, quàm publicani, & meretrices? & ij tamen, si velint, præcedunt scribas, ac legis peritos. contemplemur obsecro hoc conuiuium, in quo ille filius Dei, sapientia patris, is, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, inter publicanos, & peccatores de regno cælorum philosophatur, & eos docet philosophari. nescio quo modo vos hoc spectaculo commoueamini. mihi sanè res videtur spectatu dignissima, ac multò magis, quàm Platonice, ac Aristotelice scholæ, Platonisque conuiuium. videte verò in re tam egregia, malè affectis animis quid accidat. Et murmurabant (inquit) scribæ, & pharisæi aduersus discipulos eius dicentes. quare cum publicanis, & peccatoribus editis, & bibitis? id isti agunt, quod ego sæpe in plerisque uestrum reprehendi, qui quò res melius, ac sanctius, & utilius fiunt, eas acrius carpunt, & mordent, atque in deteriore semper partem interpretantur non aliam ob causam, nisi quòd corruptam odio, aut inuidia, mentem habent, & oculis tanquam fascino quodam uitiatis, res, vt sunt, intueri non possunt. & facta eiusmodi quotidie vsu veniunt, & miseri tantum agnoscere errorem nesciunt. murmurant scribæ, & pharisæi ob plenum pietatis factum. O verè cæcam inuidiam, quæ doctos in lege Dei homines non sinebat in re tam iudicatu facili rectò uti iudicio. videntur penitus nescisse, quid esset charitas, & salutis proximi cuiusque studium. inuehantur in discipulos Iesu, nam magistrum nõ ita facile aggredi audebant. quare cum publicanis (inquiunt) ac peccatoribus editis, & bibitis? quid tum? non vidistis, cur conuiuium instructum fuerit? quòd ob vocatum à Christo Mattheum publicanum,

inui-

inuitatus fuerit magister cum discipulis, atq; hac occasione reliqui etiam publicani, ac peccatores conuenerint? quid hic habetis, quod reprehendatis? unde querelæ istæ uestræ? sed videntur isti ex eorum esse numero, de quibus Esaias ait. qui dicunt, recede à me, ne appropinques mihi, quia sanctior te sum. arbitrabantur imminui de sua dignitate, si cum ijs uersarentur, qui non bene audiebant. sic alter pharisæus, qui acceperat Dominum conuiuium, cum uidisset peccatricem mulierem tangentem eius pedes, offensus ea re dixit intra se. hic si esset propheta, sciret utique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est. quamuis uideret eam illuc accessisse unam ob causam, ut ueniam peccatorum impetraret. cernebat flentem, lachrymis rigantem pedes Iesu, & eos capillis capitis sui extergentem, negligentem ornatum suum, ac speciem, quæ res in primis curæ esse mulieribus solet: & tamen ea re offendebatur pharisæus. rectè ergo Dominus huius generis homines hypocritas aliquoties appellauit, qui uidebantur illud unum curare, ut scilicet apparerent hominibus probi. at spiritualia hæc peccata curantur difficilius. ubi enim quis eam uitam profitetur, quæ sanctitatem aliquam, ac probitatem aliquanto selectiorem coniunctam secum, hominum opinione, habeat, neque præterea interior homo uerè renouatus sit, eiusmodi hominum genus deterius multò esse alijs solet. nam, qui apertè peccatores sunt, non erubescunt id, quod sunt, profiteri, seque, cum opus est, deijcere. at quicumque illud uitæ genus arripuerunt, cui coniuncta esse sanctitas solet, aut certè debet, non minus uerentur se peccatores confiteri, quàm legum ignorantiam ij, qui peritiam legum sunt professi, & ob hanc causam à uitijs, quibus obsidentur, maiori cum difficultate liberantur, dum sua facta tueri student, conseruandæ auctoritatis gratia. cum hac ergo auctoritate, quam sibi ex peritiæ legis professione scribæ, & pharisæi usurpauerant, reprehendunt discipulos Iesu, cur cum publicanis, & peccatoribus ederent, ac biberent, uel, sicut Matthæus scribit, cur eorum præceptor cum eis cibum sumeret. attingunt id, quod ipsi arbitrabantur reprehensibile, & tacent id, quod ne hostes quidem ipsi damnare potuissent. quòd scilicet propterea cibum cum illis capiebat, ut ex ea conuiuij occasione illos lucraretur. id enim malitiæ proprium est, quærere causas reprehensionis, & dissimulare ea, quæ non nisi summi cum eius, quem taxant, commendatione narrari possunt. ij crabrones imitatur, qui si ad generosum equum accedunt, sanas eius partes nihil curant, sed si qua forte in illo particula est, quæ vitium habeat, continuo ad eam aduolant. at isti cum nihil esset in Christo reprehendendum, syncerum tamen cupiunt uas intrustare, finguntque uitosum, quod omni uitio carebat. Et respondens

Iesus dixit ad illos. non egent, qui sani sunt, medico, sed qui male habent: veni (inquit) non ut iudex; sed ut medicus. at medici non adeunt sanos, sed ægrotantes. quid autem volunt aliud conciones omnes meæ, & continua prædicatio, quam ut curentur laborantes morbo animæ? cum verò ij, quibuscum nunc in conuiuio sum, plus cæteris, uestro testimonio, sint ægroti, admiramini, si ad eos accessi? quare adiecit. non veni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. quæ sententia est declaratio superiorum uerborum. iusti sanorum locum tenet, peccatores ægrotantium, ad quos uocandos ad pœnitentiam uenit. nam hinc initium suæ prædicationis fecit, dicens. pœnitentiam agite. sed quosnam iustos inuenit, quos uocari non fuerit necesse, cum dicat scriptura, non est iustus quisquam, non est, qui faciat bonum, ne unus quidem? & Paulus ait. omnia conclusit Deus sub peccatum, ut omnium misereatur. verum solui hæc dubitatio duobus modis potest. primo sic. si fuissent homines iusti, non oportuerat me ad eos descendere, & uocare, sed quia erant peccatores, iccirco ueni. deinde potest esse ironia quædam, & tacita scribarum sugillatio, qui se iustos arbitrabantur, ac semet ipsos iustificabant coram hominibus, atque adeo audebant id facere coram Deo, ut pharisæus illè, qui cum ascendisset in templum precaturus, aiebat Deo. gratias tibi ago, quòd non sum, sicut cæteri hominum, iniustus, raptor, adulter, uelut hic publicanus, ij ergo, dum se iustos opinarentur, uocari ad pœnitentiam non poterant. nemo enim, qui sanum se credit, medici consiliū quærit. Noluit autem Dominus ne illos quidem relinquere sine medicina. adiecit enim, sicut Matthæus scribit. ite autem, & discite, quid sit, misericordiam uolo, & non sacrificium. uos (inquit) qui scientiam legis profiteri, discite, quid in lege scriptum sit. Deus enim in ipsa lege dicit, placere sibi magis misericordiam in homines, quam sacrificium. ob hæc causam David spiritu Dei plenus dicebat. sacrificium Deo spiritus. contri- bulatus. hoc autem, quod hic citatur, testimonium in Osea est. ubi sic legitur. propter hoc rupi prophetas, et occidi eos in uerbis oris mei, ut iudicia tua quasi lux egredierentur, quia misericordiam uolui, & non sacrificium, & scientiam Dei plus quam holocaustum. Deus enim nunquam desinit mittere prophetas sanctos, quos ueluti lapides ex lapidicina abscidit, & misit in discrimen uitæ, ut peruersum corrigeret populum, ne in horrendum inciderent iudicium Dei, sed pij essent in Deum, & homines, & iustitiam suam non in externis ponerent cæremonijs, sed fidem seruarent in Deum, & charitatem erga proximum, quæ magis grata Deo sunt, quam sacrificia, & holocausta, quæ per se nequaquam placent Deo. nam ipse per prophetam dicit. non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. quoniam meæ sunt omnes feræ siluarum, iumen

tà in montibus & boues. & nunquid comedam carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? scribæ autem, & pharisæi, cum in hisce externis se religiosos, ac legis obseruatores declarauissent; nihil admodum interiorum animi purificationem querebant excolere, sed tanquam ipsi perfecti, seueri erant iudices aliorum, & sine misericordia imponebant alijs onera grauiora, & quæ alij ferre non possent, quæ ipsi nolebant digito mouere. at hoc indicium est minimè purgati animi, in alijs iudicandis affectu misericordiæ non commoueri, sed rigida censura in illos ferri. At illi dixerunt ad eum. quare discipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obsecrationes faciunt, similiter & pharisæorum, tui uerò edunt, & bibunt? mala mens similis est ingentibus fluminibus, quæ ex nimia aquarum copia solent frequentius redundare. si enim una ex parte obices pares, ex altera erumpunt: sic isti uno responso superati, alias calumnians causas exquirunt. reprehenderant discipulos Iesu, quòd cum publicanis, ac peccatoribus ederent, ac biberent; reddita autem eis ratione à Domino, rursus calumniantur, cur ieiunantibus discipulis Ioannis, & pharisæorum, discipuli Iesu non ieiunarent. uerum, & si immedicabilis ferè morbus eiusmodi hominum est, qui maligno animo in proximum quenque inuehi sunt parati, debemus tamen, quantum licet, eorum criminibus respondere; cum metus est, ne illæ criminationes offensionem simplicioribus pariant. quare respondit illis Iesus, & dixit. Num potestis facere, ut filij thalami, dum cum illis est sponsus, ieiunent? uenient autem dies, & cum ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus. responso est, quæ secum habet mysterium. appellat discipulos filios thalami, siue nuptiarum, reuocans illis ad memoriam uerba Ioannis Baptistæ, cuius discipulorum hic scribæ meminerunt in sugillationem Christi. Ioannes enim cum de Christo loqueretur, inter cætera appellauit eum sponsum, dicens. qui habet sponsam, sponsus est; amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter uocem sponsi. Aduentus autem Christi nuptijs comparatur, quia accepit ecclesiam tanquam sponsam. unde & Paulus Christum uiro, ecclesiam uxori comparat. sic enim ad Ephesios scribens ait. uxores proprijs uiris subditæ sitis, ueluti Domino. quoniam uir est caput uxoris, quemadmodum & Christus caput ecclesiæ. itaque quemadmodum ecclesia subdita est Christo, sic & uxores suis uiris subditæ sint in omnibus. uiri diligite uxores uestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam, & semet ipsum exposuit pro ea, ut illam sanctificaret mundatam lauacro aquæ per uerbum, ut adhiberet eam sibi ipsi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam. & paulò post, cum mentionem fecisset uerborum Adæ de marito, & uxore, cum dixit. huius rei gratia relinquet homo patrem, & matrè, & adiu-

getur vxori suæ, adiecit. mysterium hoc magnum est, ego autem dico, de Christo, & de ecclesia. ob hanc causam & Dominus in parabolis inducit regem, qui fecit nuptias filio suo. & canticum illud canticorum Salomonis celebrat mysteria Christi, atque ecclesiæ, sub amantis, & amatae figura, veluti sponsi, ac sponsæ. eiusmodi autem similitudines acceptæ sunt, ut declararetur maxima Christi charitas erga ecclesiam, & intima cum ea coniunctio. Rectè igitur Dominus appellauit discipulos filios thalami; vel nuptiarum. & quia in nuptijs non decet quicquam triste esse, ac luctuosum, dicit, fieri non posse, ut filij nuptiarum tandiu ieiuent, dum cum illis est sponsus. æquum præterea erat, ut discipuli sequerentur vitæ institutum sui magistri, qui diuersam victus rationem ab illa Ioannis tenebat, & huius rei causam alio loco reddidimus: venit (ait alibi Dominus) Ioannes, neque edens, neque bibens, & dicunt, Dæmonium habet. venit filius hominis & edens, & bibens, & dicunt, en hominem comedonem, & vini potorem, publicanis amicum, ac peccatoribus. cum autem ieiunia castigandi corporis gratia sint instituta, non erat metuendum, ne discipuli Iesu sub tanti magistri custodia, legitimos cibi, vel potus terminos transilirent. quare omnes istas ob causas non erant illis ieiunia necessaria. Venient autem (inquit) dies, & cum ablati fuerint ab illis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus. hoc autem accidit post assumptum in cœlum Dominum, vbi in fame, & siti degebant, & frigore, & nuditate, & ieiunijs multis, ut Paulus de se testabatur. Dicebat autem & similitudinem ad illos. nemo immisuram noui vestimenti immittit in vestimentum vetus. alioquin & nouum rumpit, & veteri non conuenit immisura ex nouo. & nemo mittit vinum nouum in vtres veteres, alioquin rumpet vinum nouum vtres, & ipsum effunderetur, & vtres peribunt. sed vinum nouum in vtres novos mittendum est, & vtraque conseruantur. & nemo, qui biberit vetus, statim vult nouum. dicit enim, vetus melius est. Sunt, qui interpretentur, hæc fuisse à Domino dicta ob discipulos in hunc sensum, vt dicat, nunc, cum infirmi sunt, & à spiritu sancto nondum innouati, veteribus comparantur vtribus, nec oportet illos grauiori viuendi ratione premi, & onerari, sicut neque veteri vestimento noua additur immisura. & qui hoc ita interpretantur, per pannum rudem, & vinum nouum intelligunt ieiunium, per vestem veterem, & veteres vtres infirmitatem discipulorum. sed fortasse melius erit, & aptius, si ob pharisæos dicta interpretemur. ipsi erant veluti vetera vestimenta, atque vtres veteres, prædicatio autem Euangelica tanquam nouum pannum, & mustum vinum. sicut ergo non conuenit veteri, panno noua commissura, quia maior scissura fit. & mustum vinum si in veteres vtres immittatur, rumpuntur vtres, & vinum effunditur, sic scribæ. & pharisæi, dum veteres mo-

res

es seruabant, neq; ab eis auelli se patiebantur, in Euangelica prædicatione potius ostendebantur, quam ædificarètur, & quicquid illis infundebatur, effluebat, ac peribat. nã impuro purũ tangere nefas est. & sicut, qui vetus vinũ biberit, nõ statim vult nouũ, dicit. n. vetus est; sic illi assueti literæ legis, & illã mordicus tenètes, de qua ait Paulus, litera occidit, nõ admittèbat mysteria spiritus, quæ in noua lege sunt, atq; hoc erat in causa, cur nõ solũ nihil proficerent ex Domini doctrina, sed fierent potius deteriores, semperq; illi aduersarentur. at quicunq; in Euagelica philosophia progredi vult, oportet, vt faciat, quod Paulus ait. si quis est in Christo noua creatura, vetera abierũt, ecce noua facta sunt omnia. hæc autẽ in nouatio, oportet primũ, vt in interiori homine fiat. scribæ autem, & pharisæi videbantur illam prorsus ignorare, cum de illis alibi dixerit Dominus. omnia opera faciunt in hoc, vt spectentur ab hominibus. dilatant phylacteria sua, & magnificant fimbrias palliorum suorum (quæ nimirum ad externam ostentationem pertinebant) amant primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. at Euangelica lex vult omnia contraria, iubetq; ut nos deiciamus, demittamusq; ad proximum quenque, & qui maximus est nostrum, sit aliorum minister. tantum autem aberat, ut curarent aliorum salutem, ut obiecerit illis Dominus, quod clauderent regnum cœlorum ante homines, & nec ipsi intrarent, nec aduenientes sinerent intrare. erant hypocritæ, erant auari, erant impostores, ambitiosi, superbi: cum his moribus qui accedunt, nullum percipere ex Euangelica prædicatione fructum possunt. Sed res nunc deterior accidit. nam scribæ illi, ac pharisæi, qui Christo aduersabantur, atq; illi insidiabantur, perpetuas cum eo exercuerunt similtates, neque vnquam in illum se credere professi sunt. at nos, qui omnes in illum credere profiteamur, & filium esse Dei prædicamus, tantò magis iniuri in illum sumus, quantò grauior est iniuria, quæ ab amicis, quam quæ ab inimicis profiscitur. nam quicunque eorum, qui hic sunt, si interrogetur, num Christum amet, continuo respondebit, se amare. at quo pacto amatur Christus? ipse docet, cum ait. si diligitis me, præcepta mea seruate. at quotusquisq; est, qui ea seruet? plenitudo legis (ait Paulus) est dilectio. at hæc dilectio, nõ verbis, sed factis declaratur. filioli (inquit) nolite diligere verbo, neq; lingua, sed opere, & veritate. at quæ opera sũt, quibus hæc dilectio declaratur? tu locuples es, & multis abũdas præter necessarium victũ, & cultũ, cernis proximũ tuũ ijs egere, quæ tibi sunt supernacua, & manus ea in pompas, & vanitates, & mũdi gloriã insumere, quam eo modo collocare, quæ doceris in Euagelio. esurit proximus, sitit, nudus est, sine lare, sine foco, infirmus, in carcere. & tu bonis omnibus affluus, deliciaris, neq; ullo misericordiæ affectu erga tot necessitatibus pressum com-

moueris

moueris, & dicere audes, te proximū diligere? uerba ista sunt, mihi crede. quid? quod ne uerbo quidē diligimus? obserua. n. cum de proximo quoq; loqueris, quoties bene de eo loquaris, & inuenies semper ferē te illum detractionibus, oblocutionibus, calumnijs, criminationibus impetere. hæc autem omnia in Christi redundant ignominiam, quem cum amare nos dicamus, & contraria omnia illius præceptis faciamus, maiorem illi irrogamus contumeliam, quam pharisæi, qui se apertos illius hostes profitebantur, neque enim inuenias, Christum usquam male audire ob uel pharisæos, uel ethnicos persecutores, sed propter nos male audit apud Christiani nominis inimicos, qui, cum cernunt, nos illum agnoscere ut Deum, & factis ipsis contemnere, putant fidem nostram esse meras nugas, hoc profectò amicorum non est, tam ingentibus illum afficere iniurijs. Præterea eius, qui uerè amet, proprium est, ingentem uerbis amici fidem habere, siquid polliceatur, siquid præmoneat, præsertim si illum & prudentia, & fide præstantem agnoscimus. at Christo, cuius unius & promissionibus, & prædictionibus esset credendum, quam fidem habemus? admonet, ut à peccatis abstinemus, cū peccatoribus æternū ignē lex Evangelica interminetur. hortatur ad rectē facta, quibus sempiterna præmia promissa sint, & ea bona, quæ nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. & tamen quis tam uel horrendis minis, uel felicibus pollicitationibus commouetur, quam faceret, si amicus princeps longē his minora admoneret? neque uerò solum ijs, quæ in futura uita euentura admonet, permouemur, sed ne ijs quidem, quæ hic pollicetur. nam centuplum illud, quod charum aliquid pro Christo relinquentibus promittit, ad hanc uitam pertinet, & ne hoc quoque tanto præmio inflammur, quod in re multò minori faceremus, si ab amico homine promitteretur. Hæc manifestissima signa sunt stupidarum mentium, & eorum, qui neque ament Christum, neque reuereantur. uerè nunc dicere de nobis Iesus potest, quod de Iudæis olim dixit. O generatio praua, & incredula, quandiu uobiscum ero? quousque uos patiar? ne quæso tam abutatur diu tanta huius Domini lenitate, ac patientia, sed renouemur spiritu mentis nostræ, & induamus nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia, & sanctitate ueritatis. efficiamur noui utres, qui Euangelicum mustum contineant, cuius dulcedinem in hac uita gustantes demum eò perueniamus, ubi beatā illa ebrietate potemur, de qua scriptum est. inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente uoluptatis tuæ potabis eos. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & potestas, & imperium, & nunc, & in omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO



Accidit autem, ut in sabbato secundoprimum transiret per fata, & uellebant discipuli eius spicas, edebantque confri-cantes manibus. quidam autem pharisæorum dicebant illis, quid facitis, quod non licet facere in sabbatis? Declarandum prius est, quid sit sabbatum secundoprimum, in Græco est δευτεροπρωτου una dictio, quæ tamē ex duabus composita est, quas Latinus interpres reddidit, & si fiat una dictio, secundoprimum, erit propriè expressa vox Græca. nam & ibi geminæ dictiones similem in modum sunt coniunctæ. cum autem altera alteri solennitati continuabatur, sequens festum uocabatur sabbatum secundoprimum. nam omne festum sabbatum appellabant. & ex Iosepho libro tertio Antiquitatū, capite tertio decimo, & quibusdam glossis Hebræorum colligitur, fuisse hunc diem, qui festum paschæ sequeretur, id est, sextam decimam lunam, quo die Leuitici vigesimotertio præcipitur offerri manipulus. atque is dies eodem loco uocatur alterum sabbatum siue, ut Hebræa locutio habet, in crastinum sabbati, quod pulchrè cum eo concordat, quod hic Lucas uocat sabbatum secundoprimum, id est, secundum à primo, quod perinde est. ac si dicas, alterum sabbatum, siue in crastinum sabbati. quidam censent sic appellari diem, qui ea festa concludunt, quæ pluribus diebus aguntur, ut septimus dies azymorum, in festo item tabernaculorum. nam cum ij postremi dies pari honore obseruarentur cum primo, rectè δευτεροπρωτους, id est, secundoprimos uocari. Sed quoniam diximus, in Leuitico fieri huius diei mentionem, non erit inutile, ædificandę ecclesię gratia, dicere, quid eo die fieri præciperetur. Ut docerentur homines referre acceptum Deo, quicquid boni in hisce rebus temporarijs assequuntur, iubebat Deus inter cætera, ut tempore mæsis offerretur manipulus primitiarum, & nullum panem ex noua messe, neque tosta, aut cocta grana, neque spicam teneram comederent, usq; ad diem, quo offerret ex ea Deo suo. offerebant præterea eo die, quo manipulus ille consecrabatur, agnum immaculatum anniculum cum libamentis alijs. ab hoc quoque die numerabant septem hebdomadas, in quarum ultimo die, id est, quinquagesimo iubebantur offerre panes primitiarum, & solennia quædam alia sacrificia, quæ hic breuitatis gratia pretermitto. & hæc quidem fieri iubebantur ante, quam ipsi quicquam ex nouis frugibus gustarent. uerum præciperentur præterea decimæ, quæ darentur sacerdotibus, ac ministris templi, alię, quæ pauperibus, uiduis, pupillis, & peregrinis, & hæc quidem prestabant,

P P

quam-

quamuis per legem temporaria tantum bona illis promitterentur. nostri verò hæc tam frigide perfoluunt, quibus & æterna vita, & in hac ipsa centies multiplicata merces promittitur. cur non saltem hoc faciunt vel spe melioris prouentus, vel metu, ne terra ob hominum ingratitude- nem sterile fiat? nam utriusque fit mentio per Malachiam prophetam. sic enim ibi legitur. num deprædatur homo Deum, quia vos deprædati estis me? & dixistis. in quo deprædati sumus te? in decimis, & in primitijs, & in penuria vos execrationi dati estis, & me rapitis gens tota. inferte omnem decimam in horreum meum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus. si non aperuero vobis catarractas cœli, & effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam, & increpabo pro vobis deuorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ, nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. hic manifeste docemur, quantum scelus sit, decimas non soluere, cum dicuntur ij deprædari Deum, & ob hoc prohiberi, ne terra fructum ferat, & immitti locustas, & alia animalia deuorantia fructus. quòd si dent homines decimas, promittit Deus omnem fertilitatem. sic & Salomon docet. honora dominum de tua substantia, & de primitijs omnium frugum tuarum, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia redundabunt. hic verò quid mirum est, si Deus sæpe sterilitatem mittat, & frugum penuria laboremus, cum tam crasse in hac parte peccetur? primum enim non dantur iustæ decimæ, sed minimum quid, atque illud exiguum extorque- re per uim à debentibus necesse est. deinde illa minus plena decima datur tantummodo ex tritico, at decimæ de omnibus debentur, vt etiam sacrorum canonum decreta iubent, neque solum Diuina lex. de omnibus inquam fructibus, terrarum, arborum, animalium, piscatio- num, venationum, locationum, pensionum, molendinorum, item ex bal- neis, ex fullonia arte, lapidicina, metallica, ex negocijs, ex artificijs, & cæteris bonis. cum ergo nihil horum præstetur, & tanta ingratitude homines laborēt, mirari potius debemus supremam Dei benignitatem, quæ tam ingratibus animantibus tanta cum misericordia ignoscat, neque ea funditus à terra tollat. ista à me ob huius loci occasionem necessariò sunt dicta, cum uideam, uos tam uehementer in re tanti momenti pecca- re. ne ego nõ admonens illas pœnas dem, quas Deus interminatur specu- latori, ac pastori. si tu non annuntiaueris (inquit) ille in peccato suo morie- tur, animam autem eius de manu tua requiram. sed tēpus est, ad Euangelicam historiã reuerti. Accidit, vt in sabbato secundo primo transiret per sata, & uellebant discipuli eius spicas, edebant quæ confricantes manibus. quæ fuit necessitas Domino transeundi per sata? opinor illum tunc ad aliqua loca extra ciuitatem contigisse proficisci, & animaduertisse discipulos esu- rere.

fire. quare occasionem accepit transeundi per sata, vt accipientes spicas, ex illis granis tritici aliquantisper famem solarentur. erat enim discipulo- rum amantissimus Dominus: quod ex multis Euangeliorum locis facile colligilicet. hoc verum erat ieiunium, ita esurire, vt cogentur ob fa- mem confricatis spicis vesci. at pharisæi, qui nihil curabant obseruare in Domino, nisi quod eorum iudicio videretur reprehensibile, hoc non at- tendebant, sed de more ad calumnias conuertuntur. vide enim, quid se- quatur. Quidam autem pharisæorum dicebant illis. quid facitis, quod non licet facere in sabbatis? isti ex eorum erant numero, de quibus alibi Dominus ait, loquens ad pharisæos. duces cæci, excolantes culicem, ca- melum autem glutientes. decimabant mentam, & anetum, & cuminum, & relinquebant, quæ grauiora erant legis, iudicium, & misericordiam, & fidem. præceptum erat in lege de obseruatione sabbati in hæc verba. me- memento, vt diem sabbati sanctifices, sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est. non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, & seruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena, qui est intra portas tuas. hoc autem præce- ptum datum erat, ne terrenis occuparentur negocijs eo die, sed Diuinis beneficijs cogitandis, Diuinis laudibus, & gratiarum actione. hunc sco- pum si intuiti fuissent pharisæi, intellexissent profectò, discipulos Iesu non fuisse violatores sabbati ob illam spicarum euulsionem, & confrica- tionem, quod ob cibi inopiam faciebant. quòd si quamlibet membro- rum corporis agitationem damnabant, cur sabbato manum ori admoue- bant, acceptis cibis, quos in os infererent? sed videbantur pharisæi hæc obseruare, vt acerrimi legis custodes iudicarentur, & faciebant, quod ple- riq; nunc etiam faciunt, qui piaculum ingens arbitrarentur, sputo contin- gere altare, interea nihil verentes sacrilegio, ac simonia foedare conscien- tias, & ecclesiasticis beneficijs inhiare, & eorū fructus in prophanos usus conuerrere. Et respondens Iesus ad eos dixit. ne hoc quidē legistis, quod fecit David, cum esurisset ipse, & quæ cum illo erant, quomodo intrauit in domū Dei, & panes propositionis sumpsit, editq; ; ac dedit etiã ijs, qui se- cū erant, quos nõ licet edere nisi tantū sacerdotibus? quod ad panes pro- positionis pertinet, quia scio rē vobis plerisq; omnibus esse ignotã, histo- ria ita se habet. inter cætera, quæ ad ornatū tēpli fieri iussa erāt, fuit & quæ- dā mēsa ex lignis Setim, habēs duos cubitos longitudinis, & in latitudine cubitum, & in altitudine cubitū, ac semissem, eratq; inaurata auro puris- simo; præceptumq; fuit Mosis in hæc verba. accipies simlã, & coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas, quorū senos altrin- secus super mensam purissimã coram Domino statues, & pones super or- dinem illū thus lucidissimum, vt sit panis in monumentum oblationis

Domini. per singula sabbata mutabuntur coram Domino, suscepti à filijs Israel fœdere sempiterno; eruntque Aaron, & filiorum eius, vt comedant eos in loco sancto, quia sanctum sanctorum est ei, de sacrificijs Domini iure perpetuo. accidit ergo accidit Saul, vt David regis perfectionem fugiens, improuisus, imparatusque discederet. venit autem in Nobe ad Achimelech sacerdotem, & obstupuit Achimelech, eo quod venisset Dauid, & dixit ei. quare tu solus, & nullus est tecum? & ait Dauid ad Achimelech sacerdotem. rex præcepit mihi sermonem, & dixit. nemo sciat rem, propter quam missus es à me, & cuiusmodi præcepta tibi dederim. nam & pueris meis condixi in illum, & illum locum. nunc ergo siquid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quicquid inueneris. & respondens sacerdos ad Dauid, ait illi. non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum, si mundi sunt pueri maximè à mulieribus. & respondit Dauid sacerdoti, & dixit ei. equidem si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri, & nudius tertius, quando egrediebamur. his auditis dedit ei sacerdos sanctificatum panem. neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis, qui sublati fuerant à facie Domini, vt ponerentur panes calidi eo die, quo illi auferebantur. appellabantur autem panes propositionis Hebraica locutione, quæ denominationibus vtitur pro denominatis. nos diceremus, panes propositi. sic dicunt, terra promissionis, id est, terra promissa, & filius iniquitatis, id est, filius iniquus. & familiarissima est in scripturis sacris hæc locutio. Rectè ergo Dominus calumnijs pharisæorum, qui discipulos eius, vt legis transgressores, criminabantur, obijcit ex scripturis exemplum opportunum. sicut enim tunc non fuit reprehensus Dauid, cum ipse, & socij eius comederunt panes propositionis ob necessitatem, quibus panibus alioqui nemini licebat vesci nisi sacerdotibus; sic non erant hic reprehendendi discipuli Iesu, si ob famem sabbato euellebant spicas, & manibus cōfricantes edebant. quod enim non est licitum in lege; necessitas facit licitum, quemadmodum & leges pontificiæ attestantur. & sabbatum factum est propter hominem, non homo propter sabbatum, vt alibi ait Dominus, qui etiam apud Matthæum addit aliud exemplum, & ait. an non legistis in lege, quod sabbatis sacerdotes in templo sabbatum prophanant, & crimine vacant? nimirum quia ad laudem Dei offerebant sacrificia. at hic scrupulus nunquam tenuit illos, quia erant auari, & lucrum faciebant ex sacrificijs. Et dicebat illis. Dominus est filius hominis etiam sabbati. solebat frequenter Dominus, cum de seipso loqueretur, appellare se filium hominis, perinde ac si diceret, filius Adam. etenim vbi in Ezechiele toties dicitur, fili hominis, in Hebræo est, fili Adam. fortasse ergo Dominus vocabat se filium hominis, quia primus Adam figura fuit posterioris, id est, Christi. quemad-

modum

modum ait Paulus. factus est primus homo Adam in animam viuentem, extremus Adam in spiritum viuificantem. at non primum quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale, quod si animale præcessit spirituale, alterum fuit figura alterius. potuit & appellari filius hominis, vt suo tempore intelligeretur, eum nouo quodam, & ab alijs longè diuerso modo esse hominem, vt qui Deus, & homo esset, alioqui, cum oēs homines filij hominis dici possint, nisi in hac appellatione subesset mysterium, uiciosa videri potuisset hæc appellatio. sic ob delitescens mysterium appellabat matrem, non matrem, sed mulierem, vt intelligeretur, eius generationem à multo altiori origine fuisse repetendam. Quod autem ait, filium hominis, id est, se ipsum esse Dominum sabbati, tacite declarat, se illum esse, de quo Moses in Deuteronomio dixit. prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies, vt petisti à Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti. ultra non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. & ait Dominus mihi. bene omnia sunt locuti. prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam uerba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Prophetia hæc est manifestissima de Christo, quam & apostolus Petrus in Actis apostolorum citauit. neque enim alius unquam propheta surrexit similis Moysi, sicut hoc eodem libro capite ultimo dicitur. qui cum Deo facie ad faciem loqueretur: sed surrexit, qui Moysi non solum similis esset, sed infinites maior, qui verè cum Deo facie ad faciem locutus est. nam quod de Mose dicitur, figurata est locutio, qua significatur, Mosen præ cæteris multo familiarius habuisse cum Deo commercium. alioqui cum Ioannes dicat, Deum nemo vidit unquam, dici non potest illud, facie ad faciem loqui, fuisse plenam Moysi visionem Dei, quæ non solum in hac vita, sed ne in futura quidem contingere potest, & quod ait Paulus. videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, dicit hoc comparisone eius, quod nunc videmus. de solo ergo Dei filio dici potest, quod viderit Deum facie ad faciem, cum sit æqualis patri, & omnia, quæ sunt patris, illius sint. & cum sit Deus, potestatem habuit non solum condendi nouam gratiæ, & condonationis legem, sed & veterem ipsam Moysi, seruatu impossibilem abrogandi, vt rectè hic dixerit Dominus, filium hominis esse se Dominum etiam sabbati. Hoc quoque omittendum non est, quod hunc prophetam hoc Deuteronomio promittit, in quo & futurum dicit, vt hæc mandata non sint amplius supra nos, sed, quemadmodum Ioannes ait, ne difficilia nunc quidè esse mandata Dei. & paulo post in hoc eodem Deuteronomij libro promittitur, fore, vt fiant nobis valde familiaria, quando illa in ore habituri simus, & in corde, lege Paulum ad Romanos, & vide,

ut

ut pulchrè hic sequatur, quòd videlicet, cum petijissent, ne audirent vltra vocem Domini Dei sui, ne morentur, pollicetur, se suscitaturum prophetam de medio fratrum suorum, & positurum verba sua in ore eius; vt videlicet, qui Diuinam illam maiestatem è cœlo loquentem formidarent, iam in assumpta carne delitescerent, & similem illis factam audire non timerent. & quod ait; ponam verba mea in ore eius, latius hoc declaratur per Ieremiam, vbi sub typo Christi dicitur. ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce constitui te super gentes, & regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & disipes, & edifices, & plantes, quæ in solum conuenire Christum possunt. de quo & Esaias ait. Legem eius in solæ expectabunt, quod de lege Mosaica intelligi nulla ratione potest, quæ cogit eos omnes, quibus lata fuit, ter singulis annis Ierosolymam proficisci. uide plura in epistola ad Hebræos de sacerdotio illius secundum ordinem Melchisedech. Et hæc quidem Dominus dixit, præbens scribis, & pharisæis occasionem querendæ huius veritatis, at illi uidentur pro nihilo putasse Christi doctrinam præ sua, & literæ duntaxat inhærentes, uerum scripturarum sensum, qui spiritalis est, percipere non ualebant. quod uitium plurimum etiam damni facit in causidicis, & ijs, qui uel imperatorias leges, uel pontificias profitentur, quæ leges ipsæ cum uelint, uerba esse accommodanda materia, & legem debere ampliari, & restringi ad limites rationis expressæ, etiam si uerba (hoc quantum est?) non patiantur. & rursus. non minus debere attendi rationem legis, quàm ipsam legem, cum anima legis sit cogitata o finis, ad quem sit facta. isti tamen nihil minus, quàm hoc, attendunt, neque uerentur uim omnem facere legibus, modo ipsi uictores euadant, & uiuât ex raptò. quid enim magis est ex raptò uiuere, quàm cum maximo suorum ciuium damno, uersutijs, & fraudibus augere facultates? atque utinam hæc pestis non etiam rem theologicam uitiasset, quæ ob hanc eandem culpam ita corrupta est, ut uix in ea quicquam syn-ceri reperiatur. non delectantur ij, qui se theologos profitentur, germanum sacrarum scripturarum sensum elicere, sed nixi argumentationibus ab humana sapiëntia inuentis, omnia euertunt, ut periculum sit, fore, ut, si rursus Seruator Christus ad terras descenderet, quemadmodum olim fecit, plures ei insidiæ ab ijs pararentur, & pluribus calumnijs impetere-tur, quàm à scribis, & pharisæis fuit impetitus. qui scribæ, & pharisæi quàm acriter insidiarentur Domino, ex sequenti facto melius declaratur. Factum est autem (inquit) in alio sabbato, ut intraret in synagogam, ac doceret, & erat ibi homo, & manus eius dextera erat arida. obseruabant autem eum scribæ, & pharisæi, an in sabbato sanaturus esset, ut inuenirent, unde eum accusarent. Cernitis, quàm ingentis odium, atque inuidia offundat animo tenebras, & magis cæcos in dies efficiat homi-

homines? esto: quod superius fecerunt discipuli in euellendis spicis, & manu terendis, uenerit apud eos in quæstionem, ne forte seruire opus esset indicandum. num & adhibere Diuina uirtute alicui curationem, & hoc metuendum cuiquam est, ne seruire opus queat iudicari? quis uel sapiens, uel stultus hoc unquam suspicaretur? at odium, atque inuidia hos edit partus, ut, quod sanctum, atque omni ex parte perfectum est, illud in primis audeat calumniari. Obseruabant (inquit) an in sabbato sanaturus esset, ut inuenirent, unde accusarent eum. uides, ut tantum criminibus, & accusationibus sint intenti? & ea etiam, quæ rapere omnes in admirationem, ac reuerentiam deberent, non solum non admirentur, ac reuerentur, sed ex ijs ipsis occasionem accusandi querant? hoc non ne omnia superat mostra, quæ unquam poetæ fuerunt fabulati? & tamen eiusmodi monstra nunc etiam parit inuidia, sed homines minimè ea animaduertunt. Ipse uero sciebat cogitationes eorum. hoc dixit, ut intelligamus, cur eo usus sit modo in curando isto, quem nunc estis audituri. nisi enim interfuisset obseruatores, satis erat dicere, extendè manum, ad significandum, eam fuisse restitutam sanitati. nunc uero, quia sciebat eos obseruare, præuenit eorum malitiam. neque nunc dixit. quid cogitatis, in cordibus uestris? sed ex ijs, quæ dixit, intelligere potuerunt, illum cogitationes eorum agnouisse. Et ait homini, qui habebat manum aridam. surge, & sta in medio. & surgens stetit. præparat spectatores ad attentionem, si forte capaces fiant ueritatis, uel saltem ut, qui synceriores erant, confirmarentur, ne prauis pharisæorum peruersationibus abducerentur. Ait igitur ad illos Iesus. interro-gabo uos. utrum licet sabbatis bene facere, an male facere? animam sanare, an perdere? sabbatum (inquit) quam ob causam fuit institutum, ut bene, an ut malè faciamus? ut proximus proximo cuique, an ut eum damno afficiamus? proculdubio hominum iuuandorum gratia factum est. Matthæus scribit, Dominum dedisse illis similitudinem, atque dixisse, quis erit ex uobis homo, qui habebit ouem unam, & si ea inciderit sabbato in foueam, non ne apprehendet illam, & eriget? quantò igitur præstantior est homo oue? atque ita licet sabbatis benefacere. ad ista autem non poterant anuli respondere. quare persecutus est negocium. Et circumspectis (inquit) omnibus, dixit homini. extende manum tuam. ille autè fecit, & restituta est manus eius sana, sicut altera. circumspectis omnes prius, si forte quis uellet aliquid respondere ad id, quod eos rogauerat. & cū neminè uelle respondere uidisset, sanauit hominè. Interea contèplare, quantū superstitio còtraria sit ueræ religioni, & magno ad pietatè impedi-mèto. & tamè multò plures reperias superstitiosos, quàm pios, qui anilia quædã religiosissimè obseruēt, ea uero, in quibus uerus residet cultus Dei,

ac vera pietas, nihil curant. quid obsecro extensio manus violationis afferre sabbato poterat? non ne tantumdem est surgere, & sedere, quam manum extendere? at hæc fiunt sabbato. non ne sabbato porrigitur manus ad capiendum cibum, & adiuuetur ori? at hæc (inquit) sunt necessaria. non ne magis necessarium est, ea sabbato facere, quibus Deus glorificetur? hanc enim ob causam in primis sabbatum fuit imperatum. sed videamus dignam admiratione clausulam. Ipsi autem repleti sunt amentia, & colloquebantur inter sese, quidnam facerent Iesu. ad illam curationis efficaciam leonine etiam nature debuerant commoueri, & inflecti, & siquid antea in eorum pectoribus odij refedisset, viso miraculo, illud deponere. at ij rem potius contrariam faciunt, & efferi magis fiunt, atque amentes. quid enim amentius, quam ob Christi miraculum cogitare, quo pacto illi nocerent? nam apertius Matthæus ait. Pharisei autem egressi ceperunt consilium aduersus eum, quomodo illum perderent. his facibus hominum mētes inflammat inuidia, & ex aliorum recte factis accipit incrementa. malum pertinax, & propemodū inexpugnabile, cuius symbolum veteres olim finxisse Lernæam Hydram, satis indicant cuiusdam poetæ versus illi.

Diram qui contudit hydram,

Notaque fatali portenta labore subegit,

Comperit inuidiam supremo sine domandam.

consuevit enim hæc teterrima pestis pulcherrimorum facinorum esse comes, eximiamque virtutem non aliter, quam umbra corpus, sequi. nulla enim ratione fieri potest, vt effugias in recte factis inuidiam. quis enim umbram effugiat inuidiæ, nisi pariter & virtutis lucem effugerit? cohærent inuicem hæc duo, ac rem omnium optimam res omnium pessima comitatur. quare non sine causa quidam è Græcorum poetis dixit, se grauius, & indignè ferre, quod indignissimum sit, præclara facta inuidiæ premio pensari. neque verò parum concinnè veteres illi videntur inuidiæ symbolum Excetræ tribuisse, primum palustri malo, quod, quemadmodum tradunt etiam naturalium causarum vestigatores, magis huic morbo sint obnoxij, qui humili, abiectoque animo præditi sunt. ij sunt autem, quibus inest frigidior sanguis, & eam ob causam apud quendam è Latinis poetis.

Inuidia domus est in uallibus imis,

Abdita, sole carens, non ulli peruia uento,

Tristis, & ignaui plenissima frigoris, & quæ

igne uacet semper, caligine semper abundet.

neque verò cum simplici portento res est, sed centum armato capitibus, quorum si quis vnum aliquod executerit, in eius locum protinus duo sup-

pullu-

pullulent. ea videlicet inuidiæ natura est, vt, si contra luçteris, magis, ac magis irrites. si quando coneris splendore virtutis opprimere, tum insurgat acrior, & intumescat. hic si recidas, illic maior oboritur. Porro quod gentilium fabulæ sub Herculis ænigmate significauerunt, idem Hebræorum historia sub Ioseph inuolucro nobis innuit. nam quod illi Lerna, id huic fuit fratrum inuidia. sic enim quidam Hebræorum doctissimus interpretatur. existimat enim, Ioseph eorum representare personam, qui rerum publicarum gubernacula tractant. hoc videlicet argumento, quod is, pastor adhuc cum esset, iam tum rectè factis simul & patris fauorem emeruit, & germanorum in se concitauit æmulationem. quid autem aliud est rempublicam administrare, quam pastorem agere? quandoquidem & Homerus regem ποιμένα λαών, id est, pastorem populorum subinde vocat. siquidem nullorum benefactis malignius respondet gratia, quam eorum, qui de vulgo bene merentur. sed quod Hercules assecutus est igni Græcanico, id Ioseph magnitudine benefactorum, ac Diuini numinis fauore adeptus fuit, vt inuidiam obrueret, ac inuidos fratres aliquando supplices haberet, quos antea pertulerat æmulos, seque iam illi vitam debere faterentur, cuius vitæ pridem fuerant insidiati. Proinde principes, qui publicum agunt negotium, hoc animo præditos esse oportet, vt ad hoc exemplar communem tantum spectent vtilitatem, nec magistratum, perinde quasi cauponatio sit, si bi gerant, non alijs, nec legum veluti laqueis insidiari velint ijs, vnde perpexerint emolumentum aliquod auferri posse, sed gratis de bonis mereantur, cum nonstris, hoc est, cum vitijs asfiduum bellum gerant, sola recti conscientia, tanquam abundè magno rectè factorum præmio contenti. quod si meritis tuis fama malignè responderit, si clanculum obsibilauerit liuor, si Lernæa belua vel trecentis capitibus, vndique venenum afflauerit, tum illud demum animi verè sublimis, & inuicti fuerit documentum, nihilò legnius maximis incōmodis suis aliorum consulere commodis, & hūc pulcherrimum, maximumque virtutis fructum ducere, si quamplurimis maximè prodesse liceat, atque hac parte, quoad mortali fas est, beneficentissimum Deum imitari, ad quem cum nulla gratia, nullum officium à nobis redire queat, tamen natua, genuinaque bonitate, solis in morem, omnibus, gratis, & ingratis, dignis iuxta atque indignis suam impertit munificentiam, hunc vnum spectans fructum, si quamplurimos sui participes efficiat. ad hoc exemplar vita nostra omnis formanda est. vt sitis (inquit) filij patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos, ac malos, & pluit super iustos, & peccatores. quin hæc præstantissima via est subigendi etiam inimicos. si esurit (inquit) inimicus tuus, ciba illum, si sitit, potum da illi. quid deinde? hoc enim faciens, carbones ignis congeres su-

RR per

per caput eius, id est, sentiet se illo beneficio tanquam igni aduri, intelligetque, se superatum, ac manus dare cogetur. Hanc tantam lucem, quam nobis Euagelica hæc è cælo allata philosophia, præfert, ne auersemur, sed in eam intentos identidem defigamus oculos. sic enim fiet, vt & tranquillissimam hanc vitam agamus, & illam demum sempiternam consequamur. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & potestas, & imperium, & nunc, & in omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO VIGESIMASEPTIMA.



PACTVM est autem in illis diebus, exijt in montem ad orandum, eratque pernoctans in deprecatione Dei. Tam superius aliquoties, & ex varijs Euangelistarum locis obseruauimus, familiarem fuisse Domino vacandi precationibus morem. quod exemplum mirari possem Christianos tam inerte, ac frigide imitari, nisi cerne-rem, omnia penè Seruatoris Christi facta pasim negligi, perinde quasi nihil ad illos pertineant: cum tamen omnia benignus ille magister vtilitatis nostræ gratia & fecerit, & dixerit. & quidem non egebat ipse precationibus, cum eandem haberet cum patre potestatem, sed in accepta à nobis natura exercere ea voluit, quæ eidem naturæ sunt consentanea. nos verò tam admirandum exemplar ante oculos habentes, tantum abest, vt ad eius imitationem pernoctare in deprecatione Dei velimus, vt ne inter diu quidem id facere studeamus: quodque maioris stupiditatis nostræ, & alienissimi ab hac, quam profitemur, philosophia, argumentum animi est, cum in templum ingredimur, quod scimus domum precationis à Christo appellari, maxima hominum pars nihil minus cogitat, quam de precatione, vtuntur deambulationibus per templum, & profanis collo- cutionibus nihilò minore cum religione, quam si per forum ambula- rent. quin eo ipso tempore, quo Diuina illa, & quæ angelos ipsos in ad- mirationem, & reuerentiam rapiunt, mysteria celebrâtur, cernas plerof- que omnes ita abalienato ab illorum contemplatione animo, vt manife- stis-

stissimè declarent, se omnia cogitare præter eâ, quæ illic propõsita sunt. & siquidem spectacula profana quæpiam agerentur, omnes attentissimè obseruarent, nequid elaberetur inobseruatum: vbi verò ea tractantur, quæ cælo potius digna, quam terra sunt, nullum neque studium, neque reuerentiam, neque attentionem adhibemus. & audemus adhuc appel- lare nos Christianos, qui magis iniuri in Christum sumus, magisque il- lum contemnimus, quam ipsi Christiani nominis inimici. & hi quidem tam profani abusus reprehensi sæpius à me sunt, sed parum, atque adeo nihil potius video profici: & induerunt homines morem aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter. quænam enim sunt sapientiores, adde & efficacio- res incantationes, quam verba, & voces, & exempla filij Dei, qui ob hanc causam è cælo descendit, vt sublatis errorum tenebris, lucem veritatis in- trodiceret? & tamen diligunt homines magis tenebras, quam lucem, & inuentis frugibus malunt glandibus vesci, digni profectò, qui è Christi- anis finibus, atque adeo extra orbem vniuersum relegentur. Pernoctabat ergo Iesus in deprecatione Dei: illud, quod addit, Dei, potest esse He- bræus idiotismus, cuius alias etiam meminimus. cum enim Hebræi di- cere volunt rem magnam, appellant rem Dei, vt, montes Dei, cedros Dei, id est, ingentes. & nos quoque in quotidiana sermonis consuetudi- ne vtimur interdum hoc loquendi more. dicimus enim panem Dei, vi- num Dei, cum suauissimum, atque optimum volumus significare. illud ergo, in deprecatione Dei, idem erit, quod in magna, atque vehementer intèta deprecatione, cuius intentionis etiâ argumentum præbet illa adie- ctio, quòd in ea pernoctauerit. videtur autem Euangelista huius hic me- minisse precationis ob ea, quæ mox addit. Et cù dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex eis, quos & apostolos nominauit. Simonem, quem & Petrum appellauit, & Andræam fratrem eius, & Iaco- bum, & Ioannem. Philippum, & Bartholomæum. Matthæum, & Tho- mæm. Iacobum Alphæi filium, & Simonem, qui vocatur Zelotes, & Iu- dam Iacobi, & Iudam Iscarioten, qui idem fuit proditor. Ecce causam pernoctationis in deprecatione Dei. electurus erat duces ad negocium, & prouinciam regni, quod prædicare iam cœperat, quos in orbem om- nium terrarum (admirabilissimum profectò opus, neque vnquam antea cuiquam tentatum) missurus erat, vt in omnem terram exiret sonus eor- um, & in fines orbis terræ verba eorum, ut omnem mundi & sa- pientiam, & potentiam subijcerent suæ prædicationi, & obediretur (vt ait Paulus) fidei inter omnes gentes. cui fidei? in nomine Iesu Christi Nazareni crucifixi. prædicamus (ait idem Paulus) Christum. tantum ne? immo & crucifixum. non pudebat, signum maximæ ignominie, &

rem stultitiæ plenam, si & sapientes omnes, & stultos interrogares, ita efferre, vt ea vna salutem totius generis hominum vellent contineri? rem, quæ & Iudæos esset offensura, & ridicula videnda gentibus, ac sapientibus mundi? non eos inquam horum pudebat? minimè verò. quamobrem? quia prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis verò stultitiam, sed iisdem vocatis Iudæis pariter & Græcis, Christum Dei potentiam, ac Dei sapientiam. ad hæc instituenda paradoxa, miraris si pernoctauit Iesus in deprecatione Dei? hætenus tradiderat Deus mundum (vt ait Salomon) disputationi, ac disquisitioni philosophorum, si forte inuisibilia illius ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, peruiderentur ab eis, ipsaque æterna eius potentia, ac Diuinitas. sed postea quàm in sapiëntia Dei non cognouit mundus per sapiëntiã Deum, visum est Deo, per stultitiam prædicationis, & præterea per stultos, ac rudes prædicatores (quid n. tardius, ac rudius piscatoribus, ac telonarijs?) saluos facere credentes. quod maius esse negocium poterat, quàm per stultitiam Dei infatuare omnem huius mundi sapiëntiam; eo præsertim tempore, quo in primis eadem mundi sapiëntia maximè vigescebat? ad tam ingens ergo negocium præparandum, videtur mihi, Dominum Iesum pernoctauisse in deprecatione Dei, quem postea morem apostoli seruauerunt. cum .n. Matthias electus fuit, vt esset vnus ex duodecim, præcati prius sunt. & facta (inquit) precatone dixerunt. tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, vtrum elegeris ex his duobus, vt accipiat fortem ministerij huius, & apostolatus. & alio loco, cum dixisset spiritus sanctus, segregate mihi Barnabã, & Saulum in opus, ad quod accersui eos; vide, quid fecerint apostoli. cum ieiunassent, (inquit) & orassent, imposuissentque eis manus, dimiserunt. hunc morem adhuc seruat ecclesia, vt ijs anni temporibus episcopus cõsecret eos, qui in clerum sint asciscendi, quibus passim triduana ieiunia sunt imperata. & in ipsa cõsermonia inuitat idem episcopus circumstantes ad precandum, quin etiam hortatur, vt, si sciunt, eos, qui consecrandi sunt, in aliquo vitio esse, illos prodant. sed hæc nunc tantum relicta sunt pro cõsermonia. etenim vbi quis filium, vel nepotem in clerum ascribi quærit, non vitur ea deprecatione, qua vsi fuerunt apostoli, sed ambiunt principes, eosque precantur, & eorum fauorem expetunt. non quæruntur sacerdotes, sed sacerdotia, id est, non cogitatur, quo pacto habeantur viri grati Deo, atque idonei pro peccatis populi intercessores, cum iratus Deus placandus est. sed vnum illorum votum, vnus scopus est, vt ecclesiasticas dignitates, ecclesiasticos fructus adipiscantur. hoc affecuti, si etiam is, qui electus est, sit scortator, aleator, blasphemus, omnibus vitijs, ac sceleribus obnoxius, hoc nihil illis est cure. O perditum seculum, ò in casum proposita Diuina hæc Seruatoris

ris Christi exempla. Væ ijs, qui audita tanta veritate, eam negligunt, & vocaties repetitos clamores meos dissimulant exaudire. cum enim iam scapies hos profanos abusus damnauerim, nihil tamen profectum vides. adhuc, cum quiuis sacerdos moritur, cui aliqua beneficia ecclesiastica fuerint, quamuis tenuia, nihilò minores tumultus excitantur in ciuitate, quàm si nunquã de hac re verba fecissem. manifestissima plus quàm ethnicarum mentium indicia, & quæ timorem omnem, ac recordatione Dei post tergum abiecerint. Postpernoctationem ergo in precatone Dei, facto die elegit Iesus ex omni discipulorum numero, duodecim, quos & apostolos appellauit. cum .n. mittendi essent ad prædicandum Euangelium, ab ipso mittendi officio vocati sunt apostoli, quæ dictio Græca, deducta est à verbo ἀποστέλλω, quod est mitto. cum .n. Lucas Græcè scriberet, Græca etiam vsus est voce. sed cur duodecim? si quis enim hoc temere, ac fortuito factum arbitraretur, is omni iudicio carere censendus esset, in tantis mysterijs opinari quicquam sine maxima sapiëntia factum ab illo, qui Dei sapiëntia Paulo vocatur. cur ergo duodenarius obseruatus est numerus? didicimus ab apostolo, omnia Hebræis contigisse in figura. Iacob autem, qui à lucta cum angelo facta, Israel vocatus fuit, genuit duodecim filios, à quibus tota Israelitica progenies fuit propagata. Dominus Iesus ergo, cui aptius Israelis nomen conuenit, quàm ipsi Iacob, fuit enim verè potens cum Deo, (nam id sonat Israel, si interpretere) vt quis sit eiusdem cum patre potestatis, eiusdemque naturæ. is excitaturus erat ueros Israelitas, ac verum semem Abraham. non enim omnes, (ait Paulus) qui sunt ex Israel, sunt Israel, neque quia sunt semen Abraham, statim omnes filij, sed in Isaac uocabitur tibi semen, id est, non qui filij carnis, ij filij Dei, sed qui sunt filij promissionis, recensentur in semen. hoc ergo semen excitaturus Iesus elegit duodecim, pro numero duodecim tribuum Israel, sub quo nomine seruandi omnes comprehenduntur, quemadmodum etiam sub nomine seminis Abraham, sicut idem apostolus ait, Abraham signum accepisse circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ fuerat in præputio, ut esset pater omnium credentium per præputium, & imputetur & illis iustitia, & pater circumcisionis, ijs, qui nõ solũ genus ducerent à circumcisis, uerum etiã, qui ingrederentur uestigijs fidei, quæ fuit in præputio patris nostri Abraham. Ob hanc ergo causam mihi uidetur elegisse ex omni discipulorum numero duodecim, tanquã primates, ac duces populi, qui creandus esset. & eos hic singillatim nominat, nequid adulterinũ à pseudoprophetis, & pseudoapostolis in posterũ fuisset introductũ. & primò nominat Simonem, quẽ mutato uocabulo appellauit Petri, & hic etiã Lucas, Græcè cum scriberet, Græca usus fuit uoce. nam in Hebræo dicitur Cephas, quod idem est, quod Petrus. utraq; autẽ dictio à petra nomen habet, quæ uox Græca

Græca est, quamuis eadem & nos vt Latina vtamur. vocauit autē Petrum eum, cui in primis Dominici gregis cura tradenda fuerat, quia ædificator erat illam domum, quæ ad ventorum impetum, & pluuiæ, ac fluminum vim esset perduratura. audi. n. quid alibi dixerit. tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. quam solidam censes oportuisse eam esse petram, in quam portæ ipsæ inferi vim nullam habere possent? verum, cum necesse non sit, in singulis apostolis immorari, illud mirum videri possit, Dominum in hoc tam selecto numero posuisse Iudam, quem certò sciebat futurum proditorem. sed quis nouit mentem Domini? aut quis consiliarius eius fuit? verum non nefas est, ex alijs Diuinis operibus & hic aliquid conijcere, quod nonnullam habeat veri similitudinem. atque illud primum se cogitationi offert, voluisse Dominum præbere nobis exemplum, ne recusemus sceleratorum, & eorum, qui inimico erga nos animo sunt, consuetudinem, atque commercia, quæ res nobis semper ad virtutis exercitationem sit profutura. quod vnum præcipuè à nobis est studendum, vt maiores semper in virtutes, & rectè facta progressus faciamus. hæc sunt illa zizania, quæ sapiens paterfamilias in tenera herba euelli prohibuit. ne eradicetis (inquit) simul & triticum. tolle molestos homines, & non erit, vnde exerceamur. sublata exercitatione præmia non dabuntur. non coronabitur, (inquit) nisi qui legitime certauerit. cur ergo Paulus (dicit aliquis) optabat eripi ab importunis, & malis hominibus? hoc nõ sui causa postulabat, quod manifestè in illo ipso contextu colligitur. præmiserat enim. quod superest, orate fratres, pro nobis, vt sermo Dei currat, & glorificetur, sicut & apud uos. deinde subiecit, & ut eripiamur ab absurdis, & peruersis hominibus. uidebat eiusmodi homines impedire cursum Euangelicæ prædicationis, propterea optabat ab eis liberari, sicut cū & alibi ter rogauit, ut stimulus ille adhibitus carni, id est, Iudæorū suæ gentis impedimentū auferretur à se, qui suæ prædicationi sese obijciebāt, eamq; impediebāt. quòd verò ad se pertinebat, libenter (inquit) gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me uirtus Christi. hoc idē & nobis licet, vt, cū aliquos cernimus esse alijs in uia Dei offendiculo, optemus prohiberi, ne paucorum malitia fructū rectè factorum impediatur. non oblitum tamen interea precari, ut & ipsi, qui peruerso sunt animo, conuertantur ab errore uicæ suæ, & melior, ac magis sana mens illis inspiretur. nos verò, quod ad priuatam nostri rationem pertinet, expectemus tempus messem; si nolumus coronas nostras imminui ob certaminis detractionem. Hæc rerum conditio ab ipsis nascentis mundi initijs cœpta est, cum è duobus primis fratribus alter ab altero fuit interfectus, neque Abel innocentia tantum etiamnum illucesceret, nisi Chain peruersitas intercessisset.

Po-

Potuit & alia causa fuisse, cur Dominus, quem proditorem futurum sciebat, ad munus tamen apostolatus elegisset, ut doceremur, homines, non natura, sed uoluntatis arbitrio malos fieri. bonus tunc erat Iudas, cum electus fuit. opus habebat Iesus dispensatore, qui in pecunijs, quæ in dies offerebantur, se prudenter gereret. elegit eum ad huius officij munus, quem aptum intelligeret. uidebat illum bonam tunc habere mentem, usus eo fuit. quòd uerò ipse rebus bonis abusus sit, ipsius est culpa. poterat, si uoluisset, in bona uocatione permanere. iam uerò opinari, quosdam ita factos, ut fieri boni, ac salutem cōsequi non possint, quàm sit scripturis sacris aduersarium, id longa oratione aliàs demonstrauimus. neq; uerò cuiquam prudenti persuaderi posse uideo, Iudam fuisse à Domino tanto in gradu collocatum, ac in tam selecto discipulorum numero positum, si ita factus fuisset, ut bonus demum esse non posset. dedisset potius ei inferiorem gradum alium, in quo nihilò minus suam exercere malitiam potuisset. sed absurda hæc nimium sunt, neque digna, quæ in medium proferantur. Hoc item exemplo admonemur, ut cum timore, ac tremore nostram operemur salutem, & quo præstantioribus muneribus donati à Deo sumus, eò maius adhibeamus studium, ut ijs donis respondeamus, ac grati simus. sic electus fuerat Moses inuitus, ac reluctans. electus & Aaron, & tamen ob irritationem ad aquas contradictionis, in promissam terram non sunt ingressi. electus ab ipso Deo fuit & Saul, primus Hebræorum rex, ipso Saule nihil ista cogitante: sed quia postea non seruauit, quæ præcepta ei fuerant, pœnituit Deum, (ait scriptura) quòd regem illum constituisset. qui stat, uideat, ne cadat. & qui cadit, adijciat, ut resurgat, quòd facere Iudas poterat, si ad misericordiam potius Dei, quàm ad laqueum accedere uoluisset. iccirco enim prædixerat, fore, ut unus ex duodecim eum proderet, ut rediret ad cor. iccirco interminatus fuerat, dicens, uæ homini illi, per quem filius hominis tradetur. bonum esset ei, si natus non fuisset homo ille. ob hanc causam admisit ad osculum, & dixit. Iuda, osculo filium hominis tradis? quæ omnia frustra dixisset, si reuocari Iudas ad pœnitentiam non potuisset. at opinari, Christum frustra aliquid uel dixisse, uel fecisse, blasphemia est non ferenda. Isti ergo fuerunt duodecim electi Patriarchæ, ac Euangelici negocij antesignani, accepti à piscatione, ac telonio. nam & si de omnibus dictum non sit, quam prius artem exercuerint, credibile tamen est, non admodum dissimilis conditionis fuisse & reliquos. non elegit scribas, ac legis peritos, ne humanæ sapientiæ ascriberetur ea philosophia, quam totam è cælo pendere fuerat necessarium, non erat æquum mit-

tere

tere vinum nouum in utres ueteres, ne effunderetur. oportebat totum ex Deo esse; & doctrinam hanc Diuinitus inspiratam, ut fieret, quod ipse Dominus discipulis dixit, cum steteritis ante reges, & praesides, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini. dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini, non enim uos estis, qui loquimini, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Neque uero in obseruatum relinquendum est, quod haec electio in monte sit facta, in quem exierat ad orandum, nam solitudo, & recessus, omnium, praesertim spiritualium, negotiorum aptissimum est instrumentum. quo recessu si uti homines scirent, experirentur, quantum ad res agendas, & eas etiam, quae ad hanc spectant uitam, afferret utilitatis. hoc ut doceremur (nam quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt) uoluit Deus praeclearissima quaeque in monte fieri. in monte data fuit lex per Mosen Hebraeorum populo. in monte immolare iussus est Abraham filium suum. dictum quoque fuit Lothi, ut in monte seruaretur. in monte lex euangelica fuit data, transfiguratus est in monte Dominus, ascensus in caelum in montem ascendit. & de Ierusalem, quae coelestis illius figura fuit, canit Diuinus psalter. fundamenta eius in montibus sanctis. Et descendens cum illis ferit in loco campestri, & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis, ex omni Iudaea, & Ierusalem, & a maritima Tyro, & Sidone, qui uenerant, ut audirent eum, & sanarentur a morbis suis, & qui uexabantur a spiritibus immundis, & sanabantur. & omnis turba quae uerebat eum tangere, quia uirtus ab illo exibat, & sanabat omnes. Vide, ut hic fuerit praesignatum, quod consequenti accidit tempore. quo die electi sunt duodecim apostoli, mox undique confluunt populi, quia futurum erat, ut horum duodecim praedicatione in omnes gentes funderetur. quod autem dicit, Dominum in descensu a monte stetisse in loco campestri, hoc admonuit Euangelista ob praedicationem, quam mox audiemus factam a Domino fuisse, ut intellexeremus, electum fuisse locum aptiorem admittendis ad praedicationem populis, colligitur etiam ex uerbis Euangelistae, locum illum campestem reperitum fuisse in illo monte prius, quani ex eo descenderetur. nam reperuntur non raro in aliquo montium spatio latiores planities, locaque campestria. & hoc si ita interpretemur, concordabit cum Mattheo, qui scripsit, Dominum habuisse in monte hunc sermonem. secuta est autem & turba discipulorum eius, nam praeter duodecim plurimi erant alij, iccirco & turbam uocauit. deinde numerat reliquam multitudinem, quae undique conuenerat. ut quid? ut audirent (inquit) illum, & sanarentur a morbis suis. uide tantae multitudinis bene affectum animum erga Euangelicam philosophiam, princeps studium eorum fuit audire Domini praedicationem, quae & ex loquentis auctoritate, & rerum materia omnes

omnes in admirationem rapiebat. huius rei gratia longitius conficere iter non recusabant, quamuis non omnes tunc thesauri huius philosophiae explicarentur. maior enim, atque insignior eius pars delitescerebat. tantum regni caelorum in parabolis fiebat mentio. & tamen ita attentè, ita stu diosè audiebatur. nos uero, na etsi ista me saepius reprehendisse memini, rei tamen indignitas cogit me eadem identidem repetere, ac redarguere. nos inquam, qui penè nascimur Christiani, qui integram hanc philosophiam sumus affecuti, qui non ut pauperulum, & qui non haberet, ubi caput reclinaret, agnoscimus, sed filium Dei, cui data est omnis potestas in caelo, & in terra, tam frigidè, tam inerte, ac somniculosè ad hanc rerum copiam accedimus. libentius, ac maiore cum populi frequentia aduentur spectacula, & ubi fabulae recitentur, aut circulatoranei qui piam noua aliqua polliceantur, quam ad hos coelestes, Diuinosque thesauros, qui & hanc uitam nobis felicem, & futuram illam felicissimam praebere possint. Intueamur obsecro beatam hanc multitudinem, & eius studium animo defigamus, incipiamusque eius exemplo in re tanti momenti fieri alacriores. uenerunt ergo, primum, ut audirent illum, deinde ut sanarentur a morbis suis, & qui uexabantur a spiritibus immundis & curabantur. prius quae rebant animae sanitatem, deinde illam corporis. nam & illa spirituum immundorum uexatio ad corpus pertinebat. uexare enim corpora consueuerunt, quamuis illa uexatio animi etiam actionibus officeret, quemadmodum & febres, & nonnulli grauiorès morbi ab alienant plerumque animum, ac rationis usum impediunt, atque errore mentis afficiunt. neque enim passim fit, ut illa spirituum immundorum uexatio semper ob grauiora peccata accidat. quin reperti sunt quidam uitae sanctitate praestantes, qui in Demonis potestatem dati sint. tempore ob uirtutum conseruationem, ne illis extollerentur. autem dumtaxat immundi spiritus animam uexant, cum ad peccatum trahunt. at ea uexatio non intelligitur, ab ijs praesertim, qui ab illa obsidentur. etenim reperire est homines, quorum animam non unus immundus spiritus, sed legio Daemonum occupat, & sanissimos se credunt, neque eorum uexationem sentiunt. auari, raptores, adulteri, homicidae, inuidi, detractores, contentiosi. omnes ij ab immundis spiritibus uexantur. sed quoniam hanc uexationem non agnoscunt, non accedunt ad Iesum, ut quaerant curationem. ita miseri plerique omnes ea tantum uel mala, uel bona iudicamus, quae exteriori homini uel commoda, uel incommoda sunt. magnum appellamus eum, qui ingenti corporis mole fit, paruum, qui pusilla sit statura. nobilem, qui uel generis uetustate praestet, uel diuitiarum copia caeteris antecellat. ignobilem, cui ista defunt. pulchrum, qui constitutionem corporis, ac membrorum aptam habeat cum coloris

gratia. turpem, qui sit his destitutus. sanum, qui neque febris, neque ei-
 modi morbis correptus sit. infirmum, qui sit ijs subiectus. nunquam,
 aut quàm rarissimè ista in interiori homine obseruantur. quotus enim
 quisque est, qui uel ipse admiretur, uel filios suos doceat admirari homi-
 num uirtutem, atque præstantiam, constantiam, ac fortitudinem in re-
 bus aduersis, modestiam in prosperis, longanimitatem, ac patientiam in
 ferendis proximi cuiusque uitij. non audio quenquam cum admiratio-
 ne contemplantem, quàm pulchra sit illa mens, quæ ab omnibus uitio-
 rum, ac peccatorum sordibus sit perpurgata. quàm diues, quæ tam ad-
 mirandis uirtutibus sit locuples. quàm nobilis, quæ cæli commercio di-
 gna sit, ut cum Paulo possit dicere. consuetudo nostra in cælis est. atque
 ita sit, ut per totam uitam solam rerum umbram sequamur, & nunquam
 ueritatem amplectamur. quod uitium cum etiam inter ethnicos repre-
 henderetur, multò certè magis est in nostris reprehendendum, qui tanta
 oblata luce adhuc tenebris gaudeant. Et omnis turba quærebat eum tan-
 gere, quia uirtus de illo exibat, & sanabat omnes. quod ait, omnem tur-
 bam quæsiuisse eum tangere, significat etiam eos, qui nullo corporis mor-
 bo laborarent, optasse illum tangere, ob reuerentiam, & fidem. quod
 & nunc cernimus interdum fieri, cum de aliquo est opinio sanctitatis.
 quærunt enim illum tangere, arbitrati ex illo contactu se lucri aliquid fa-
 cturos. quin & apud urbes quasdam Italiæ mos est, ut sacerdotem in
 templo sacris indutum uestibus, certatim quisque attingere contendat,
 præsertim cum peracta re Diuina in sacrarium se recipit. & hic ergo
 omnis turba quærebat illum tangere, nihil dubitans se ex illo contactu
 cæleste aliquod munus adepturas. uidebant enim, quòd uirtus de illo
 exiret, & sanaret omnes. qui dicendi modus obseruandus est. nam in
 solum Seruatorem Christum conuenit. etenim reliqui omnes & apo-
 stoli, & quicumque miracula aliqua, & signa curationum ediderunt, non
 sua, sed Dei uirtute id præstiterunt, ut dici nõ possit, uirtutem, id est, uim,
 & potentiam ex eis exisse. iccirco Petrus cum sanasset uirum illum clau-
 dũ ex utero matris suę, & totus populus accurrisset, stupefactus ob nouę
 rei miraculũ, hoc cernens Petrus respõdit ad populũ iuri Israelite, qd admi-
 ramini super hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra uirtute, aut pietate
 effecerimus, ut hic ambularet? quid ergo? cuius hæc uirtus fuit? Deus Abra-
 ham, (inquit) & Isaac, & Jacob, Deus patrũ nostrorũ glorificauit filiũ suum
 Iesum, & per fiduciã nominis eius hunc, quẽ uidetis, ac nostis, consolida-
 uit nomen ipsius, & fides, quæ per eũ est, dedit ei integritatẽ istam in con-
 spectu omnium uestrũ. proprium ergo Christi est, ut ab eo uirtus exeat, quo
 uerbo & tunc usus fuit, cum mulierẽ illã sanauit, quæ duodecim annis flu-
 xum sanguinis passa fuerat. nam & illa à tergo tetigerat fimbriam uesti-
 menti

menti illius. dixerat enim intra sese. si tantum tetigerõ uestimentum il-
 lius, ero salua, quod cum fecisset, ac confestim stetisset fluxus sanguinis
 eius, ait Iesus. quis est, qui me tetigit? negantibus autem omnibus dixit
 Petrus, & qui cum illo erant. præceptor, turbæ te constringunt, & affli-
 ctant, & dicis, quis me tetigit? & dixit Iesus. tetigit me aliquis. nam ego
 noui uirtutem ex me exisse. uide & hic eundem loquendi morem. ipse
 enim est fons omnis uirtutis, ac potentiæ. alij uerò quid? nos omnes
 (ait Ioannes Baptista) de plenitudine eius accepimus. Adeamus ergo &
 nos hanc plenitudinem, si impleri uolumus. ibi est fons aquę salientis in
 uitam æternam. cum ab ea discesserimus, inueniemus cisternas disipa-
 tas, quæ continere non ualent aquas. quæramus cum hac beata turba eum
 tangere. quotquot enim tetigerimus, salui siemus. sed caueamus, ne,
 dum arbitramur eum tangere, comprimamus, & afflictemus. quod tum
 fit, cum eum uerbis quidem confitemur, sed facta adhibemus, quæ nos de-
 clarant illius potius hostes esse, quàm fideles seruos, aut amicos. neque
 enim apud Christiani nominis hostes sceleratiora facta reperias, quàm
 apud eos, qui Christum profitentur, & fidem in illum tueri se arbitran-
 tur. non est hæc tangendi uia, sed comprimendi, & afflicti. tangunt,
 qui, sicut ille ambulauit, & ipsi ambulant. tangunt, qui non uerbo, & lin-
 gua diligunt, sed opere, & ueritate, qui facta adhibent Christiano homine
 digna, & in lege Dei meditantur die, ac nocte, qui pietatem, charitatem,
 patientiam, misericordiam in pauperes amplexantur, qui toto corde, to-
 ta anima, omni mente, omnibus uiribus Deum diligunt, & proximos
 suos tanquam seipsos, & in eos conferunt, quicquid in se optarent confer-
 ri. hæc si præstiterimus, tangemus Iesum, tangentẽsque salutem ab eo con-
 sequemur, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, &
 potestas, & imperium, & nunc, & in omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO VIGESIMO OCTAVA.



Ipsa attollens oculos in discipulos dicebat. beati pauperes, quia uestrum est regnum Dei. Daturus hic erat Iesus summam Euangelicę doctrinę: cuius quoniam figura in lege per Mosen data precesserat, quędam & hic facta sunt, quę similitudinem quandam cum illa haberent, ut esset vtriusque vna continuatio, atque coniunctio. & primum in monte habitus est hic sermo, quia & uetus lex in monte lata fuit. sed hic in ipso monte electa fuit planities, ut significaretur, Euangelicam legem multo minus, quā ueterem, fuisse onerosam: quod alibi ostendere uolens Dominus, dixit uenite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego refocillabo uos. tollite iugum meum super uos, iugum enim meum suauis est, & onus meum leue. & Petrus in Actis apostolorum eos reprehendens, qui uolebant, ut credentes in Christum legis cęremonijs subijcerentur, dixit. quid tentatis imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri ferre potuerunt? quid enim facilius, quā illud? qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. quid hac uia compendiosius? sermonem abbrevians (ait Paulus Esaiam citans) cum iustitia. quoniam sermonem abbreviatum faciet Dominus in terra. non longo (inquit) opus erit ambitu, neque laboribus, & operum legis fatigationibus, sed summo compendio salus hęc comparabitur, scilicet fide. si enim credideris corde tuo, & ore confessus fueris Dominum Iesum, saluus eris. adde, quod hęc ad regnum uia multo est patentior, quā esset sub lege, in qua omnia uelaminibus tegebantur. hoc bonum multo ante intuens Esaias dicebat. erunt oculi tui uidentes præceptorem tuum, & aures tuę audient uerbum post tergum monentis, id est, in diebus illis conuertentur homines ad Deum, etiam si doctor à tergo illos monuerit, & post eos clamauerit. & alibi. & hęc erit ipsa uia recta, ita ut stulti non errent per eam. quod sanè nunc cernimus apertissimè. cum enim Christiana hęc philosophia ea sit, ut omnem superet hominum intelligentiam, ita tamen facta est, ut imperitissimus quisque ingentes facere in ea progressus possit, modo purgatam mentem secum afferat. hęc est ergo illa in monte planities, id est, & aperta, & facilis ad salutem uia, quę sicut uidetur difficilis, nondum is in illam ingressus est. nam mentiri non potest discipulus ueritatis Ioannes, qui ait. & mandata eius grauiora non sunt. quare? quia omne, quod natum est ex Deo, uincit mundum, & hęc est uictoria, quę uincit mundum, fides nostra. nam agnitio.

tio huius Christianę ueritatis ita robustas vires in homine parit, ut uentura illius gratia, nihil tam graue sit, quod non leue esse uideatur. graue enim, & leue, non natura, sed ferentium uiribus metiri solemus. at Christiano animo, qui mundo fortior est, quid nam est, quod graue sit iudicandum? deinde cum summa legis Euangelicę sit dilectio, quemadmodum ait Paulus, plenitudo legis est dilectio. & Dominus ipse. in his duobus mandatis. (nam de dilectione Dei, ac proximi cuiusque uerba fecerat) uniuersa lex pendet, ac prophetę. cum inquam nihil à nobis aliud requiratur, quā dilectio, quid est charitate iucundius? quid dulcius, quā in hoc incumbere, ut bene cuique uelimus, ac benignę naturę nostrę consortibus faciamus? contrarium uideri durum potius debuisset, si propositum fuisset, ut, qui hoc regnū assequi uellet, per rapinas, & cędes, odia, ac dissensiones illud sibi compararet. cur ego (inquit) dixit Dominus, angustam esse portam, & arctam uiam, quę ducit ad uitam, & paucos inuenire eam? & hoc dixit ob eos, qui nondum in illam sunt ingressi, neque illius bona experti. da enim portam, ac uiam, per quam mediocres homines facile ingrediantur. si reperiatur aliquis ita pinguis, & crassus, cui ea non sufficiat, non uiam accusabimus, sed hominem illum, qui monstruosa mole sit, atque à cęteris hominibus tanto differat interuallo. idem in hac porta accidit, ac uia, quę ducit ad uitam, ijs duntaxat arcta, atque angusta est, qui suis appetitionibus, opibus, facultatibus, nullum finem imponunt, qui plerumque, si etiā orbem omnium terrarum possiderent, angustus illis uideretur, nedum porta, & uia, quę ducit ad uitam. eius generis sunt, quibus Esaias illud uerbum interminatur, cum ait. uerum qui coniungitis domum domui, & agrum agro copulatis, ut non sit terminus loci. nunquid uos soli habitabitis super terram? qui ergo terram soli uellent occupare, quę portę, quę uia non angustę illis uideantur? tandiu ergo, dum homines ita turgidi sunt, Euangelica hęc porta illis angusta, & arcta est uia. qui si superuacua onera deponere uelint, & ijs esse contenti, quibus natura ipsa contenta est, ubi primum uias Domini fuerint ingressi, mox cum eo, qui illas nouerat, dicere audebunt, uia eius uia pulchra. at uiarum pulchritudo præcipua est, si suam habeant latitudinis proportionem. unde poetę cum laudare urbes uolunt, à uiarum latitudine commendant eas, & ἀπὸ πλάγας, id est, latiuias appellant. ut ergo uia Domini pulchrę sint, oportet, ut sua eis latitudo non desit. quod si ita est, uidetur necessariò concludendum, appellatam portam angustam, & arctam uiam non sua natura, sed ob eas, quas diximus, causas. propterea dixit Dominus. contendite intrare per angustam portam, id est, conamini deponere magna illa onera, quę sola efficiunt, ut iter, quod ad uitam ducit, uideatur angustum. Recte ergo in ipso monte electa planities fuit, in qua lex Euangelica.

gelica promulgaretur, vt & per montem intelligeretur celsitudo Diuinorum mysteriorum, quæ lex Evangelica complectitur, & per campestrum locum significaretur, asperitatem legis fuisse complanatam, & iugum illud, quod Petrus dixerat prius portari non potuisse, in suaue Christi iugum permutatum. sed videamus, quid dixerit. Et ipse attollens oculos suos in discipulos dicebat. beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. nihil dubitandum est, hæc omnia non ob solos discipulos fuisse dicta, sed passim omnibus proposita, quicumq; in Evangelicam philosophiam ingredi voluissent. cur ergo conijcit in primis oculos in discipulos? videtur mihi iam tum declarauisse, quod saepe alibi dicit. multi sunt vocati, pauci verò electi. quam difficile enim est terram reperire, quæ idoneum fructum afferat. nam semen quidem iacitur, sed ex quatuor terræ partibus tres remanent infœcundæ. aliud (inquit) cecidit secus viam, & volucres cœli comederunt illud, aliud cecidit in petrosa, & natum aruit, quia non habebat humorem. aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud, quin etiam in terram bonam, vbi seminatum fuerat semen bonum, inimicus homo ausus fuit superfeminare zizania. magna opus est vigilantia, atq; attentione, vt quis cœlestium horum dogmatum fiat capax. iccirco in discipulos attollit oculos Dominus, vt ostenderet, discipuli formam esse accipiendam illi, qui fructum ex hac philosophia percipere velit. quod si in alijs facultatibus omnibus, atque artibus præstatur, vt, qui discere velit, totum se docentis magisterio regendum tradat, quid non hac in scientia, quæ reliquas omnes longissimo interuallo superat, est faciendum? quæ autem sit facienda præparatio ei, qui discipulus esse Christi velit, audi, quid ipse dicat. qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. & alibi. nisi quis renuntiauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. nos verò nihil horum obseruamus, sed ad hæc audienda Evangelica dogmata, sine vlla præparatione accedimus. ecquis enim nostrum est, qui cogitet, quid sit, abnegare semetipsum, vt sequi Christum possit? qui de tollenda cruce cogitet? qui paratus sit relinquere omnia, quæ possidet, vt Christi discipulus fieri possit (contra potius appetitionibus nostris omnibus obsequimur, quæ manifestissime Euangelicis præceptis aduersantur. à cruce tanquam ab angue conspecto resiliimus, tantumq; abest, vt relinquere velimus omnia, quæ possidemus, vt aliena potius appetamus, aut si quid damus, tam exiguum sit, vt pudori potius sit dedisse, quam laudi. si ergo volumus cœlestis huius philosophiæ esse participes, studeamus in discipulorum numero reperiri, in quos conijciens oculos Iesus dicebat. beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. Daturus Euangelicam legem Iesus, rectè à beatitudine exorditur. hic enim est finis, quæ omnia, etiam ratio

ratione carentia animantia expetere videntur, bonum .s. atq; vt bene habeant. ob hæc causam philosophi summo studio id exquisierunt, dicebantq;, nihil in vita tantopere querendum, quam quid sit finis, quid extremum, quid vltimum, quo sint omnia bene viuendi, recteq; faciendi cõsilia referenda, quid sequatur natura nostra, vt summum ex rebus expetendum, quid fugiat, vt extremum malorum. quare hac in parte nihil prætermittere curabant, quod ad hos fines bonorum, ac malorum pertineret. nam cæteris in rebus, siue prætermisum, siue ignoratum esset quippiam, non plus esse incommodi, quam quanti quæque earum rerum est, in quibus neglectum est aliquid. summum autè bonum si ignoretur, viuendi rationem necesse esse ignorari. at summum bonum ea est, quæ vocatur beatitudo, siue felicitas, cuius hic Seruator meminit, cum ait, beati pauperes. verum quia ethnici philosophi omnia suis cogitationibus metiebantur, cum velle suum cuiq; esset, nunquã inter eos cõuenire potuit, vbinam hæc beatitudo sita esset, atq; ideo plures disiectæ sectæ repertæ sunt, vt ducentas octoginta octo hac de re esse posse scribat Varro. ita homines, qui sapientiam profitebantur, in rebus tanti momenti, quò expedire se magis conabantur, eò plures in in laqueos inducebant, neque erat tam ridenda opinio, quæ suos defensores non haberet. quid enim absurdius, quam dicere voluptatem esse finem, atque in hac bene viuere consistere? quod si ita est, absurdus erit, qui bene viuere brutis abstulerit. cur ergo Epicurus summum bonum voluptatem putabat? hac nimirum ratione nixus, quòd cerneret, vniuersa ipsam affectare, & quæ rationem habent, & quæ huius expertia sunt. eiusmodi rationibus videntur moti & ij, qui tranquillitatem esse finem iudicauerunt. quod si detur, metuendum est, ne bruta id magis assequantur, quam homines, qui minorem, quam illa, sentiunt tranquillitatem. alij non dissimilibus cogitationibus persuasi, dixerunt, summum bonum esse, secundum naturam viuere. quod si dicatur, non in brutis solum, uerum etiam in plantis erit beatitudo. nã id, quod bonum dicunt, est, etiã si nõ sentiatur. quòd si sensum dixerint bonum, confitebuntur, bonum adesse, quod uis percipientibus. at bonum hominis esse debet aliquid, quod cum ratione, & sensu carentibus commune non sit, cum hominis ratio à cæteris multum differat. Fuere tamen inter eos, qui multa in hæc materiam scripserunt, Christianæ philosphiæ admodum consentanea. at ij potissimum extiterunt post declaratã orbi omnium terrarum Euangelicã lucẽ, & nostra viderunt, atq; cū nostris fuerunt versati. aiebãt. n. eos, qui bonum summum querent, oportere nõ solũ nõ illud in voluptatibus ponere, sed eas etiã declinare. nã fieri nõ posse, ut hæc adsint, quin felicitatẽ cõtaminet. dicebãt, perfectã, verãq; vitã in illa intellectuali natura vigere, alias verò imperfectas esse, viteq; imagines, neq; magis vitas esse, quam non vitas, & hominem posse beatã vitã assequi, quatenus actu totus animus fiat intellectus, nã vltimum bonum

bonum simplex esse scilicet intelligibile, & principalem appetitionem ad id, quod optimum est, dirigi cætera non finem, sed ad finem esse. dicebant, sapientem felicem fore, etiam si aduersis prematur, neque positum in doloribus miserabilem futurum, sed ipsum suum lumen in suis penetrabilibus perduraturum nõ aliter, quàm facula in pharo, quæ fulget etiam dum extrinsecus venti perflant, turbine procellisque frementes. nosse enim oportere, non qualia cæteris singula, talia viris virtute præstantibus apparere, neque rursus singula vsque ad hominis intima peruenire. nam virum sapientem, & qui beatus futurus sit, solum se conferre ad mentem, solum pendere ex Deo, cætera uel omnino contemnere, vel sine perturbatione gubernare. Multa in hunc modum externi philosophi, qui aliquantò altius, quàm cæteri, sunt contemplati, scripserunt, quod in ingens nostrorum, quæ maxima sanè turba est, dedecus redundat. nam cernere est apud Christianos plenas ignominie sectas, quas nemo, non dico ex summis, sed ne ex mediocribus quidem externis philosophis tenuit. multi enim factis ipsis declarant, se Epicureorum sententiam subscribere, & summum bonum in uoluptate ponere, & hanc de uoluptate opinionem longè deterius interpretari, quàm multi ex Epicureis. nam qui princeps huius sectæ fuisse uidetur, suam sententiam probabat ob mores cum uirtute coniunctos potius, quàm ipsis rationibus. ualde enim modestus habebatur, atque in uictu frugalissimus, ut hortuli sui oleribus contentus esset. quare uoluptatem alio modo metiebatur, quàm plerique alij, qui postea sunt secuti. at Epicurei nostri suillo more illam iudicant, gulæ, ac uentri, & ijs, quæ sub ventre sunt, seruietes, in comestationibus, & ebrietatibus, in cubilibus, & impudicijs, de quibus rectè ait apostolus, quorum Deus uenter est, & gloria in confusione eorum. cum enim Deus summum hominis bonum sit, statuere ventrem Deum, nihil est aliud, quàm uentrem, ac eius uoluptatem summum bonum constituere, alij summum bonum diuitias faciunt, quas tamen multi ex ethnicis contempserunt. cernas enim eos noctes, ac diès insumere, quotidianis incumbere laboribus, nullis quamuis periculosis itineribus parcere, mille se mortis periculis obijcere, unam tantum ob causam, ut diuites fiant. ij proculdubio, nisi summum eorum, quæ expeti possint, diuitias arbitrarentur, qui fieri posset, ut neglectis ijs factis, quæ homine, id est, prædito ratione animante digna sunt, in hisce occuparentur, quæ facta sunt, ut homini seruiant, non ut illi imperent? an non imperant homini diuitiæ, quæ illum grauioribus uinculis ligatum detinent, quàm ij sint, qui ferro uincti perpetuam seruiunt seruitutem? quæ enim crudelior excogitari tyrannis potest, quàm ubi quis nullo momento liber est à tyranni imperio? nam serui quidem seruire coguntur, at eorum seruitus illorum

lorum corpori duntaxat potest imperare, animum eis liberum domini relinquunt, ut in medijs laboribus exercere mentem, & interiores animi cogitationes liceat. atqui, cum eorum domini parent illis ea, quæ ad uitam sunt necessaria, ipsis plerunque dominis sunt mente liberiores. at habendi cupido animum in primis occupat, & cum etiam corpore auari opibus seruiant, mente magis crudelissimam perpetiuntur seruitutem, ut non solum uigilias, sed somnos etiam habeant minimè liberos, cum interea serui in utranque, ut dicitur, aurem dormiant. In eundem modum se habent, qui honores, & dignitates, & magistratus ambiunt, ut sci licet eas res finem, ac summum bonum arbitrentur, dum suas omnes cogitationes eò referunt, omnia studia, omnes conatus, ut tum se summè beatos iudicent, cum ea adepti sunt, quibus magni apud homines uideantur. at in ijs omnibus, nullæ unquam philosophorum, qui hoc cognomine digni sunt habiti, repertæ sunt sectæ, quæ finem, atque extremum ea collocarent. inter Christianos uerò, qui magistrum habent filium Dei, qui eos docuit, ubi uera beatitudo sit collocata, reperiri tã humiles, tamq; abiectas cogitationes, & ipsis etiam ethnicis philosophis indignas, hoc profectò monstro per simile est. Illud præterea accedit mali, quod apud ethnicos scæminæ nulli sectæ leguntur fuisse addictæ, cum ad illas eiusmodi conflictationes non uiderentur pertinere, & illa philosophorum placita, quæ uix ab ipsis philosophis satis explicari possent. quare si mulieres suas ipsarum cogitationes sequerentur in cultu, & ornatu corporis, & aliquid in eis peccarent, aliqua omnino uenia dignæ erant. nostras autem, quæ pietatem profitentur, & ad quas nihilò minus, quàm ad uiròs Diuina oracula facta sunt, & ipsas tam uehementer à scopo aberrare turpissimum est, idque eò magis, quod ethnicas scæminas, & eas, quæ sine Deo erant, suis pompis, ac uanitatibus superant. neque enim plura excogitari apud illas ornamentorum genera, atque infiniti illius muliebris mundi somnia potuerunt, quàm nunc in usu sunt apud Christianos. & hæ ergo finem, atque extremum, ac summum bonum, contempto Deo, in furo, & pingendis genis, & uario corporis ornatu posuerunt. quod ita se habere, negare sanè nullo modo possunt. si enim summum bonum est id, quod summè sit expetendum, Deus uerò, omnium testimonio, sit maximè omnium expetendus, & hæ eiusmodi ornatus Diuinis præceptis, quod est perinde, ac si dicas Deo, præferant, cum res eiusmodi pluris, quàm Deum faciant, facile liquet, illas ibi summum bonum, ac supremam felicitatem collocauisse, & in ethnicis quidem mulieribus reperimus matronas in corporis cultu distasse à meretricibus. at nunc inter Christianos lasciuus interdum uestiuntur eæ, quæ inter probas scæminas numerari uolunt, quàm ipsæ illæ, quæ meretriciam artem profitentur. quod si illæ sola natura du-

ce honestum cultum amplexabantur, quid facturas fuisse arbitraris, si ha-
 buissent apostolos à Christo Dei filio missos, qui eas docerent, quemad-
 modum uos docet Petrus apostolus? mulierum (inquit) ornatus sit, non
 externus, qui situs est in plicatura capillorum, & additione auri, aut in pal-
 liorum amictu, verum occultus, qui est in corde, homo, si is careat omni
 corruptela, ita ut spiritus placidus sit, ac quietus: qui spiritus in oculis
 Dei magnifica, ac sumptuosa res est. nam ad eum modum olim & san-
 ctæ illæ mulieres sperantes in Deo ornabant sese. sic & Paulus. mulieres
 in amictu modesto, cum uerecundia, & castitate ornare semetipsas,
 non tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut uestitu sumptuoso, sed
 quod decet mulieres, profitentes pietatem per bona opera. hæc inquam
 cœlestia monita si habuissent, quid non præstitissent? multò verò ma-
 gis si audiissent, quàm ingentia præmia propòsita sint ijs, qui Euange-
 licis præceptis obtemperent, fore scilicet, ut fulgeant iusti, sicut sol in
 regno patris eorum. cum enim mulierum natura sit, ut maximè om-
 nium pulchræ uideri expetant, quid non effecissent, ut eam pulchri-
 tudinem adipiscerentur, quæ solem æquet? si enim ob momenta-
 neam hanc speciem, quam certò sciunt minimè diu duraturam, nam
 uel exiguus morbus, uel certè ætas illam aufert, tamen ob eam tuen-
 dam, ac conseruandam ita uehementer sollicitè sunt, quantum censetis
 fuissent inflammata, si audiissent tantam pulchritudinem, quantum
 Euangelium pollicetur, & eam in æternum perduraturam? quæ enim
 uestrum est, quæ hic adestis, quæ, si quis illi polliceretur, se quadam arte
 effecturum, ut omnium mulierum esset pulcherrima, modo per mensem
 omnem fucum, omnemque ornatum corporis auerfaretur, non libens
 acciperet conditionem, & mensi etiam annum adderet, ut toto reliquo
 tempore optata pulchritudine frui liceret? rursus fingite alium, qui
 promittat, se facturum, ut mulier integro anno reliquarum om-
 nium pulchritudinem uinceret. uerum peracto anno omnium turpif-
 sima euaderet. non inueniretur mulier, quæ hanc acciperet conditio-
 nem. at hæc omnia ex Euangelio docemini, eas uidelicet, quæ exiguo
 hoc uitæ tempore, quod æternitati comparatum, non anni, aut mensis,
 sed ne horæ quidem spatium æquat, ab ijsce uanitatibus abstinerint,
 & compositè, ac modestè uixerint, corpus habituras fulgidum, ueluti sol
 idque in perpetuum. eas verò, quæ hoc uitæ momento oblectari uolue-
 rint, cum Diabolo in ignem æternum conijciendas, ubi & turpissimæ
 semper erunt, & perpetuis cruciatibus torquebuntur. hæc inquam ex
 Euangelica prædicatione docentur mulieres, & tamen neque spe æter-
 næ pulchritudinis, neque metu æternæ deformitatis permouentur. hoc
 quid est aliud, quàm nullius fidei præbere significationem, uosque sum-
 mum

mum bonum uestrum non Christum, sed uestra hæc somnia constitu-
 isse, quæ manifestissimè ceteris rebus omnibus, & Diuinis, & humanis,
 & præsentibus, & futuris antepōitis? ista nunc non uultis intellige-
 re, sed tunc, serò tamen, intelligetis, cum dicetur uobis, ite execrandæ in
 ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis eius. atque addetur
 causa, quòd, dum uester muliebris mundus oia deuorat, neglexistis paupe-
 ribus necessaria ministrare. etenim sola ea, quæ superuacue insumunt mu-
 lieres ornando corpori, idonea essent, omnibus oium pauperum neces-
 sitatibus subuenire. respicamus ergo ab his erroris opinionibus, & tan-
 dem aliquando intendamus oculos ad ea, quæ filius ipse Dei nobis pro-
 posuit, uideamusque, ubi is, qui ueritas est, & neque falli, neque fallere po-
 test, beatitudinem collocauerit. Beati pauperes, (inquit) quia uestrum
 est regnum Dei. uidendum prius est, cur hanc de paupertate primam
 posuerit beatitudinem. nam et Mattheus huius sermonis mentionem
 faciens, primam illam posuit, dicens. beati pauperes spiritu, quoniam ip-
 sorum est regnum cœlorum. quæ utriusque Euangelistæ uerba si inter se
 conferamus, inueniemus, duo hic comprehendere, & paupertatis studium,
 & humilitatem, atque animi submissionem: quæ duo rectè prima omnium
 posita sunt, cum sint opposita duobus uitijs, auaritiæ, & superbiæ, quæ
 præcipuum inter uitia, atque peccata facile locum tenent. nam de super-
 bia dictum est, initium omnis peccati superbia. de auaritia uerò, radix
 omnium malorum auaritia. in hac ergo prima beatitudine duo illa ui-
 tia damnantur, quæ nostro generi perniciem in primis attulerunt, &
 duæ uirtutes proponuntur, quæ ad salutem comparandam opportunæ
 maximè, atque adeo necessariæ in primis sunt. sed uideamus primum de
 paupertate, & quos hic pauperes beatos uocet: neque enim omnes sub
 hac beatitudine comprehenduntur, qui externis hisce opibus sunt de-
 stituti. nam inueniuntur aliqui, pauperes quidem facultatibus, qui uel
 sua culpa opes amiserunt, uel ob ignauiam inopem uitam agunt, ne-
 que secundum apostoli præceptum operari curant manibus suis, & in
 sudore uultus sui pane uesci, ut primis hominibus fuit imperatum. in-
 ueniuntur & alij, qui non sua culpa, sed uarijs alijs incidentibus casu-
 bus pauperem uitam agunt. fieri autem potest, ut ex his omnibus pau-
 perum generibus magna pars animo, & appetitionibus diuites sint, in-
 uideant diuitibus, optent diuitias, imperia, honores, detrectent pro ui-
 ribus paupertatem, alloquantur interdum, uerbis blasphemis aduer-
 sus Deum, qui non effecerit, ut & ipsi diuitijs abundarent. ij pro-
 culdubio inter eos pauperes, quos hic Seruator Christus bea-
 tos appellat, non sunt numerandi, cum bene affectus animus re-
 quiratur in ijs, quæ apud Deum digna sunt laude. Euan-

gelici ergo pauperes ij sunt, qui paupertatem æquo animo ferunt, & in omnibus gratias agunt, Diuinamque reuerentur prouidentiam. in horum erat numero Iob, qui antea omnium orientalium diuitissimus, post cum repente omnia eodem, atque vno tempore amisset, neque tamen eorum scelerum sibi esset conscius, ob quæ eiusmodi calamitates acciderent hominibus solerent, nihil conquestus aduersus Deum est, nihil admiratus ita repentinè mutatam fortè, sed Diuinæ se continuo subiiciens voluntati, incomprehensivæque iudicijs. dixit. Dominus dedit, Dominus abstulit. sit nomen Domini benedictum. in tuere & Lazarum, non solum pauperem, & mendicum, uerum etiam ulceribus plenum, ita neglectum à diuite illo, ad cuius ianuam iacebat, & ab eius ministris, ut canes ueniret, & lingeret ulcera eius. hic nihil obmurmurabat, cū cerneret diuitem illum indutum purpura, & bysso, & epulantem quotidie splendide, se uerò sine indumento, sine cibo, atque in tanta rerum penuria, ut optaret saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi daret. eiusmodi pauperes ij sunt, quos beatus hic Dominus uocat propterea, quod ipsorum sit regnum cælorum. Videte uerò, quomodo maxima hominum pars in tanta ueritatis luce densissimis circumfusi sint tenebris, & quàm sit pudendum, post horum cælestium dogmatum agnitionem tam esse defixos humi. reperti sunt inter externos philosophos, qui nulla æterni regni contemplatione, cuius nimirum nulla esset mentio, spernebant diuitias non aliam ob causam, quàm quod ad philosophiæ huius ab hominibus inuentæ studium sentirent illas esse impedimento. quid facturos eos fuisse censendum est, si Christianæ philosophiæ dogmata ad eorum aures peruenissent? si enim ijs, quæ homines, excogitauerant, quamuis tam multas haberent controuersias, ut alij euerterent, quæ ab alijs fuerant confirmata, tam uehementer tamen erant affecti, ut ob eorum studium, diuitias, honores, magistratus contemnerent. multò profectò magis Christiana dogmata, quæ & maximè sibi consentiunt, ut in eis fluctuare, quemadmodum in externa philosophia, non sit necesse, & rerum maiestate sunt admirabilissima, ita amplexati fuissent, ut humana omnia pro nihilo putarent, si etiam nihil post hanc uitam scirent sibi promissum. ubi uerò audiuisent præterea & regnum cælorum, ac sempiterna præmia illis promissa, qui in hanc philosophiam seriò se dedissent, uosmet ipsi conijcite, quàm exactam egissent uitam, nobis uerò hæc proposita sunt, aperta, & testata. audimus filium Dei dicentem, pauperum esse regnum cælorum, & ij, ad quos tam felicia promissa allata sunt, auersantur paupertatem, ut rem maximè omnium miserrimam, ingens profectò probum, & quod manifestè arguit, nullam in homini-

hominibus esse fidem, eam inquam fidem, qua vna Christiana philosophia constat. quæ fides cum aderat, quid miramur homines, quibus & uxores, & liberi erant, nihil sibi reseruauisse, sed vendidisse omnia, & domos, & agros, & eorum pretia ad apostolorum pedes proiecisse? quare non est, quod vel uxoris, vel filiorum, multò uerò minus nepotum inanes nobis causas prætexamus. fides in causa est, & eius inopia, quam si uiuam, & efficacem haberemus, eadem proculdubio & nos præstaremus. quod hac similitudine coniectare unicuique uestrum licet. sit aliquis princeps ex eorum numero, cui tutò fidere quiuis possit, & cuius promissa nunquam in dubitationem venire consueuerint. huic obnescio quas recens ortas repente causas, paranda est ingens pecuniarum summa: quare ciues rogat, ut quantum possunt, ei mutuo dent, irremiurando asserens, se post quatuor, aut sex annorum spatium, duplicatam, aut triplicatam etiam pecuniam redditurum. nemo effret ex eis: ciuibus, qui tanti lucri spe non omnes facultates in pecuniam redigere studeret, patereturque, illo quatuor, aut sex annorum interuallo inops uideri, ut post paulò duplicatis facultatibus frui posset. cur ergo eadem animi generositas in Christi, qui ueritas est, promissionibus non exercetur, præsertim cum multò maiora polliceatur? neque enim solū promittit regnum cælorum, uerum etiam centuplum in hac ipsa uita. necessariò igitur fatendum est, fidem deesse, quam habere se quidem omnes arbitrantur, sed factis ipsis arguuntur illa esse destituti. Beati pauperes. hæc paupertas, ut dudum dicebamus, in animo sedem habeat, necesse est. quare apud Matthæum legimus, beati pauperes spiritu. quod cum illo concordat, quod psaltes ait. & humiles spiritu seruabit. hæc itaque beatitudo humilitatem, atque animi submissionem coniunctam habet, atque adeo ab hac humilitate Euangelicæ paupertatis amor proficiscitur. humilitas enim in primis sanam efficit animam, iccirco à Græcis σωφροσύνη vocatur, ἀπὸ τοῦ οὐκ ἄσφραγος ἔχειν, quod scilicet mentem habeat sanam. eiusmodi enim homines intra naturæ se limites continent, quid ea velit, intuentur, quod uidelicet paucis sit contenta. contemplantur uitæ huius breuitatem, ac ueluti umbram, & huic breuitati summam additam esse inconstantiam, & quò maioribus quis fortunæ bonis augeri cupit, eò grauioribus, ac periculosis obijci fluctibus. quare horum omnium cogitatione colligit homo sese, & paupertatem diuitijs præfert, ut rem multò tutiorem, atque utiliore. quod si contingat, eum nihil tale cogitantem diuitem euasisse, nequaquam huius est expertus beatitudinis: nā facultates omnes nihili pendit, & eas ita distribuit, quemadmodum ab Euangelio docetur. ut rectè in medijs diuitijs Euangelicus pauper queat appellari. sicut enim dudum diximus, non omnes pauperes hac beatitudine dignandos esse, sic

fic non omnes diuites sunt excludendi, sed illi duntaxat, qui con fidunt in uirtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur, & donis à Deo sibi datis abutuntur. Beati pauperes. quare? quia uestrum est regnum Dei. & hic demittit se Dominus ad infirmitatem nostram, ut beatos appellet pauperes ob expectata in futurum bona. audientium enim capacitas in primis est obseruanda, neque proponenda maiora, quam eorum mens ferre possit: ij uerò, qui magis capaces sunt, etiam sine ullo præmio paupertatem ob Christum libentissimè amplexantur. quod necui paradoxum uideatur, fuerunt ex ethnicis, qui dicerent, id iniustissimum ipsum esse, iustitiæ mercedem quærere, rationemque addebant in hæc uerba. si propter alias res uirtus expetitur, melius esse aliquid, quam uirtutem, necesse est. pecuniam ne igitur, an honores, an fortunam, an ualitudinem? quæ & cum adsunt, perparua sunt, atque quando affutura sint, certum sciri nullo modo potest. Dominus ergo, qui, ut ait psaltes, nouit figmentum nostrum, demittit se ad imbecillitatem humanam, & eius pusillanimitatem promissis erigit. naturæ enim auctor scit, quid ei sit necessarium. paulatim uerò attollitur animus ex his pollicitationibus in amorem Dei, ut demum non spe mercedis, sed contemplatione summæ charitatis Dei erga nos, illum amare incipiamus, & nulla damna formidamus, nullisque aduersis ab eo auellamur, ut dicere & nobis cum Paulo liceat. quis nos separabit à dilectione Dei? num afflictio? num angustia? num persecutio? num fames? num nuditas? num periculum? num gladius? Studeamus ergo his gradibus & nos progredi, ut tandem posito mercenarij affectu, tanquam generosi filij, ob solam charitatem Diuina præcepta implere studeamus. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est honor, & imperium sempiternum. Amen.

ORATIO

ORATIO VIGESIMANONA.



BEATI pauperes, quoniam uestrum est regnum Dei. eadem repeterem, me quidem haud piget, uobis autem tutum est, ut aliquid ex Paulo mutuo accipiam. quid enim & mihi iucundius, & uobis utilius, ac tutius, quam ea identidem tractare, quæ summam afferant beatitudinem? atque illud in primis uenit mihi in mentem, ingemiscere, quo pacto fiat, ut Christiani homines, ad quos celestia hæc oracula missa sunt, tam sint ab ijs auersi, ut, cum in hac prima beatitudine commendetur paupertas ob Christum, & humilitas, animique submissio, nihil minus quam ista assequi curent. qui si cogitarèt, hæc duo non solum æternam felicitatem nobis comparare, uerum etiam in hac uita iucundiores uiuendi rationem præbere. quam opposita illis uitia, non committerent profectò, ut à tam crassa erroris opinione abducerètur. intueamur enim eos, qui auaritiæ student, & externum hunc fastum sequuntur, uideamurque; quid in his felicitatis queat reperiri. felicitatem ego quidem, & optimam quisque, opinor, mecum arbitrabitur, eam inquam, quæ haberi in hac uita potest, & quam communi omnium opinione metiri licet, ubi quis tantum habet, quantum alendo, & uestiendo corpori satis sit, neque externis præterea sollicitudinibus impeditur, quò minus animus officio fungatur suo, & dignis homine cogitationibus occupetur. quod esse debere Christiani hominis proprium, ostendit Paulus, cum ait. habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti erimus. at assequi, quantum sufficere ad uictum, & cultum possit, exigui est negocij, quod ubi quis habet, nihil impeditur, quò minus longa in Euangelica philosophia conficiat spatia. & ubi quis huc peruenit, is iam eam felicitatem est affecutus, quæ haberi in hac uita potest. da mihi nunc eos, qui nullum parandis pecunijs, & augendis facultatibus finem imponunt, & quò plura habent, plura semper concupiscunt, & usque ad finem uitæ in hac cupiditate perseuerant. quid obsecro isti distant ab hydropicis, & ijs, qui aqua subter cutem fusa laborant, qui quò plus bibunt, eò maiorem patiuntur sitim? quid hac infelicis uita, habere tot superuacua, atque in tanta copia semper egere? qui Tantali miserius apud inferos cruciantur? habent arcam pecunijs plenam, & ijs tanquam rebus sacris parcunt, & re tam uehementer amata per totam uitam frui nõ audent. quantum censetis ex cruciaretur is, cui pulcherrima mulier desponsa esset, quàm chariorè uita haberet, neque ea liceret unquam frui, quauis non esset metus, ne à quoquam alio possideretur? isti uerò nõ solùm spem nullam habent fruendi amatis opibus, uerum etiã continuo eas amittendi metu

CON-

consciuntur, cum ob varios casus, qui in vita accidunt, tum ob mortis quotidie impendētis pauorem, ut etiam cum sani sunt, formidare cogantur. multò verò magis, cum vel leuis morbus eos inuadit, maioribus præterea periculis obnoxij sunt, quàm reliqui, cum eorum opibus ita passim omnes infidientur, ut ne à proprijs quidem filijs sint tuti. reperi enim sunt, qui à parricidis manibus non abstinerunt, ut ocys parentum pecuniæ in eorum potestatem venirent: has, atque his plures difficultates etiam viri ethnici cum intuerentur, paupertatem diuitijs anteferebant. vnde quidam ex eis dixit:

nil cupientium

Nudus castra peto, & trans fuga diuitum

Partes linquere gestio

Contempta dominus splendidior rei,

Quam si, quicquid arat non piger Apulus,

Occultare meis diceret horreis,

Magnas inter opes inops.

non pudet, homines, qui cognomen à Christo acceptum circumferunt, tanto interuallo ijs esse inferiores, quos Paulus sine Deo appellat? non saltem incommodis, quæ in hac ipsa vita secum affert studium diuitiarum, permouentur, ut à tam noxijs appetitionibus auocentur? quòd si præterea ethnici illi habuissent manifesta Diuina oracula, quæ ostendissent æterna damna, quæ post hanc vitam eos manent, qui student auaritiæ, quantum censetis accessisset ad studium tanti fugiendi mali? habebant quidam poetas, qui nescio quos inferos fingerent, apud quos auari cruciarentur, sed eorum narrationes tam multis fabulis erant plenæ, ut illis rerum veritas obrueretur, neque facile fides illorum dictis, quamuis veri aliquid continerent, haberetur. nos verò, cum certissima sine vllis figmentis veritatis testimonia habeamus, quæ pro re desperata habent eos, qui parandis diuitijs affixi sunt, nihilò magis commouemur, quàm si fabulæ recitarentur. filius ipse Dei ait, facilius esse, camelum per foramen acus intrare, quàm diuitem ingredi regnum cælorum. aperta sententia est, ab ipsius veritatis ore pronuntiata, & Christiani homines, qui eundem Christum esse veritatem fatentur, ista audiunt, neque exarscunt, sed auidius quàm ethnici, diuitias expetunt. Paulus, in quo Christus loquebatur, & ipse nihil dubitat affirmare, eos, qui volunt ditescere, incidere in tentationem, & laqueum, & cupiditates multas stultas, ac noxias, quæ demergunt homines in exitium, & interitum. addit, studium pecuniæ radicem esse omnium malorum, quàm quidam dum appetunt, aberrant à fide, & seipos implicuerunt doloribus multis. audiunt ex tanto apostolo, tot mala ex diuitiarum appetitione proficisci, neque ab ea de-

terren-

terrentur. quod maius malum audiri potest, quàm quòd hoc vitium aberrare à fide faciat, & mergat homines in exitium, & interitum? quid miserius, quàm per totam vitam cupiditatibus esse obnoxium stultis, & noxijs? intuere enim, quibus rebus occupentur, & nihil illis stultius inuenies. homines pasunt, non humanitatis gratia, sed voluptatis. amant enim eos, qui facetijs, & scurrilibus verbis illos oblectent, & ludis, ac iocis totos infumere dies faciant, quando nullam felicitatem aliam nouerunt miseri, quàm tempus conterere iuueniliter, ac sine fructu. feras nutriunt, aues, canes, equos, & in ijs maximam temporis partem occupant. neque minus studiose affecti erga illos sunt, quàm erga filios, atque adeo multò plus etiã. nã sæpius equos inuisunt, & nequid eis desit, solerter curant: cū interea filiorum mores negligat, perinde quasi nihil ad eos pertineat, boni ne, an mali enadant. neque agnoscunt, quàm sit turpe, hominẽ, qui iccirco est homo, quòd ratione præditus est, occasione diuitiarum nunquam uti ratio ne, nunquam descendere in sese, & cogitare, quid homine sit dignum, sed ad res se inferiores demitti, & in earum obsequium totum esse occupatum. & hoc ingens malum secum affert opulentia, & diuitiarum copia, atque id ex eo facile liquet, quòd ij, qui minus habent, minus eiusmodi vitijs sunt obnoxij. hæc autem omnia inutilia sunt, & superuacua. ob hanc causam dixit Paulus, eos, qui ditescere volunt, incidere in cupiditates multas stultas. adiecit, & noxias. quo pacto noxias? cum absurdis, ac lasciuis anterioribus occupantur, cum res proximi cuiusque appetunt, cum se in delicias, & omnem intemperantiam ingurgitant, cum ebrietati operam dant, cum in cædes, & aliorum interitum incumbunt. multi verò sibimet etiam ipsis interitum accersuerunt, dum tyrannidem inuadere querunt, & aliorum potentiam insidiari. quare eorum cupiditates non solum superuacue sunt, sed etiam damnosæ in hac ipsa quoque vita, cuius rei gratia in hunc sermonem descendimus. Eisdem, aut certe non admodum dissimilibus superbia (quando diximus hanc beatitudinem & auaritiæ, & superbiæ aduersari) malis afficere homines solet. vbi enim quis in animum induxit, velle se alijs esse superiorem, cum nunquam non varia sese huic appetitio ni obijciat impedimenta, qui fieri potest, ut eiusmodi homines tranquillum vnquam habeant animum? semper enim aliquis obstat potentior, quem si non superauerit, nihil à se factum existimat. nulli agri, nullæ possessiones, nulla palatia explent eius appetitum, quia illius superbiæ nulli termini sunt circumscripti, nisi vnus, quòd scilicet nolit alijs esse inferior. cum verò id assequi sit impossibile, nam plerunque infima fortis homines etiam magnis viris faceffunt negocium, sperari omnia potius possunt, quàm tranquillitas, & quies. accedit & hoc mali, quo auari sæpe carent, qui contenti habere pecunias, sordidè uiuere non recusant, dum pecu-

T T nijs

nijis parcant. at superbi qui splendorem vitæ, ac victus ambiunt, nunquam satis pecuniarum habent, dum sumptibus parcere non possunt, quare insidiari semper alienis bonis conantur, vt suam tueri dignitatem queant, quod cum faciunt, maximam hominum partem in imico erga se animo habeant necesse est. hanc quis sanæ mentis, non dico beatam vitam, sed omnino uitâ audeat appellare? at contraria huic uiuendi ratio verè vocari vita potest, & beata vita, vt rectè dixerit Dominus, beati pauperes spiritu, id est, humiles, & mansueti, vbi quis nihil sibi arrogat, nemini sese audet antepone, quin potius quò præstantior est, eò submissius se gerit, eiusmodi homines paruo contenti, contentiones fugiunt, & pati potius damnum ferunt, quàm litibus sese immiscere. hinc sequitur, vt, cum erga omnes beneuoli sint, vicissim ab omnibus diligantur. Cernis, quàm verum sit, Euangelicos pauperes etiam in hac vita beatiore esse ijs, quos solos vulgus beatos existimat? sed Dominus meminit futuræ tantum uitæ, ut plenissimam proponat felicitatem, ne curemus hic esse beati, sed potius de perpetiendis aduersis cogitemus, quando crux hic ferenda est, non de commodis cogitandum. & tamen hanc crucem quis non magis eligat, quæ & hic reliquo omni uitæ genere melior est, & sempiterna nobis bona conciliat, quàm omnium malorum radicem auaritiam, aut principium omnis peccati superbiam? vbi enim omnium malorum radix est, & omnis peccati initium, quid inesse boni illic potest? quid mali non sit ob pecunias, & opes? aut potius non ob illas, sed ob prauum eorum affectum, qui eis abutuntur? ob eam causam non dixit absolutè Paulus, diuites, sed qui volunt fieri diuites, id est, qui huic vitiosa appetitioni affecti sunt. alioqui liceret diuitibus uti opibus, vt decet, liceret per eas regnum cælorum adipisci. facite (inquit) uobis amicos de Mamona iniquitatis, qui, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. nunc autem vitioso more, quæ in salutis auxilium data sunt, atque ad iuuandos egenos, ac pauperes in peccatorum redemptione, peccata (inquit) tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas beneficentiâ in pauperes, ijs contra pauperes utimur, atque adeo cõtra nosmet ipsos potius, ac salutem nostram, atque in Dei offensionem ipsius Dei dona conuertimus, & instrumentum efficimus ad omnia scelera. quid enim mali non hinc proficitur? plura possidendi studium, rapinæ, luctus, inimicitie, pugne, contentiones. negliguntur nature leges, vt aliqui etiam in mortuos manus iniecerint, in parentes, in fratres. omnia iura euertunt, quicunque ab hoc morbo detinentur. hinc frequens ad tribunalia concursus. aufer pecuniæ studium, & continuò bellum cõquieuit, cessauit pugna, finem acceperunt inimicitia, hereses, conten-

contentiones, quæ tanquam pestes, & lupi quidam essent ex orbe terrarum eijciendi. etenim ueluti uenti quidam uehementes, ac contrarij, in tranquillum pelagus ingruentes ab imo fundo illud euertunt, ut & ipsam, quæ in eius profundo est, arenam summis fluctibus permisceant; sic auari, & diuitiarum cupidi omnia confundunt, atque perturbant. nullum habet auarus amicum, nemini sincero animo affectus est. neque id mirum, cum ne Deum quidem agnoscat, dum ab illa appetitione occupatus insanit. uerè insani sunt eiusmodi homines, ac furentes, atque extra se positi: quorum animam si liceret intueri, inuenires eam non uno gladio, aut duobus, sed infinitis vulneratam, atque confusam, & furore quodam occupatam, vt neminem agnoscat, contra omnes rabida feratur, in omnes insiliat, allatret omnibus, & quæ in ipsum etiam cælum blasphema verba iaculetur. ab ijs omnia euertuntur, ac perduntur ob insatiabilem habendi appetitum, aut furorem potius, ac rabiem, Quosnam uerò ego huius uitij reprehendam? nescio: ita hæc pestis omnes passim occupauit, alios quidem maiori, alios minori ex parte, sed omnes tamen, ueluti ignis quidam in ingentem materiam incidens, omnia euertit, atque in solitudinem redigit. ita hæc orbem omnium terrarum disperdit, omnes occupat, imperatores, reges, principes, priuatos, diuites, pauperes, uiros, mulieres, pueros, omnem ætatem, omnem sexum, omnes gradus ex æquo malum hoc inuasit, ueluti tenebris quibusdam orbem obsidentibus, nemo experscitur. & reprehensiones quidem plurimæ aduersus auaritiam & publicè, & priuatim fiunt, at correctio nulla cernitur. quid igitur fiet? quo pacto hæc flamma extinguetur? licet profectò hanc pyram extinguere, si etiam ad cælum usque ipsum sublata esset, modo uelimus. sicut enim à uoluntate incrementa accepit, sic & à uoluntate potest deijci, modo propositum adhibeamus. quo uerò pacto hæc uoluntas excitabitur? si intueamur illius uanitatem, & superuacuum studium, cum cernamus, abeuntibus hinc nobis, non posse diuitias nos comitari, quin etiam hic nos plerunque deserere. & illæ quidem hic manent, at uulnera ab illis profecta nobiscum proficiscuntur. si intueamur diuitias, quæ in cælo sunt, quibus si has comparemus, uiliores cæno iudicabimus. si inspiciamus, quòd hæc diuitiæ infinita habent pericula, & temporariam uoluptatem, eamque multis permixtam molestijs. si attente contemplerur illas æternæ uitæ diuitias, sic ualebimus has contemnere. si cogitemus, quòd nihil nos iuuat, sed demergunt, ut audiimus ex Paulo, in interitum, ac perditionem. hic diues es, multosque tibi subiectos habes, at hinc discedens solus abibis, & nudus, & ab omnibus destitutus. hæc si frequentius cogitemus,

& ab alijs audiamus, & inter nos identidem colloquamur, facile sequetur sanitas, & fieri poterit liberatio ab hoc tanto malo. intelligamus, ea, quæ magna, & pulchra videntur, ab hominum opinione pendere. pulchra res tibi videtur margarita? intueri, unde proficiatur. nam marina est aqua, quæ prius in maris sinibus proiecta iacebat. pulchrum est aurum, atque argentum? at terra erat, & adhuc est, & solo colore distinguuntur. si reliquam terram, & cœnum ipsum auro, atque argento circundes, ut suum colorem abscondat, eandem afferet oculis delectationem, & tamen cœnum est. non pudet, homines, animalia ratione prædita, in rebus tantæ momenti tam desipere pueriliter, & per totam vitam tanto opinionis errore abduci? sericæ uestes pretiosæ existimantur, & honestate videntur eos, qui illis induuntur? at sunt vermium textura. neque intelligit homo, quàm sit pudendum, optare à vermibus honestari, & arbitrari se aliquid plus alijs esse propterea, quòd vermium opera videatur illustrior. hæc omnia opinio sunt, mihi credite, atque humana deceptio, neque in natura pulchritudinem habent. nam quæ habent in natura pulchritudinem, non egent docente. tu verò, si videas numisma æreum quidem, sed auro tectum, primum quidem admiraris, aurum ratus. ubi verò ij, qui horum agnoscendorum sunt periti, deceptionis te admonent, admiratio illa simul cum deceptione recedit. cernis hoc non in natura habere speciem illam? sed ne argentum quidem, & aurum. etenim qui ignorat metallorum differentiam, elaboratum plumbum argentum opinabitur, & æs aurum, ut opus habeat docentibus, qui admirari sine errore uelit. ita non satis sunt oculi ad diiudicandum. at flores non ita se habent, & illis sunt præstantiores. cum cernis rosam, non egres docentibus, neque metusest, ne decipiaris, ut alterum pro altero accipias. sic uiolæ, sic lilia, sic unumquodque è floribus, ut rectè eorum speciem cuius uestium nitori Dominus anteposuerit, cum dixit. ne Salomon quidem in omni gloria sua uestitus fuit, sicut unum ex istis. nihil ergo totum hoc negotium aliud est, quàm deceptio perniciofa, & error opinionis. dic enim mihi. si uideretur regi maiorem honorem dare argento, quàm auro, mox affectum mutaretis. non ne olim æs auro plus fiebat? quod quidam poeta testatur, qui ait.

Aus erat in pretio, melius nunc nomen in auro est,

Victaque concessit prisca moneta noua.

mutatur rerum usus pro utentium affectu, qui affectus plurimum seruit avaritiæ. Raritate plerumque res æstimantur non natura. quid. n. apud nos uilius allijs, & cepis? at cum mercatores ea deferunt in illas regiones, ubi ista non nascuntur, rebus permutat, quæ & apud nos in maximo pretio sunt, & natura

tura sua agnoscantur pretiosiores, sed earum copia efficit, ut illic parui æstimetur. cur ergo non discimus aliquando uti iudicio, & rationi consentaneum cuique rei pretium assignare? cur humanis præstigijs more puerorum abducimur, neque unquam in rebus solidis, ac serijs desigimus animum? at hæc à solo veritatis magistro Seruatore Christo discuntur. cætera meræ sunt imposturæ. imponit mundus, qui maria, ut dicitur, ac montes pollicetur, & demum eius finis agnoscitur esse puluis, & umbra. imponit Diabolus, qui regna mundi promittit, & gloriam eorum, sed deprehenditur tandem id unum querere, ut prostrati eum adoremus. imponit caro, quæ cum aliquid esse videatur, tandem illud esse agnoscitur, quod ait propheta. omnis caro scenum, & omnis gloria eius tanquam flos agri. scenum aruit, & cecidit flos. imponunt principes terræ, qui pollicentur, se magnos effecturos eos, qui sibi seruiunt, & plerunque vel ipsi, vel ij, qui seruerunt, ante moriuntur, quam remunerare beneficia licuerit. quid? quòd non rarò fit, ut pro beneficio mala rependant? leuis enim suspicio, aut non ex sententia prouincia aliqua administrata effecit, ut quis ex summa gratia in summum principis odium incidat. sed fingamus, aliquos fieri compotes uoti, quid tandem est, quod à principibus assequuntur? nempe quæ eadem hora possunt amittere, non solum ob mortem, uerum etiam ob uarios alios casus, ut rectè propheta, fauorem eiusmodi principum, baculum appellent arundineum, cui qui inniti uelit, perforare potius innitens manum idoneus sit, quàm iuuare. uerè Aegyptus (ut ait Esaias de regibus, ac principibus loquens) homo, & non Deus, & equi eius caro, & non spiritus. hic enim appellatione carnis, infirmitas, atque imbecillitas accipitur, quam dudum audiuitis ab eodem Esaias comparatam sceno, & floribus agri. cui ergo innitendum est? uideamus, quid addat idè propheta. cum. n. dixisset scenum aruit, & cecidit flos, adiecit. uerbum autem Dei nostri manet in æternum. hoc est uerbum, quod hodie audiuitis, uerbum Dei nostri, uerbum ueritatis, quod ita certam habet promissionem, ut sit facilius, cœlum, ac terram transire, quàm illius uerba. Beati pauperes (inquit) quoniam uestrum est regnum Dei. O ingratum genus, cur, si in tam munifici regis amorem, ut filij rapi nescimus, non saltem ut mercenarij tam admirandis promissionibus inuitamur ad illum audiendum? si promitteret rex alicui ex sibi subiectis, se illum in filium adoptaturum, modo prouinciam aliquam sibi creditam strenuè administraret, is proculdubio nihil prætermitteret, quod sciret ad illud officij munus pertinere. nullis laboribus, nullis sumptibus, nullis periculis parceret. quin eiusmodi homines, qui magni aliquid à suis principibus expectant, plerunque, dum nimium strenui esse uolunt, uitam in principis obsequium amittunt, ut nihil ex ea prouincia nisi solum damnum referant.

ORATIO VIGESIMANONA.

serant. at hoc ijs accidere non potest, qui Christo seruiunt, & eius philosophiam amplexantur. si enim contingat, eos pro Christo mori, illa mors summæ felicitatis initium est. quare nunquam frustrari potest illos sua spes, quin semper promissa illis præmia cumulatè reddantur. Hoc vnum certè, si non aliud, inuitare nos deberet, ad incumbendum toto pectore in eius doctrinam, atque ad viriliter agendum, cum certa sit spes præmiorum, atque illa præmia sempiterna. quod qui non præstant, vt saltem ob mercedem permoueantur, quæ Geenna satis erit ad tantâ ingratitudinem castigandam? sed auertat Deus, ne tantum scelus in nobis reperiatur, sed potius grati tanto muneratori, & gratias identidem agamus, & demus operam, vt, dum eius legibus paremus, tam felicia promissa cõsequamur, iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & potestas, & imperium, & in omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO TRIGESIMA.



BEATI, qui esuritis nunc, quia saturabimini. venit mihi nunc in mentem, quod Paulus dixit, cum intueretur, prædicationi huic passim à mundo obsisti, & à Iudæis, & à gentibus. prædicamus (inquit) Christum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, gentibus autem stultitiam, sed iisdem vocatis Iudæis pariter & gentibus Christum Dei potentiam, & Dei sapientiam. quoniam stultitia Dei sapientior est hominibus, & imbecillitas Dei robustior est hominibus. quod autem accidit tunc illi crucis prædicationi, idem usu nunc venit dogmatum Christi prædicationi. offendebantur Iudæi ob crucis ignominiam, neque patiebantur sibi persuaderi, Christum illum, quem expectabant futurum maximum regum omnium, qui unquam extitissent, crudelissimo, ac terribissimo genere mortis clausurum suum diem. ethnici quoque, cum audirent prædicari, hominem quendam, qui in crucem actus esset, filium esse Dei, in quo vno speranda esset salus, neque aliud nomen esse sub cælo (magnificum profectò, atque admirandum uerbum) in quo oporteat nos saluos fieri, ridebant, tanquam rem minimè credibilem, & cui fidem habere stultum esset. quicunq; verò hanc philosophiam mente, & cogitatione

ORATIO TRIGESIMA.

172

tatione assequi potuerunt, intellexere, Christum esse Dei potentiam, contra Iudæorum opinionem, qui crucis imbecillitate offendebantur, & Dei sapientiam, contra ethnicorum opinionem stultitiæ. idem in his dogmatibus, & uerè paradoxis sententijs accidit. qui enim Euangelicam doctrinam non intelligunt, inducere in animum nequeunt, in ijs rebus beatitudinem inesse, quæ à mundo summa miseria, summaque calamitas existimantur. oportet ergo Christianum affectum induere, qui horum esse dogmatum capax uelit. neque enim aliam ob causam, ij, qui se Christianos profitentur, & nihil minus, quàm illud sunt, tam uehementer ab ijs abhorrent, nisi quòd ista in cordis penetralia non admittunt. qui uerò delectantur meditari die, ac nocte in lege Domini, & in hac philosophiam bene penitus se dare, ij soli apti sunt, horum dogmatum uirtutem, & maiestatem intelligere. quare uos tota mente, atque omni animo adestote, & mementote, si quando nutat in hisce paradoxis aliquorum cogitatio, has esse ipsius filij Dei sententias, cui uni fides est habenda, ut qui sapientia patris sit, è cuius sinu prodierit, ut hanc ueritatem cum hominibus communicaret. ait ergo. Beati, qui nunc esuritis, quia saturabimini. adiectio illa, nunc, plurimum habet euentiæ, atque efficaciam. duo enim hic mihi uidetur complecti. primum, quòd meminisse debemus, hanc uitam pro certamine, ac pugna esse datam homini, non ad animi remissionem, labores passim in Euangelicis, & apostolicis præceptis proponuntur. qui uult (inquit) uenire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. &, per multas afflictiones oportet nos intrare in regnum Dei. &, si simul patimur, simul & regnabimus. si enim regem gloriæ Christum oportuit pati, atque hac uia intrare in gloriam suam, quis detrectare audeat afflictiones? si is, qui peccatum non fecit, neque dolus inuentus, est in ore eius, neque opus illi erat ulla per afflictiones purgatione, & tamen nostri gratia tantà prius pati uoluit, quàm in gloriam suam intraret, nos, qui multorum peccatorum nobis sumus conscij, quibus multe, ac iustæ pœnæ debentur, refugiemus affligi, ut in eam demum gloriam intremus, quæ nullis nostris meritis, sed sola Dei benignitate nobis dabitur? Alterum, quòd in illa particula, nunc, intelligitur, est breuitas temporis, quo est patiendum, & hac cogitatione breuitatis, fortior redditur ad tolerandum animus, sicut & uia breuitas laborem itineris efficit leuiorem. nam longissimum uitæ huius spatium, si cum æternitate conferatur, momentum est, in quo momento perstare ob æterna sperata præmia, nemini graue uideri debet. atque hoc est, quòd Paulus cogitans aiebat. momentanea leuitas afflictionis nostræ, mirè supra modum æternum pondus gloriæ parit nobis, dum non spectamus ea, quæ uidentur, sed ea, quæ non uidentur. nam quæ uidentur,

tem-

temporaria sunt, quæ autem non uidentur, æterna. & Petrus, nunc ad breue tempus afflicti in uarijs experimentis, si opus sit, ut exploratio fidei uestra multo pretiosior auro, quod perit, & tamen per ignem probatur, inueniatur in laudem, & gloriam, & honorem tunc, cum reuelabitur Iesus Christus. cernis, ut contemplatio breuitatis huius uitæ efficiat, ut quæuis afflictiones nihil sint æstimandæ, si cogitemus sempiterna illa bona, quæ momentanea hæc afflictionum leuitas parit? & sanè si leuandi ægri corporis gratia à cibis uarijs abstinent homines, & plurima utuntur diæta, in maxima siti etiam ab aqua iubentur abstinere, quid non esset ferendum, ut illam corporis incorruptionem assequamur, quæ nobis in resurrectione promittitur? hæc cogitantes uiri sancti, non recusabant, pro Christo in fame, & siti, in frigore, & nuditate uitam agere. nam appellatione esurienti, omnis rerum necessariorum indigentia debet intelligi. in quo genere erant ij, qui in ouillis, & caprinis pellibus in solitudinibus errabant, & in speluncis, & in cauernis terræ. Verum, quemadmodum, cum de paupertate loqueremur, diximus, non omnes pauperes appellari beatos posse, ita hic sentiendum est, non omnes, qui esuriunt, & sitiunt, hanc assequi beatitudinem. quàm multi enim sunt, qui sæpius multa famis, ac sitis incommoda patiuntur, dum parandis diuitijs student, itinera aggrediuntur aspera, peragunt solitudines in medijs solis caloribus, ut necesse sit, eos frequentissimè fame, ac siti laborare, alijsque uitæ necessitatibus? at ij inter Euangelicos esurientes non sunt numerandi. quinam ergo? ij nimirum, qui apertius in Matthæo describuntur, ubi dicitur. beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam. ij sunt enim, qui amore iustitiæ famem, & sitim, & extrema quæque pati non uerentur. ij sunt, qui se nunquam iustos arbitrantur. is enim esurientium, & sitiuentium est mos, ut tandiu, dum esuriunt, & sitiunt, edere, ac bibere cupiant, neque tam eo sunt contenti, quod iam acceperunt, quàm adhuc appetunt, quæ suæ necessitati deesse sentiunt. sic nimirum, qui hanc Euangelicam esuriem habent, non tam intuentur, quæ iam sunt assecuti, quàm quod superesse adhuc sentiunt. hunc habebat affectum Paulus, qui ad Philippenses scribens ait. fratres, ego me ipsum nondum arbitror assecutum esse, unum autem illud ago, ea quidem, quæ à tergo sunt, obliuiscens, ad ea uero, quæ à fronte sunt, enitens, iuxta præfixum signum insequor ad palmam supernæ uocationis Dei per Christum Iesum. esuriebant hanc iustitiam ij, qui non satis arbitrabantur, si bonorum suorum partem maximam in pauperes distribuerent, sed uendebant possessiones, & domos, & earum prætia ad apostolorum pedes projiciebant. qui uerò hac esurie non sunt præditi, ubi teruncium pauperi tribuerunt, abunde satis à se factum esse iudicant. non enim esuriunt ij, neque sitiunt iustitiam. quare? quia in illis

locus

locus ille animi stomachus idem patitur, quod corporeo stomacho usi euenit, cum omni edendi appetitu est destitutus. laborat enim uitiosis humoribus, qui quandiu in stomacho resident, cibos fastidiunt, & ægrè illos capiunt. uitiosus humor est habendi cupiditas, quæ dum animi stomachum occupat, omnem iustitiæ famem tollit. in eundem modum reliqui uitiosi affectus omnem rectè agendi appetitum extinguunt. purgandi ergo sunt, ut fames redeat, ac appetitus instauretur. Multum quoque profuerit, si ad rerum corporearum imitationem, aliqua remedia adhibeantur, quibus Euangelica hæc fames, & appetitus iustitiæ excitetur. quæ iustitia cum hic omnia rectè facta complectatur, remedia ista ad uirtutes omnes expetendas, & exercendas iuuare poterunt. hæc autem erunt exempla, quæ in scripturis sacris passim reperiuntur, quæ ad præclarissima quæque aggredienda animare hominem possunt. cuius enim est tam frigidus, tamque languens animi stomachus, qui, cum illud audit, cuius nuper fecimus mentionem, non mox excitetur ad omnem pro Christo liberalitatem in pauperes exercendam? erant aliquot hominum millia in Ierusalem, qui crediderant in Christum, habebant uxores, liberos, familiam, quorum cura tam sollicitum reddere animum solet, ut nunquam satis quisquam sibi esse arbitrari soleat. & tamen uide, quid de ijs in Actis apostolorum sit scriptum. multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, nec quisquam aliquid eorum, quæ possidebat, suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. intuere quàm pulchra, & quàm salutaris toti corpori fiat cõcoctio, ubi uitiosis humoribus est perpurgatus stomachus. in reliquo uitæ statu uix inueniuntur duo, aut tres, qui uera vnanimitate sint cõiuncti. sociantur quidem plerunque aliquot mercatores, sed lucri gratia, neque cor unum esse in eis potest, atque anima una, dum unusquisque sibi mauult bene esse, quàm alteri. cõcordes sunt, ut quântum possunt, diuites fiant, at lucrum sine damno alterius fieri non potest. & præterea ubi primum lucri spes cessat apparere, dissoluitur societas omnis, neque ullum posthac inter se habere commercium volunt. hic uerò audis tot hominum millia ita, nullam aliam ob causam, quàm ob mutuam charitatem, inter se cõiuncta esse, ut cor unum in eis, atque una esset anima, deinde omnem habendi affectum, qui omnes passim tam uehementer occupare solet, ut nihil aliud cordi hominibus esse uideatur, sic exuerant, ut nemo è tam ingenti numero quicquã eorum, quæ possidebat, suum esse dicere. sed erant (inquit) illis omnia communia. quodnam admirabilius obuersare oculis nostris spectaculum possit? quis tam hebeti stomacho est, qui ad huius exempli gustum non incipiat esurire tam pulchram iustitiam? idem ipsum in alijs rectè factis usu eueniret. horret quis aduersa perpeti, tantum abest, ut ea esuriant. audit beatum Iob eodem, & uno tempore

V V omnia

omnia amississe, tot facultates, tantam substantiam, filios omnes, ac filias, neque perturbatur, sed gratias agit, Dominus (inquiens) dedit, Dominus abstulit. sit nomen Domini benedictum. additur suprema corporis totius afflictio, quæ solo auditu horrorem excitare solet, atque cum eadem animi fortitudine respondet. si bona accepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus? in nouo testamento legimus, apostolos flagellis cæcos discesisse gaudentes. ibant (inquit) apostoli gaudentes à conspectu concilij, quòd digni essent habiti pro nomine Iesu contumeliam pati. audimus Iacobum dicentem, omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis. ista omnia quem iacentem appetitum non excitent ad eadem præstanda? rursus alius lasciuientis carnis motibus vexatur, subit animum generosum adolescentis Ioseph exemplum: qui, cum multa haberet, quæ illum à patrando adulterio inuitarent, nam pulcher erat, iuuenis, non deerant carnis stimuli, qui eum prouocarent, continua illa tam multorum dierum exstimulatio constantiam adolescentis frangere poterat, spes erat, fore, ut, si dominæ suæ votis acquieuisset, maiorem multo gratiam apud eam inueniret, cum inquam tam multa haberet, quæ persuadere illi possent, ut fieret adulter, tamen generose obstitit sceleratæ feminae postulatibus, ac ueluti adamas nullis eius percussionibus mollitus est. egregium hoc exemplum cui non desiderium, & quasi famem excitet seruandæ castitatis, & omnibus carnis lasciuie motibus alacriter obstitendi? eiusmodi sacrarum scripturarum exempla omnium rectè factorum excitare famem possent, si ad illa studiosè accurreretur. sed inertes nimium sunt homines, & propositis salutaribus hisce remedijs uti nesciunt, neque saltem illos imitantur, qui non contenti famem, ac sitim sedauisse, vias excogitant, quibus cibi, ac potus appetentia vel diutius perseveret, vel amissa reparetur. non cernitis, quantum adhibeant studium, ut hoc assequantur? quot artes inuentæ sint? quàm varia ciborum, ac condimentorum genera? quàm immanes sumptus ob hoc fiant? quàm sæpe exteræ etiam regiones adeantur? ut quid demum? ut pretiosum sterco ematur. hic enim est deliciarum finis. ut verò Euangelica famem vel seruetur, vel reparetur, nullus labor, nullum studium adhibetur, cum hoc sine pecuniarum sumptu assequi omnes possent. quæ res etiam magis ad id quærendum inuitare deberet. quod obseruasse videtur Esaias, cum dixit. omnes sitientes venite ad aquas. & qui non habetis argètum, properate, emite, & comedite. venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac. vbi primum obseruandum est, illum inuitare, non quoslibet, sed tantummodo sitientes. nam ij soli apti sunt his donis percipiendis, qui ardentissima siti in ceruorum morem ad fontes accurrunt. e quorum numero erat. regius propheta, qui dicebat. quem-

admodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? deinde inuitat ad aquas, id est, ad fluentia, quæ maximam sedandæ sitis copiam suppeditent, quod corporea hæc bona præstare non possunt, quæ maiorem potius sitim excitare consueuerunt, quàm ut illam sedare sint idonea. præterea inuitat, ut emant, sed absque argento, & absque vlla commutatione, quod idem esse videtur, perinde quasi dixisset, emite gratis, id quod alicui uestrum ænigmati fortasse persimile videatur. verum per ea verba significat, facilem esse comparandi tanti boni viam: quando neque pecunijs, neque corporearum facultatum permutationibus sit opus, sed ista solo proposito, atque animi alacritate emantur. & hoc eorum est pretium. quæ res, ut dicebam, prouocare nos magis deberet ad tanta bona adipiscenda. postremò cum uocasset ad aquas, inuitat ad edendum, cum expectarem, ut diceret, bibite. & quas aquas appellauerat, post paulò uocat uinum, & lac. nam spiritualium ratio longè diuersa est à corporalibus. etenim in alimentis spiritus eadem res & cibus est, & potus, & corroborans uidelicet, & recreans. aqua est, quæ sitim sedat. uinum, quod lætificat cor hominis. lac, quod sua dulcedine paruulos refocillat, & nutrit, ut incrementum capiant, quo tandem solido cibo possint assuescere. Neque prætermittendum est, quod eodem loco additur. quare appenditis argentum non in panibus, & laborem uestrum non in saturitate? re enim uera, quicquid in res terrenas infumitur, non implet animum, qui cum sit immortalis, atque ad beatam æternitatem factus, mortalibus, ac temporarijs fatiari non potest. sed uereatur fortasse aliquis, ne idem ipsum in rebus spiritualibus accidat, cum scriptum sit, qui me edunt, adhuc esurient, & qui me bibunt, adhuc sitient. uerum alia est huius famis, ac sitis ratio. significatur enim his uerbis, fore, ut cibus ille, & potus nunquam parere fastidium possit, sed semper nouum appetitum edendi, ac bibendi oriturum, quamuis semper illius cibi, ac potus delectatione fatientur. accipite enim à rebus, quas experimur, exemplum. sit aliquis omnium linguarum, omniumque disciplinarum peritissimus, huic deesse nunquam potest continuus, ac copiosissimus studiorum gustus, quasi cibus, ac potus iucundissimus. at illa satietas nunquam fastidium parit, sed continuam potius esuriam, ac sitim quandam, quæ & ipsæ non excruciant, sed delectant ita, ut famem, ac sitim non minus afferat delectationis, quàm cibus, & potus, quod bonum in corporeis alimentis non inuenitur. ubi dum esurit homo, ac sitit, torquetur, ubi cibo, ac potu satiatus est, incipit fastidire. quod fastidium tantò maius oritur, quantò cibi fuerant lautiores. adde, quòd post cibum, ac potum animus, præcipua hominis pars, obruitur, ut opera sua

exercere liberè minimè possit. in spiritualibus uerò alimentis contra fit, quò enim quis magis impletur, eò fit alacrior, & maiorum rerum magis capax, & quò delicatior fuerint cibi, quibus & alitur, & impletur, eò maiorem appetitum continè pariunt: tantum adest, ut rebeant fastidie. satietas ergo illa, quæ delectationem secum habeat, in rebus corporeis nulla est, sed in solis inuenitur spiritualibus, de qua hic Dominus ait. beati, qui esuritis nunc, quia saturabimini. quando? audi prophetam. facia bor, cum apparuerit gloria tua. id enim, quod Dei capax est, nihil, quod Deo minus sit, implere potest. satietas ergo illa erit uisio Dei, quæ & uita æterna appellatur à Domino, cum ait. hæc est uita æterna, ut agnoscant (idem autem est, quòd, uideant) te solum uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum. hoc donec assequamur, non habebitur hæc satietas, si etiam totius cæli, ac terræ reges essemus, si etiam in angelos, & cælestes omnes illas mentes imperium haberemus. quod cum Dauid intelligeret, negligebat non solum quicquid in terra erat, sed etiam in cælo, & magnifica illa uerba proferre ausus est, ac dicere. quid enim mihi est in cælo, & præter te quid uolui super terram? quid igitur uis? defecit caro mea, (inquit) & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. cæteris omnibus in rebus oculus non satietur uisu, nec auris auditu, in hoc uno hominis appetitus potest conuiescere. quia in re uenit mihi in mentem deslere degeneres animos eorum, qui hanc agnouerunt ueritatem, atque ad assequendum tam ingès bonum tam sunt inertes. surgent ethnici in iudicio contra nos, qui tametsi non audiissent tam felicia promissa, quia tamen nescio quos Elysios campos somniauerant, & loca, in quæ uiri boni essent deducendi, conabantur rectè uiuere, ut illorum uirorum consuetudine frui possent. nulla de uisione Dei, quæ sola, ut diximus, beatos facit, erat apud illos mentio, uel opinio, sed ne de angelorum quidem, & purgatarum illarum mentium commercio: at tamen conabantur rectè, atque honestè uiuere, ut cum uiris illis præstantibus esse possent. quod uerò ad rerum contemplationem pertinet, magnum esse arbitrabantur, si ad ea loca peruenirent, unde totam terram contueri liceret, eiusque cum situm, & formam, tum habitabiles regiones, & rursum omni cultu uacantes propter uim frigoris, & caloris. non audiuerant corporum resurrectionem, & fore, ut ipsa nostra corpora splendorem solis æquent, & dicebant tamen, de illa perpetua potius, quàm de hac exigua uita esse cogitandum. nos uerò, quibus uisio Dei promittitur, res nimirum tanta, cui cæli, & terræ, & totius corporeæ huius fabricæ, & ipsarum cælestium mentium contemplatio comparata, res sit contemnenda. promittitur corporum gloriæ plena resurrectio à Seruatore Christo facienda.

Serua-

Seruatore (inquit) expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ, ut conforme sit corpori claritatis suæ. nos inquam ad tam felicia, tam admiranda, tam nemini unquam expectata promissa nihilò plus mouemur, quàm si post hanc uitam nullus superesset sensus. quæ pœnæ tantam stupiditatem, tantam quæ ingratitudinem ulcisci erunt idoneæ? hoc est, quod sapius à me dictum, sapius etiam repetendum est. solo nomine sumus Christiani, atque ad solas corporis aures, & uix etiam ad eas, huius philosophiæ maiestatem finimus penetrare. quousque pueriles hosce lusus sectabimur? Facti sumus ad id fruendum, quod cælo, terra, & creatis rebus omnibus, quæ uel uideri possunt, uel hisce aspectibus sunt superiora, & dignitatem nostram ad uilissima quæque demittimus, & exiguam pecuniam immensis thesauris anteponimus. tota terra esset contemnenda, ad eorum contemplationem, quæ proposita sunt nostro generi, & pro minimis quibusque rebus immensa bona contemnimus. quid enim sunt maximæ quæque possessiones, uinæ, oliueta, uiridaria, cum tota terra uniuersæ mundi fabricæ comparata instar puncti sit? & millesimam huius puncti partem nūquam assequeris, si etiam magni Alexandri animum induas, & in re tam exigua per totam uitam ita pueriliter occuparis, neglectis interea immensis, æternisque diuitijs. quòd si contingeret id, quod nemini unquam obigit, ut totius terræ fieres dominus, nihil tamen esset, si huius uitæ breuitatem contemplere: quæ cum æternitate collata, ne momenti quidem unius spatium occupat. uno uerò momento regnare quis uel sapiens, uel stultus optauerit? cernitis ciues mei, quantum afferat mali, semper defixos humi oculos habere, & nunquam eos in cælum, ac patriam nostram attollere? quid prodest hæc corporis nostri figuram erectam ab ipso auctore naturæ Deo esse factam, ut animo seruiret, ipsum uerò animum brutorum animalium in morem solam terram spectare? quàm turpe est, corpus, quod ad animi obsequium factum est, suam seruare naturam, animum uerò deteriore fieri conditione? corpus è terra est, & erectum in cælum spectat. spiritus è cælo est, & solam terram intuetur. quid hac monstrosius metamorphosi? erigamus itaque tandem aliquando oculos mentis à terra, & cor ibi defigamus, ubi uera satietas est. qui enim arbitrantur satiari terrenis hisce rebus, illud eis usu ueniet, quod accidere somniantibus solet, qui per solum uidentur sibi copiosis expleri epulis, aut etiam magnam pecuniam summam inuenisse, ubi uerò experrecti sunt, merum fuisse somnium intelligunt. nam profectò sola terrenarum rerum, & huius duntaxat uitæ cura, ac studium, somnium est. cuius propheta meminit, cum de ijs loquens, qui temporarijs tantum lucris affecti sunt, ait.

dor-

dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes uiri diuitiarum in manibus suis. quid obsecro infelicius accidere homini potest, quam semper dormire, & per totam uitam somnijs delectari, & ab ijs somnijs ad supremū omnium malorum, æternum scilicet ignem, & Tartarea tormenta descendere, & tunc demum expergisci, cum illa experrectio nihil proderit? expergiscamur itaque, dum adhuc suppetit tempus, & non somnijs, sed rerum ueritate quæramus satiari, & hanc satietatem, quam hic Dominus promittit, in hac ipsa uita incipiamus degustare. quod fiet, si cœlestibus cogitationibus, & colloctionibus assuescamus, & esuriamus Euangelicam esuriam, quæ omnibus terrenis diuitijs beatior est. hæc enim erit cœlestis uitæ repræsentatio, & arrabo spiritus, quem æterna demum hæreditas consequetur. Iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & potestas, & imperium, & nunc, & in omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO TRIGESIMAPRIMA.



BEATI, qui fletis nunc, quia ridebitis. Fuerunt inter externos philosophos, qui dixerint, hominem esse mensuram rerum. qui uiderentur quidem aliquid dixisse, si homo in ea perstitisset integritate, atque præstantia, in qua fuerat creatus. tunc enim rectum omnium iudicium habuisset, cum creatus fuisset sapientissimus, cuius sapientiæ uel unum illud locuples testimonium est, quod in Genesi scribitur, Deum adduxisse omnia animalia coram Adam, ut imponeret eis nomina. at impositio recta, & uera nominum tunc est, cum ipsa nomina, rerum, quibus imponuntur, naturam exprimunt. quare oportet, ut nominum institutor nomen natura rebus singulis aptum in uocibus, & syllabis exprimat, atque ad id spectans, cuius ipsum nomen est, singula nomina fingat, atque attribuat. ob hanc causam uir quidam inter externos philosophos præstantissimus censebat, non cuiusque uiri esse nomen imponere, uerum cuiusdam nominum auctoris, qui rarior omni artifice inter homines reperiretur, & adiecit. uerissimus ille sermo uidetur, quo dicitur, excellentiorem quandam potentiam, quam humanam, prima rebus nomina imposuisse. quæ sententia sic accipienda est. primum quidem

dem hominem Adam imposuisse nomina, sed eius tunc naturam præstantiorem fuisse, quam nunc humana cernitur. si ergo perstitisset homo in illa agnitionis excellētia, fieri potuisset, ut homo esset mensura rerum, & recto in suis sentētijs iudicio uteretur, ut quicquid ei uideretur, id ita esset. uerum postea, quam ob peccatum tenebræ ofusæ sunt humanis animis, id iam de homine dici non potest, quod scilicet sit mensura rerum, sed potius infiniti errores excogitati ab hominibus fuerunt, ut quam rarissimè, aut nunquam potius, quoties suis cogitationibus fidere uoluerunt, inuenerint ueritatem, & dicētes, se esse sapientes, stulti sint reperti. ut rectè Salomon dixerit. mundum tradidit disputationi eorum, ut non inueniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque in finem. quod sanè ex factis ipsis uerissimum esse repertum fuit. tantum enim abest, ut quicquam profecerint, ut sapientes plurimi ob frequentem ipsam in rebus peruestigandis reuolutionem, præter cæteros in cerebri uertiginem inciderint. quo factum est, ut res ipsæ perferri, & uacillare illis apparerent, cum non exterior rerum, sed interior eorum uertigo hanc pareret opinionem, quæ uertigo tanta fuit, ut nihil tam ridiculum sit, quod non ab aliquo philosophorum fuerit dictum. In hunc autem sermonem descendi ob ea uerba, quæ præ manibus habemus, cum beatos Dominus uocet eos, qui nunc flent. illi uerò philosophi, qui stoici appellantur, tantum abest, ut hoc rem beatam sint arbitrati, ut negent, sapientem ullis affectibus moueri debere. quod quam sit absurdum, mecum quæso sic breuiter considerate. affectus in homine ex eo nascuntur, quod non solum anima, sed etiam corpore constat. si enim unius tantum naturæ esset homo, & eam substantiam simplicem haberet, quam habent angeli, & cœlestes illi, ac purgatissimæ mentes, rectè dici posset, oportere hominem nullis affectibus permoueri. uerum, cum non solum ratione, ac mente constet, atque intellectu, quo substantiæ illæ à corporibus separatae, sed etiam eas partes habeat, quas & reliqua animantia, quæ ex hisce elementis composita sunt, quibus & nostra corpora, si uelimus prohibere, quod minus homo eos affectus exerceat, quos ipsa corporis natura secum affert, hoc nihil esset aliud, quam uim afferre naturæ, & uelle, ut animalis pars in homine sit ociosa, quæ pars ea est, quæ & suæ naturæ accommoda appetit, & contraria auerfatur. quas uires nunc passim concupiscibilem, & irascibilem appellant, unde alij affectus originem habent. has uires in animantibus ratione carentibus non solum uitiosas non esse, uerum etiam & necessarias, & summa cum Dei sapientia in fitas in earum natura animaduertimus: cum per illos affectus, qui ex illis uiribus ortum habent, unumquodque animal se tueatur. appetunt utilia, noxia deuitant, se, ac filios suos defendunt aduersus ea animalia, quæ sponte naturæ intelligunt esse sibi

sibi inimica. cernimus in eis affectus amoris, odij, ire, lætitiæ, dóloris, spei, timoris, qui omnes affectus à beneficentissimo auctore naturæ Deo insiti illis sunt, tuendæ illorum uitæ gratia. cum itaque homo eam partem, quam animale[m] vocamus, communem cum reliquis animantibus habeat, cur eum ijs affectibus priuemus, qui illum necessariò comitantur. si tueri se debeat? hoc cum non animaduertent philosophi illi, dum se sapientem fingere arbitrati sunt, quandam insensibilitatem introduxerunt, dum volunt, sapientem nullo animi affectu commoueri debere. quid enim interest, motu animi sublato, non dico inter pecudem, & hominem, sed inter hominem, & saxum, aut truncum, aut quiduis generis eiusdem? ita ij, qui sapientiæ sibi nomen vsurpabant, dum sapientem effingere velent, non solum sapientiam illi, verum etiam sensum penè abstulerunt. at Christus Dei sapientiæ, & in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, qui verè solus dici potest fuisse mensura rerum, qui hominem formauit, idem quid homini conueniret non ignorans, ipse factus homo, & per omnia similis nostri effectus præter peccatum, non recusauit humanos affectus, nõ veritus, ne à Stoicis reprehederetur, & eis affectibus, vbi opus erat, vsus fuit. vt cū in Lazari historia turbauit seipsum, & lacrymatus est. & apud Marcū ita legitur. cū circūspexisset eos cū iracundia, dolens super cæcitate cordis eorū. in eundem modum, cum eiecit è templo ementes, & vendentes, credibile est, illum etiam vultu præ se iustam indignationem tulisse. ob hanc causam cum iram prohiberet, ac diceret, qui irascitur fratri suo, adiecit, sine causâ. nam motibus animi à natura nobis insitis vti cum causâ, id est, cum ratione, virtus est, atque interdum non vti, vitium. quid enim aliud virtus est, vt rectè vir quidam eruditione, & sanctitate præstans dixit, quàm moderatæ, ac ratione gubernatæ affectiones? ut in ira. sicubi enim indignatione opus fuerit aduersus inertem, qui subiectus nobis sit, esto ratione temperata indignatio, & erit virtus. etenim gladijs utuntur quidem & homicidæ, utuntur & medici, at illi quandoquidem ex ira, & crudelitate arma contrectant, indecētissimè agunt, dum eos interficiunt, qui eiusdem generis, ac naturæ sunt. ij verò, qui ratione adducuntur, ut gladio utantur, maximam præterea afferunt vtilitatem, nam periclitantes seruant. sic qui cum ratione scit indignari, maximè illi prodest, aduersus quem usus fuerit indignatione, dum inertiam, aut vitium corrigit. qui uerò à perturbatione iræ occupatur, nihil sanum, aut rectum efficit. cum ergo audis, licere interdum irasci, non eum irascendi morem accipias, quo passim homines utuntur, dum perturbata ratiōe ferri se extra præfixos ab ea terminos finūt. sed ille naturæ calor permittitur, quo inuemur ad salubres proximo cuique increpationes, castigationesque adhibendas, quando experti sumus, tranquillum illi ser-

monem non profuisse. nam sunt quædam impudentes, atque asperæ mentes, quæ si leniter fuerint admonitæ, ad grauiores culpas ipsa lenitate prouocantur. Utendum est ergo indignatione tanquam bene educato cane, qui tantum cum necesse est, id est aduersus fures, atque hostes allatret, quod nisi faciat, officio minimè fungatur suo. quòd verò etiam eos, quibus mansuetudo curæ est, deceat opportuna indignatio, hinc patet. etenim Moses, qui testimonium habuit mansuetudinis super omnes homines, tempore inuitante indignatus est, tum quidem cum vitulum fabricati sunt, tum verò cum maculati, & polluti sunt corâ Beelphegor. censetis enim eum potuisse non incallescere, cum diceret, si quis est Domini, iungatur mihi, ponat uir gladium super femur suum, ite, & redite a porta usque ad portam per medium castrorum, occidat unusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum? fieri ergo potest, ut, qui mansuetus est, & cum ratione incalescat, neque tamen mansuetudinis uirtus corrumpatur. at immotum manere, uel, uti decet non indignari, inertia naturæ non mansuetudo uocari debet. nam, si penitus auellerentur affectus, ratio segnior, atque hebetior fieret, non aliter, quàm gubernator ventorum flatu destitutus. &, quemadmodum uenti, si secundo flatu ferantur, nauim adiuuant, vt eò, quò destinarat, proficiscatur, si verò contrarij sint, cursum nauis impediunt; sic ij affectus, quos animales appellamus, si ratione regantur, sunt ad optima quæque adiuumento, sin rationem aspernentur, tunc uitia fiunt, & rationi, tanquam recto cursui sunt contraria. media ergo quædam natura sunt, quæ pro eorum usu nomen accipit. si quis verò hos affectus bonos per se appellet, quatenus à naturæ auctore insiti nobis sunt, is non aberrauerit, quemadmodum terræ fruges, & metalla, & tota hæc corporea fabrica bona est. uidit (inquit) Deus cuncta, quæ fecerat, & erant ualde bona. at tamen multi ijs omnibus & abusi fuere, & abutuntur. quòd si propter hominum abusum ista omnia non desinunt bona appellari, ne affectus quidem isti detestandi propterea sunt, quòd plurimi non rectè illis utantur. neque enim sunt ex eorum genere, quæ per se mala sunt, vt blasphemia, impietas, auaritia, rapina, adulteria, & eius generis alia. & ob hanc causam inueniuntur ij affectus plerunque laudati, ut cum propheta dicit. iniquos odio habui. &, non ne qui oderunt te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos. sic de spe, metu, lætitia, dolore. qui vbi honori Dei seruiunt, aut proximi cuiusque vtilitatibus, maximè laudantur. si verò vidissent Stoici regem David ludentem, & saltantem ante arcam domini, risissent illum opinor, quemadmodum & illius uxor Michol contempsit eum, ac reprehendit. at ipse sciens hoc esse rem honorificam, quicquid ob Dei honorem ageretur, respondit. lu-

dam coram Domino, & uilior fiam plus, quàm factus sum. Sed ueniamus ad fletum, cuius hic mentio fit, qui ex uehementiori affectu gigni solet, quem fletum, tantum abest, ut Dominus reprehēdat, ut beatos etiam fletus appellat: sed ne hic quidem omnis fletus, sicut & supra non omnis efuries, nec quæuis paupertas commendatur. flet enim multi ob impatientiam, ob iram, & propterea quòd huius uitæ commoda pro animi uoto non assequuntur, aut quia inimicum ulcisci non potuerunt. non horum laudatur fletus. quorum ergo? eorum, qui cœlestis patriæ desiderio contabescunt, qui dolent, quòd frui Deo nondum illis datur. in quo genere erat Diuinus ille uates, qui dicebat. fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus? quod desiderium quàm esset uehemens, prius declarauerat, cum dixit. quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. sitiuit anima mea ad Deum fontem uitium, quando ueniam, & apparebo ante faciem Dei? laudatur fletus, qui ex peccatorum recordatione proficiscitur. ubi quis dicere potest. lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. nihilò verò minus commendandæ sunt eorum lacrymæ, qui proximi cuiusque peccata deflent, quod sæpe faciebat Paulus, tum quidem cum dicebat. metuo, ne iterum cum uenero, humilem me faciat Deus meus apud uos, & luceam multos eorum, qui antea peccauerunt, nec eos poenituit immunditiæ, libidinisque, & impudicitiae, quam patrarunt. tum uerò alibi. complures ambulat, de quibus sæpe dixi uobis, nunc autem & flens dico, inimici crucis Christi. & Jeremias. quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die, ac nocte interfectos filiarum populi mei? qui ploratus, quod ob populi peccata esset, declaratur ex ijs, quæ ibi sequuntur. quis dabit me (inquit) in solitudine diuersorium uiatorum, & derelinquam populum meum, & recedam ab eis, quia omnes adulteri sunt, & cœtus præuaricatorum. neque uerò reprehendendæ sunt illæ lacrymæ, quæ ob aliorum calamitates profunduntur. nam apostolica sententia est, ut cum flentibus defleamus. cuius rei exemplum Seruator ipse præbuit, cum & super ciuitatem fleuit, & in Lazari morte, ut nobis mensuram, ac terminos præfigeret affectionum animi, quatenus, & quando, & quo pacto illis sit utendum, & doceret naturales affectus non esse cōtemnendos, alioquin ipse nō opus habebat Lazarum flere, cum in promptu haberet illum, sicut & fecit, à mortuis suscitare. quare nō erant ille Domini lacrymæ ex perturbatione aliqua pfectæ, sed docēdi tātū nostri gratiā. idque ex eo liquet, quòd sciens quæ facturus erat, dixit. Lazarus amicus noster dormit, sed uado, ut à somno excitē illū. quis uestrū dormiētē amicū defleat, quē post paulò expectaturum sciat? Lazare (inquit) ueni foras, & mortuus

mox

mox ad uitam redijt, & uinctus ambulauit. miraculum additum miraculo. ligatus erat in istis pedes, & non prohibebatur ad motum. maior enim erat uirtus imperantis, quàm quæuis impedimenta. quo pacto ergo is, qui hæc facturus erat, iudicauit dignum lacrymis, quod acciderat? non ne satis patet, quòd imbecillitatem nostram firmare uolens, mensuris quibusdam, ac terminis necessarias affectiones circumscripsit, ut morem illum eorum, qui censent, nullis affectibus hominem debere commoueri, declinarem, tanquam ferinum, & præterea contrarium huic uitium eorum, qui multum lugere, ac flere amant, auersarem? iccirco cum dedit amico lacrymas, & ipse communicationem ostendit, quā cum natura nostra habebat, & nos fugere extrema, quæ uitiosa sunt, docuit. ut neque molles nimium erga affectus efficeremur, neque sine ullo doloris sensu essemus. uilitatis enim nostræ causa hos affectus accepit, quemadmodum & famem, & sitim, & defatigationem, quæ naturam corporis nostri consequuntur. sic admisit & lacrymas, ut rem naturæ nostræ consentaneam. generantur enim lacrymæ, cum cerebri concauitates repletæ uaporibus, qui ex tristitia generantur, per oculorum meatus, ueluti per quosdam aque ductus, grauitatem humoris exhauriunt. alioqui uertigines, & tenebræ offusæ oculis, & uarij, ac noxij casus ob ingruentes repentinas molestias oriuntur, dum uapores illi per caput, ac cerebrum circumuoluuntur, quorum densitas in lacrymas soluitur, ut nubes in pluuiam, ex quo uoluptas quædam ijs, qui tristitia affecti sunt, ex illo fletu oriri solet, dum latenter lacrymarum profusione grauitas illa exinanescit. confirmat autē huius sententiæ ueritatem ipsa rerum experientia. multos enim nouimus in maximis calamitatibus uim naturæ adhibere uoluisse, ne lacrymarentur, & mox uel in apoplexiam, aut paralysem incidisse, uel omnino expirauisse, dum eorum uirtus nimio tristitiæ pondere frangitur. quod enim in flamma cernere est, ut à proprio ipsius fumo suffocetur, dum non egreditur, sed circa illam uoluitur, sic ferunt accidere illi nature uirtuti, quæ animal regit, ut marcescat, & suffocetur a doloribus, dum nulla contingit in exteriora respiratio. ex quo etiam apertius intelligimus, quàm sint ridendi, qui fletum, & lacrymas in sapiente damnāt, quod nihil aliud est, quàm ipsam damnare naturam, atque adeo ipsius naturæ auctorem Deum. Permittuntur ergo eiusmodi affectus, præsertim lacrymæ, modo honesta mensura adhibeatur, qua intra rationis terminos cōtineamur. neque enim aut uiris, aut mulieribus permittitur superuacua illa luctus, ac fletus copia, sed quatenus aliqua lacrymæ emittuntur ad leuamen naturæ, idque quietè, non stridendo, neque ululando, neque ut quis uestes laceret, aut puluerē iacet, aut aliud quippiā faciat indecorum. quòd si apud ethnicos factum aliquando fuit, nō tam erat reprehensibile: eū uerò, qui

XX 2 Diui-

Diuinis doctrinis purgatus est, oportet recta ratione, veluti fortissimo muro esse munitum, & viriliter, ac fortiter talium affectuum impetus arceri, ne animus, tanquam humilis quidam, ac demissus locus, influentem perturbationum turbam admittat. nam effeminati est animi, & nullam solidæ in Deum spei constantiam habentis, uehementius commoueri, & frangi molestijs. sicut enim vermes in tenerioribus lignis sepius generantur, sic tristitia in mollioribus hominū moribus oriri solet. Ostendimus; quantum breui oratione complecti potuimus, qui sit ille fletus, quem exercentes beati appellantur à Domino, & qualis illius vsus esse debeat, quod omnino fuistis admonendi, tum quia in hac parte multa peccantur, dum maxima pars ultra rectos rationis terminos feruntur, tum ne quis hanc speret beatitudinem, dum continuis quidem fletibus eperam dat, sed non illos ad præfixum Euangelicæ philosophiæ scopum dirigit. nunc videamus, quid ij Euangelici flentes sint affecuturi. Beati, qui flent nunc, quia ridebitis. hic risum appellat, non illum per genas emissum strepitum, in sanguinis efferuescentia, & præcordiorum hilaritate, sed omnem tristitiæ priuationem, quæ apud Matthæum appellatur consolatio, vbi sic legitur. beati qui lugent, quoniam ipsi consolationem habebunt. vide quid pariant Euangelicæ lacrymæ. veluti semen sunt æterni gaudij. qui seminant (inquit) in lacrymis, in exultatione metent. euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua. venientes autem venient, cum exultatione portantes manipulos suos. optandus fletus, qui sempiternam lætitiā parit. ascende enim mihi cogitatione, & contemplare angelicum statū, si aliud quippiam eos decet, quàm gaudere, & lætari, quòd digni facti sint, qui Deo assistant, & fruuntur arcana illa pulchritudine conditoris omnium, & ex hac cōtemplatione fletum Euangelicum omnibus lætitijs antepones. ad illam uitam inuitans nos apostolus aiebat. semper gaudete, quis enim nostrum in teterrimo carcere cōstitutus, non æquo, atque adeo alacri, ac læto animo omnem iniuriam ferret, si diceretur ei, illam molestiam duarum horarum spatio duraturam, quam si libenter toleraret, mox egressus summa dignitate esset honestandus? hæc autem vita ne duarum quidem horarum spatium obtinet, si cum æternitate conferatur. & hoc exiguo spatio fletum hunc recusabimus, qui æternam nobis lætitiā conciliabit? ista qui cogitant, dicunt identidem cum propheta. reuiuit consolationem anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum. intelligunt cum Salomone, melius esse ire ad domum luctus, quàm ad domum gaudij. qui & aiebat. melior est ira, id est tristitia, quàm risus, quia in mœrore uultus emendatur animus. & alibi. cor sapientum vbi tristitia. nam illa animi effusio eneruat, ac debilitat rationis, ac mentis vires, & præterea interiora damna non sinit sentiri. at ubi externa omnia

incipit fastidire, colligit sese, & quid sibi desit, obseruat, maioresque in dies progressus in Euangelica philosophia facere studet. Beati, qui flent nunc, quia ridebitis. ab humano more accepta similitudo est. iudicium enim soluti curis animi est, ac bene habentis, cum in risum soluitur. cum ergo felicitas illa, quæ in celo est habenda, explicari non possit, uti est, humana similitudine exprimitur, ut risus appellatur. sic in uarijs diuinarum scripturarum locis accipiuntur humanæ similitudines, cum de illis bonis loquuntur, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. appellant satietatem illam, ebrietatem, & torrentem uoluptatis. inebriabuntur (inquit) ab ubertate domus tuæ, & torrente uoluptatis tuæ potabis eos. animaduertis penè monstruosam similitudinem, ut quis pro cyatho, ac patera utatur torrente ad potandum? at hoc fit, ut felicitatis magnitudo aliquo pacto declaretur, quæ alioqui dum his sumus inclusi compagibus corporis, pura, uti est, ac sincera percipi intelligentia non potest. quis enim assequatur cogitatione, quanta res sit, corpus, cuius facibus nunc nos ad omnes ferè cupiditates inflammari solemus, quodque contemplandis optimis quibusque rebus impedimento est, ita tunc habere constitutum, ut neque ullo unquam tempore mentis exercitationem impediatur, & nullas cieat perturbationes, & præterea naturæ nostræ suam addat perfectionem? cum enim natura constemus anima, & corpore, si corpus non instauraretur ad immortalem assequendam cum anima uitam, uis quædam adhibita uideretur fuisse naturæ, eaque sempiterna, si semper animæ sine corporibus degerent. oportet ergo ad integram hominis felicitatem, etiam corpus ipsum suam adipisci perfectionem, quæ tunc erit, cum animæ beatitudo ita in illud redundabit, ut splendorem assequatur, qui solis fulgorem æquet, quemadmodum à Seruatore Christo pronittitur. cum ergo id adeptus fuerit homo, ut perpetua cœlestium rerum cōtemplatione frui possit, quis hanc felicitatem intelligentia complectatur? sic enim mecum cogitate. fingamus, in hac uita, in qua Paulus dicit, nos uidere per speculum in ænigmate, contingere cuiusdam posse, sine cibi, ac somni (quæ duo quicumque ut iucunda expetunt, ij proculdubio nihil à mutis pecudibus distant, cum manifeste fateantur, se nescire, quid inter hominem, & pecudem intersit) necessitate noctes, ac dies in ijs exerceri, quæ humana hic natura assequi potest, summam hanc arbitraremur felicitatem. at quādo hoc cumulatisimum ibi dabitur, ubi contemplabimur facie ad faciem, quis illud bonum non dico eloqui, sed concipere cogitando possit? quos torrentes uoluptatis hauriemus, cum cœlestis patris faciem cum angelis, & beatissimis illis mentibus intueri licebit? Sed uideo hic nimis humiles quorundam cogitationes, qui si essent tantum quædam muliercule, atque idiotæ uiri, essent tamen

tamen & ipsi admonendi, cum non minus ijs, quam eruditus propositum sit regnum cœlorum. sed cum uideam præterea nō nullos ex ijs, qui alicuius magistri esse deberent, tanta in re, ac tam scitu necessaria, penē pueri liter desipere, intelligo necessarium esse, eorum occurrere simplicitati. fingunt enim animo, fore, ut nos, cum in cœlo erimus, flexis semper genibus ante Dei thronum proni, ac supplices statuamur, quæ cogitatio defatigationem potius quandam, quam felicitatem humanis mentibus proponit. & humiles istæ opinioniones duabus ex causis oriuntur. primū, quod hic solemus, ubi cum Deo loqui uolumus, hac corporis forma uti, & proni genua flectere. deinde quod imaginamur Deum, tanquam regem quempiam maximum, ac maximè honorificum, circa quem curuos, ac pronos esse deceat. nam fuere quidam simpliciores, qui existimabant Deum humana forma esse, ac propterea uocati fuerunt anthropomorphitæ, inter quos erant quidam monachi, è quibus unus senior, cum demum edoctus esset, Deum carere corpore, prorupit in hæc uerba. hei mihi, quod Deum meum mihi abstulerunt. cum enim precari Deum uellet, solebat sibi regem quandam plenum gloriæ proponere, sed, cum audisset, rem minimè ita se habere, uidebatur ei, se Deum amisisse, cum ignoraret posthac, quo pacto ad precandum Deum sibi esset accedendum. sed quod ad corporis situm pertinet, illud intelligendum est, illam Dei uisionem eius generis futuram, ut non sit obseruaturus homo, qui sui corporis situs sit futurus. quod similitudine aliqua, quamuis remotissima (nam cœlestia terrenis imaginibus non satis aptè exprimuntur) ostendere conabimur. si contingeret, in hac urbe fieri spectacula aliqua admiranda, & quæ nunquam antea uisa essent, & eius generis, ut omnes rapere in admirationem possent, & confessus paratus esset, ut sedere cuique uolenti liceret. hic ante quam prodirent spectacula, sederent quidem omnes, & sedere se recordarentur, uerum, ubi agi scena cœpta esset, pro rerum uarietate mutarentur spectantium status, & surgerent, starent, diuersoque corporis situ, ac modo uterentur, neque id aduerterent, dum attoniti admiranda illa spectacula intuerentur. quos si peracta scena interrogares, quoniam statu corporis toto illo tempore fuissent, nescire se faterentur propterea, quod extra semet ipsos rapti, corporis statum, uel motum minime obseruauissent. quod si in humano spectaculo, quod longissimo intervallo à cœlestibus distat, id accideret, quid tunc futurum censendum est, cum toti in Deum rapti, atque, ut sic dicam, deiformes erimus effecti? ut cum ignitam ferrum cernimus, non minus rem illam ignem, quam ferrum iudicamus, sicut & ligna, quæ tota ab igne sint occupata, non iam ligna, sed ignem appellamus. Rursus uenit alia interdum dubitatio. si toti (inquiunt) in Dei contemplationem translati erimus, quomodo lustrare

re immensa cœli spacia, si optemus, licebit, cum angelicis illis choris uersari, cum apostolis colloqui, cum martyribus, cæterisque, quibuscum nunc esse rem felicissimam arbitraremur? sed illud sciendum est, in illa Dei uisione nos hæc omnia habituros, & quicquid optare quiuis posset, quod hac similitudine aliqua ex parte intelligere licebit. ubi docetur quis literas, primum discit elementa, & in solis illis totus est occupatus. ubi uerò elementa didicerit, transfert se mox ad componendas syllabas, proferendasque dictiones, & tunc nihil de literis cogitat, cum illas sciat. & tamen melius, ac felicius fruitur illa elementorum agnitione, quam cum totus illis intentus, nihil aliud cogitabat. laborabat enim tunc, nunc uerò sine labore fruitur. rursus ubi quis iam legere nouit, ad intelligenda quæ legit, animum applicat, neque iam de legendi officio uidetur cogitare, at multò incundius tunc fruitur lectione, quam quo tempore defatigabatur, ut legere disceret. quare, cum intelligit, quæ legit, in ipsa intelligentia multo melius fruitur & literis, & syllabis, & dictionibus, & ipsa tota lectione, quam prius faciebat, cum illa disceret, & totus in illis esset occupatus. sic fruendo Dei uisione, omnia, quæcunque optabimus, assequemur. cuius rei figura præcescit in manna, cuius esus ijs, qui Deo erant obedientes, omnem saporem, & gustum secum afferebat. omnium ciborum, quos in illa solitudine appetiuisent. Et sanè, si Deiformes, ut diximus, euasuri sumus, & unus cum Deo spiritus futuri, sicut Deus nulla creata re opus habet ad felicitatem, sic fruendo Deo, nihil præter eum aliud desiderabimus. Hæc ut quorundam imbecillitati, & ignorantia succurreremus, sint dicta. reliquum illud est, ut festinemus ingredi in illam requiem, ut tantis bonis, quæ parata nobis sunt, frui liceat. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & potestas, & imperium, & nunc, & in omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO TRIGESIMASECVNDA.



BEATI eritis, cum uos oderint homines, & separauerint uos, & probris affecerint, & eiecerint nomen uestrum tanquam malum propter filium hominis. gaudete in illa die, & exultate, ecce enim merces uestra multa est in caelis, secundum hæc enim faciebant prophetis patres eorum. Postremo loco posuit eam partem, quæ sensibus quidem, & carni grauior uidetur, sed eam declarat esse gloriosiore, ut quanto difficilior res est, tanto maiori donetur beatitudine. quare iubet, ut in ipsis quoque medijs persecutionibus gaudeant. hoc idem & in Mattheo factum est, ubi repetitur beatitudo, & magnificentiora adduntur uerba, quam in reliquis beatitudinibus. sic enim ait. beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam illorum est regnum caelorum. beati estis (præsens tempus posuit, quasi iam in ipsis malis sint affecti beatitudinem) cum probra iecerint in uos homines, & persecuti fuerint, & dixerint omne malum uerbum aduersus uos, mentientes propter me. gaudete, & exultate, quoniam merces uestra multa est in caelis. & sanè quidem, si eo affectu erga Christum essemus, quo esse deberemus, facile intelligere liceret, quam beata res sit pro illo pati, aut si saltem cogitaremus, quid plerunque homines hominum causa, quos amant, & faciant, & patiantur. si quis enim aliquem amat uehementius, & cum in afflictione aliqua positum intuetur, iucundius illi est, simul cum illo dolere, quam interea delectatione ulla affici. reperti etiam sunt, qui moriente domino, uiuere ipsi posthac recusauerunt, & consciuerunt sibi ipsis mortem. multa uerò millia, ad certam mortem se non dubitantes proficisci, pro re gibus suis, ac principibus pugnantibus occubuerunt. idque rem plenam gloriæ sunt arbitrati, si etiam princeps ipse, ac rex morti se pro eorum salute non obiecisset, neque ipsi posthac ab eo quicquam remunerandi beneficij gratia speraret. nos uerò si in hanc cogitationem ueniremus, quanti nos fecerit Deus, quanta ipse Dei unigenitus & fecerit, & passus sit, quid nos pati non delectaret? filius Dei cum in forma Dei esset, neque arbitraretur rapinam, quòd æqualis esset patri, tamen exinaniuit semet ipsum. O miraculum omnium miraculorum maximum, & quòd ipsa etiam maxima miracula superet. suprema illa maiestas Dei filius exinaniuit semet ipsum, atque ad nostram se naturam demisit, in similitudine hominum constitutus, & forma inuentus ut homo, humiliauit semet ipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. quis hæc pro digni-

dignitate complectens animo, non rem honestiorem multò, magisque gloriosam arbitraretur, extrema quæque pro illo pati, quam totius mundi imperio potiri? si solum ad terram descendisset, ut accepta nostra natura, illam honestaret, quid non ei deberemus? accessit, quòd cum esset diues, nempe Dominus uniuersorum, ita nostri ditandi gratia pauper effectus fuit, ut non haberet, ubi caput reclinaret, & nouissimus omnium uiuorum ab Esaia uocatus sit, quòdque omnem admirationem superat, ut nos à Diaboli potestate, ac tyrannide liberaret crucem, terriberrimum mortis genus pati uoluit, ut totam uitam pro nobis usque ad mortem duceret ærumnosam. quis hominum, in cuius cordis penetralia ista reciperentur, & qui in harum rerum cogitationem bene penitus se daret, non iucundissimum arbitraretur, extrema quæque pro tanto benefactore perpeti? quis de se unquam, ac suis commodis aude- ret cogitare, & non potius omnem uitæ rationem ita institueret, ut non sibi, sed soli Christi gloriæ inferuiret? atque hoc erat, quòd aiebat Paulus cum rationem redderet, cur solius honoris Christi rationem haberet. charitas (inquit) Christi urget nos, æstimâtes hoc, quòd si unus pro omni bus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro oibus mortuus est, ut qui uiuunt, iam non sibi uiuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, ac resurrexit. quòd si demum addas, hunc eundem filium Dei, non contentum reconciliaffe nos Deo per sanguinem suum, cum antea inimici essemus, sed uoluisse præterea, ut cum eo perpetuò regnemus, hoc profectò tantum est, ut qui recuset pro tam profusa tanti Domini liberalitate difficilima queq; pati, is non homo, sed stipes, aut saxum sit. eiusmodi cogitationes efficiebant, ut uiri sancti non solum libenter paterentur, sed gloriarentur etiam patiendo. nõ solum hoc (inquit Paulus) sed gloriamur in afflictionibus. & alibi libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut in habitem in me uirtus Christi. infirmitates appellans catalogum illum, quem recensuerat, molestiarum, quas pro Christo passus erat, labores, uerbera, carceres, quotidianas mortes, uirgas, lapidationes, naufragia, itinera, pericula fluminum, latronum, pericula ex genere, ex gentibus, in ciuitate, in deserto, in mari, in falsis fratribus. uitam actã in labore, & molestia, in uigilijs, in fame, & siti, in ieiunijs, in frigore, & nuditate. in ijs omnibus sibi placebat, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in anxietatibus pro Christo, & quò magis in ijs infirmabatur, eò se fatebatur robustior. nos uerò ab ijs præstandis tam alieni sumus, quia nunquam seriò cogitamus incomprehensã hæc Dei beneficia, neque quantum illi, & Christo eius debeamus. sed redeamus ad Euãgelicaverba. Beati eritis, cū uos oderint homines, & separauerint uos, & probris affecerint, & eiecerint nomẽ uestrũ tanquã malum propter fi-

lium hominis. primis illis nascentis ecclesie temporibus, cum nondum capax esset mundus tante, tamq; nouæ philosophiæ, impletum fuit, quod discipulis prædixerat Dominus, quod scilicet eiiciendi essent extra synagogas, quod futuri essent odio omnibus hominibus propter nomē eius. quod, qui interficerent eos, arbitrarentur, se obsequium præstare Deo ob eam causam, quod non nossent patrem, neque ipsum Christum, quare habebantur, ueluti excrementa mundi, ut ait Paulus, & omnium reiectamentum. credebantur esse tanquam impostores quidam. nam Iudei ipsi, quæ una gens ueri Dei habebat agnitionem, non norant Deum utri patrem, id est, qui filium haberet Deum, & eiusdem secum substantiæ, ac propterea iudicauerunt Iesum dignum morte, cum dixerunt Pilato. nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori, quia filium Dei se fecit. ethnici uero, qui mutauerant gloriam immortalis Dei per imaginem, non solum ad mortalis hominis similitudinem effectam, uerum etiam uolatilium, & quadrupedum, & reptilium, multo minus apti erant intelligenda huic philosophiæ. quare nihil restabat aliud, nisi ut male audirent, odio haberentur, probris afficerentur, & eiicerentur ab omnibus. at hoc in primis astruebat Euangelicam ueritatem. qui. n. fieri potuisset, ut ueniret in cuiusquam mentem, aut persuaderi sibi quisquam passus fuisset, prædicare, quendam, qui in crucem actus esset, ueluti seductor, & sceleratus, esse Dei filium, ac Deum, & eundem resurrexisse à mortuis, ascendisse in cœli, ac sedere ad dexteram Dei, & hunc esse, in quo totius hominum generis salus esset collocata. quis inquam uel stultus, uel sapiens ausus fuisset ista prædicare, præsertim cū ex hac prædicatione cerneret, se nihil aliud lucri facere, nisi persecutiones, tormenta, & mortes, nisi persuasissimum habuissent, rem ita se habere, & solidissimis hæc noua prædicatio nixa esset fundamentis? non ergo potuit hæc philosophia alia habere principia, ut eius ueritas declararetur. interea magnos esse oportuit eos, ac planè Diuinos, & cœlestibus plenos illustrationibus, qui ista mūdo inuulgarent. ut interioris hominis robur, externa mala, quibus innumeris corpus afficiebatur, generosè superaret. & hæc omnia huic mysterio inferuiebant, ut pbaretur, Euangelicam prædicationē totā ex Deo pēdere, neq; quicquā cū humanis cogitationibus habere cōmune, atque adeo potius illis contrariū. nā arbitrabantur sapientes huius mundi, sermonē crucis summā esse stultitiam, & rem infirmam, sed declaratum fuit, stultitiam hanc Dei, quæ putabatur, sapientiozem esse hominibus, & quod infirmū uidebatur de Deo, fortius esse hominibus. Cum uero ad illa tēpora animū refero, quibus omnia præsentē intētabant mortē, nihilq; aliud expectabatur ab ijs, qui Christo nomen dabant, quā tēporaria damna, atq; afflictiones, & quotidianæ mortes, & nomē Christi undus abominabatur, & tamē augebatur quotidie Christianorum nu-

merus, ut sanguis eorum, qui pro Christo interficiebantur, seminarium Christianorum esse uideretur. cum inquam illa tempora cogito, uideo, quanti sit, fidem Christi ex animo profiteri, & hanc ueritatem in animi penetralia bene penitus recipere. sic enim mecum colligite. solent homines ijs fauere, quæ passim laudantur, atque in pretio apud alios sunt, etiam si interdum non admodum illis placeant. rursus cum uident aliquid odio passim haberi, si etiam ipsis placeat, non audent illud commendare, ac defendere, metuentes aliorum odium. oportuerat ergo, ut, cum mundus nomen Christi insectabatur, nō inuenirentur, qui illud defenderēt, quo uero tempore celeberrimum est, illud summo studio tuerentur. & tamen uidemus, rem in contrarium cadere. cum enim summa esset Christi nominis persecutio, inueniebantur multa Christianorum millia, qui pro Christi nomine tuendo non solum facultates, sed ipsa etiam corpora exponere non recusabant. nunc uero, cum Christi nomen tam celebre est, ut omnis & potentia, & sapientia mundi iam eius imperio subiecta sit, & præterea ipsi Christianorum hostes Christum uenerentur. nam Turcæ, tametsi plenam non habent huius ueritatis agnitionem, ita tamen Christi nomen uenerantur, ut si quis eum blasphemet, summo illum supplicio afficiant. nunc inquam uix inter Christianos inuenitur, qui generosum quippiam agere pro Christo uelit. quin potius infiniti penè reperiuntur, qui illum blasphemis, atque imprecationibus quotidie incessant: reliqui ita frigidè eum colunt, ut neque honori illius studeant aduersus blasphemos, neque quicquam agere conentur, quo illius gloria, uel augeatur, uel conseruetur. quin potius facta, illius doctrine cōtraria quotidie exercent. multo. n. plures sunt, qui auaritiæ, rapinæ, ambitioni, cædibus, adulterijs, scortationibus, ebrietatibus, odijs, inimicitijs operā dant, quā in ijs, qui legibus eius, ac præceptis obtēperent. & ex ijs ipsis, qui leges illius seruare uidetur, uix vnus è mille inuenitur, qui egregium quippiam, ac selectū, & cognomine a Christo accepto dignū facere audeat. ecquis. n. est, qui in tanta Christiani nominis gloria propius accedat ad ea, quæ tum fiebant, cū totus orbis omnium terrarū Christū persequeretur? tunc. n. oēs facultates in mediū ponebāt, nulla habita, uel coniugis, uel filiorū, uel reliquæ familiæ ratione. nostri uero ne ea quidē indigetibus impertiri uolunt, quæ ultra necessariū uictū, ac cultū abundè suppetūt. sed dato frusto panis, aut quadratē, putāt se satis Christianæ pietati fecisse. illi se fratres inter se factis ipsis esse declarabant: apud nos tantū abest, ut ulla uera fraternitas agnoscat, ut fratres ex eisdem prognati parentibus, acerrimè de facultatibus inter se contendat, atque adeo filij cum parentibus litigent. illi probris omnibus, & execrationibus affecti, & ludibrio habiti, equo animo ferebant: nostri ne minimū quidem

verbum ferunt, quod dignitatem suam lædere suspicentur. illi corpora exquisitissimis, crudelissimisque tormentis obijciebant: nostri ne minimum quidem corporis incommodum perpeti pro Christo volunt. nunc nunc Christianorum regum, ac principum inter se tanta disidia, & bella, quæta vix inter diuersarum sectarum, ac religionum homines vnquam fuerunt audita. conueniunt exercitus, quorum ex vtraque parte insigne est Christi crux, Christi inquam, qui est pax nostra, & pacis signum præferunt eo ipso tempore, quo ad mutuam cædem congregantur. non hæc omnibus monstris sunt monstrifiora? & tam ingentium errorum causas si quæramus, nullam aliam inueniemus, quàm illam, quæ sepius à me dicta fuit, quòd scilicet huius philosophiæ maiestatem nunquam intelligere curauimus. nunquam subit animum, quanti sit, Deum misisse filium suum in similitudine carnis peccati pro genere nostro, quodq; non angelos, sed semen Abrahæ apprehenderit, ut nos à Diaboli potestate liberaret. quanti sit, sublata fuisse illa simulachrorum monstra, de quibus ait propheta, simulachra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum, & veri Dei cultum per hunc patris vnigenitum fuisse introductum. quanti sit, per hanc euangelicam veritatem notas factas esse nobis vias vitæ, & intellectum esse, humana corpora ad immortalem uitam esse excitanda, & eos, qui leges Euangelicas seruauerint, perpetua Dei uisione in cælo fruituros. hæc illi, qui fidem Christi accipiebant, dum contemplarentur, & superiorem mundi tenebrososum statum cum hac luce conferrent, nihil mirum est, si pleno gradu in hanc philosophiam ingrediebantur, & ea faciebant, ac patiebantur, quæ ipsos etiam angelos in admirationem rapiabant. spectaculum (aiebat Paulus) facti sumus mundo, & angelis, & hominibus. nos verò nunquam ista uersamus anime, nunquam de his loqui delectat. & Christiani quidem appellari volumus, sed facta tanto cognomine digna nunquam adhibemus, atque adeo contrarijs potius factis tanto nomini notam inurimus, & ob perditam vitam nostram, maiorem nunc Christum patitur persecutionem, & maioris ignominia, quàm unquam antea. tunc enim, cum hæc fiebant, quæ hic memorantur, ij, qui Christum ignorabant, nomen Christi persequiebantur. nunc uerò ipsi illi, qui Christum Dei filium profitentur, suis sceleratè factis inimicissimo aduersus Christum se animo esse declarant. quare multò ignominiosior est hæc persecutio, quàm ea, quæ primis ecclesiæ temporibus accidit. eijciebatur tunc nomen Christi tanquam malum, nunc bonum nomen, quod inuocatum est super nos, ab ipsis inuocantibus afficitur contumelia. hæc mala multis lacrymis, magnisque gemitibus essent profequenda, & ferè non est, qui vel leuiter suspiret. Beati eritis, cum uos oderint homines, & separauerint uos, & probris affecerint, & eiecerint nomen

men vestrum tanquam malum, propter filium hominis. probra ista, atq; insectationes, tunc promissam ab Euangelio beatitudinem afferunt, cum pro Christo ista quis patitur. qui uerò mala eiusmodi patiuntur alterius cuiuspiam rei contemplatione, patiuntur quidem, sed sine ulla tanti boni expectatione. quæ res etiam alacriores nos efficere deberet, ad subeunda pro Christo quælibet aduersa. quàm multi enim sunt, qui grauiora interdum ob mundi curas & studia mala perferant, quàm olim plures Christi martyres, neque ullum ex eis fructum referunt, & plerunque post huius vitæ ærumnas, demum in Geennam, & sempiterna illa incendia detruduntur? non ergo pigeat pro Christo pati, cum tanta inde felicitas consequatur, cuius mox facit mentionem. sed prius occurrendum est simplicium quorundam ignorantia, qui ubi à proximo quopiam persecutionem aliquam patiuntur, iniquo animo ferunt, & addunt. si hæc ab ethnicis pateret, & ijs, qui nomen Christi insectabantur, ferrem libentissimè, nunc uerò ista pro Christo non patior. falleris homo. neque enim, si perferes, minus mercedis assequeris, quàm ij, qui à gentibus, & Christi persecutoribus torquebantur. quoties iniuriam irrogatam à Christiano etiam quopiam, æquo animo fers, ut à Christi legibus non discedas, pro Christo pateris. Christus est iustitia, Christus est ueritas, quoties ergo pro ueritate, & iustitia pateris, pro Christo pateris. quid? quòd grauius est, à suis, id est, Christianis, & eiusdem religionis hominibus, quàm ab ethnicis pati? audi enim propheta, si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, & si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me ab eo. tu uerò homo unanims, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu. cernis, ut propheta grauius sentiret, affici iniuria ab eo, quem amicum indicabat, quàm ab hoste? ob eandem causam & Paulus scribens Thessalonicensibus aiebat. uos enim imitatores facti estis fratres ecclesiarum Dei, quæ sunt in Iudæa in Christo Iesu, quòd eadem passi estis & uos à proprijs contribulibus, quemadmodum & ipsi nos à Iudæis, qui ut & Dominum occiderunt Iesum (nempe ciuem suum) & prophetas, ita & nos persecuti sunt. cum ergo Christiani fratres inter se esse debeant, cum à fratre persecutionem pateris, acrior est illa persecutio. quo fit, ut maior etiam à te merces sit expectanda, de qua mercede addit. Gaudete in illa die, & exultate, ecce enim merces uestra multa est in cælis. non satis fuit dixisse, gaudete, adiecit, & exultate. quod fit, cum exteriori corporis motu interioris animi gaudium declaratur. quibus uerbis appositè respondet illa beati Iacobi, cum ait. omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes uarias incideritis. magna profectò uerba, & quæ nisi à cælesti quadam mente proficisci non potuerunt, quæ intelligeret supremam. felicitatem.

Grate in, quæ ex momentaneis afflictionibus generatur. merces (inquit) uestra multa est in cœlis. quàm multa? quis eam exprimat, cum & magnitudine sit incomprehensa, & diurnitate nullis terminis circumscribatur? sic scripturæ sacræ, dum non valent magnitudinem illam bonorum explicare, eiusmodi vtuntur uerbis, ut illud. in custodiendis illis (videlicet mandatis Dei) retributio multa. interdum dicunt, res esse absconditas, vt cum propheta dicit. quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. & Paulus, cum raptus fuisset in paradysum, dixit, se audiuisse arcana uerba, quæ non licet homini loqui. & sanè admiranda est inertia nostra, non saltem tam felicium promissorum spe inflammari ad difficillima quæque perpetienda, cum uideamus reges terræ, propagandorum finium suorum gratia, tam ingentes sumptus facere, tot se obijcere periculis, ut, plerunque regnum cum uita amittant. at nos certam habemus spem consequendi, si uelimus, æterni regni, tantum ut exiguo huius uite spatio perstemus in certamine, & neque certitudine, neque magnitudine præmiorum permouemur. Vt uerò magis ad perferenda mala animemur, proponit superiorum temporum exempla, & ait. secundum hæc enim faciebant prophetis patres eorum. magnam uim habent exempla & ad faciendum, & ad ferendum. multa enim aggredimur aliorum imitatione, quæ alioqui tentare nunquam essemus ausi. sed, cum cernimus homines eiusdem, qua nos constamus, naturæ, egregia aliqua uel fecisse, uel pertulisse, accendimur continuo & ipsi ad eadem præstantia, aut tentanda. ob hanc causam cum beatus Iacobus hortaretur ad fidendum, ac petendum cum fide, proposuit exemplum Eliæ, & dixit. Elias homo erat similiter obnoxius affectionibus, ut nos, & precatione precatus est, ne plueret, & non pluit super terram annos tres, & menses sex. & rursus orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra produxit fructum suum. & in eadem epistola adhortans ad perferenda mala, ait. exemplum accipite fratres mei afflictionis, & patientiæ prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini. ecce beatos dicimus eos, qui sustinent. tolerantiam Iob audistis, & finem Domini uidistis. sic Paulus, cum ingentem catalogum recensuisset eorum, qui per fidem expugnauerant regna, operati fuerant iustitiam, assecuti erant promissiones, occluserant ora leonum, extinxerant vim ignis, fugerant acies gladij, ualidi facti erant ex imbecillitate, effecti erant robusti in bello, incursiones auerterant exterorum. qui denique ludibrijs, & flagris explorati, insuper & uinculis, & carceribus, lapidati, dissecti, tentati fuerant, occisione gladij occubuerant, oberrauerant in ouillis, & caprimis Pellibus, delitanti, pressi, afflicti, in desertis errantes, & montibus, & cauernis

terra,

terræ, tandem adiecit. proinde nos quoque, cum tanta septi simus nube testium, deposito onere omni, & tenaciter inhærente peccato, per tolerantiam curramus in proposito nobis certamine. & quia super omnia exempla illud permouere omnes debet Seruatoris Christi, adiecit. respicientes ad fidei ducem, & consummatorem Iesum, qui pro sibi proposito gaudio pertulit crucem, ignominia contempta. reputate enim, quòd is talem sustinuerit à peccatoribus aduersus se contradictionem, ne defatigemini, cadentes animis. recte ergo Seruator hoc loco reuocat ad memoriam exempla superiora prophetarum, qui talia sunt perpesi. re enim uera maximam in utranque partem uim habent exempla, & ad bona, & ad mala. si enim obseruetis in hac uestra ciuitate, omnia ferè mala ex prauis exemplis proficiscuntur, dum filij parentum, & iuuenes seniorum facta contemplantes, ad illa uitam suam componunt. si enim uestra hæc iuuentus nunquam audiisset à prouectioribus ætate uerbum ullum turpe, aut lasciuum factum, non facile ad lasciuiam, & scortationes labi se paterentur. si filij parentes suos intuerentur liberalitatem sectari, odisse auaritiam, caducam hanc, & fragilem uitam pro nihilo putare, semper de cœlesti illa patria miscere sermones, eosdem & ipsi mores induerent. nunc uerò, quia cernunt, totum parètum studium hoc esse, ut diuites fiant, ut augeant facultates, ut honores ambiant, nihilque eos aliud, quàm de hac uita cogitare, imbuuntur & ipsi eiusdem cogitationibus, & deteriores parentibus fiunt. si nunquam uidisset iuuentus maiores suos litibus, & contentionibus operam dedisse, sed damnum potius passos, ut paci studerent, irrogatas iniurias æquo tulisse animo, hanc eandem uiam ipsi quoque amplecterentur. sed quia cõtraria facta cernunt, ea & ipsi imitantur. qui fieri posset, ut mulieres tot pompas somniarent, tot ornamentorum genera, nisi à matribus exempla haberent, quæ illis ista commonstrant? hæc sunt illa offendicula, quæ cernens Dominus, quantum afferant damni, pœnas illas fuit interminatus ijs, qui ea peperissent, cum dixit. qui offendiculo fuerit unius ex ijs pusillis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collum eius, & demergatur in profundum maris. & adiecit. uè mundo ab offendiculis. necesse est enim, ut ueniant offendicula, ueruntamen uè homini illi, per quem offendiculum uenit. istud uè nemo obseruat, neque pertimescit. ac propterea uereor, ne ad sempiternum uæ uestra hæc oscitantia maximam uestri partem rapiat. Quare mutate hanc mentem, mihi credite, & ijs rectè factis operam date, quæ filij uestri imitentur, & cum ipsis factis proponite identidem eis hæc Euangelica documenta, ut discant, ubi uera sit beatitudo, nempe in paupertate, in esurie, in fletu, in tolerandis pro Christo persecutionibus. his monitis imbuenda est

tene-

Venera aetas, cuius aures si ista sapius circunsonarent, paucos post annos ciuitatem Christianam haberemus, fieretque, ut & uos animas uestras seruaretis, quarum salute magna pars destituitur ob hoc ipsum, quod uestra culpa filij uestri fiunt perditissimi, & filij ipsi non solum in salutis uiam dirigerentur, uerum etiam in hac ipsa uita multo felicius agerent, dum ea uitia declinarent, quibus frequentissime & infames fiunt, & facultates, ac uitam plerunque ipsam amittunt. & profecto si nihil aliud ex recta filiorum ad pietatem educatione consequeremini, quam eam laetitiam, quam pulchri, atque honesti filiorum mores parentibus pariunt, omne studium adhibere deberetis, ut eos haberetis bene moratos. gloria (inquit) patris est filius sapiens. si enim sola filiorum contemplatione uideretur esse quaedam felicitas domus, quam scriptura promittit ijs, qui timent Dominum, cum ait. filij tui sicut nouellae oliuarum in circuitu mensae tuae, quanto cumulatior est felicitas, in tueri eos timore Dei praeditos, atque ad omne opus bonum instructos? & hoc quidem & optandum, & summo studio quaerendum esset, si etiam huius duntaxat uitae habenda esset ratio. nunc uero cum sciatis, & uos, & filios uestros ad aeternitatem esse factos, quanto maior habenda est cura, ut eis in sempiterna illa uita beatis uobiscum frui liceat? Haec cogitantes, maius, quam hactenus factum a uobis est, studium adhibete, ut & uos, & uestra omnis domus eos in Euangelica hac philosophia progressus faciatis, ut beatitudinem, quam hic a Seruatore Christo promissam fidelibus, atque eius praecipis obtemperantibus, audiuitis, consequi liceat. iuuante eodem Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & potestas, & imperium, & nunc, & in omnia secula seculorum, Amen.

ORATIO

ORATIO TRIGESIMATERTIA.



Verum tamen uae uobis diuitibus, qui habetis consolationem uestram. Miram hominum stultitiam, atque uecordiam, eorum, qui se profitentur Christianos, & Christi filij Dei uerbis fidem habere, & tamen ab eius doctrina tam uehementer se faciunt alienos. & neque felicitibus illis promissionibus inuitantur ad amandam paupertatem, cui beatitudo, & regnum caelorum promittitur, neque deterrentur ab appetitu diuitiarum, cum hic Dominum, audiunt uae interminatum esse diuitibus. quod uae? illud aeternum, cum non proderunt diuitiae, ut ait Salomon. non proderunt diuitiae in die ultionis. de quibus & alibi ait. qui confidit in diuitijs, corruet. sed obseruanda sunt illa uerba, quae, cum dixisset, uae uobis diuitibus, adiecit, qui habetis consolationem uestram, quasi sola consolatio, quam ex diuitijs consequuntur, idonea sit ad aeternum ignem illis conciliandum. quae sententia terrificam sanam est, & magnae quidem seueritatis plena, sed iusta tamen. cum enim mandatum sit homini, ut in sudore uultus sui uescatur pane, ij uero diuites omnem uitam in delicijs agant, & uoluptatibus, & in labore hominum esse nolint, neque cum hominibus flagellari, cur tantae inobedientiae meritis poenas non dent? hoc idem responsum fuit diuiti illi, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide. nihil enim aliud obiectum ei ab Abraham fuit, nisi quod recepisset bona sua in uita sua, Lazarus uero mala. nunc uero ille (inquit) consolationem habet, tu uero cruciaris. hoc autem quid aliud est, quam quod hic Dominus ait, uae uobis diuitibus, qui habetis consolationem uestram? duxerat diues ille in bonis diues suos, in magnifico cultu, & splendidis epulis, Lazarus omnium egenus summa laborabat miseria, & ob hanc causam ait Euangelica historia diuitem cruciari, & pauperem Lazarum in refrigerio esse. uide quanti sit, praefixas homini a Deo leges, uel obseruare, uel contemnere. si uersaremur in continua cum animi, tum corporis exercitatione, ut ne ociofi panem ederemus, & ijs exercitijs occuparemur, quae Euangelica regula sunt metienda, nullus esset uitae locus: neque humani generis hostis tentandi nostri spatium inueniret. nunc uero, qui diuitijs affluunt, rem probrosam arbitratur, quicquam agere negocij, quare totum diem in epulis, & ludis, & iocis occupant. languescit interea animus, & ad omnem lasciuia, atque interperatiam mollescit, ut nihil in eis sani queat reperiri. Dei nunquam, & eius bene

ZZ ficio-

ficiorum recordantur, proximum quenque contemnunt. quare nihil mirum est, si in Geennam, & ignem æternum detrudentur. ista vir quidam sapientissimus cogitans, precabatur Deum, ne ditiozem eum, quam opus esset, fieri pateretur, ne ue ultra necessaria vitæ illi daret. quamobrem? ne forte satiatus (inquit) illiciar ad negandum, & dicam, quis est Dominus? nam eiusmodi homines, cū omnia illis abundè suppeditent, quibus, noctes, & dies uoluptuosè deliciantur, declarant factis ipsis se Deum ignorare, & neque eius beneficentiæ grati unquam sunt, neque minas formidant, quo statu quid periculosius, quid ue infelicius queat excogitari? non ne suprema est infelicitas, hominem arbitrari, se omnium felicissimum, quem tamen miserrimum oīum esse ratio ipsa declarat? & hic est vnus, ac præcipuus fructus diuitiarum, quæ solæ penè res beata existimantur. Cum autem videam, morbum hunc ita latè patere, vt omne hominum genus, omnem gradum, & statum occupet, atque æternorum malorum causa maximè hominum parti sit, quamuis multa sæpe aduersus tam perniciosam pestem dicta à me ex hoc loco, ac sede fuerint, quia tamen cerno, parum adhuc profectum esse, iudicauī non inutile, atque adeo necessarium potius hodierna oratione rem tractare accuratius, si forte liberari tandem aliquando à tam periculoso malo detur. Age itaque, videamus, quis vsus, & quæ ratio diuitiarum hūda sit homini Christiano. quārem dum tracto, oportet ut veterè morem imitemini eorum, qui ad celebres ludos, & athletarum certamina spectanda conueniebant, quibus imperabatur, vt spectaturi nudo, & aperto capite considerarent, hanc ob causam mea sententia, vt non spectatores solū, sed collaborantes etiam pro sua quisque parte esse viderentur. sic certè æquum est vos existimare, communem hunc esse laborem, neque expectare, dum omnia minima mansa, vt nutrices pueris solent, vobis in os inferantur, sed mente, & cogitatione agitare, quā vera sint, quāque rationi consentanea, quæ pertractentur, præsertim in tam periculoso negotio, de quo vno Seruator ipse noster dixerit, facilius esse camelum per foramen acus transire, quā diuitem intrare in regnum cælorum. nā cum multa sint, quæ homines à via Dei auocare, & in eam etiam ingressos supplantare soleant; (tam variè, n. spiritaliū uenatorū, & latentū latronū insidiæ sunt, tot laquei, tot retia, tot foueæ, quæ prophetæ, & Diuini viri sepe cōmemorant, vt nisi quis capreæ oculos, aut tāq̄ volucris sibi pēnas cōparet, euadere nō possit, quin fiat uenatorū præda miserabilis) nulla tū res est, quæ tā facile capiat imprudētes, atq; adeo oē hoīum genus miserè perdat, efficiatq; , vt ne serò quidē errorē suū intelligant, q̄ opes, & copiæ, & insatiabilis habēdi ardor, quorū inexplebilis auiditas, p̄pterea in dies magis augetur, quod hanc nō ex vitio, sed ex necessitate p̄ficisci putāt, at meminisse eos oportet,

teret, illas necessitates, quæ à natura sunt, facile expleri, eos uerò affectus, qui ex morbo oriuntur, finem non habere. quam enim ob causam ebrius, & qui aqua subter cutem fusa laborant, semper sitiunt? aut iij, quos Græci ob nimiam cibi appetentiam *βουλιμώτας* uocant, semper esuriunt? nimirum quia non natura, sed morbus in causa est. sic in hoc studio diuitiarum, ubi primum animus ultra naturæ, ac necessitatis terminos uagari cœpit, & superuacua appetere, tum demum illa insatiabilitas generatur, ut nemo, quamuis ingentes in habendo progressus fecerit, iam adeptis, & paratis contentus sit, sed cum ipsis opibus etiam habendi cupiditas augetur. atque illis id usu uenit, quod in rapidis torrentibus, ac ingentibus fluuijs fieri cernimus, ut cum semel extra alueum fuerint egressi, ripasq; superauerint, iam euagandi terminos nesciant, & præterea obuia quæque fecum rapiant, ut quidam poeta ait, fluminis morem describens.

Lapides adesos,

Stirpesque raptas, & pecus, & domos

Voluentis undæ, non sine montium

Clamore, uicinæque syluæ.

Et sanè quid inter hunc fluuium, & auaritiæ æstum interest? nisi quod avaro non uicini tantum agri, & armenta, & uillæ, sed totius terræ possessio, & oceanus ipse satis esse possent. non meminit communis naturæ, non cognatum esse inter se hominum genus recordatur, non intelligit, terram, atque elementa omnia ea conditione ab optimo Deo creata esse, nō ut ex eis quisque sibi, quantum potest, rapiat, sed ut contentus eo sit, quod ad uitæ pertineat necessitatem. non exemplo saltem bestiarum, & ratione carētium animantium, ipse ratione præditus admonetur, quæ, cum ea, quæ sufficiunt ad repellendam famem, acceperint, nihil præterea sibi uendicent, neque alijs inuideant alimenta. Quamobrem interminatur illis Dominus, cum sæpe aliàs, tum per prophetā Esaiam, ve, inquit, qui coniungitis domum ad domū, & agrum agro copulatis, ut non sit terminus loci. nūquid habitabitis uos soli in medio terræ? in auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituum. perinde quasi hæc in primis obseruet, & abominetur, & semper aures eius harum rerum clamore circumsonent. Ego uerò illud maximè miror, tam furdas huiusce generis hominum esse aures, ut, cum non Diuina modo uolumina in eos inuehantur, uerū etiam oratores, poetæ, philosophi, & quicumque uel seria, uel iocosa scribunt, eos, ut communem omnium pestem explodant, ac detestentur, tantum clamorem soli ipsi non exaudiant, ob eam causam opinor, quod audiendū instrumenta multo auro occluserint, ut uox iam ad eos penetrare non possit. qui certè siquid percipere auditu possent, sola eos unius poetæ sententia deterruisset, qui cum describeret, quæ hominum

genera ad inferos detrusa essent, de ijs sic ait.

Aut qui diuitijs soli incubuere repertis,

Nec partem posuere suis, quæ maxima turba est.

quæ sententia eo etiam maiorem habet uim, quòd non illos solum apud inferos collocat, qui aliena rapuere, sed eos quoque, qui paratis soli incubuerunt, & proximo cuique partem ponere neglexerunt. quod mirarer quo pacto ethnicus poeta excogitare potuisset, nisi intelligerem, id à natura ipsa nos admoneri, uitiosum, atque adeo sceleratum esse, & impium, uelle, cum ipse plenus fueris, ea etiam, quæ superauerint, cum eis alij indigeant, retinere. At quas, obsecro, pœnas ij daturi sunt, qui in Christi leges nomen dederunt, quibus præter id, quod à ratione, & lege naturæ docentur, ipsa ueritas Iesus Christus Dei filius, & Deus tam aperta, tamque patentia monita è cœlo attulit, dat præcepta, intentat minas? quanto se scelere obstringunt ij, qui post tantam lucem orbi omnium terrarum declaratam, nondum illud intelligunt, quod ethnici in tanta errorum uoragine depressi, & tam obscuris tenebris circumsepti intellexerunt? O uecordiam, ò Cimmericas istorum tenebras. equidem in hac cogitatione ita stupore opprimor, ita huius sceleris deterreor magnitudine, ut facilius ipse mecum sic admirando obmutescere, quam orationem, quæ tam insignem improbitatem arguat, inuenire possim. & tamen rursus me dolor extimulat, contemplantem, quanta sit passim earum iactura animarum, pro quibus ipse Dei filius suam posuit. qui dolor eò etiam mihi magis augetur, quòd plerisque omnes uideo in hac parte multa peccare, non obstinata peccandi uoluntate (nam sic fortasse nulla esset utilitas admonendi) sed propterea, quòd nescio quas sibi causas prætexunt, atque illo opinionum errore decepti, multa sibi licere existimant, quæ si perspicere aliquantò altius erecti animo possent, desisterent facile sententia, sed ea nunc, dū ad humiles se referunt cogitationes, nequeunt iudicare. Quamobrem, quòd facilius esset eorū salus, atque paratior, si errorē hunc (quādo nō libenter peccare uidentur, neque de industria) sibi ex animo auelli, uel ipsi peterēt, uel certè paterentur, eò magis excrucior, atque ad uerba nūc facienda compellor, si forte, ut prophetæ uerbis utar, audiāt, & quiescāt. Quare omnes, quicumque optatis à vulgi (nam vulgi hic appellatione oēs accipio, qui ab Euāgelica norma, & ueritate declināt) & imperitæ multitudinis errore liberari, tota mēte, atque omni animo ea, quæ hodie sum dicturus, obseruate, & si quid interea dixero, quod fortasse quorūdā auribus nouum, primoque auditu, ob iam corruptos Christianæ disciplinæ mores, insolens uideatur, quæso tantisper iudiciū uestrū sustineatis, & eas opiniones, quas uobiscū attulistis, deponatis, dū ego, quæ sententiā, dico, qui si uobis, ut spero, & ueritate ipsa fretus cōfido, probauero sententiā meā, equū erit, ut in eandem

dem uos relicto errore ueniatis. sin id nō potero, nihil prohibebit, quin cū eisdē cogitationibus, quas secū quisque tulerat, recedatis. atque ita fiet, ut, utrocūque modo res sit casura, uobis hæc oratio futura sit salutaris, & uel confirmatiores, securioresque; cū uetustis opinionibus abituri, uel erroris admoniti, meliorem mentē, sapientiusque; cōsiliū assecuturi sitis. Sed unde dicendi nobis faciēda exordia sunt? opinor, oportere prius, ut à uobis audiam, quæ uos existimetis esse debere parandarū, & possidēdarū opū modum, & causam. dicite igitur, quæ uos uestris diuitijs, & facultatibus terminum statuatis. Vix fieri potest, (uestrū aliquis inquiet) aut nunquā potius, ut pecuniarū nobis, & opū satis sit, nedū ita eis abundemus, ut in alios etiam partiri liceat. nā, ut eos prætermittamus, qui sibi manu, & arte uictū querunt, ij, quos domesticus census alit ex agrorū redditibus, aut quouis pro uentu alio, uxorē ferē, & liberos, reliquamque; familiam habēt, quæ domus alēda est pro cuiusque; cōditione, ut qui locupletiores sunt, aliquantò splendidius cæteris liberos educēt. neque; id in cibis tantū, uerū in uestibus etiam, reliquoque; apparatu, qui huiuscemodi domos sequi solet. dandū præterea aliquid tēpori, & moribus, ne superari ab alijs, quibus pares simus, magnificentia, & splendore uitæ uideamur. accedunt nobiles filij, quibus, hoc præfertim tēpore, immanes dotes parandæ sunt, ut uiris, qui non inferiori cōditione, quam nos simus, collocentur. deinde, si numerus creuerit liberorū, ampliores sunt redditus cōparandi, ne, cū is census, qui antea susceptos tot liberos fuerat, inter eos diuidetur, prior illa domus gloria imminuatur. Quid? cum tot casibus, tā varijs, tam repentinis obnoxiiū sit genus hominū, quos formidare potius, quam enumerare possumus, num & huic tam necessariæ parti nō est cauendum? & in hos quoque; uisus reponendæ pecuniæ? Hæc uestra est ò uiri summa sapientia, sed sapientia carnis, quā eandē Paulus sapiētiā huius mundi appellat, quæ stultitia est apud Deum. ideo scriptū est. cōprehendam sapiētes in astutia eorū. & rursus. Dominus nouit cogitationes sapiētum, quòd uanæ sint. Quamobrem obsecro uos, ut, secundum eundem apostolū, si quis uideatur inter uos sapiēs esse in hoc seculo, stultus fiat, ut sit sapiēs, id est, quā ipse sapiētiā arbitrabatur, eam exuat, & ueram Dei sapientiam, quam hæcenus stultitiam opinatus est, amplectetur. alioquin quid recti, aut sapientis consilij expectandum usquam est, cum ab Iesu Christo, id est, ab ipsa Dei sapientia, & magni consilij angelo recesserimus? Sed animus est, quando animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, dum adhuc tam humiles sunt cogitationes uestræ, atque humi iacentes, non continuò uobiscum agere Euāgelicis dicis, atque sententijs, quamquam id quoque facturus quidē sum, neque; ita multò post. quidni enim faciā, cū ad eos, qui Christū profitētur, habeatur oratio? Sed ante, quam Diuinas auctoritates

profe

profero, hum anis uelim uos rationibus assuescere, ut, cū ueritatis lucem quasi in aquis inspexeritis, ipsum demum solē purgatoribus oculis contemplemini. Fingite itaque animis, uos eo tempore natos, quo nondum Euangelicæ philosophiæ lumen orbem terrarum illustrauerat, nulla erat excitandorum ad uitam corporum agnitio, nulla regni cælorum mētio; Elysijs duntaxat nescio qui campi, & fortunatæ insulæ, ex quoque inter commentitias fabulas numeratæ. nihil de animorum nostrorum immortalitate certi proferebatur, denique de hac tantum exigua uita fuerat cogitandum. Si in hoc rerum statu essetis, fateremini tamen, opinor, oportere hominem non pecudum, & bestiarum, sed hominis, id est, ratione præditi animantis mores habere, & conuenienter naturæ uiuere: quod nihil est aliud, quàm semper cum uirtute congruere, & ea, quæ secundum naturam sunt, ita legere, si uirtuti non repugnauerint. hoc si negaueritis, ipsi uobis iniurijs eritis, cum huic sententiæ ipsi illi fuerint assensu, qui sine Deo erant, de quibus propheta inquit. omnes Dij gentium Dæmonia. & simulachra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum. quibus imperitiores, stolidioresque uos esse nolle, fatis mihi persuadeo. at huius generis homines nunquam diuitias, ut rem honestam, & expetendam sunt admirati, & dum humanæ mentis uestigia inter eos fuerunt, id unum honorificum esse predicabant, quod sapienter, iuste, constanter, ac moderatè esset factum. minima erat eis rei familiaris amplificandæ cura, maxima societatis, & communitatis ciuium. censebant eandem esse debere utilitatem uniuscuiusque; & uniuerforum, quam si ad se quisque raperet, omnem humanam dissolui societatem. aiebant id à natura præscribi, ut homo homini, quicumque sit, ob eam ipsam causam tamen, quòd is homo sit, consultum uelit. itaque necessariò secundum eandem naturam, omnium utilitatem debere esse communem, quod si ita est, una cõtineri omnes, & eadem lege naturæ. Quare princeps apud illos erat cõmunis utilitatis cogitatio. hinc illi Fabritij, Curijs, Cincinnati, Pauli, qui domi tenues, foris clari, seruata semper priore rei familiaris inopia, rem tantum publicam amplificabant. intelligebant enim, non opes, atque libidines, & uitæ luxum, sed rectè facta splendorem afferre hominibus, cum multò magis, ut ijdem ipsi prædicant, secundum naturam sit celsitudo; & magnitudo animi, itemque communitas, iustitia, liberalitas, quàm uoluptas, quàm diuitiæ, quàm uita. & multò magnificentius, pro omnibus gentibus (si fieri possit) conferuandis, atque iuuandis, maximos labores, molestiasque suscipere, quàm sibi tantum uiuere, non modo sine ullis molestijs, sed etiam in maximis uoluptatibus, omnibus copijs abundantem. quòcirca nihil magni quicquam faciebant, quod non esset cum uirtute coniunctum, & non modo pluris putare, quod utile uidebatur, quàm quod honestum,

nestum, sed hæc etiam inter se comparare, & in ijs dubitare, turpissimum erat. Itaque cum se ad honestatem tantum natos agnosceret, fuere quàm plurimi, qui uni uirtuti appellationem boni tribuerent, cætera & corporis, & externa, nullo modo bona appellanda contenderent. alij minus etiam seueri, honestum tamen ita summum bonum afferebant, ut omni pòdere gratius esset, quàm reliqua omnia, quæ si ex altera parte, quemadmodum in lancibus fieri solet, collocarentur, uix minimi momenti instar haberent. Et sanè quidem non difficile cuius est, intelligere, quæ ea sint, quæ uerè gloriosum, & honestum hominem faciant, si quis in seipsum ingrediatur, & inquirat, quid in homine quoque præcipuum sit, quò cæteris animantibus antecellat, quid uerè rursus in eodem ignobilius, & ad pecudum naturam magis accedens. sunt enim quasi duæ humani animi partes, quarum altera ex corporis permixtione demissa, humilis, eneruata quodam modo, & languida, & fenilis, quam qui in consilium adhibet, cum nihil sit in homine hac parte deformius, is nihil excogitare egregium pòtest, sed circa terram semper uersetur, necesse est, cogitetque quibus artibus corpus foueat, corpori seruiat, & sola, quæ per corpus fiant, ei que splendorem afferant, iudicet appetenda. hinc tam multiplices affectus, & ratione carentes appetitiones, uoluptates, libidines, perturbationem, aut gestientis lætitiæ, aut furoris infani, ut merito ipsam Plato multorum capitum bestię compararit. sed in ea non inest ueri hominis imago, sed huic præest domina omnium, & regina ratio, cuius officium est, primum cohibere inconditos illius bestię motus, & temeritatem coercere, quam cum edomuerit, & tanquam feros animos mansuefecerit, ne reginam perturbet, seuerioribus rebus operam dantem, tum ipsa liberè sua officia exercebit, seque fruatur, intelligetque, nihil esse in mundo aliud se ipsa uerabilius, neque præstantius. itaque inde bona omnia petet, non iam ab ijs, quæ sub oculorum aspectum cadunt, se colet, se obseruabit, & si quando extra sese progredietur, id aget, ut ex pulcherrimo hoc ordine, quem Deus rebus inseruit, contemplando erudiat, ad eundem rerum omnium auctorem intelligendum. Videor mihi hæcenus, si animum attendistis, uos quasi è lacunis quibusdam cogitationum in editiorem speculam euexisse, è qua iam ipsi ciues mei uestras, quas dudum protuleratis, per uosmet ipsos, opiniones despiciere, & uestro iudicio, eoque purgatiore uti potestis. quare sic mecum rursus incipite philosophari. Si præstantior nostri pars mens, & animus est, atque adeo solus hominis appellatione dignus, quem sol noster Paulus interiorem hominem appellat, profectò huius seruitio, atque usibus ipsum corpus, & externa omnia accommodanda sunt. at uerò modicus corporis uictus, atque cultus maxime id præstat, ut faciliora, & expeditiora animus sua officia exerceat, cum

hoc pacto ipsius corporis habitus compositior minus deprimat sensus, & mentis cogitationes. deinde opum magnitudo, tantum abest, ut, præter id, quod ad paranda vitæ necessaria quaritur, animis nostris sit adiuumento, ut etiam plurimum eos impediatur, atque perturbet, affectibusque tum superuacuis, tum noxijs identidem impleat, ut longè aliter res cadat, atque diuitiæ sunt institutæ, quæ cum seruire debeant, efficiant, ut eis ab animo seruiatur, quæ præter curas, & sollicitudines, perpetuas diuitiarum comites, infinitas suggerunt libidines, luxuriæ occasiones suppeditant, inflatos in proximum quenque, & contumeliosos faciunt; denique etiam iniustos, etenim ubi, quis studere lucro cœperit, atque ad cogendas pecunias animum appulerit, tum nihil metuet, alterius incommodum suum augere commodum, neque recordabitur, quæ sit hominum inter se à natura infusa consociatio, itaque tollit conuictum humanum, & societatem. Si enim sic erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum alterum negligat, aut, quod sæpè fieri uidentur, spoliet, ac uiolet, dissumpi necesse est eam, quæ maxime est secundum naturam, humani generis coniunctionem. ut, si unumquodque membrum sensum hunc haberet, ut posse putaret se ualere, si proximi membri ualitudinem ad se traduxisset, debilitari, & interire totum corpus necesse esset. sic si unusquisque nostrum rapiat ad se comoda aliorum, emolumentum sui gratia, societas hominum, & communitas euerteretur necesse est. atqui, cum comoda tantum nostra spectamus, cogitamusque, quo pacto agròs, uillasque, & censum (quando is honores dat) amplificemus, fieri non potest, ut communis societatis rationem ullam habeamus. Aliud præterea hinc genus iniustitiæ oritur, quod dum animi libidinè inter tot opes explorare uolumus, magnam earum partem in res superuacuas infundimus, insanè parantur substructiones, ut non domus interdum, sed oppida uideantur. equorum & numerus, & apparatus, non iam ad necessitatem, sed pompam. seruorum greges, quibus sæpè adijciuntur assentatores, & parasiti. tot gulæ irritamenta, tot uestimentorum genera, tantum auri, & argenti miserum corpus, id est, animi carcerem ambit, præsertim mulierum, quibus dum obsequi uolumus, quid pecuniarum non miserrimè disperdimus, ut mundum earum expleamus, quem copiosè, & eleganter Esaias describit his uerbis. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelides, & murenulas, & olfactoriola, & in aures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & pallioli, & lintheamina, & acus, & specula, & syndones, & uittas, & theristra. Hæc quidem omnia ciues, si constare uobis uultis, & in ea specula stare, in qua uos dudum collocaueram, fateamini necesse est, primum nihil ueri splendoris afferre, qui à fo-

lo animo petendus est, deinde etiam dedecori esse, quod & animos ipsos detineant, nec grauius, ac se dignis rebus operam dare patientur, & possesores suos arguant iniustitiæ, qui nolint egenis ea saltem impertiri, quæ non modo superuacua sunt, sed habentibus etiam damno, atque ignominia. Hæc si uera uobis, & rationi consentanea uisa sunt, quod negare sine summo uostro probro non potestis, iam nihil opus erit tanta parandarum opum sollicitudine, si etiam ingens uos liberorū numerus obruat. nā princeps erit cogitatio, & cura, ut quàm optimè educetur, & cū uirtute uiuant, quæ cum per se optima, atque omnium pulcherrima possessio est, tū ijs, qui eam colunt, etiam opes, & facultates parat, contraque sine uirtute clarissimas plerumque domos ad extremam egestatè redigi, & omnino interire uideamus. At uerò cum locandæ erunt filia, non tam facultatum, & opū gloria in deligendo genero uos commouebit, quàm ipsius probitatis cōtemplatio. & Themistoclis uobis factū exēplo erit, qui, cū ex proci filia uirū probum diuiti prætulisset, quibusdā hoc admiratibus, malo (inquit) uirum absque pecunia, quàm pecuniā absque uiro. nā, si ita affecti eritis, ut omnia ad eam formulam, quam modo descripsimus, referatis, ut quæuis utilitatis pecies præ honestate contemnatur, multo malueritis, cum uirtute uiuentes esse ei uiro Romano similes, cuius ob paupertatem ipse populus Romanus filia dotè confecit, quàm inani tantum ostentatione quadringenta sestertia pa rare, ut filia locetur pecunioso. Sed illud quidē quod dudum metuebatis, uos magnopere commouebit. ne uarij rerū euentus, atque incerti casus uos minus à pecunia paratos opprimant, neque enim optimum ò uiri contra aduersitates per fugium pecuniā est, alioqui Croesus, cuius in primis thesauri prædicatur, & plurimi reges alij non fuissent ultimis oppressi calamitatibus. ualeat possessor oportet, ait quidam. curandus est in primis animus, qui si sanus fuerit, mox in eo situm erit illud, quod quærimus optimum, id est, summa tranquillitas, finisque molestiarum, aliter si non solum immensas opes pararis, sed etiam in cælo (ut propheta ait) nidum fixeris, illuc usque te mala, calamitatesque comitabuntur. Sed tempus est, ut ego uos iam ita alloqui incipiam, non ut homines tantum, sed ut, postquam Christianam philosophiam profiteri cœpistis, Deos. ego (inquit) dixi, Dijs estis, & filij excelsi omnes nempe ob eā causam, quod ad uos sermo Dei factus est, ut ipsa etiā ueritas est interpretata, qui incerta, atque occulta sapientiæ suæ uobis manifestauit. Verum reficite uos prius, quæso, auditores mei, & vires aliquantum reparate, ut animos ita uegetos, & alacres ad ea, quæ reliqua sunt, audienda afferatis, perinde quasi nunc dicendi initiū fiat. Agitur enim uestra salus, aguntur ea, quæ aut obseruata perpetuam felicitatem, aut neglecta æternum interitum sunt allatura. nam in superiori uitæ statu, quem pro rei magni-

tudine breuiter dudum deformauimus, nō conuenienter naturę vixisse ignominiosum quidē erat, & flagitiosum, verū cū viuēdi finis factus esset, sicut nullus vitę sensus, sic nulla scelerum vltio, neq; pœna vlla expectabatur, & tamen sola naturę nostrę consideratio nos fateri cogebat, nullam cuiusque rei, nisi virtutis, & honestatis habendam esse rationem, satisque persuasum nobis esse debere, etiam si Gigis illius Platonici exemplo beneficio annuli omnia assequi possemus, vt etiā id Deo, hominibus; futurū sit semper ignotū, nihil tamē auarē, nihil iniustē, nihil libidinosē, nihil incontinētur esse faciendum. Quo verō nūc animo Christianū uirū esse decet, qui ex Euāgelicis dogmatibus doctus est, quo pacto sibi viuēdū sit? cui ē cœlo demissa mandata, legesque vitę sunt? cui exploratū est, omnium nō modo factorū, sed cogitationum etiam rationē iudici Deo esse reddendam? qui certō scit, iniquē factis æternum exilium, & inextinctum ignem esse decretum? si, quo tempore nihil præter hanc vitā erat, quod sperare auderemus, vt penē illud prophetę dicere liceret, edamus, & bibamus, cras enim moriemur, tamen neglecta voluptate ipsis, quę in nobis sentiebamus naturę principijs parere, eaque sequi oportere iudicabamus; quę tandem nunc esse debet cogitatio homini, cui, posteaquam hosti abores huius exigui spatij exantlauit, vita promittatur cum beatissima, tum longissima, nimirum æterna, cum qua hæc si conferatur, vix momenti instar habere uideatur? O surdas hominum aures, ò cæcas mentes, qui, cum nihil nisi felicitatem appetere videantur, eam propositam auersentur. regnum venale proponitur, idque perpetuum, & immensum, ipsum videlicet cœlum, quod quā minimo emi possit. & mortales sapiē sine multo malunt exiguo luto adhærescere, & tenuem cœsum bonis anteferre sempiternis. quæ est in hominibus tanta peruersitas, ut inuentis frugibus glande vescantur? quid facturi fuissetis, si quā longissima Deus vitę spatia decreuisset, neque tam angustos vobis cancellos circumdedisset? quid? si vel his in exiguis terminis certi aliquid reliquisset, neque prudens (vt ait quidam poeta) futuri temporis exitum caliginosa nocte depressisset? cur in tam periculosa alea sic supini, & somniculosi estis? quis vestrum tam manifestē insanus, qui duabus propositis hareditatibus, altera tenui, & quam facile quiuis possit diripere, altera tuta, & locupleti, non hanc illi præferat? & tamen in hoc tanto negotio ab omnibus ferē hac insania laboratur. nam quid tandem est, quod hic magnum, aut admirandum videri possit, si etiam totius terrę quis imperium adipiscatur, si ad illa cœli immensa spatia oculos referat? hæc enim ob causā mundi centrū terrā appellauerunt, quod puncti instar ad cœlum habeat. Sed fac, ijs magnū aliquid esse, quorū graues oculi altius attolli nequeunt, quā rideda est tū eius rei vel appetitio, vel possessio, quā auferre leuis morbus,

aut

aut cantharidis virus, vel scorpij morsus possit? quam mors omnibus horis imminens, ne vno quidem temporis momento certam, ac tutam, vt dici nostra possit, esse patiat? Sed videamus iam, quem nobis in diuitiarum vsu modum Diuina oracula constituent, vt, si humanę vos fortasse rationes non satis mouerint, nil causę sit, cur præcepta, legesque Diuinas repudietis. quid igitur admonet ipsa Dei sapientia, cui humana vestra astutia potius, quā sapientia tam facile aduersatur? nolite recondere vobis thesauros in terra. quam ob causam? vbi erugo, & tinea corrumpit, & vbi fures perfodiunt, & furantur. num censetis Deum vestris copijs inuidere? eum, qui tam immensa elementorū instituit spatia, vt esset, quod omnibus abundē suppeditaretur? quid ergo? recondite vobis thesauros in cœlo, vbi neq; erugo, neq; tinea corrumpit, & vbi fures nō perfodiūt, nec furantur. ante enim, quā vlla regni cœlorum mētio facta est, nihil mirū erat, si, cum neq; melior, neq; tutior locus haberetur, terra reponendis thesauris eligebatur. at nūc patefacta ad cœlū via, quid tinea exponis, ac furibus, rem præsertim, quā tanti facis, cū eam in tuto liceat collocare? Hoc aliā præterea vtilitatē parit, vt cor à caducis, & humilibus hęc curis sese expediat, inq; dignā se vindicet libertatem. vbi .n. est thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum. propterea etiam inquit. dico vobis, ne sitis solliciti dicentes, quid edemus? aut quid bibemus? aut quibus operiemur? hæc enim gētes inquirūt, quę cū ignorēt, Deo res humanas sic curę esse, vt volucres etiā, tam vagum genus, vt nihil minus, quā de annuo victu cogitent, pascat, & lilia, ac reliquos flores ita vestiāt, vt nulla hominū ars æquare illā speciē possit; ipsę ingenio, ac industrię tātū suę cōfidētes, pecunias congerunt, & ab arca potius, quā ab ipso Deo vitę præsidia expectant. Quid vult hic pallor, quem uideo in quorundam uestrum ore repente extitisse? bene habet. intelligitis enim opinor, quanto vos scelere imprudentes implicaueritis, cum tam pertinax habendi cupido illis similes faciat, qui ita barbaris, ac feris moribus sunt, vt ne, an Deus quidē sit, sciant. simul illud cogitatis, una Euāgelica sententia, omnia uestra, quę vobis firmissima uidebantur, fundamenta euerfa esse. sed salutaris est, & opranda etiam vobis ipsis hęc causę uestrę iactura. id enim nihil aliud est, quā falsas opiniones exuere, & induere meliores. Quid igitur est faciendum, cum à uestris consilijs recesseritis? quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius; & hæc omnia adijcientur vobis. principem curam esse uult illam adipiscendi regni Dei, cætera uerō quædam tanquam additamenta, quæ pollicetur ipse se appositurum, ne hæc uos occasio quærendæ rei familiaris, à grauioribus, & magis necessarijs cogitationibus auocet. cit ille (quid enim Deum lateat?) & longē etiam melius, quā nos ipsi, quibus rebus quisque egeat, præstō etiam ei sunt, quæ pro cuiusque

AAA 2 indi-

indigentia tribuat. nam gloria, & diuitiæ in domo eius. profitetur, res nostras nihilò minus sibi cordi esse posse, quàm sit filius matri. immo verò, si illæ oblitæ fuerint (inquit) ego tui nõ obliuiscar. & dubitamus adhuc, totos nos illius committere fidei? digni profectò, quos neglectos stultitiæ, & insanix nostræ relinquat. quod si fiat, suprema nos calamitas, & interitus consequetur. Quare iam illud incipite amplexari, quod propheta vnumquene sic admonet. projice onus tuum in Dominum, & ipse te enutriet. qui ipse de se, deque sui similibus alibi ait. Dominus pascit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ, ibi me collocauit. cum non sim nescius (inquit) Deum mei enutriendi curam cepisse, quid sub tam beneuolo, atque etiam diuite, & peruigili pastore deesse unquam potest? quid verò vniuersum genus hominum aliud est, quàm quidam ouium greges? sicut scriptum est. nos autem populus eius, & oues pascuæ eius. & deduxisti sicut oues populum tuum. quas cum ipse princeps pastorum curat, tum alijs sub se, atque à se institutis pastoribus commendat. hi sunt administri spiritus, qui in ministerium emittuntur propter eos, qui hæredes salutis futuri sunt. At homines sese aliquid arbitrati, &, quicquid parauerunt facultatum, uæ industriæ ascribentes, suum appellare non formidant, quod pastoris beneficio, providentia, cura sunt assecuti. hoc (inquit) anno tatum triticum numerum ex agris nostris in horrea inueximus, tot vini cados ex nostris vineis condidimus. nostra hæc sunt, nostra arte, & studio quæsitæ. Age, si pastor uester imperasset nubibus, ne pluerent super terram, quod an possit, Eliæ uobis tempora exemplo sint, & eandem terram æneam fecisset, vimque eam, quam illi principio ingenerauerat, subduxisset, ac Zephyros lenè spirantes, & vitali flatu fecunditatem arboribus afferentes, in thesauris suis continuisset, aut etiam post natas fruges, grandinem, locustas, brucos, cæterasque Aegypto olim cognitæ plagas immisisset, quid uestra, quid agricolarum studia profecissent? sic neque, qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus. Deinde nostræ, inquitis, sunt vineæ, nostri agri. quo tandem id pacto? non ne nudus eiectus ex utero es? unde ergo tibi hæc copiæ? si casu, & fortuna hæc tibi obuénisse contendas, impius sis, qui auctorem tuum ignores, qui ne gratiam quidem habere ei, qui dederit, uelis. sin fateris, quod omnino oportet, hæc à Deo tibi adesse, dicito, quamnam ob causam tu ab eo iusta plus parte acceperis? num iniustus Deus, qui non æquè omnibus vitæ necessaria partiatur? cur ergo ille esurit, tu verò ebrius es? ille inopia conficitur, tu diuitijs abundas? quam huius rei causam aliam arbitraris, nisi quòd id iubet Deus, ut præter ea, quæ tibi ad usum uiuendi satis esset posunt, cætera, non tã tua, quàm fidus procurator cõseruis tuis impertitus, pietatis, & fidei mercedem referas? verum de hac quasi bono-

rum

rum procuracione, quæ diuitibus credita est, post paulò oportuniore loco disputabimus, nunc quod instat, persequamur. Si hæc immanis diuitiarum, & facultatum sollicitudo habenda est, ad quos eam iudicabitis pertinere? num ad uiuentes solum, an ad eos etiam, qui vita defuncti sunt? nempe ad uiuos. at vos mortui (ait Paulus) estis, & vita uestra abscondita est cum Christo in Deo. & alio etiam loco. si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus, ut, qui uiuunt, iam non sibi uiuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. pulchra, & plena sapientiæ argumentatio. cum (inquit) dicitur, unum pro omnibus mortem oppetiuisse, significatio fit, eos iam morti addictos fuisse, pro quibus liberandis ille obierit mortem. sed quid hac uita faciendum est, quam ipsis est elargitus? ut qui uiuunt, posthac non sibi uiuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, tantum ne? immo & resurrexit, nempe propter eosdem ipsos. nam resurrexit propter iustificationem nostram. O charitatem, cum nos sua morte, quicquid uiueremus, iam sibi obligauisset, noluit, ne id quidem, quod ei deberemus, sine maximo nostro lucro à nobis reddi. O perfidum genus homines. summum, quod habuit, pretium soluit pro uobis unigenitus filius Dei, quæ res effecit, ut ei perpetuo nexu obligaremini, ille tamen, quæ est pietate, mercedem adhuc maximam huic seruitio (quanquam illud deberetis) constituit. at vos nec maiestatem reuereri, nec beneficentia attrahi, nec officio commoueri potestis. Non igitur (ut eò reuertar, unde digressus sum) licet iam uiro Christiano sibi, sed liberatori tantum suo uiuere, id est, ea tantum quærere, cogitare, aggredi, quæ illi grata futura esse intelligat, quod tum fit, cum regnum Dei, & illius cælestis reipublice consuetudo, & commercium quæritur. atque eam ob causam dixit apostolus, mortui estis, ne existimaretis, de hac exigua uita posthac esse cogitandum, de qua ergo? uita uestra (inquit) abscondita est cum Christo in Deo. hæc sollicitudo sola uobis reliqua esse debet, nisi frustra in Christum uolueritis credidisse. huc omnis, cum de uxore, liberis, familia, facultatibus, copijs, honoribus deliberatis, referenda cogitatio est, non quibus artibus humanum hunc, inanemque splendorem, & umbris similem, & iam, iamque desitutum, filijs, ac nepotibus uestris comparetis. ad regnum potius instituendi sunt, & formandi. turpissimum enim est, atque etiam flagitiosissimum, ut, qui in tantam, tamque præclarã ciuitatem nomen suum dederit, idem in aliam ascribi uelit. at uerò damnum etiam summum consequatur necesse est. nam idem hic usu uenit, quod iure Romano sancitum erat, apud quos cum duarum ciuitatum nemo esse posset, tum ciuitas Romana amittebatur, cum in alienam quis ciuitatem receptus esset, quod quasi exilium quoddam existimabatur. Equidem miror, si quod Euangelicæ doctri-

doctrinæ, & Christiani nominis simulachrum in uobis est, si, cum regni appellatio aures uestras circumsonat, non quisque uestrum lætitia gessit, & omnia, quamuis magna, quamuis spectanda, cum apostolo arbitratur ut stercora. etenim si usque ad hunc diem nihil de Deo quicquam, de cælo, ac futura uita unquam audiissetis, & in hac ignoratione de repente quispiam existeret, qui se diceret è cælo ab ipso Deo missum, atque id ita uobis probaret, ut quiuis illi fidem habere posset, deinde hanc uestram uitam uix unius noctis somnio similem esse prædicaret præ ea, quæ post istam secutura esset, & eam ipsam uitam ijs, qui hæc caduca contemnerent, futuram beatissimam, in maximis opibus, & copijs, & regijs honoribus, contra uerò, reliquos, qui huius uitæ simulachris illecti, ista omni studio amplecterentur, in obscurissimum carcerem detrusum iri, ubi sine ullo sine asperrimis cruciatibus torquendi essent. opinor uos hoc accepto tam admirando nuntio primum attonitos, & immotos repentino stupore futuros fuisse, deinde, ubi uires, sensusq; collegissetis, omnia sponte proiecturos, atq; id, quod est, existimatos, in illa, quæ uideretur, iactura uos lutum auro permutare, quæ .n. aliam ob causam in illis surgentis ecclesiæ exordijs, ij, qui Christi fidem profitebantur, uendebant prædia, & domos, & omnium facultatum pretium ad apostolorum pedes proieciebant? nempe & cogitatione, & intimis sensibus, rerum, quæ promitterentur, magnitudinem complectebantur, quarum contemplationi ita affigebantur, ut hæc humana, si cum illis compararentur, non esse potius, quam esse aliquid iudicarent. At uerò nunc, o tempora, o mores, o profulum ingratum pium Christi cruorem, nunc, cum Iesu nomen cum nutricis lacte sugimus, cum primas infantia uoces ipsius Iesu Christi appellatione formamus, tamen adulti nihil minus, quam Christum agnoscimus. ecquis enim est pudor? ecquæ religio? ecqui aut minarum metus, aut futurorum bonorum cogitatio? utinam id à Deo imperatum esset. quanquam nolim opinemini, hæc à me imprecandi potius causa, quam salutis uestræ studio optari. sed si id sancitum Diuino oraculo fuisset, ut, qui non omnia abijceret, atque à se penitus abdicaret, nullam certò sciret illius regni assequendi spem sibi reliquam esse, quid facturi fuissetis? perterruit, ut uideo, uos ista conditio, quam tamen conditionem profecto, nisi stulti, atq; adeo insani sitis, acciperetis, cum harum rerum breuis usus, & inconstantia, & illius præterea æternitatis subiret animum recordatio. nunc uerò sub tam bona, tamque facili conditione, ne ijs quidem diuitijs contenti estis, quæ ad uitam honestè, & cum uirtute uiuendam satis sint, nisi toti eis inuigiletis, perinde quasi in illis summa insit beatitudo, cum potius, quid non ibi sceleris, & furoris in tam insana appetitione reperitur? Sed quidam error plurimos uestrum maximè fallit, quod existiment posse se diui-

diuitias parare sine iactura regni cælorum, neque eos terret apostolus, qui de ijs sic ait. qui uolunt diuites fieri, incidunt in temptationem, & laqueum, & cupiditates multas, stultas, & noxias, quæ demergunt homines in exitium, & interitum. si quidem radix omnium malorum est studium pecuniæ, quam quidam dum appetunt, aberrauerunt à fide, & seipos implicauerunt doloribus multis. & paulò post. ijs, qui diuites sunt in præfenti seculo, præcipe, ne elato sint animo, neque spem ponant in diuitijs incertis, sed in Deo uiuente, qui præbet nobis omnia abundè ad fruendum, ut bene faciant, ut diuites sint operibus bonis, ut faciles sint ad impertiendum, libenter communicantes, recondentes sibi ipsis fundamentum bonum in posterum, ut apprehendant uitam æternam. Audistis & intentatas ijs, qui diuites esse uolunt, minas, id est, exitium & interitum, & sola beneficentia, ac largitate uitam æternam haberi posse? quid? non ab imis præcordijs comouemini ex ipsius ueritatibus, cum ait, quàm difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei introbunt. quæ uerba cum uellet sensibus hominum bene penitus affigi, admirantibus discipulis iterum adiecit. filij quàm difficile est, eos, qui fiduciam habent in pecunijs, regnum ingredi. facilius est, camelum per foramen acus ingredi, quàm diuitem intrare in regnum Dei. Terrificam certè orationem, quæ si ad ipsius animi aures introduceretur, neque ad solum corporis sensum perueniret, nihil dubito, quin omnes certatim, quò quis esset locupletior, superuacua onera essent deposituri, atque id flagitaturi, quod sapientissimus ille sapientissimè postulabat. diuitias, & paupertatem ne dederis mihi, sed tantum uictui meo tribue necessaria. nam per immortalem Deum, quæ est ista uerocordia, nolle, cum possis, & hanc uitam iucundissimè agere, & futuram illam in terea præparare? id uerò fieret, si molestissimam tam multarum opum curam abijceres, & paratis ita fruerere, ut & à Diuinis legibus, & ab ipsa etiam ratione admoneris. quod dum facere homines contemnunt, dignas sua stultitia pœnas dant, ut non solum illa pius expectata regni cælestis hæreditate sint carituri, uerum etiam quicquid hic uiuunt, uiuant infelicitissimè. audi enim, quid de ijs sentiat Ecclesiastes. auarus non implebitur pecunia, & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis. & hoc ergo uanitas. ubi sunt multæ opes, multi & qui comedunt eas, & quid prodest possessori, nisi quod cernit diuitias oculis suis? dulcis est somnus operanti, siue parum, siue multum comedat. saturitas autem diuitis non finit eum dormire. & paulò post. est & aliud malum, quod uidi sub sole, & quidem frequens apud homines. uir, cui dedit Deus diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat, nec tribuit ei potestatem Deus, ut comedat ex eo. Quid obsecro uos, hac

hac hominum conditione miserius? quibus nihil tam cordi sit, atque adeo nihil potius aliud cordi sit, quam opes, facultates, copia, tamen miserissimi ante excedunt è vita, quam vllum ex eis iucunditatis cœperint fructum. atqui licebat eis, siquid scirent, aurum ipsum, quod eis hac solis luce pulchrius, & proprijs oculis charius est, secum habere in illis quoque cœli sedibus, aut, siquidem eis certum est, velle in Tartarum relegari, ibi etiam ipsius fructum experiri, quando eò leuius torquerentur, quò maiorem pecuniarum partem essent pauperibus impertiti. Quid igitur reliquum est ciues optimi? nempe vt contemnatis omnes ineptias, & erroris opinioniones, & quod veritas præcepit, faciatis vobis amicos de Mamona iniquitatis, qui, cum defeceritis, accipiant vos in æterna tabernacula. Memenote (vt nunc eam partem aggrediar, quam dudum me tractaturum pollicitus fui) vobis eorum bonorum, quæ vestra appellatis, procurationem à Deo traditam esse, non imperium, ut eis pro libidine abutamini. Quantum uerò tandem (inquit) aut quatenus est largiendum? ego, siquid ex mea sententia essem pronuntiaturus, metuerem sanè de hac re uerba facere, non quòd mihi exploratum nondum sit, quousque largiendi Christiani nouiro sit facienda progressio, sed quòd uererer, ne in tam perditis moribus, corruptisque opinionibus, perinde hac à uobis intelligi auditu possint, atque ego ipse loquens sentirem. sed ad Euangelicam ego uos ueritatem relegabo, cui num habenda fides sit, uos ipsi deliberate. Quid igitur in ipsis orientis Euangelicæ lucis initijs, atque adeo in ipso Luciferi ortu, id est, Ioannis Baptistæ prædicatione dictum est? qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui escas habet, similiter faciat. reliquit opinor, ipsi plenæ luci id dicendum, quod perfectius futurum esset, uende quæ habes, & da pauperibus. ipse id duntaxat admonuit, quod prorsus necessarium foret ad iram illam fugiendam, quam uenturam intentabat. perfecta (inquit) huius philosophiæ præcepta ipsi sponso reseruabo, qui uos post paulò docebit, quibus artibus nomen, & gloriam sitis adepturi. nunc satis mihi est à timore exordiri, qui sapientiæ initium est. at plenior sapientiam ab illo expectate, qui Dei uirtus est, & Dei sapientia. Arri gite huc aures, & oculos etiam o viri, & his iam purgatoribus contemplete mini, quam humiles, quam depressæ sint hoc tempore hominum cogitationes, qui non modo non intelligunt, se nihil dum magni quicquam aggressos, si etiam omnia præter victum, cultumque necessarium tribuerint indigentibus. id enim est, uenturam tantum iram declinare, quia non tam id fecisse uirtuti, quam non fecisse, cum debeas, sceleri ascribendum est, & iniustitiæ. non modo inquam id non intelligunt, sed si exiguam è tam multis, quæ debeant, partem tribuerint in egentium præsidium, putant & satis à se factum pietati, & immortales præterea illas sedes ob rectè facta

facta sibi deberi. Dicat fortasse quispiam. quæ tandem hæc est tam multatribuendi necessitas, aut ratio? turpis quidem est ista interrogatio, præsertim ei, qui dudum audierit, sibi idem ipsum vel sola naturæ nostræ contemplatione esse faciendum, sed huic tamen gerendus est mos, & proferenda Diuinorum librorum testimonia. Qui habuerit substantiã huius mundi, (ait Ioannes apostolus) & uiderit fratrem suum egentem, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? fratrem audis? iam non de exigua elemosyna, sed de hæreditate cum eo, ut frater, communicanda est cogitandum. simul illud serua, si nulla spes salutis sine charitate reliqua esse potest, hic uerò admoneris, charitatem Dei in eo non esse, qui viscera sua clauserit à fratre suo, quis non facile colligat, quid consequatur? Postremo quid dicturi sunt illi, qui existimant, se tum demum, cum crustulum porrexerint, fratris egestatem leuasse? cur indigentiam tam exiguo sine circumcludis? quo id more? quo exemplo? uulgus fortasse hominum proponis? non ad idoneos auctores pronocas, neque ego tibi tam infirmis argumentis sententiam meam probare conatus sum. at uerò tantum tot rerum numerum secum habet indigentiam nomen, quantum ego percensere quidem numerando non possum, sed uelim, ut ipse per te ex ijs, quæ tibi experiris esse necessaria, fratris indigentiam metiare. alioqui præuaricator es illius præcepti, quod tanti est, ut in eo impleri legem dicat apostolus, diliges proximum tuum sicut teipsum. hoc enim mandatum habemus à Deo, ut, qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. neque enim aliter Deum amare putandus est, qui enim non diligit fratrem suum, quem uidet, Deum, quem non uidet, quomodo potest diligere? quocirca qui proximum amat ut seipsum, nihil amplius possidere, neque ditior illo fieri quæret. quòd si domesticum fructum, atque splendorem multorum solatio antetuleris, quantum opibus auctus es, tantum de charitate detraxisti. Quid? quòd non solum non amas, uerum etiam iniuria afficis proximum? quo pacto (inquit) iniuria quenquam afficio, cū mea seruem? rursus appellare aures tua? quæ uindenam in hanc vitam tecum intulisti? immo uerò quod commune fuerat, occupasti. perinde quasi si quis theatrum prior ingrederetur, & occupato iam loco reliquos extruderet, proprium iudicans, quia ipse præuenterit, quod in medium omnibus positum est. quòd si tantum quisque caperet, quatenus uitæ usus subueniret, & superuacua relinqueret indigenti, non essent neque immanes diuitiarum acerui, neque egenorum greges miserabiles. Quam uerò ob causam indignum quenquam putas, quem tibi adhibeas in contubernium, cum eidem ipsi æquè regni cœlorum facta promissio sit, atque aut tibi, aut cuique opulentissimo? quem ergo in ipso cœlo tecum, fortasse & te maiorem es habiturus, cum hoc exigua hæc terrena, debita præser-

tim, non communicabis? Potuit olim Lyncurgus. ò factum memorandum, quodque vel vnum locuples exemplum sit ad hanc vestram tenacitatem in iudicio condemnandam. potuit inquam vir ethnicus vniuersam Lacedæmoniorum ciuitatem ad bonorum æqualitatem inflectere, nouam agrorum partitionem introducere, vt aqua in singulos ciues portio distribueretur, vt nihil aliud Lacedæmon, nisi multorum fratrum, qui inter se hæreditatem diuisissent, amplissima quædam domus esse videretur. At qua id spe? nulla alia, nisi quod æqualitatem maximè ad concordiam pertinere intelligebat, nulla illos mercedis à Deo accipiendæ cogitatio, nulla promissi cæli ob ea rectè facta expectatio alliciebat, & tamen sola uis honesti, & præsentis concordie contemplatio, omnes in tam præclarum facinus conspirare fecit. at verò à Christianis inter tam felicia promissa præmia impetrari non potest id, quod longè facilius, ac leuius est, ut, cum sibi ea sumptuerint, quæ ad victum, cultumque, ad educandos liberos, & erudiendos sufficere possint, cætera tanquam non necessaria, suis, atque adeo ipsius Iesu Christi fratribus concedere non recitent. sed eos digna tanto errore demum pœna comitatur. nam eorum liberi, cum seruari sibi tantas copias intelligant, virtutes auerfantur, quas in mediocri fortuna essent amplexati, ocio tantum, & luxui operam dant, & breui relictas opes, quæ eorum parentibus ipso Christo fuerant chariores, deuorant, ac profundunt. Ite nunc, & nihil profuturas causas prætexite, & sapias idem repetite, adesse uobis filios, quibus pecunias congeratis. quanquam hanc non esse parandarum opum causam illi ipsi arguunt, qui filijs carent, qui quamuis hæredem nullum ex se habituri sint, attentius tamen inuigilant opibus, quàm ij, qui plures liberos suscipere. morbus tantum est, mihi credite, à quo tum demum, aut potius tunc solum liberandi estis, si vos bene penitus in Euangelicæ lucis familiaritatem dederitis, cuius ignoratio ita profundas tenebras offundit oculis vestris, ut ne oblatam quidem lucem intueri possitis. quod si Christi leges interdum, & præcepta consuleretis, hæc omnia nullo negotio vosmet ipsi diuidicaretis. Etenim vnusquisque vestrum ita secum loqueretur. si esurientem, sitientemque inimicum alere iubeor, quid tandem est, quod in proximum quenque ut fratrem non sit conferendum? ociofa, & leuia, ac uolatilium uerba, & eius generis, ut nemini damnum afferre possint, tamen in iudicium, & ad ipsa Christi subfella trahenda sunt. uerba, res, immo ne res quidem, cum uerba plurimum à rebus distent, sed tamen ita nunc appellentur, res, qua nihil est, cui facilius ueniam demus, & eò magis, cum nihil inest uitij in eis, nisi quod sine ulla necessitate prolata sunt, & ea ipsa uerba in illo totius orbis terræ conuentu, in quo summa rerum agatur sub iudice Christo,

sto, in ius vocabuntur. quid ociofis pecunijs fiet, quæ dum apud me marcescunt, aut in res pessimas consumuntur, alius frigore, alius fame conficitur, huius filij ob inopiam errant, illius adultæ filia, cum nemini locari sine dote possint, quæstu corporis uitam agunt non uiuendam? quibus ego meam causam, in re tam testata, tam aperta, defendam patrocinijs? cum mihi ille regum rex obijciat, cur alere equos, aut uenaticos canes, & aues maluerim, quàm eos, quos fratrum appellatione ipse dignatus est. dicam id me ignorasse esse præceptum, & errori ueniam dandam? at quotidie ex Euangelio clamat, eos in primis in iudicio execrandos, non solum qui alios spoliauerint (nam ij sua iam ipsorum iudicante conscientia sunt condemnati) uerum etiam qui fuerint oblitii beneficentiæ. Dicam, fuisse tempori seruiendum, in quo si uitæ splendor seruandus erat, in hac hominum luce, nihil ex infinitis opibus, quod in proximum quenque impertirer, superuacuum esse uideretur? at me ratio docuit, non esse ista vulgi, & imperitiæ multitudinis errore metienda. alioqui quem ad finem se referet effrenata cupiditas, quæ in maximis copijs maior semper fieri consueuit? Cum prohibear Euangelicis legibus pro victu, & cultu corporis esse sollicitus, rebus tam ad uitam necessarijs, ut sine ijs non uiuatur, quæ erit idonea excusatio, uoluisse me opulentos filios relinquere, & ampliore dote filias nobilioribus collocare, aut sexcenta alia proferre in medium, quorum falsis appellationibus auaritiæ crimen nobis prætexere solemus? ergo expectabo dum in Geennam, & æternos illos cruciatus miser detrudar ob exiguam hanc, & umbræ similem contemplandarum opum uoluptatem? & pro unius dieculæ fructu patiar perpetuo exilio relegari? quis hanc insanus conditionem accipiat? siccorum ne hæc consilia sunt, an potius somnia uiuolentorum? Hæc, & his etiam acutiora excogitare ex se quisque uestrum possit, si frequentius cogitationes uestras Euangelicæ doctrinæ regula corrigeretis. neque uerò uelim existimetis, me hac oratione ad summam uos Christianæ philosophiæ arcem inuitasse. nondum enim uobis beatissimam solitudinem, & siluas, montesque proposui. nondum probaui, longè felicius esse, quod ad hanc etiam ipsam uitam pertinet, depositis omnibus impedimentis, & à diuitiarum spinis ex peditum philosophari, non enim potui loqui uobis tanquam iam adultis, sed tanquam paruulos lacte uos alui, non solido cibo. hanc autem perfectiorem partem olim fortasse, cum uos uidero exercitiores, diligentius persequemur. nunc satis sit, ea uos admonuisse, ut cauere, quæ iter uestrum ad immortalem uitam prohibere possent. qui si quibus seueriora dixisse uisus sum, quæ antea audierint, sciât isti, non orationis id me, sed diuiturni erroris sui culpa accidisse. Ego uero liberrime

mē, & maxima uoce, ut omnes exaudire possint, dico, semperque dicam, in montem etiam excelsum, si opus fuerit, ascensurus, ut de loco superiore à pluribus audiar. si quis, cui opes suppetunt, & facultates, ab hac non mea, nunquid, n. harum rerū à me fingitur? sed Evangelica sentētia uoluerit disfidere, huic ego salutis spem reliquam esse nullam video. qui speruerit, spernite, nos, quæ à Diuinis literis accepimus, prædicamus. Vos autem optimi ciues, si uobis probaui, neque natura, neque Diuinis legibus opes commendari, nec eas propterea appetendas. quod aut laudabilem, aut saltem delectabilem uitam faciant, sed contra potius nimiam earum copiam ad incunditatem, & ad præclarissima quæque studia esse impedimento, quodque omnium maximum est, ab ipso Deo, & perpetuis illis in cælo promissis bonis auocare; incipite tādē ueris opinionibus assuescere, atque intelligere, uos non ad parandas opes, sed ad longè præstātiora studia factos esse. non uxoris, ac filiorum cogitatio Euangelij monitis, atque adeo uestræ, & eorundem ipsorū saluti anteponatur, quos non uobis Deus ea lege dedit, ut propterea Christi legibus, consiliisque aduersarem. qui cum dicit, si uis perfectus esse, uende quæ habes, & da pauperibus, non minus ijs, qui liberos suscipere, quam, reliquis omnibus uerba facit. Mementote iamiam esse recedendum, & ex hac tanquam scena, & uitæ fabula, ad res serias esse demigandum. colligendæ sarcinæ, & parandum tanti itineris uaticum est, quod non erit opes imminuere, sed exiguo pretio immortales, uerasque diuitias præparare. Moneat uos illius æternitatis admiranda recordatio, quam, nunc in potestate uestra est, felicissimam malitis, an supremis plenam habere calamitatibus. in cuius æternitatis contemplationem, si uos bene penitus dederitis, fiet, ut opinioniones omnes uestras, non ad has humiles, sed ad Diuiniore, & latiore specie rationes, tanquam ad clarissimos septentriones referatis. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & potestas, & imperium, & nunc, & in omnia secula seculorum. Amen.



AE uobis, qui saturati estis, quia esurietis. Quatuor superioribus beatitudinibus, quatuor uæ opponuntur. dixerat prius. beati, qui esuritis nunc, quia saturabimini. nunc uertitur sententia in contrarium. uæ uobis, qui saturati estis, quia esurietis. per esuriam autem & sitis, & omnium necessariorum indigentia significatur. quam uerò longo interuallo deterior horum conditio est, quam eorum, qui in hac uita esuriunt ob Christi seruandas leges, ac sitiunt? esurientes Evangelici exiguo hoc uitæ somnio famem patiuntur, & sitim, & ob breuem hanc tollerantiam, æterna fruuntur satietate. & hoc præterea boni illis additur, quod in illa fame, & siti animus cœlestibus alimentis, ueluti ambrosia quadam, & nectare pascitur, ut uix illam famem, ac sitim corporis sentiat. ij uerò, qui hic saturantur, temporariam quidem, ac momentaneam satietatem habent, sed æternam esuriam sunt passuri. deinde in corporea satietate animus semper esurit, dum nullo spiritus alimento recreatur. O miseram conditionem, & uerè infelicem horum statum. O cæcas mentes, & surdas aures. si proponeretur istis unius anni satietas, & omnium bonorum opulentia, hac tamen lege, ut reliquo uitæ tempore in summa egestate degerent, exhorrescerent conditionem. audiunt hic ab ipsa ueritate, eos, qui hic saturantur, in æternum esurituros, neque expauescunt, & ob momentaneam saturitatem non recusant sempiterna fame, ac siti laborare. O capita centum Anticyris insanabilia. iusti ob paucarum horarum inediam non esurient, neque sitient amplius, peccatores ob momentaneam saturitatem in æternum esurient, ac sitient. de ijs in Esaia Deus sic loquitur. ecce serui mei comedent, & uos esurietis. ecce serui mei bibent, & uos sitietis. ecce serui mei lætabuntur, & uos confundemini. ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & uos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis, & dimittetis nomen uestrum in execrationem electis meis. quanta uerò erit illa anxietas, tam acriter siti torqueri, ut optet quis guttula aquæ refocillari, & ne huius quidem tam parue rei in æternum compotem fieri? tanta extremitas uix in hac uita paucis horis, contingere potuit unquam ijs, qui crudelissimis tormentis afficiebantur ob Christi nomen, & peccatoribus in æternum tam ardenti siti laborare contingeret. Pater Abraham (inquit) miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. O uerè cruciatu, eumque

maximum, non posse in æternum tanta aqua refrigerari, quantam extremum digiti ferre potest. & vide iustam pœnam. Lazarus in hac vita optabat saturari de micis, quæ cadebant de mensa huius diuitis, & nemo illi dabat, nunc diuiti gutta aquæ denegatur. optarim, vt tam horridam rerum faciem nunc identidem ante oculos poneremus, ne in tam desperatas pœnas vnquam incidere contingat. hunc cõtemplemur miserrimum diuitem, aut non iam diuitem, sed pauperem, & egenum, integram æternitatem in hoc statu acturum, quem statum si in hac vita octo diebus pateretur quispiam nostrum, rem arbitraremur ipsa morte crudeliorem. opinor maximam vestri partem expertam esse in febris, quàm sit res acerba, siti laborare, vt eam paucis horis ferre, etiam patiētissimo cuique grauissimū videatur. cui si potus prohibeatur, saltem colluere os maximum affert refrigerium. at hic non bibere, non os colluere postulat, sed solum vt tanta aqua refrigeretur eius lingua, quantam extremum digiti præbere potest, & hoc exiguum non fuit assecutus, neque in perpetuas æternitates est assecuturus. Vg ergo vobis, qui saturati estis, quia esuriētis. verè horrendum vā, & quo excogitari maius non potest. quid? quòd & in hac vita miseri isti esuriunt? audi enim, quid dicat propheta. diuites eguerunt, & esurierunt, inquirentes autem Dominum, non deficient quouis bono. quid hoc est ænigmatis? immo duo hic sunt ænigmata. vnum, quòd, cum Dominus dixerit, beatos esse, qui esuriunt, at ij sunt, qui inquirent Dominum, eosdem ipsos dicit propheta omnibus fruituros bonis. alterum, quòd, cum Dominus minetur vā diuitibus, qui hic saturantur, propheta dicit, diuites egere, ac esurire. qui verò esuriunt, quo pacto saturantur? quid hoc est? num diuersus est prophetarum spiritus, ac Domini prophetarum? absit. vnde ergo hæc diuersitas? audite, & intelligite. esuriunt hic pluribus modis diuites in media ipsa satietate. primum, quòd nullum terminum circumscribunt suæ habendi cupiditati, quo sit, vt nunquam impleantur. quia satietas, quæ sedare hominis appetitū possit, non in facultatibus, & hisce externis bonis posita est, sed in animo, qui iudicet, quantum satis esse debeat homini ad hanc vitam cum ratione degendam. cum verò horum animus hoc morbo labore, ut iudicent, nunquam tantum se habere diuitiarum, quin multò maius sit expetendum, fieri non potest, vt vnquam saturentur. deinde esuriunt, dum maxima diuitum pars. nam diuites esse oportet eos, quos hic appellat saturatos, alioqui pauper saturari qui potest? neque impedit, quòd suum vā dederit primum diuitibus, nam non iidem sunt diuitum mores. & in hoc secundo vā ijs minatur, qui quicquid habent, in luxum, & lasciuiam impendunt, quòd etsi etiam mediocribus, ac tenuibus quibusdam contingat, ut eorū in morē, qui nudi nuces colligunt, omnia in ventrē recondant, hoc tamen

tamen diuitum magis propriū est, suis appetitionibus abundē, ac liberaliter obsequi. esuriunt ergo magna diuitum pars, dum parcunt diuitijs, & eas tanquam res sacras non audent contingere, & in summa rerum copia summa conficiuntur egestate. demum esuriunt etiam ij, qui indulgent genio. cum enim animo constemus & corpore, isti alendo duntaxat corpori curam impendant, quòd studium quantò est accuratius, tantò animi actionibus grauius officit. nam rectè quidam poeta ait.

Corpus onustum

*Hesternis vitijs, animum quoq; prae grauat una,
Atque affigit humo Diuina particulam auræ.*

cum ergo horum animus continua labore inedia, quomodo egere, & esurire non sunt iudicandi? quæ. n. hæc satietas est, hominem, qui iccirco est homo, quòd ratione præditus est, ac mēte, tum saturum se arbitrari, cum suillam egerit vitam, & nihil vnquam aliud curauerit, quàm ventrem, & quæ sub ventre sunt? Da mihi nunc esurientem Euangelicum, quem cicorea, ac leues maluæ pascant, & cuius explendo corpori minima quæque fatis sunt, & ea plerunquē etiam desunt. cernas eius animum, præcipuan videlicet hominis partem, pulchris semper cogitationibus, tanquam cœlestibus epulis plenum, quarum solatium efficit, ut & corpus ipsum illius satietatis fiat particeps, & representet iam, quòd in beata resurrectione est futurum, vbi glorificata anima, & Dei visione satiata, spirituale illud alimentum transmittet in corpus, vt corporeis cibus non indigeat. cernis, vt verum sit, quòd citauimus ex propheta. diuites eguerunt, & esurierunt, inquirentes autē Dominū nullo deficiēt bono? neq; tamē contrarius est huic Euāgelicæ sententiæ, quæ uocat illos saturatos. nam loquitur de corporea saturitate, de qua vna cogitāt, quā cum habent, nihil curant spiritualem famē, quæ tamen pluris esset facienda, quàm illa corporis, & ob hanc causam dicebat propheta Amos. ecce dies veniūt, dicit Dominus, & emittā famē in terrā, non famē panis. neq; siti aquæ, sed audiendi verbi Domini. quibus verbis significat, deteriorem esse famē Diuini verbi, quàm famem corporis. sicut & cibus verbi Dei longē superat corporeum cibum, cū plerunq; & animā, & corpus nutriat, id quòd in Mose factū scimus. est enim verbū Domini in fame cibus, in siti potus, in paupertate opulētia, in infirmitate robur, in ignominia gloria, in luctu gaudij, in aduersis cõsolatio, in peccatis iustitia, in desperatiōe spes, vt nō frustra dicat Dominus, nō in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, qđ procedit ex ore Dei. & tam ingēti bono in primis priuātur ij, quibus hic meritò Dominus vā interminatur, quòd solā hęc rerū caducarū saturitatē norint. nā ij plus, quàm reliquū hominū genus ab audiēdo verbo Dei refugiūt, ueluti à cõspecto angue. & hæc quidem pro temporis ratione de secundo vā satis sint. veniamus

mus ad tertium. Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis. obseruanda est hæc rerum consequentia. ex diuitijs proficiscitur illa externorum honorum expletio, quam saturitate Dominus appellauit, & ex ea saturitate generatur risus, quo nomine intelligitur quæuis animi dissolutio, atque effusio, quæ etiam ludus, & iocus consueuit appellari. unde cum populus Israeliticus in deserto vitulum fabricatus est, & Diuinos illi honores cum festiuis gaudijs tribuit, dissolutionem illam, & plausum scriptura lusum uocauit. sedit (inquit) populus edere, & bibere, & surrexerunt ludere. ubi intueri, quid post epulas, & ventris saturitatem sit consecutum. mox enim inter risus, & iocos, mutauerunt gloriam suam in similitudinem uituli comedentis scenum, obliui, quæ Deus eorum mirabilia fecerat in Aegypto, in Pharaonem, & in omnes seruos eius, & quanto cum miraculo eduxisset eos ficcis pedibus per mare rubrum, obruto Aegyptiorum exercitu in medijs fluctibus. ita perniciem ingentem affert inepta læticia. quis enim credere potuisset, eos, qui nuper tam admiranda ueri Dei facta erant intuiti, eius cultum deserturos, atque adoratos vitulum? nihil est periculosius, quam illa animi in risum, & iocum effusio, quæ nunquam fieri sine magno interioris hominis damno consueuit, ut rectè, ac sapienter quidem externus dixerit. remittere animû quasi amittere est. & alius. arcum intentio frangit, animum remissio. nam illi accidit, quod usu euenire corpori cernimus. si enim corpus à recto statu in alteram partem inclinat, facile cadit, sic animus ubi constantiam suam deserit, ac per risum dissoluitur, mox uirtutem suam amittit. ob hanc causam Salomon aiebat. risum reputaui errorem, & gaudio dixi, quid hoc agis? & quia eiusmodi homines, dum risibus, & iocis delectantur, ob incogitantiam in pericula, & damna incidunt, alio loco idem ait. risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat. ij enim frequētius, quam cæteri, uarijs calamitatibus, ac improuisis obruuntur, dum nihil præuident, nihil circumspiciunt, & plurimum ocio, ac inertia se tradunt. & ecce de repente inuadit eos, quasi uiator, egestas, (ut Salomonis uerbis utar) & pauperies quasi uir armatus. ij ferè conuiujs delectantur, quorum finis qui sit, audi eundem Salomonem. cum enim admonuisset, noli (inquiens) esse in conuiujs potatorum, & in comestationibus eorum, qui carnes ad uescendum conferunt. adiecit causam, quia uacantes potibus, & dantes symbola consumentur, & uestietur pannis laceris dormitatio. & rursum. cui uæ? cui anxietas? cui rixæ? cui foueæ? cui sine causa uulnera? cui suffusio oculorum? nonne ijs, qui commorantur in uino, & student calicibus epotandis? Et quidem si tantum de hac uita esset cogitandum, & damna, quæ ex hac morû dissolutione proficiscuntur, ad istam duntaxat uitam pertinerent, etiam tunc uidendum esset, quam insipienter

ter ista fierent, & quanto cum malo. paruum ne uobis malum existimatur hominem, qui iccirco a reliquis animantibus distat, & in reliqua animantia imperium habet, quod ratione, ac mente præditus est, ita uiuere, ut nunquam ipsa mente utatur, ob quam unam cæteris animantibus antecellit? quicumque enim ita uiuunt, ut eorum scopus sit risus, & iocus, tandiu mente uti non possunt, dum rebus illis delectantur. ita autem hominem uiuere, ut nunquam dici possit hominem uiuisse, sed brutum animal; nonne supremum omnium malorum est existimandum? uerum, si præterea addas, illud uiuendi institutum ad salutem æternam parandam, in primis esse impedimento, multo magis inuitari quisque debet, ad omnes ineptias fugiendas. statuendi sumus ante tribunal filij Dei, ubi tam subtilis erit factorum nostrorum disquisitio, ut etiam ociosorum uerborum reddenda ratio sit, & poterit homo Christianus, qui hoc nouit, in risum solui, quem non solum ociosa, sed sæpenumero lasciuia, & obscæna uerba, & facta etiam comitari solent? quomodo inter ludicra ista locus erit præstandi, quod præcipit Paulus, cû timore, & tremore uestram ipsorum operantes salutem? ubi timor, & tremor requiritur, ibi profecto ridendi spatium nullum est. ob hanc causam uolebat Paulus, non modo spurcum omnem sermonem, aut obscænum, aut stultiloquium, sed etiam urbanitates è medio tolli quæ eneruare & ipsæ animi constantiam consueuerunt. Hæc cum ita se habeant, nullum tamen rei tanti ponderis studium habetur, sed ea in primis tempora risibus, & iocis assignantur, quæ ab ecclesia fuerunt instituta, ut precationi, Diuinis meditationibus, audiendo, & tractando uerbo Dei opera detur. cernas festis diebus, qui Diuino cultui, & accuratius curandæ animi salutis sunt dicati, homines nihil minus, quam hoc cogitantes, sed lusibus, iocis, saltationibus, totos illos dies occupare, ut rectius Bacchanalia, quam dies Deo dicati uocari possint. frequentiores tunc sunt risus, & facetiæ, & quas urbanitates uocant, quam reliquo ullo tempore, & facta tam uehementer à Christiana pietate aliena nemo auersatur, quam uis à me sæpius reprehensa fuerint. quod si per illos dies, qui selecti ab ecclesia sunt, ut uacetur Deo, & purgando interiori homini, nemo se colligit, in se ingreditur, se examinat, reliqui uerò dies terrenis tractandis negocijs toti sunt occupati, fit, ut nullum spatium detur ei rei, quæ sola Christianum hominem efficit. quare nihil est, quod miremur, si Christiani mores ita sunt prolapsi, ut uix Christianæ uitæ uestigium reperiatur. nescitis, totum hoc tempus, quo hic uiuimus, quandam esse militiam, & in pugna semper esse comorandum? quis uerò pugnas ridet, aut iocatur? nescitis, quibuscum hostibus nobis certamen sit? non est nobis lucta (inquit Paulus) aduersus sanguinè, & carnè, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi dominos, rectores tenebrarû seculi

huius, aduersus spirituales astutias in cœlestibus. ob hanc causam iubebat, ut assumeremus uniuersam armaturam Dei, ut possemus stare aduersus eorum astutias. nos uero, quo tempore armari deberemus, eo ipso arma proiecerimus. nullo enim tempore facilius ab istis astutis hostibus capimur, quam cum soluti curis indulgemus genio, & iocamur, & ridemus. Vae ergo uobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis. quando? cum in extremas tenebras conijciuntur miseri. ibi erit (inquit) fletus, & stridor dentium, cum ignis eorum non extinguetur, & uermis eorum non morietur. ille ignis, ille uermis ante oculos esset ponendus, quoties iocari libet, ac ride re. nam mox puerilia ista, neque digna viro, tollerentur e medio. ubi quis dubitat, ne detrudatur in carcerem, tãdiu sollicitus est, dũ ille metus, aut suspicio durat, neque toto eo tempore ridere eum delectat. ubi uero timendus est, non solum æternus carcer, & extremæ illæ tenebræ, sed ignis prætere inextinctus, uermisq; immortalis, poterit homo risibus, & iocis, uacare? hoc supremæ profectò dementiæ est, & animi ingenti phrenesi laborantis. nam & phrenetici tum maximè rident, cum ab eo morbo premuntur maximè. quare cõtemnamus omnes ineptias, quas tam ingentia damna sequuntur, & magistrum Christum imitemur, quem fleuisse quidẽ aliquoties, risisse uerò nõquam legimus. reliquum est, ut quartum uae uideamus. Vae uobis, cum laudauerint uos omnes homines, secundũ hanc enim faciẽbat pseudoprophetae patres eorum. Dixerat beatos illos, qui non ob quamlibet rem, sed propter nomen Christi persecutionem paterebantur, & probris afficerentur, huic beatitudini opponitur hoc postremum uae. in quo non quæuis laudes damnantur, sed illæ assentatoriæ, quæ eneruare solent animos hominum, dum persuaderi sibi patiuntur, se aliquid esse, cum nihil sint. at ubi uirtuti consentaneæ assignantur laudes, id non reprehenditur. ut cum in Actis apostolorum legimus, quod populus magnificaret apostolos, dum per eorum manus ederentur signa, ac prodigia multa in populo. laus autem illa, atque, ut sic dicam, magnificatio in gloriã Dei redundabat, quod uult Dominus, cum alibi ait. luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra bona opera, & glorificent patrem uestrum, qui in cœlis est. hunc enim unum ob finem omnia rectè facta in luce collocari debent, ut ex eis gloria accedat Deo, quæ unũ gloria, & laus, & honor decet. nobis uerò, quanto scũq; in uirtutes, & rectè facta progressus fecerimus, nulla conuenit laudatio, sed tantũ ut nos deiciamus, quæ admodum admonet Dominus, ubi ait. cum feceritis omnia, quæcunque præcepta sunt uobis, dicite, serui inutiles sumus. quod si iubentur ij, qui omnia sibi imperata fecissent, dicere, se inutiles seruos esse, cũ hoc nemini contingat, ut omnia præcepta impleat, sed multo plura sint, in quibus peccamus, quã quæ rectè agimus, quis locus esse laudi potest? quæ cum ita sint

sint, rectè Dominus hic uae interminatur ijs, qui humanis laudibus delectantur. nam de ijs hic loquitur, & eos taxat. quod ut significaret, adiecit. secundum hanc enim faciẽbant pseudoprophetae patres eorum, quod illis uerbis opponitur, ubi supra dicebat de ijs, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. secundum hanc enim faciẽbant prophetae patres eorum. illi prophetae erant, hi pseudoprophetae, id est, qui se prophetas esse mentiebantur, & cum ad gratiam loquerentur, & fouerent errores, uicissim ab audientibus laudabantur. hanc autem facile in scripturis sacris reperias, ut odio haberentur ueri prophetae, quia ueritatem dicebant. nam ueritas odium parit. falsi uerò prophetae amarentur ab ijs, qui dicebant, ut est in Esaia, loquimini nobis placentia. hic autem unum duntaxat locum citabo, cum pulchra sit historia, & scitu digna, sed uobis omnibus ferè ignota. In libris Regum scribitur, regem Iuda, & regem Israel conuenisse, ut locum quendam expugnarent. dixit ergo Iosaphat rex Iuda ad regem Israel. quare, orote, hodie sermonem Domini. congregauit ergo rex Israel prophetas, quadringentos circiter uiros, & ait ad eos. ire debeo in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere? qui responderunt. ascende, & dabit eam Dominus in manus regis. dixit autem Iosaphat. non est hic propheta Domini quispiam (nam illi erant prophetae Baal) ut interrogemus per eum? & ait rex Israel ad Iosaphat. remansit uir unus, per quem possumus interrogare Dominum, sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum. Michæas filius Iemla, cui Iosaphat ait. ne loquaris ita rex. uocauit ergo rex Israel eunuchum quendam, & dixit ei. festina adducere Michæam filium Iemla. rex autem Israel, & Iosaphat rex Iuda sedebant, unusquisque in solio suo, uestiti cultu regio in area, iuxta ostium portæ Samarię, & uniuersi prophetae prophetabant in conspectu eorum. fecit quoque sibi Sedechias filius Chanaan cornua ferrea, & ait. hanc dicit Dominus. his uentilabis Syriam, donec deleas eam. omnesque prophetae similiter prophetabant, dicentes. ascende in Ramoth Galaad, & uade prospere, & tradet eam Dominus in manus regis. Nuntius uerò, qui ierat, ut uocaret Michæam, locutus est ad eum dicens. ecce sermones prophetarum uno ore regi bona prædicant, sit ergo sermo tuus similis eorum, & loquere bona. cui Michæas ait. uiuit Dominus, quod quicquid dixerit mihi Dominus, hoc loquar. uenit itaque ad regem, & ait illi rex. Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad præliandum, an cessare? cui illè respondit. ascende, & uade prospere, & tradet Dominus in manus regis. dixit autem rex ad eum. iterum, atque iterum adiuro te, ut non loquaris mihi, nisi quod uerum est, in nomine Domini. & ille ait. uidi cunctum

Israel dispersum in montibus, quasi oves non habentes pastorem, & ait Dominus. non habent isti dominum, reuertatur vnusquisque in domum suam in pace. Dixit ergo rex Israel ad Iosaphat. nunquid non dixi tibi, quod non prophetat mihi bonum, sed semper malum? ille vero addens ait. propterea audi sermonem Domini. vidi Dominum sedentem super folium suum, & omnem exercitum caeli assistentem à dextris, & à sinistris & ait Dominus. quis decipiet Achab regem Israel, ut ascendat, & cadat in Ramoth Galaad, & dixit vnus verba huiusmodi, & alius aliter. egressus est autem spiritus, & stetit coram Domino, & ait. ego decipiam illum. cui locutus est Dominus. in quo? & ille ait. egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. & dixit Dominus. decipies, & praua le bis. egredere, & fac ita. nunc igitur ecce dedit Dominus spiritum mendacij in ore omnium prophetarum tuorum, qui hic sunt, & Dominus locutus est contra te malum. accessit autem Sedechias filius Chanaan, & percussit Michæam in maxillam, & dixit. quando me dimisit spiritus Domini, & locutus est tibi? & ait Michæas. visurus es in die illa, quando ingredieris in cubiculum intra cubiculum, ut abscondaris. & ait rex Israel. tol lite Michæam, & maneat apud Amon principem ciuitatis, & apud Ioas filium regis, & dicite eis. hæc dicit rex. mittite virum istum in carcerem, & sustentate eum pane tribulationis, & aqua angustiae, donec reuertar in pace. dixitque Michæas. si reuersus fueris in pace, non est locutus in me Dominus. & ait. audite populi omnes. Cernis in hac historia, ut mentes impiæ, atque à Deo auersæ, magis delectentur mendacio, quam veritate, quamuis id in eorum perniciem demum redundet? nonne vtilius erat regi Israel, cum sciret Michæam esse prophetam Domini, fidem illius verbis habere, & abstinere à negotio? & tamen tantum abest, ut hoc præstiterit, ut etiam ob verba veritatis sit indignatus, & pro salutaribus consilijs malum prophetæ rependerit. sed ipse maius sibi malum accersuit, dum pseudopropheta adulantibus credere maluit, quam prophetæ veritatis. nam in illo prælio mortuus est, idque miserrimè, quamuis qua potuit arte euadere studisset. quod etiam, quando video, vos hac historia ita delectari, narrare non grauabor. sequitur enim. Ascendit itaque rex Israel, & Iosaphat rex Iudæ in Ramoth Galaad. dixit itaque rex Israel ad Iosaphat. mutabo me, & ingrediar bellum, tu autem induere vestibus tuis. porro rex Israel mutauit habitum suum, & ingressus est bellum. rex autem Syriæ præceperat principibus curruum triginta duobus dicens. non pugnabitis contra minorem, & maiorem quempiam, nisi contra regem Israel solum. cum ergo vidissent principes curru Iosaphat, suspicati sunt, quod ipse esset rex Israel, & impetu facto pugnabant contra eum, & exclamauit Iosaphat. intellexeruntque principes curruum, quod non esset rex Israel,

&

& cessauerunt ab eo. vir autem quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, & casu percussit regem Israel inter iuncturas lorice, quo vulnere mortuus est. in quo facta duo acciderunt, quibus intelligi potuit. mortem illam Deo regente accidisse. nam & sagitta in incertum directa fuerat, & ingressa est per iuncturas loricarum, ubi absque ullo ferrei indumenti obstaculo corpus regis vulnerauit, atque ita impius rex suæ impietatis poenas dignas dedit. quod nunc quoque accidit frequentissimè, ut homines salutis monita, & recta consilia optimorum virorum contemnentes, eos audire malint, qui suis adulationibus illos fallunt, cui errori reges in primis, ac principes sunt obnoxij, qui, cum toti hisce externis commodis, & corporis voluptatibus ferè sint addicti, necesse est, ut cum morionibus, & scurris, & assentatoribus maiorem vitæ partem traducant, & eorum consilio, atque adhortationibus multa faciant, quæ consequens est, ut sint consulentium moribus consentanea. nam rectè quidam uir sapientissimus admonebat. cum fatuis consilium non habeas. non enim poterunt diligere, nisi quæ eis placent. cum verò hæc faciunt principes & loquentium ad gratiam consuetudine utuntur, hoc semper quidem in subiectorum damnum redundat, sed in ipsorum etiam caput plerunque recidit. videte enim, quid illi Salomonis filio Roboam acciderit, qui cum patri in regnum successisset, & omnis multitudo Israel ei dixisset. pater tuus durissimum iugum imposuit nobis, tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui duro, & de iugo graui, quod imposuit nobis, & seruiemur tibi. Roboam primum quidem consuluit seniores, qui assistebant coram Salomone patre eius, cum adhuc viueret, qui & rectum dedere consilium, dixeruntque. si hodie obedieris populo huic, & serueris, & petitioni eorum cesseris, locutusque fueris ad eos uerba lenia, erunt tibi serui cunctis diebus. sed dereliquit consilium senum, & adhibuit adolentes, qui nutriti fuerant cum eo, qui contraria seniorum consilio persuaferunt regi. quo factum est, ut maximam regni partem, nempe decem tribus amitteret. Verum, ut ad pseudoprophetas reuertamur, sicut illi, quæ iudicabant grata futura populo, aut principibus, ea loquebantur, ita vicissim ab illis fouebantur, & erant apud illos in pretio. veri autem prophetæ, quia uitia arguebant, atque ad legem Dei seruandam adhortabantur, & auocabant homines à lata via, quæ ducit ad perditionem, odio passim habebantur, & interficiebantur: de quibus Stephanus in Actis apostolorum redarguens Iudæos dicebat. quem prophetarum non sunt persecuti patres uestri? & occiderunt eos, qui prænuuntiabant de aduentu iusti, cuius vos nunc proditores, & homicidæ fuistis? & Dominus ipse obiecit idem scribis, & pharisæis. ecce ego (inquiens) mitto ad uos. prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitur

bitis in synagogis uestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem, ut ueniat super uos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiz, quem occidistis inter templum, & altare. quibus geminis auctoritatibus liquet, consueisse semper homines auersari prophetas, qui uera dicerent, & amare eos, qui contraria ingrederentur uia. at ij in primis ingenti sunt nobis damno, dum semper decipiunt, & tanquam retibus quibusdam nos uenantur: quod pulchrè attigit Salomon, cum dixit. homo, qui blandis, fictisque sermonibus lætat amicum suum, rēte expandit gressibus eius. quod intelligens Dauid, eiusmodi genus hominum abominabatur, malebatque eos, qui se corripere, & dicebat. corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non infringat caput meum. obserua uim uerborum. arbitratur misericordiā, si reprehendatur, oleo uerò adulatorum censet sibi confringi caput. Fugiamus hoc perditorum hominum genus, & quæramus eos, qui nos errorum nostrorum admoneāt. meliora enim sunt uulnera amici, (ait Salomon) quàm fraudulenta blandientis oscula. quòd si ij, qui nos reprehendunt, id faciunt odio, atque inuidia, quid melius, quàm ab ipsis inimicis accipere beneficium? an ingens beneficium non est, pro insectationibus, & calumnijs, & momentaneis persecutionibus æternam mercedem adipisci? quàm multos enim reperias, qui, si eis proponeretur, fore, ut, si probra, & contumelias audire æquo animo uellent, pro singulis probris nummum aureum lucrarentur, libentissimè acciperent conditionem? & pro æternis bonis adipiscendis iniquo animo ferimus, si quid male audimus? memini, me legisse olim, quendam, ut in exactam philosophiam bene penitus se daret, conduxisse nescio quem pecunia, qui quotidianis conuitijs illum impeteret. contigit autem, ut peregre proficisceretur, cumque ad aliam urbem accessisset, quidam illum grauisimis uerborum contumelijs, & copiosissimis est insectatus. ille interea soluebatur in risum, & quo pluribus, grauioribusque afficiebatur probris, eò profusus ridebat. hoc spectantibus nimis nouum uisum fuit. quare interrogarunt eum, cur in re, quæ prouocare alios ad iracundiam solet, ipse rideret. quibus respondit, se non paruam pecuniæ summam impendisse in eos, qui hoc officio conuitiandi aduersus se fungerentur. nunc uerò, cum hominem inuenisset, qui gratis id præstaret, non posse non & lætari, & ridere. hoc exemplum uellem, hæc ciuitas identidem ante oculos haberet, quæ ad minimum uerbulum, quod non ad amussim auribus quadret, solet excandescere. si enim ita assuescerent homines, ut ad conuicia riderent, breui fieret, ut nemo conuicijs uteretur, cum cerneret, se hoc nomine haberi ludibrio, sublato autem hoc errore, magna pars discor-

dia-

diarum cessaret, quæ, si obseruetis, plurimum ex uerbis initium accipiunt, & ex uerbis ad facta uenitur, ex quibus implacabilia odia generantur, quæ non solum illa ætate perdurant, uerum etiam interdum ad longam posteritatem transmittuntur. cernitis, quam facillè pacatam haberemus ciuitatem, siquid Christiani pectoris in nobis esset? si duo, aut tres ciues uerborum iniurias ferre pro Christo decernerent, mox illos maximus aliorum numerus sequeretur, paulò post tota ciuitas, & nullo negotio omnium ciuitatum fieret beatissima. nunc uerò, quia nemo philosophari discit, ut Christianum hominem decet, contrarium fit, ut nunquam sine dissensionibus uiuatis. stupeo ego profectò interdum, cum uideo, grauisimas inimicitias, & uulnera, & cedes etiam ex minimis uerbis frequentissimè oriri, cuius mali nulla causa alia est, quàm erroris opinio. arbitrantur enim suum, ac suæ domus pudorem, nisi iniuriam ulciscantur, & eam duplicem rependant. O uerè ethnicas mentes, atque adeo plus quam ethnicas etiam. nam reperti ex ethnicis sunt, qui irrogatas iniurias generosè pertulerunt, ex quo æternam famam adepti sunt, quod & uobis idem accideret. siquis enim è uobis, si etiam esset inter ciuitatis primos, immo uerò quò maior quis esset, maius assequeretur nomen. siquis inquam uestrum in medio foro, & in frequenti hominum conuentu, insigni quapiam iniuria afficeretur, quam nullo negotio ulcisci posset, & tamen nihil commoueretur, sed eodem, quo prius, uultu responderet, se illi ignoscere propterea, quòd Christianus esset, ac Christi legibus uellet obtemperare. hic profectò eam laudem acquireret, quæ tam uiueret diu, quandiu hæc ciuitas perduraret. hæc est uiro digna uictoria, præsertim Christiano, cui ab ipso filio Dei rectè uiuendi leges præfixæ sunt. qui uerò censent rem honestam, & gloriæ plenam, si quis rependendo probra, aut uulnerando, aut occidendo hostem ulciscatur, hic nihil maius quicquam facit, quàm solent equi, & muli. nolite fieri, (ait propheta) sicut equus, & mulus, quibus nõ est intellectus, alioqui digni estis, quibus illud fiat, quod eodè loco sequitur. in chamo, & freno maxillas eorū cõstringe, ut non propius accedant ad te. nõ pudet, ratione præditū animal in belluinos mores malle degenerare, quàm egregiū quicquā, ac natura sua dignū facere? non saltem humanæ gloriæ appetitū mouentur homines ad aliqua huius generis exempla patrandæ? quis laudatus unquā fuit, nisi forte ab improbis, quorum laus pro summo probro habēda est, quòd aliquē uulnerauerit, aut interfecerit, aut alio aliquo damno affecerit? cõtra uerò, multi, & magni uiri cõmendātur, quòd, cum ulcisci hostem possent, tamen abstinerunt. quanta enim est illius Dauid comendatio, qui, cum semel, atque iterum, Saulem regem, capita-

lem

Iem hostem interficere potuisset, ei tamen pepercerit? qui rursus cum a facie Absalonis filij sui fugeret, Semei, qui erat de cognatione domus Saulis, maledictis insectabatur David, & iaculabatur in eum lapides, & virum sanguinarium appellabat, & uirum Belial, cumque ij, qui regem comitabantur, uellent impudenti illi caput amputare, dixit rex, quid mihi, & uobis est filij Saruiæ, si sic maledicit? Dominus enim præcepit ei, ut sic malediceret. & quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit? & paulò post. dimittite eum, ut maledicat, iuxta præceptum Domini, si forte aspiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna. quibus in uerbis duo sunt obseruanda, quæ plurimum prodesse nobis in eiusmodi casibus possunt. unum, quòd existimare debemus, tales insectationes non sine Dei nutu, ac prouidentia fieri, ac propterea reuereri debere nos Diuina iudicia, non illis obmurmurare. alterum, quòd ob eiusmodi afflictiones multò maiora demum à Deo rependuntur bona, quam priores fuerunt molestiæ, id quòd ipsi David accidit, qui post illam acrem persecutionem postremò gloriosè fuit in regnum restitutus. Cernitis, contra accidere in hac parte, quam uulgus opinatur? quòd scilicet iniuriarum perpersio gloriosiores efficit apud homines etiam, quam ill e uulscendæ iniuriæ mos, qui nunc in frequenti usu. uerum, si Christum amaremus, ut amandus esset, si etiam nulla humana commendatio esset consecutura, libenter tamen amplecteremur omnia probra, omnes contumelias, ut tanti magistri, ac tanti regis effemus imitatores. præsertim cum ille iniuste omnia sit perpersus, & nostræ duntaxat salutis, ac nostri exempli causa, nos uerò tam multa & peccauerimus, & quotidie peccemus, quibus multò grauioribus probris digni sumus, & præterea quicquid pro Christo patimur, non in illius, sed nostrum beneficium sint redundatura. ille seductor appellatus est, Samaritanus, blasphemus, Dæmonium habens, ille inquam Dei filius, & agnus innocens. quando nobis pares contumelias pati unquam continget? quis illum pudorem complecti animo possit, quo afficientur ij, qui tam admiranda exempla imitari contemnunt, cum in Die iudicij hunc Iesum cernent in paterna gloria, uallatum angelorum agminibus, obijcientem istis tam insignem ingratitudinem? quòd is tantus Dominus, cui cælum, terra, inferi flectunt genu, nostræ salutis gratia non modo probrosa uerba pertulerit, sed facta probrosiora, sputa, colaphos, alapas, spineam coronam, crucem deniq; , teterrimū, & crudelissimum mortis genus. ij uerò puluis, & cinis, & uermis, ne uerbū quidem audire uoluerint, quod aliquid ignominie secum haberet. Hæc optarim ut omnes cogitarem, cum aliquid à proximo quoque uel uerbo, uel facto patimur, quo nos offendendi arbitremur. sic enim dignos in Christianam philosophiam progres-

sus

sus faciemus, quibus æterna præmia consequamur. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & potestas, & imperium, & nunc, & in omnia secula seculorum. Amen.

O R A T I O TRIGESIMA QVINTA.



ED vobis dico, qui auditis, diligite inimicos uestros. benefacite ijs, qui uos oderunt. benedicite maledicentibus uobis, & orate pro calumniantibus uos. Obserua, quam sapienter Dominus Euangelicæ philosophiæ iaciat fundamenta. natura hominum mouetur affectibus, & ab eis regitur. quæ ut relictis illis aliquid cum uirtute coniunctum aggrediatur, magnum negocium est. quare primum danda, aut permittenda potius est sua pars eisdem affectibus, ut post altius euehi quis possit. mouentur plurimum homines spe bonorum, & malorum metu. hoc sciens Dominus, indulget primum infirmitati nostræ. ipse enim nouit figmentum nostrum, & ante quam proponat egregia illa, quæ in hac philosophia præstanda sunt, duo præmisit, quæ hos geminos affectus permouere uehementer idonea sint. primumque pollicetur æternam felicitatem pauperibus, esurientibus, flentibus, & ijs, qui persecutiones patientur, ut homines felicibus hisce promissis alliciat. deinde æternum uæminatur contraria via ingredientibus, qui scilicet consolationem hic haberent, saturati essent, riderent, laudarentur. ut, quicumque spe non commouerentur, saltem ita terrificis minis à uitio deterrerentur. nam ubi quis ex animo hanc æternitatem contemplatur, & bene penitus in illam se dat, cernitque, in sua potestate esse, felicissimamne illam, an miserrimam malit, & alteram omnino esse sortiendam, aptior fit, magisque animatur, ac præparatur ad ea facièda, quibus & summa felicitas acquiritur, & sempiterna damna declinantur. neque rem ullam tam difficilem arbitratur, quam horum contemplatione nò amplectatur libentissimè. nam æternorum bonorum consideratione Paulus momentaneam leuitatem appellabat omnes afflictiones, quas pro Christo in hac uita quis pateretur. cogitantibus (inquit) nobis, non ea, quæ uidentur, sed quæ non uidentur. quæ enim uidentur, temporaria sunt, quæ autem non uidentur,

DDD

æter-

æterna. Hoc iacto fundamento adiecit Dominus, quæ præstanda sunt, ut hæres æterni regni esse quis possit. sic & apud Mathæum prius posuit beatitudines, deinde quæ essent faciendæ admonuit, oportere quæ maiora aggredi, quàm factum fuerat ante huius regni inuulgationem. quare dicebat. dico enim uobis, nisi abundauerit uestra iustitia plus, quàm illa scribarum, & pharisæorum, non potestis ingredi in regnum cælorum. & mox perfectiorem proponit uitæ rationem, quàm antiqui habuissent, & pœnam, quæ in ueteri lege fuerat assignata homicidio, assignat sub Euangelio iræ, quàm quibus sine causa exerceat. æquat sub Euangelio conspectæ mulieris concupiscentiam, adulterio, quod sub lege quis perpetrasset, cætera quæ in eundem modum corrigit, ut qui homines, non iam, ut lex facere uidebatur, ad ciuilem quendam uitæ modum formaret, sed ad cælum, cælestem quæ rem publicam. & ob eam causam in ipso prædicationis exordio, mentionem regni cælorum fecit, pœnitentiam, inquit, agite. appropinquauit enim regnum cælorum. ad hoc regnum qui formandi essent, oportebat, ut à plerisque abstinerent, quæ lex uidebatur permittere. iccirco, in Matthæo legimus, Dominum inter alia dixisse. audistis, quod dictum fuerit antiquis, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. at ego dico uobis. diligite inimicos uestros, cætera quæ in Luca hic memorantur. cum ergo mentionem fecisset eorum, à quibus passuri persecutionem essent Apostoli, & multis afficiendi malis, docet, non esse illis rependenda, uel imprecanda mala, neque propterea arbitrarentur, eos non esse proximos, qui diligere iubentur, quod essent persecutores. nam colligitur, non solum ex iam citato Matthæi loco, sed etiam ex alijs, fuisse inter legis peritos opinionem, inimicos non esse inter proximos numerandos. cum enim quidam legis peritus interrogauisset Dominum, quid sibi faciendum esset, ut uitam æternam adipisceretur, ac respondisset, diligendum esse Deum, & proximum sicut seipsum; rursus quæsiuit. quis est meus proximus? quod non postulasset, nisi fuisset inter eos quæstio, quis appellatione proximi esset accipiendus, sed veniamus ad Euangelica uerba. Sed uobis dico, qui audistis. audistis (inquit) quanam uobis sint ab hominibus expectanda, nunc audite, quæ sint à uobis faciendæ illis, ac rependenda. quid uero uult illud, dico uobis, qui auditis? num surdi aliqui ibi aderant, qui non audirent? hoc illi simile est, quod in Apocalypsi legimus. qui habet aures ad audiendum audiat, quid spiritus dicat ecclesijs. neque enim sufficiunt corporis aures, ut quis Euangelicam philosophiam assequatur. nam opinor, neminem hic conuenire, cui sensus audiendi desit, & tamen quam multi sunt, qui ea, quæ audiunt, perinde negligunt, quasi nihil audierint? & unum illud, in causa est, quod interiorem illum

au-

auditum non adhibent, quem adhibebat propheta, qui dicebat. audiam, quid loquatur in me Dominus Deus, & Samuel, loquere (inquit) Domine, quia audit seruus tuus. qui enim fieri posset, ut diues, cum audit, facilius esse camelum transire per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum cælorum, non exhorresceret, ac referret pedem, si interiorem auditum admoueret? cogitaret enim continuo id, quod ait Dominus. quid prodest homini, si uniuersum mundum lucretur, animæ uero suæ detrimentum patiat? aut quam commutationem dabit homo pro anima sua? filius enim hominis uenturus est in gloria patris sui, & tunc reddet unicuique secundum opera sua. in eundem modum fieret in reliquis omnibus, quæ scripturæ sacræ admonent, si intimis sensibus reciperebantur. sed quia solas corporis aures plerique omnes admouent, fit, ut nihilo magis proficiatur, quàm si non audiretur. rectè ergo hic Dominus ait. uobis dico, qui audistis. re enim uera ingenti opus est attentione ad cælestem hanc doctrinam accipiendam, & purgatas animi aures habere oportet, si in eas hæc ueritas esse penetratura. nam terreni affectus hunc auditum obturant, ne audiri possit. quare faciendum est, quod ille Euangelicus negociator fecit, qui dum pulchras margaritas quæret, inuenta una pretiosa, uendidit omnia, quæ habuit, & emit eam. omnes enim affectus huic conferendi sunt, omnesque animi uires colligendæ, ut in hoc unum incumbatur. Sed quid dicit ihs, qui audiunt. diligite inimicos uestros, benefacite ihs, qui uos oderunt, benedicite maledicentibus uobis, & orate pro calumniantibus uos. hæc sunt propria Christianæ philosophiæ dogmata, quæ nullæ aliæ sectæ habent, & ob hanc causam in his deberemus Christiani id præstare, quod cuiusque sectæ homines faciunt, ut Platonici ea maxime tuentur, quæ peculiariter Platonis sunt dogmata, & Aristotelici Aristotelis. at hic locus, ut dixi, Christianæ philosophiæ proprius est. ubi enim, obsecro, & apud quos alios homines inuenitur, ut quis conuicijs affectus, bene precetur, maledictis laceffit, oret, si spoliatur una ueste, alteram spoliati addat, persecutionem passus decedat? cum itaque hæc peculiariter nostra sint, in ea accuratius incumbamus. Diligite inimicos uestros. & hic inimicorum appellatio ex communi usu accipitur, ut intelligantur inimici, qui lædendi animo aliquid in nos uel dicunt, uel faciunt. quod si eos amicos putamus, qui nos afficiunt beneficio, nulla habita uoluntatis, atque affectus erga nos ratione; multò magis appellare amicos deberemus eos, qui inimici uocentur, quia ij, nisi per nos stet, longè maiora bona nobis conciliant, quàm ij, qui passim uocantur amici. nam ab amicis fe-

DDD 2 re

rè temporaria commoda habemus, at inimici occasionem præbent æterni regni adipiscendi, sed nescimus miseri uera, & magna lucra agnoscere, tantum puerorum more leuia, & caduca æstimamus. accipiuntur ergo hic inimici, ut mos est scripturarum, secundum communem loquendi morem, ij uidelicet, qui inimico animo erga nos sunt, & cupiunt malè nobis facere, & hos diligere iubemur. cum enim tota hæc Euangelica philosophia dilectione constet, necesse est, ut neminem, quod ad nos pertinet, odio prosequamur, aut pro inimico habeamus. uide uerò quàm studiosè uelit Dominus id à nobis præstari. non contentus dixisse, diligite inimicos uestros, adiecit. benefacite ijs, qui nos oderunt. benedicite maledicentibus uobis, & orate pro calumniantibus uos. iubet, ut uerbis, factis, & intimis affectibus charitatem erga eos declarem, ut penè plus studeamus huic inimicorum dilectioni, quàm amicorum. nam quid addi charitati erga amicos amplius potest? atque adeo quis pro amicis tanta præstare cogitat? sed hoc præcipit in inimicorum dilectione ob rei difficultatem, quæ sensibus, & humanis affectibus admodum uidetur aduersari. sicut enim in laboribus, qui per corpus exercentur, ubi negocium est laboriosius, magis intendimus neruos, & uiros corporis, quàm ubi leue aliquid faciendum est, sic in diligendis inimicis, animi uires magis sunt intendendæ, quia maior instat labor, quàm in ulla erga amicos charitate, ad quam sponte natura inuitamur. Aliud præterea est, cur tam multa adiecerit, multi sunt enim, qui dicunt. ego inimicum non odi, nihil ei mali cupio, sed res suas agat: bene quidem ei uolo, uerum eius posthac commercio uti nolo. hic arbitratur, se inimicum diligere, neque intelligit, se multum ab eo distare, ut diligit. quare uult Dominus, ut factis ipsis amorem declarem, beneficijs quibus possumus, eos prosequamur, bene de illis loquamur, & præterea id addamus, quo necesse est significari, omnem ab radice euulsam fuisse malenoli animi suspicionem, cum scilicet pro ijs precamur, qui calumnias nobis struunt. nam ut precari quis ex animo Deum pro inimici salute possit, opus omnino est, ut purgatum ab omni simultate animum habeat. at hi tam generosi affectus, qui tamen propriè Christianorum esse deberent, non facillè in eisdem Christianis inueniuntur hoc tempore. & tam inuersa est hæc uia, ut oderimus eos, à quibus uerè, atq; ex animo amamur, qui uidelicet salutaria nobis monita dant, qui uitia nostra reprehendunt, qui curant, ut per uiam Dei ingrediamur, eiusmodi homines, quos impensè diligere deberemus, auerfamur, atque odimus, tanquam inimicos, & hostes. contra uerò, si quis nobis minister uoluptatum est, ad facetias, & risus, & iocos prouocans, si quis ad ambitionem, & querendos honores, & opes, omnium malorum occasionem, uiam nobis facit, hunc amicum arbitramur, hic charus nobis est, & eum
omni

omni charitatis affectu prosequimur, cum tamen ij uerè sint inimici: ita ab Euangelicis institutus sumus alienisimi, & illis ex diametro, ut dicitur, contrarij. Sed inuenienda aliqua uia est, & incunda ratio, qua ad id præstandum, quod hic Dominus præcipit, prouocemur, atq; inflammemur, & simus paratiores. & primum illud cogitandum est, eos, qui nos insectantur, & inimico sunt erga nos animo, infirmos esse, & grauiore morbo laborare, quàm qui egro sunt corpore, cum ea pars laboret, quæ præcipua in homine est, atque adeo quæ hominem constituit. quod si ijs, quorum corpora ægrotant, non indignamur, si etiam ipsi aliquid in causa fuerint, cur in morbum inciderint, sed operam potius damus, ut à morbo illo recreentur; aut etiam si ob mali magnitudinem interdum ab alienati animo in phrenesim incidant, & nos maledictis laceffant, & manus in nos iniicere conentur, miseremur eorum potius, quàm ut eis succenseamus; quantò magis id faciendum est, cum cernimus homines relicto mentis, & rationis usu obsequi appetitionibus, & affectus ratione carentes sequi, qui bus acti, dum uel de nobis detrahunt, uel nos insectantur, sibi met ipsis potius, quàm nobis afferunt damnum? hæc enim miseranda est phrenesis, & digna, non cui irascamur, sed cuius misereamur. meminisse præterea faciendum inter nos est, quod in corporis membris fieri cernimus. ubi enim quis aliquam corporis partem infirmam habet, tantum abest, ut illi succenseat, ut maius etiam studium ei parti adhibeat, quàm reliquis, quæ sanæ sunt. in eundem modum inimici, ut membra nostra, non modo spernendi non sunt, sed studiosius curandi. non enim ij, qui sani sunt, (ait Dominus) indigēt medico, sed qui malè habent. quis ista apud se reputans, si etiam maximum sentiat erga se inimici odium, atque insectationem, non continuo mollescat, & ad eum amandum, ac iuuandum inflectatur? quod si præterea addas id, quod multò maius est, eundem inimicum esse membrum Christi, neque, dum uiuit, desperandam esse illius salutem, & fieri posse, ut, si in illum odium, & simultates exerceas, perdas eum, pro quo Christus mortuus est; multò profectò debet hoc efficacius esse ad omnem animi molestiam deponendam, & amicos erga proximū quenq; affectus induendos. non cernimus, fieri passim solere, ut, ubi quis principi charus est, illum omnes ob principis reuerentiam obseruent, ac uenerentur? at quanti is est faciendus, quem tanti Deus fecit, ut proprio filio non pepercerit, sed pro eius salute, illum in mortem, & eam crucis tradiderit? quàm essent efficaces hæc cogitationes, si eis assuescerent homines, non modo ad tollenda odia, atque inimicitias, uerum ad ea etiam præstanda, quæ hic Dominus præcipit, ad omnem uidelicet beneuoli erga proximum quenq; animi præbendam significationem? quod ubi fieret, quid esset

esset aliud Christiana respublica, nisi quædam eius vitæ, quæ in cælo fit, representatio? quo quid beatus vel excogitari, vel optari possit? ita verum est, quod dicebat Dominus, se venisse, ut homines vitam habeant, & abundantius habeant. nam Euangelicarum legum observatio feliciter etiam in hac vita hominem facit, contraque, earum neglectus omnia mala, omnesque calamitates in mundum inuehit. unde. n. tot bella, tot cedes, tot urbium, & prouinciarum, & regnorum interitus, tot calamitates, quas admirari facilius est, quam enumerare, nisi ob eam causam, quod contemptis filij Dei præceptis, homines suas appetitiones secuti omnia confundunt, & quod magis expedire se putant, in plures se quotidie laqueos induunt? Videte uero, quam exacte uelit Dominus, hanc partem, de qua loquimur, præstari à nobis, & quam alieni ab ijs factis sint nostri mores. quis putasset, addi aliud potuisse ad superiora de diligendis inimicis monita, cum dictum est, ut diligantur, ut benignè osoribus nostris faciamus, benedicamus maledicentibus, & oremus pro calumniantibus? & tamen intueri, quid adhuc addat. Percutienti te in maxillam, præbe & alteram. & ab eo, qui auferit tibi pallium, etiam tunicam noli prohibere. his uerbis significatio fit, uelle Dominum, nos hanc partem exquisitissime implere, ut regnum cælorum liceat adipisci. huc enim pertinet, quod apud Matthæum legitur. nisi abundauerit iustitia uestra plus, quam scribarum, & pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Percutienti (inquit) te in maxillam, præbe & alteram hæc obseruanda ab ijs essent, qui, cum Christum confiteantur, rem tamen gloriosam arbitrantur retaliationem. contra uero, rem plenam ignominie, pati se iniuriam affici. quin probrosum putant, nisi maiorem, quam ab hoste acceperunt, iniuriam reponant. pro uerbo alapam, pro alapa uulnus inquit reddi oportere. quantum uero isti à spe adipiscendi huius regni sint alieni iudicandi, uel ex uno illo liquet. cum enim uetus lex dicat, reddendam esse animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, aduersionem pro aduersione, uulnus pro uulnere, liuorem pro liuore; permittit quidem tantundem pœnæ exigi posse: cum uero Dominus dicat, oportere, eius, qui regnum ingredi uelit, iustitiam esse maiorem, isti uero minorem etiam iustitiam præstent, quam uetus lex inbeat, atque adeo contra ipsam iustitiam ueteris legis faciant; tute cogita, quænam eorum salutis spes reliqua sit. hi autem tam crassi errores iccirco accidunt, quod ad Euangelica præcepta non accurrunt homines, quoties humanis commouentur perturbatio nibus. quod contra præcipitur. dictum enim fuit ipsi Iosue. non recedat uolumen legis huius ab ore tuo, sed meditaaberis in eo diebus, ac noctibus, ut custodias, & facias omnia, quæ scripta sunt in eo, tunc diriges uiam tuam, & intelliges eam, non declines à uerbis legis huius

ad

ad dexteram, uel ad sinistram, ut intelligas cuncta, quæ agis. cernis, ut, qui cunque aberrare à recto itinere non uult, ei habenda semper præmanibus sit Diuina lex? idem ipsum toti populo præceptum fuit. erit (inquit) quasi signum in manu tua, & quasi monumentum ante oculos tuos. & ut lex Domini semper sit in ore tuo. & alibi. leges uerba legis huius coram omni Israel, audientibus eis, & in unum omnipopulo congregato, tam uiris, quam mulieribus, paruulis, & aduenis, qui sunt intra portas tuas. ut audientes discant, & timeant Dominum Deum uestrum, & custodiant, impleantque omnes sermones legis huius. uult item alio loco, ut sedentes in domo, ambulantes in uia, accumbentes, surgentes de his loquerentur, & scriberent ea super postes, & ianuas domus. quod si ueteri legi tantam adhiberi reuerentiam iubet, ac tantum studium; quid in Euangelio non esset faciendum, cuius cœlestia præcepta assequi nemo potest, nisi qui purgatissimam mentem sit adeptus? at purgandæ mentis unum, præcipuumque remedium est, meditari in lege Domini die, ac nocte. mandatum enim lucerna est, (ait Salomon) & lux, & hanc lucem cœlestis quidam calor comitatur, qui uitiosos omnes humores conuocare consueuit, ut purificatus homo Dei, cœlesti huic philosophiæ percipiendæ, ueluti speculum mundum, aptus fiat. si ergo ad hanc lucem frequentius accederemus, non essent in Christiano orbe tam densæ tenebræ, quæ illum ita occuparunt, ut plerique omnes, quamuis Christum confiteantur, uel hæc documenta ignorent, uel certè negligent, ac penè rideant. Percutienti te in maxillam, præbe & alteram. hoc non simpliciter intelligendum est, ut scilicet, ubi alapam in una maxilla acceperimus, obuertamus percutienti & alteram, petamusque, ut repetat percussione, sed uult, ut in illa priore percussione ita tranquillo simus animo, ut parati simus repetitam alapam accipere. quod ita esse intelligendum, Seruator ipse factus docuit. cum enim ante pontificem uinctus staret, atque unus è ministris pontificis dedisset alapam Iesu, paratus quidem erat omnem iniuriam perpeti, quemadmodum factis ipsis declarauit, sed non porrexit alteram maxillam percutiendam. quin potius admonuit percutientem sui erroris, quæ docendi ratio non minorem præ se charitatem erga hostem tulit, quam si maxillam obtulisset, atque adeo hoc fuit maius, docere inimicum, & sui iniquè facti admonere. sic quod sequitur. & ab eo, qui auferit tibi pallium, etiam tunicam noli prohibere. declarat, in eundem modum intelligendum esse, quod in Matthæo legitur. ei, qui te uelit in ius trahere, ac tunicam tuam tollere, permittit illi & pallium, id est, patere, ut etiam pallium auferat. at uero quam sunt ab his cœlestibus documentis alieni, qui per totam uitam litibus, & contentionibus ob exiguam pecuniam operantur? qui

tan-

tantum abest, ut sua auferri sibi patiantur, ut etiam aliena habere quaerant? & hæc maxima Christianorum turba est. iubet & Paulus, ut Christiani, qui fratres inter sese agnoscere se debent, damnum potius rerum patiantur, quam lites inter eos audiantur, & tamen neque Euangelicis, neque apostolicis admonitionibus aures uolumus accommodare. Omni autem exigenti abs te, tribue, & ab eo, qui aufert, quæ tua sunt, ne repossas. Pluribus modis, atque à pluribus hominum generibus res nostræ nobis auferuntur. inter hos sunt ij, qui in nos dominantur, qui cum esse deberent subiectorum ueluti parentes, ac defensores, tyrannidem potius in eos exercent, continuisque exactionibus illos expilant. de ijs loqui uidetur, cum ait. omni exigenti abs te, tribue. admonens, ut æquo animo iniquas illas exactiones feramus, conseruandæ charitatis gratia. hæc enim omnia ob hanc causam præcipiuntur, & horum finis est tranquillitas, & pax, charitatis custodes, ac comites, quæ cum adest, omnia bona secum afferre consuevit, cum autem deest, in medijs opibus, & in maximis facultatibus miseriam homines uitam agunt. quid enim, obsecro te, iuuat, arcam habere auro, atque argento plenam, agros, uineas, oliueta, magna palatia, & quicquid opum optare quis potest, & continuis odijs laborare, exercere simulates, litibus, disfidijsque per totam uitam operam dare? non ne præstaret inopem uitam sine illis turbis agere? quod Salomon intelligens aiebat. melior est bucella sicca cum gaudio, quam domus plena uictimis cum iurgio. rectè ergo hic Dominus, ut pacatū animum habeamus, admonet, ut auferenti pallium etiam tunicam ne prohibeamus, & exigenti tribuamus. ac demum omnia complectens addit, & ab eo, qui aufert, quæ tua sunt, ne repossas. uide quanti faciat charitatem, ut ob eam seruandam non solum nolit, ut in iudicium trahamus fratrem nostrum, seu quemlibet aduersarium, sed etiam uelit ablata non repossas, ne in illa postulatione ex uerbis ultro, citroque prolatis, disfidij occasio oriatur. Quid uerò mirum est, si tanti Seruator Christus faciat charitatem, cum Deus ipse, quo nihil maius est, charitas sit, & cœlestis illa respublica tota charitate constet? quare merito Paulus, cum charitatis maiestatem uellet declarare, dixit, eam tanti esse, ut ea, quæ maxima, atque admirabilissima uideri possent, nihil sint, si charitate sint destituta. ut satèdum sit, uel solam charitatem censendam esse magnam, uel siquid aliud magnum existimandum est, illud ex charitatis commercio assequi magnitudinem. sic enim mecum cogita. quantus ab omnibus existimaretur is, qui omnium gentium linguas calleret? magnus profectò, atque admirandus, & cæteris hominibus antecellens, cum nemo unquam fuerit reperitus, qui omnium hominum linguas sit assecutus. quòd si præterea accideret, ut prophetiam haberet, nossetque mysteria omnia, & omni scien-

tia

tia esset præditus, & præter hæc claresceret miraculis, ut montes loco dimoueret, hunc supra hominem, & nescio quid Diuinum in se habere iudicaremus. & tamen uide, quid Paulus dicat, & quanti charitatem præ ijs omnibus faciat. si linguis (inquit) hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum uelut æs resonans, aut cymbalum tinniens. mira uerba. arbitratur eum, qui non modo hominum linguas, sed etiam angelorum calleat, si sine charitate sit, nihil distare à cymbalo, ac resonanti ære, quæ sensu carent. sic quod sequitur. & si habeam prophetiam, & nouerim mysteria omnia, omnemque scientiam, & si habeam omnem fidem adeo, ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. tam magna, & admiranda dona, nihil prorsus arbitratur, si desit charitas. si enim dixisset, ista quidem magna sunt, uerum sine charitate parum proficiunt, multum in charitatis commendationem dixisset: uerum cum ista tam ingentia pro nihilo putet præ charitate, ostendit, solam charitatem esse plurimi faciendam. Quid? quòd sola, etiam in hac uita, felices homines facere idonea est? sicut enim sine illa hominum uita plena miseriarum est, sic, ubi ipsa adest, omnia tranquilla sunt, ac plena lætitiæ. qui enim illam habet, ea omnia adeptus est, quæ Paulus enumerat, cum ait. charitas patiens est, benigna est, charitas non inuidet, charitas non est proca, non inflatur, non est fastidiosa, non querit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet de iniustitia, sed congaudet ueritati. omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. has partes quisquis sit assecutus, quid eius uita ab ea, quæ in cœlo agitur, differt? ibi summa tranquillitas est, hic eadem tranquillitate fruitor. ubi enim ab aliquo facescitur illi negocium, longanimitate, ac tolerantia omnem superat molestiam, benignè etiam remittit iniuriam: quæ duo bona cum ad sunt, omnia à proximo quoque irrogata mala, & eorum sensus perinde extinguuntur, ut cum multitudine aque uis flammæ opprimitur. ubi cernit quempiam plus commodorum huius uitæ habere, quam se, non solum non inuidet, sed gaudet, ac gratulatur. quidni enim hoc faciat, cum hic audieris ex Paulo, charitatem non quære re, quæ sua sunt, sed semper in proximorum commodis esse occupatam? quæ res si tibi uideatur parum possibilis, cogita, non modo parentes, uerum & alios, qui uehementer quempiam ament, & ei summo opere sint affecti, id præstare, & tunc bene se habere opinari, cum bene, atque accurate eis inseruierint. In sola ergo Christianæ philosophiæ exercitatione, arbitremur nos posse conuiescere, & tranquillitatem inuenire: in hanc ubi nos serid, atque ex animo dederimus, omnem perturbationem, qua plena est uita nostra, superabimus. non enim tumultus isti in causa sunt, cur malè habeamus, sed quia, cum possumus eos per hanc philoso-

EEE

phiam

phiam lenire, ac sine tristitia ferre, hoc facere negligimus, & ob hanc causam perturbato animo totam uitam degimus. & hic quidem paupertatem, ille verò morbum deslet, alius curarum pondus, & domus gubernationem, alius filiorum educationem, alius quòd liberis careat. contemplare uerò insignem hominum stultitiam, non enim eisdem in rebus, sed in contrarijs æquè omnes lamentantur. & sanè si rerum natura nobis querelarum causa esset, non oporteret in contrarijs æquè dolere. uerum, si paupertas res mala est, & non ferenda, decebat, eum, qui in diuitijs uitam agit, nūquam at̄ici dolore, & si carere liberis, malum est, consentaneum erat, eum, qui multos habeat filios, delectari, & gaudere. rursus si rerum publicarum administratio, & frui honoribus, & multos habere subiectos, res est, cui inuidere quis possit; oportebat uitam, quæ sine negocijs, & tranquillè agitur, esse fugiendam, & ab omnibus hominibus odio haberi. nunc uerò, cum cernas, diuites æquè atque pauperes dolere, atque adeo frequentius hoc diuitibus, quàm pauperibus accidere, & eum, qui in imperio est collocatus, & eum, qui subiectus est, item qui multorum filiorum pater est, & qui liberis caret, non res ipsas accusamus, sed eos, qui, cū possint rectè his omnibus uti, ac seipsos omni molestia liberare, id præstare negligunt. nam, quòd quis tumultus, ac turbas patiat, non est in causa harum rerum temeritas, & casuum uarietas, sed nos, nostræque cogitationes, quæ si rectè nobis instructæ essent, quamuis infiniti undique in surgerent fluctus, in tranquillitate, & portu continuè quiesceremus, esset enim illa domus, quæ fundata est supra petram, quæ neque pluuia uis, neque fluminum appulsus, neque uentorum impetus concutere potuerunt. contra uerò, cum mens non bene habet, si etià secundo cursu omnia nobis ferrètur, nihilò melius affecti sumus, quàm ij, qui naufragio agitantur. idem est etiam in corporibus cernere. nā qui robustum, ac bene constitutum corpus habet, quāuis cum mille cœli inæqualitatibus, & quāuis intēperie pugnet, non modo nihil patietur molestiæ, sed etiam additamentū roboris, ex illa exercitatione, & consuetudine cū ea intēperie accipiet. si uerò imbecillum corpus habuerit, ac desuens, quāuis optima aeris tēperie fruatur, nihil ei amplius ex ea cœli bonitate accedet, dū interior infirmitas omni aeri benignitati officit. idē ipsum & in cibus uidemus. cū enim robustus, ac sanus stomachus est, quicquid in se recipit, quāuis durū, quāuis crudū, & inelaboratū, id in optimū succum cōuertitur, dū naturalis tēperatura superat vitium, quod in cibo est. cum uerò stomachi constantia soluta est, & laxa, quodcūque edulium optimi etiam succi adhibeas, in pessimum, corruptumq; alimentū uertitur, quia imbecillitas uirtutē eius perdit. sic sanè & nos, si bene cōpositā mentem habuerimus, fiet, quod ait Paulus. diligentibus Deum omnia cooperātur

in

in bonum. at ubi illa defuerit compositio, omnia uidebuntur plena turbationis, accidetque, quod usu euenit ijs, qui uertiginem patiuntur, quibus uidentur omnia rotari, atque circumagi, quāuis immota stent, omnia autem tranquilla erunt, si (ut eò, unde sumus digressi, reuertamur) ea iaciamus charitatis fundamenta, quæ Dominus nos hic admonet. sed uideamus, quæ sequuntur. Et prout uultis, ut faciant uobis homines, vos quoque facite illis similiter. Pulchra Christianæ uitæ regula, quæ si ante oculos semper haberetur, nunquam de via aberrarem, neque à charitatis semita unquam deflecterem. contemplare ipse, quid ab alijs postules tibi fieri, & continuo doctus eris, quate pacto cum proximo quoque geras. optares, ut, cum aliqua perturbatio animum tuum commouet, atque in contumelias aduersus aliquos erumpis, ille, què offendis, cogitaret, nō posse homines semper eodē uultu, eodēque affectu esse, bilem in stomacho excitatā nō omnes ex equo posse, aut certe scire moderari. ingruētes molestias, multiplicesque perturbaciones solere etiā sapientes de gradu suo dimouere, homines non semper sapere, non semper animū tāquā arcum intentū habere, irrepere nobis imprudentibus, & aliud cogitantibus vitiosos affectus. hæc eadē & tu cogita, cū ob eadē humanas perturbaciones aliquid iniuriæ ab aduersarijs pateris, eadem præsta, eosdē indue affectus, & mox & ipse qui catus eris, & pacandi aduersarij optima hæc erunt instrumenta, atque instauranda charitatis. cum enim is, qui te contumelia, aut aliquo damno affectu, animaduernerit, te ita egregiè philosophari, admirabitur excelsum animum, ac philosophari etiam ipse discet. Magnam uim habet cōmunis naturæ contemplatio, atque ex se metiri alios, & ex suis necessitatibus discere aliorū misereri. & ob hanc causam prodest interdum aliqua pati, ut discamus aliorum indigentij subuenire. quare quidam sapiens aiebat. homo indigens misericors est. dum scilicet suam egestatem experius discit alienam calamitatem miserari. sic cum Deus adhortaretur Israelitas, ut aduenis benè uterentur, dixit recordare, quòd & tu aduenā fueris in terra Aegpti. Prout uultis, ut faciant uobis homines, uos quoque facite illis similiter. hæc sententia esset auaris sæpius commemoranda, qui nunquam nisi de se, suisque commodis cogitant, qui si hæc uerba accuratè contemplarentur, intelligerent, quanto in errore versentur. nunquam satiantur pecunijs, coniungunt domum domui, & agrum agro copulant, dum interea infinita hominum multitudo fame, siti, frigore, & omnium rerum egestate laborant. deberent ergo ij diuites reputare intra se, quid ipsi, si in ea indigentia uersarentur, fieri optarent sibi. neque enim uno obolo contenti essent, aut frusto panis, sed optarent sibi succurri pane, uino, carnibus, neste, lare,

E E E 2 omn.

omnibus denique, quæ alendo corpori, & vitæ commodè agenda sunt necessaria. idem ergo, quod sibi optarent fieri, si egerent, præstare debent indigentibus liberaliter. sed nunquam ad hæc cœlestia documenta attolunt animos, & iccirco nihil ab ethnicis, & ijs, qui Deum ignorabant, omnino distant, nisi quod tantò illis sunt deteriores, quantò sceleratius est, in tanta Euangelicæ ueritatis luce, in tam densis uersari tenebris. hæc cernimus passim inter Christianos tam absurda fieri, & nemo miratur, nemo curat tam monstrosos errores è medio tollere. Hæc sententia esset à principibus etiam, & ijs, quicumque alijs præsumunt, obseruanda, ut ita se erga subiectos gerant, quemadmodum ipsi, si subiecti essent, tractari à suis principibus uellent. hoc si cogitarent, non sua, sed subiectorum comoda quærerent, & in pastorum morem pascerent eos, non deuorarent. pastores enim se agnoscerent, ac patres, & patrum officio fungerentur, qui filiorum salutis magis studiosi sunt, quam suæ. Prout uultis, ut faciant uobis homines, uos quoque facite illis similiter. in hac sententia clauditur illa, quæ per negationem profertur, quæ admonet, ut quod quis nollet sibi fieri, alteri ne faciat. nolles tibi iniuriam fieri, nolles damno affici, nolles, ut tyrannicè quis tibi dominaretur? ab eisdem & tu abstineto. sed magis apposita est ea, quam hic Dominus per affirmationem posuit, non solum quia complectitur ipsam negationem, qui enim præstat alijs, quæ sibi optaret, necessariò à contrarijs abstinet, uerum etiam quia in factis uersari debet Christiani hominis uita, non tantum in cessatione malorum. quare, cum propheta dixisset, declina à malo, non hoc contentus fuit, sed adiecit, & fac bonum. Et, si diligitis eos, qui uos diligunt, quæ uobis est gratia? nam & peccatores eos diligunt, à quibus diliguntur. & si benefeceritis ijs, qui uobis benefaciunt, quæ uobis est gratia? siquidem & peccatores hoc faciunt. & si mutuum dederitis ijs, à quibus speratis uos recepturos, quæ gratia est uobis? nam & peccatores peccatoribus dant mutuum, ut recipiant paria. Meminisse oportet hic, quod alibi dixit Dominus. regnum cœlorum uini patitur, & uiolenti rapiunt illud. uirtute acquiritur hoc regnum, & ea absolutissima. uirtutem uerò circa difficilia uersari, etiam externi philosophi restantur. cum uerò quis ea facit, ad que sponte naturæ inuitatur, & que nisi faceret, uideretur ei potius graue, ne humanis quidem legibus præmio dignus existimatur. nam qui liberos habet, aut aliquem amicum, quem summa charitate prosequatur, si quis prohiberet, ne eos amaret, ne ue illis benignè faceret, hoc illi esset multò molestissimum. itaq; si eos diligit, ac beneficijs prosequitur, non hoc studio uirtutis facit, sed ipsa exstimulante natura, cuius motus si uirtutem se cum haberent, etiam bruta animatia uirtute essent prædita, quod nequam est uerum. oportet ergo, ut, siquid laude dignum, & tanto præmio,

mio, quantum Euangelica prædicatio pollicetur, facturi sumus, illud non arrideat sensibus, & illis affectibus, qui cum brutis animantibus communes sunt, sed potius eis aduersetur, & rationem, qua præditus est, sequatur, quæ dum cum sensibus pugnat, (nam caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem) & eos superat, coronam adipiscitur, quæ legitime certantibus datur. non enim coronabitur (inquit) nisi qui legitime certauerit. & quidem semper certandum est, & tota uita nostra tempus est pugnæ. nam rectè uir quidam pius dixit. uelis, nolis, intra fines tuos habitat Iebusæus, subiugari potest, sed non exterminari. certandum inquam semper est, & continua cum mundo, & carne, & Diabolo habenda lucta: sed id lucratur, quòd illa animi exercitatio robustiorem quotidie hominem reddit, hostesque imbecilliores, ut quod prius grauisimum, difficillimumq; uidebatur, post fiat assuetudine etiam delectabile. sicut enim, ubi quis à uirtute in uitium defleuit, primum conscientie stimulis actus, aliquid sentit molestiæ, processu temporis, si assuescat, iudicabit non adeo graue, paulò post & leue sentiet, paulò post, nec sentiet, paulò post etiam delectabit; ita paulatim in cordis duritiem itur, & ex ea in auersionem. sic contra cum se homo à uitijs ad uirtutes transfert, eisdem gradibus fertur, ut primum difficultatem quandam sentiat, deinde uirtutis consuetudine ita progrediatur, ut dilatato corde dicat cum propheta. uiam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum, & uoluptatem potius in illa exercitatioe, quam molestiam sentiat. Sed dicet aliquis (nam expertus sum hæc dubitationes quorundam animos interdundum inuadere, & ob hanc causam iudicauit aliquid hac de re esse dicendum) si conatus, & lucta, & in ea labor in causa est, cur uirtus acquiratur, quò minorem quis laborem in rectè factis sentit, eò minor illa uirtus erit. ut, qui lasciuiam carnis ita subegit, ut summa cum uoluptate uirginitatem, castitatemque exerceat, minori præmio sit dignus, quam is, qui recens incipiat carnis motibus obsistere, cum minorem sentiat pugnam. & qui liberalitate iandudum uti assueuerit, eaq; delectetur, inferiori merito sit, quam is, cuius adhuc animus minus affectus sit liberalitati, cui operam quidem det, sed adhuc pugnantem contrarios affectus sentiat. sed non ita est. nam sicut is, què dudum dicebam paulatim in uitia deflexisse, non excusatur propterea, quòd in eam cordis duritiem uenerit, ut iam non sentiat, quæ peccat, quia in id suo uitio, & longa peccandi consuetudine prolapsus est; sic qui longa in uirtutes, & rectè facta consuetudine ita composuit animum, ut peccare molestum ei sit, & uirtutes exercere incundissimum, non solum non minus laudis mereatur, quam ille, qui cum labore hoc facit, sed plus etiam, quia multis sudoribus tantum gradum est assecutus, quos sudores nondum ille adhibuit,

buit, qui hanc in recte factis alacritatem non sentit. quod in corporea milita est animaduertere, in qua ueterani milites, & multis, longisq; laboribus afflueti, grauiore labores facilius, ac penè cum uoluptate ferunt, quam neoptolemi. at tamen quis nesciat, hosce ueteranos plus gloriae, ac laudis mereri propterea, quod superiores acti labores, longiorq; in eis exercitatio, eum uitæ statum illis cõparauerunt? Si diligitis eos, qui uos diligunt, quæ uobis est gratia? quare? quia & peccatores eos diligunt, à quibus diliguntur. qui hic uocantur peccatores, apud Matthæum appellantur publicani, qui & ipsi numero peccatorum habebantur, cum terrenis lucris, & iniquis sæpe exactionibus toti incumberent. si dilexeritis (inquit) eos, qui diligunt uos, quod præmium habetis? (quod in Luca dicitur, quæ uobis est gratia) non ne & publicani idem faciunt? ut sit sensus, præmium cœlestis regni datur iustis, nõ peccatoribus. quòd si nihil aliud præstatis, quàm id, quòd publicani, & peccatores facere sponte naturæ cõsueuerunt, quid expectandum uobis est præmij? nam facta, quæ æterno regno digna esse debent, oportet, ut ex Deo pendeant, non ex humanis affectibus, fiantque, ut Diuinis præceptis obtemperetur, non ut nostris appetitionibus obsequamur. at ubi diligimus diligentes, & benefactoribus benefacimus, & mutuum damus ijs, à quibus speramus rependendâ esse uicissitudinem, non est expectanda a Deo merces, cum non eius cõtèplatione id faciamus. hoc multi non obseruât, qui facturi eleemosynâ, & usuri aliqua in pauperes benignitate, affectû carnis plerumque magis sequuntur, quàm pietatis, dum cognatis, & amicis tribuunt, quos egere arbitrantur, & interdum egent, sed longè minus, quàm alij multi, qui sæpe inedia conficiuntur, sed eos prætermittunt, quia nulla sibi uel cognatione, uel amicitia coniuncti sunt, & minus egentibus ob humanum affectum impertiuntur, tamq; stupidi sunt (nam id sæpe experimur) ut nihil hunc errorem intelligant, sed certè sibi persuadeant, se solius dei cõtèplatione ea præbere, in quibus tamen plus carnis, quàm diuini amoris esse deprehenditur. Et, si mutuum dederitis ijs, à quibus speratis uos recepturos, quæ gratia est uobis? nam & peccatores peccatoribus dant mutuum, ut recipiant paria. & hoc eodem spectat, ut scilicet commoda, quæ præbere proximo cuique uolumus, ita præstemus, ut uicissitudinem, ac remunerationem ab eis non speremus. hæc enim est maxima iactura, pro temporaria remuneratione æternâ amittere. & hoc est, quod alio loco admonet Dominus, cum ait. cum facis prandium, aut cenam, noli uocare amicos tuos, neq; fratres tuos, neq; cognatos, neq; uicinos diuites, ne forte & ipsi te uicissim inuitent, & fiat tibi retributio. sed cum facis conuiuium, uoca pauperes, debiles claudos, & cæcos, & beatus eris, quia non possunt retribuere tibi. retribuetur enim tibi in resurrectione

ctione iustorû. sed nesciunt homines nisi parua sectari, & cõuiuia faciunt, & cõmodât, & seruiūt ijs, à quibus aliquid se tẽporarij cõmodi sperant cõsecuturos, neq; damnum cogitant, quòd faciunt, si. n. ista præstaret egenis, & fratribus Christi, thesauros sibi æternos in cœlo cõpararent, dum uerò hoc umbræ somniû duntaxat cõtèplantur, fit, ut & uera, ac magna bona amittant, & plerumq; eo, quod hic sperant, fraudentur, dum non eis par beneuolentia, aut etiam pro beneuolentiâ ingratitudo rependitur: nihil enim minus fidendum est, quàm hominum gratitudinî, ut recte propheta dixerit, maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnè brachium suum. Quinimmo diligite inimicos uestros, & benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes, & erit merces uestra multa. Conclusio est superiorum uerborum, sed hæc repetitio uim quandam habet, qua significat Dominus, uelle se, ut hæc documenta bene penitus nostris animis inhæreant. quem repetit, ut inimicos nostros diligamus, bene eis faciamus, mutuû demus, nihil inde sperantes, ab hominibus. s. ut copiosam mercedè inde à Deo accipiamus, iccirco adiecit. & erit merces uestra multa, nepe æterna, atq; infinita. faciendū autè hic à nobis esset, quod fœneratores faciunt, nã, cum pecuniâ ad usurâ dant, non curant eam cito repetere, cû sciant, quòd diutius in debitorum manibus est, semper fœnus augetur, quòd si eâ citò repeterent, minus facerent lucri. sic nos, si mercedis retributionè ad diem usq; resurrectionis iustorum differamus, fœnus maximum referemus, si uerò celerare hanc retributionem impatientes moræ uelimus, ingentia faciemus damna. sed quod sequitur, summa est attentione, atq; obseruatione dignû. Et eritis (inquit) filij altissimi, quia ipse benignus est erga ingratos, & malos. Quis non ad hæc præstanda animum, tam admiranda dignitate proposita? quid maius, ac felicius accidere homini potest, quàm filiû altissimi fieri? quis uestrum nõ omnes facultates profunderet, si ex ea profusione certò sciret, se regis cuiuspiâ filiû euasurum? ut uerò euadamus filij Dei, nõ saltè bonorum nostrorum partè aliquâ secundû hæc Euangelica præcepta impendemus? hæc cogitatio inflammare nos deberet, ut neminè tam ingrati, ac perditû uideamus, in què nõ libeat exercere misericordiâ, cû hæc sit cœlestis patris imitatio, ut sitis (inquit) filij patris uestri, qui in cœlis est, qui solè suû oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. nostis oës, quâti facere hoies soleat, & quàm gloriosam ré arbitrètur, imitari maximorû, atq; optimorû principû mores, qui si illa imitatione sperarèt, se in eorû filios adoptados, multò alacrius id, studiosiusq; præstaret. at imitatio Dei, quo nihil maius est, quæ præterea filios ipsius Dei efficit, quâti est faciendâ? ad hoc ipsum adhortabatur & Paulus, cum dicebat. imitatores Dei estote, sicut filij charissimi. at quo pacto? & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit

tradidit semet ipsum pro nobis oblationem, ac victimam Deo in odorem suauitatis. Filius ipse Dei, qui bonorum nostrorum non eget, sola tamen charitate, cum præterea essemus inimici, & eum innumeris iniurijs affecissemus, seruandi nostri gratia, cum nihil ei ex hoc accederet comodi, tanta passus est. nos, qui non solum Deo, & Christo eius indigemus, sed omnibus hominibus, & ipsis inimicis fieri potest ut egeamus, si non ob amorē, certē ob necessitatem non ea præstabimus, quæ hic utilitatis nostræ gratia admonemur? sed melius est, ut in hæc, non uelut mercenarii, sed potius tanquam ingenui filii, ut tanti patris simus imitatores, generosè incumbamus. quod rursus ipse Dominus hic admonet, ubi concludens ait. Estote ergo misericordes, sicut & pater uester misericors est. misericordiam appellat, cum ignoscit quis inimicis, benigneque illis facit. hæc enim quisque libentius facit, cum communis conditionis memor, quodque omnes homines sumus, id est, uariis obnoxii affectibus, & animi perturbationibus, aliorum etiam infirmitatis miseretur. quod qui nõ faciunt, maximam præ se immanitatem, ac feritatem ferunt. cū enim interdum ipsi grauius offendant, ac peccent, nolle uel una hac contemplatione alterius erratis ignoscere, hominis profectò est, qui ratione uti negligat. cœlestis pater nulla necessitate, nullo debito, sed sola benignitate permouetur ad exercendam erga nos misericordiam, qui, si ei conferamur, formicæ, ac pulices, atque adeo minus quàm nihil sumus: nos, qui omnium egere possumus, qui multorum scelerum conscii nobis sumus, ipsos naturæ nostræ consortes, qui plerunque minus quàm nos peccauerunt, auersamur. cernas enim plerosque ob leuem offensusculam exca descere in proximum quenque, & acerba odia exercere: ita ab Euangelicis moribus abhorrent. qui si cogitarent, se eos esse, qui decem millium talentorum suo Domino sunt debitores, conseruum uerò suum debere illis centum denarios duntaxat, non tam acerbi essent proximi cuiusque uel exactores, uel censores. alioqui meminissent, se audituros esse, serue male, omne debitum remisisti tibi propterea, quod rogasti me, nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui milertus sum? metuant illum carcerem, & extremas tenebras, in quas eiusmodi homines sunt coniciendi, & exigendum ab illis uniuersum debitum. Quare, cum unusquisque nostrum multò maiore misericordia Dei egeat, quàm proximi nostri nostra, ne pigeat exiguum præbere; ut multò maximum assequamur. beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. quod si temporariis in rebus ita prudentes sumus, ut, ubi maius speratur lucrum, non expectemus, dum à nobis postuletur, sed ultro offeramus; quæ est ista supinitas, non multò esse prudentiorem, ubi æternitas agit, & lucrum sempiternum? Hæc cogitantes, tam salutaria monita alacri

alacri animo amplectamur, quæ tam ingens merces comitatur. multò uerò id libentius (si quid generosi pectoris in nobis reperitur) præstandum est, ut euadamus filij altissimi, & cœlestis patris simus imitatores. hoc maxime omnium exstimulare nos debet ad omnia ea facienda, quæ hic ex Euangelio audiimus dicta à Seruatore nostro Domino Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & potestas, & imperium in omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO TRIGESIMASEXTA.



NOLITE iudicare, & non iudicabimini. nolite condemnare, & non condemnabimini. Admonet hic Seruator rei, quæ si caueatur, maximam affert hominibus utilitatem, neglecta uerò ingentium malorum occasionem præbet. hoc autem eò diligentius obseruandū est, quod hic admonemur, quò facilius homines in hoc uitium delabuntur imprudentes, dum rebus suis neglectis aliena obseruant, quæ ad se non pertinent. & hoc sanè perditum est animi iudicium, ac supini, reperiasque eos, qui hoc morbo laborant, ferè ociosos esse, & incogitantes, & nihil homine dignum animo uersantes, sed qui hoc uno delectentur, ut quemlibet taxent, ac mordeant, & proximi cuiusque facta prauè interpretentur. hic autem error ex eò proficiscitur, quod deest illis charitas, quam Paulus dicit malum non cogitare, hoc uitium optimis quibusque factis est impedimento. cum enim quis in malam partem accipit, quæ sua natura bona sunt, nulla utilitas sequi potest, sed damna potius, & grauiora peccata. uidete enim, quid acciderit Iudeis ob temeraria; & falsa iudicia. cum enim Seruator Christus diuina signa ederet, quæ nemo unquam fecisset, quæque; inuitare omnes debuissent, ut in eum crederent, illi omnia peruersè interpretabantur, dicebantque; eum in Beelzebub principe Dæmoniorum eijcere Dæmonia. uocabant Samaritanum, ac Dæmoniū habentem, quibus iudicij excæcati, non solum ex eius prædicatione nihil profecerunt, uerum etiam & seipsos, & suam gentem perdiderunt, neque profuit, quod eos huius erroris admoneret, ac diceret. nolite secundum faciem iudicare, sed iustum iudicium iudicate. antiquum est hoc malum, & ab ipso humani generis hoste excogitatum, qui hoc instrumento usus

fuit ad perdendū hominē. cum enim persuadere vellet mulierī, ut comederet de vetito ligno, ad calumnias se cōuertit, quasi Deus prohibuisset esum illū ob inuidiā, ne videlicet fierent sicut Dij. hoc vitium & Paulus reprehēdit ad Romanos scribēs, cum de ciborū vsu loqueretur. tu quis es, (inquit) qui indicas alienū seruū? Domino suo stat, aut cadit, id est, iudicio Domini relinquendū est iudiciū, quo quis animo quid faciat. is enim solus est scrutator cordiū. quōd si homo alterius hominis seruum taxare ueretur, quātō magis id cauendū est in ijs, quæ ad solius Dei iudiciū debent pertinere? quare faciamus, quod idē Paulus admonet Corinthios. nolite (inquiēs) ante tēpus iudicare, quoad usq; ueniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarū, & manifestabit cōsilia cordiū, & ad Romanos de eisdē iudicijs loquēs ait. oēs stabimus ante tribunal Christi. & hoc sanē singulare est remediū ijs, qui falsis aliorū iudicijs premuntur, ad illud tēpus oculos referre, quo rerū veritas patefacta erit. quod tēpus cū cogitaret apostolus, praua illa iudicia, p̄ nihilo putabat, dicebatq;: mihi aut̄ pro minimo est, ut à vobis iudicer. aut ab humano die, sed neq; meipsum iudico, nihil enī mihi cōsciū sum, sed nō in hoc iustificatus sum, qui autē iudicat me, Dominus est. alioqui molestissimū est id genus hominū, ut quidā externus, dixerit, se nihil minus ferre, quā seueritatē ociosorū. sed cū recorderamur, fore, ut paulō post detegendæ sint oēs calumniæ, oīa æquo animo toleramus. quis enim nostrū plurimū faceret, si hodie quod rectē fecisset, tota ciuitas falsa interpretatione calūniaretur, si certō sciret, cras omnes eiusmodi calumnias esse cōsutas? at tota hæc uita, si cū futura conferatur, nō est vnus dies. mille anni (inquit) ante oculos tuos, tāquā dies hesternæ, quæ p̄terijt. pulchrē dictū. cū enim ostēdere, uellet momentaneū esse hoc uitæ spatiū, & potius tāquā nihil, non fuit cōtentus dixisse, tāquā dies vnus, sed adiecit, tāquā dies hesternæ. & quasi metuens, ne nō satis itelligeretur, qd illo uocabulo accipi uellet, rursus addidit, quæ p̄terijt, id est, quæ iam nō extat. inuabit & illud, quod eodē loco ait apostolus, se nō audere seipsum iudicare, & quāuis nullius rei sibi cōsciū esset, nō tamē iccirco se esse iustificatū. hæc cogitatio efficit, ut se animus colligat, neque sibi fidat, ne reaturque, nequid ignorās peccauerit, quo dignus sit, hominū iudicijs exagitari. si enim Paulus ille, uas electū, ille, qui ad tertiū usque cælū, atq; in paradysum raptus fuerat, nō sibi fidebat, sed iudiciū de se Deo permittebat, quid nobis faciendū est, qui multis omni ex parte scatemus erroribus? quos si attendamus, erimus & magis patietes, cum ab alijs iudicamur, & in iudicandis alijs multo modestiores. quōd si ne nosmetipsos quidē iudicare idonei sumus, non ne semper temerariū est, de aliorū factis, ac dictis iudicare? cū scriptū sit, nemo scit, quid sit in homine, nisi spiritus hominis, qui est in ipso. at hoc vitium in hac ciuitate frequēs admodū est, & omnes

oēs ferē eo laborāt. quæ res odiorū, & inimicitiarū est ueluti quoddā femi nariū. neq; solū iudicatis facta, quæ aliquid habere p̄fectionis possunt, sed ea, quæ sua natura bona sunt, falsa interpretatione maculare, atq; inuertere conamini. quid? quōd nō facta solū, sed ipsas hoīum cogitationes audetis iudicare, atq; id vsurpare, quod solius est Dei? ego (inquit) Dominus, scrutans corda, & renes. Nolite iudicare, & nō iudicabimini. ingēs promissio, & quæ sola cogere deberet, ut quisq; à temerarijs iudicijs abstineret. quātum enim est, terrificū illud iudiciū euadere, si à iudicando abstinēamus? rursus quā est horrendū, ob leuia hæc iudicia incidere in manus Dei uiuentis? & in rebus tanti momēti tam sunt supini, ac somniculosi hoīes, ac tanto se obijciunt periculo. nā apertē apud Matthæū, ubi eadē sententia recitatur, additū est. quo enim iudicio iudicatis, eo iudicabitur de uobis, & qua mēsurā metimini, ea metientur uobis alij. ecce in tua est potestate, mite ne, an seuerū de te iudiciū fieri uelis. Nolite condēnare, & nō condēnabimini. quid ergo? nō ne licet magistris, ac legitimis iudicibus & iudicare, & condēnare, quoties hoc requirit iustitia? licet quidem in manifestis, cōfessisq; peccatis. & hoc suo tēpore, ac loco, & cū hoc faciūt, cum animi molestia, & dolore facere debent, nō ob superbiā, aut inanem gloriam; aut odium, atque inuidiam. qui uerō petulantia quadā etiam ueros, & apertos errores iudicant, & taxant, & mordent, digni sunt reprehensione, cum ijs se immisceant, quæ ad illos minime spectant. iudices, quorum est castigare uitia, atque peccata, utuntur officio iudicandi, & seueritate condēnandi, necessariō, non ad libidinem animi, neque appetitu nocendi, sed ut uitia cohibeantur. ita enim tenentur, in ijs, quæ Deo displicent, hoc præstare, ut Paulus reprehendat eos, qui non iudicant, ipse suū etiam iudiciū proferens, cum ait: nam ego quidem ut absens corpore, præfens autem spiritu, iam iudicauī, ut præfens, eum, qui hoc egit, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis uobis, & meo spiritu, tradere eiusmodi hominem Satanae in interitum carnis, ut spiritus seruetur in die Domini Iesu. hæc iudicia hoc pacto rectē sunt, tu uerō nullius horū causa iudicas, sed petulanter, & sola uoluptate dehonestandi proximi cuiusque hoc facis, perinde quasi alterius probra, honoris, ac laudis tibi accessio fiant. qui ex officio iudicant, si Deum timent, & proximum diligunt, arbitrantur, se beneficium accipere, si cum recta conscientia, ac sine Dei offensione euadere illud iudicandi munus possunt. & ij, qui liberi ab hoc officio sunt, se tam periculoso negotio sine ulla necessitate immiscerent, quo quid stolidius queat excogitari? Remittite, & remittetur uobis. date, & dabitur uobis. duo in mutua hominum consuetudine frequēter versantur, ut quis alicui debeat, uel alterius ope egeat. hæc duo hic memorantur, ut scilicet debentibus nobis remittamus, & demus ijs, qui

indigent. hoc autem non de solis corporeis facultatibus accipiendum est, ut remittamus, & demus, sed multò magis de spiritualibus, ut ignoscamus, siquid ab aliquo in nos peccatum est, & benignè remittamus iniuriam, & demus salutaria consilia, ac monita, & quamuis hæc sponte naturæ facere deberemus, nosmet ipsos considerantes, qui & ipsi omnes ijs egere possimus, addit tamen Dominus præmium locuples. & ait. remittite, & remittetur vobis. date, & dabitur vobis. quis non nummum unum remitteret, ut debitum mille talentorum sibi remitteretur? aut exiguam non largiretur pecuniam, ut centies multiplicatâ reciperet? hoc Evangelica lex pollicetur, & tam multi tanta bona negligunt comparare. pollicetur Dominus dicens. si remisistis hominibus delicta sua, remittet etiam vobis pater uester cœlestis. hoc quantum est? cœlestem patrem imensum debitum remittere homini; qui res nihili est, si exiguum (nam quicquid iniuriæ accipere ab hominibus quisquam potest; nihil est pro eo, quod nos Deo debemus) remittat proximo suo? quòd si tantæ benignitati ingratus es, audi terrificas minas. si non remisistis hominibus delicta sua, neque pater uester vobis remittet delicta uestra. ingens necessitas proposita est Christiano homini, quam si attenderet, non expectaret, dum ab alijs admoneretur, ut remitteret iniurias, sed ipsa sponte accederet, ac pacem precaretur. at hic error plurimum ex eo proficiscitur, quòd opera non datur meditandis hisce Dominicis præceptis, & maxima Christianorum pars ea ignorat, ob sacrarum scripturarum neglectum. Mensuram bonam, & confertam, & concussam, atque exundantem dabunt in sinum uestrum. omnes partes tangit, quæ adhiberi solent, cum uberem mensuram facere quis uult, confertiunt enim, & concutiunt mensuram illam, ut amplius res, quæ datur, refideat, & magis capax fiat. quòd ubi factum est, addunt cumulum, quantum capere illa mensura potest. ostendit ergo Dominus, non parçè, sed opulentè remetendum nobis. & sicut mensurus farinam alicui amico, accumulatis, concutis, & redundare facis, cum absque parsimonia metiri uis; ita & Dominus mensuram magnam, & exundantem dabit tibi. sed quòd sequitur uidetur diuersum, cum ait. eadem quippe mensura, qua metimini, metientur alij vobis. si eandem mensuram pollicetur, quomodo dabit mensuram bonam, & confertam, & concussam, & exundantem? appellat eandem mensuram, non æqualem. nam retributio, quam à Deo accepturi sumus, infinitis partibus maior est, quàm nostra, cum æterna sit, atque immortalis, & imensa, nostra uerò exigua, & temporaria, sed eandem uocat pro eo ac si dixisset, si uos copiosè, ac liberaliter dederitis, copiosè itidem, ac liberaliter reddetur vobis. Dicebat autem illis similitudinem, nunquid potest cæcus cæcum ducere? non ne ambo in foueam cadunt? nõ est discipulus su-

per ma-

per magistrum, perfectus autem omnis erit sicut magister ipsius. uidetur hoc esse documentum aliud à superiori. sunt tamen, qui cum superiori continent in hunc modum. non ne alterum iudicans, & ipse eadem peccans comparatus es cæco cæcum ducenti? nam si alium condemnas, & ipse in eadem incidis peccata, uterque cæci estis. & uideris quidem illi dux esse ad bonum, eo quòd condemnas, non es autem dux. quomodo enim ille à te ad bonum inducetur, cum & tu labaris? non est enim discipulus super magistrum. si igitur tu, qui doctor uideris, & dux, laberis; omnibus modis cadet etiam qui docetur, & ducitur. In primis autem tota hæc doctrina ad discipulos habetur, sicut supra dictum est, Dominum oculos in discipulos conuertisse. monet ergo, quanti referat, eos attentè audire, & seruare, quæ doceatur. nam subiectos secutur os mores eorum, quales futuri cunque sint. præterea nisi magistri sine uitio fuerint, quo pacto reprehendere alios poterunt? iccirco ait. quid uides festucam in oculo fratris tui, & trabem, quæ in oculo tuo est, non consideras? Hæc autem sententia rectè in scribas etiam & pharisæos dici poterat, qui, cum cæci ipsi essent, audebant munus alios regendi sibi usurpare, quos & Paulus reprehendit his uerbis. Ecce tu Iudæus cognominaris, & acquiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti uoluntatem, ac probas eximia, institutus ex lege, confidisq; te ipsum ducem esse cæcorum, lumen in tenebris uersantium, eruditore insipientium, doctorem imperitorum, habentem formam cognitionis, ac ueritatis per legem. qui igitur doces alium, te ipsum nõ doces? qui prædicas non furandum, furaris? qui dicis non adulterandum, adulterium committis? qui execraris simulachra, sacrilegium admittis? qui de lege gloriaris, per legis transgressionem Deum dehonestas? nomen enim Dei propter uos male audit inter gentes. & profectò nihil est, quòd magis Christianam rem publicam perdat, quàm cæci duces, qui, cum ipsi ductore egeant, regere alios non uerentur, & qui nondum digni sunt inter Christi oues numerari, pastores fieri ambiciosissimè postulant. & cum ad hoc officij munus sint ineptissimi, necesse est, ut populi cum pastoribus suis eant perditum, quòd si unquam aliàs, nunc quàm maximè accidere ceruimus. eliguntur rectores ecclesiarum, qui omnia nouerunt præter id, cuius gratia instituti sunt ecclesiastici gradus. neque aduertunt, eos, qui eliguntur, ut alijs præsent, ueluti oculos in corpore esse oportere, & quemadmodum oculi reliquum corpus agunt, sic ij duces esse debent subiectis ad uirtutes, & rectè facta. sicut ergo in corpore, ubi oculi officio non funguntur suo, iners sit corpus, atq; ad agendum inutile; sic in ecclesia, cum rectorum lumen deest, & illi ipsi, qui lux esse deberent, sunt tenebricosi; quantas esse in subiectis tenebras consentaneum est? si lumen (inquit) quòd in te est, tenebræ sunt, tenebræ quantæ? O monstra, quæ

nunc

nunc sunt. oporteret eiusmodi homines angelos esse, & totos in diuinis scripturis uersari. labia (inquit) sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt de ore eius, quia angelus Domini exercituum est, & summa ignorantia laborantes, eam uitam agunt, quam dicere est pudor. aiebāt sancti, atque antiqui patres, eum, qui gratia non sit illustratus, non esse sacerdotem, sed inimicum dolosum, sui ipsius delusorem, & lupum contra dominicum populum ouina pelle armatum. isti uerò tantum abest, ut hanc habeant illustrationem gratiæ, ut nullum ferè genus hominū pluribus obnoxium uitij reperiat. pleni sunt prophetarum libri terrificis minis, quæ in malos pastores intentantur, sed eas isti neque unquam legerunt, neque ab alijs audire uolunt. quare id nunc uerè impletur hoc Domini dictum. nunquid potest cæcus cæcum ducere? non ne ambo in foueam cadunt? quibus uerbis adiecit. non est discipulus super magistrum suum, perfectus autem omnis erit sicut magister eius. quod dixerat, cæcum cæco ducem esse non posse, alioqui utrumque in foueam casurum, non solum fuit magistrorum taxatio, sed etiam subiectorum admonitio, ut obseruent, quinam ij sint, quos sequantur, quod ex sequentibus uerbis apertius facit, cum ait. non est discipulus super magistrum suum. ut sit sensus. si hos sectamini, qui cæci cum sint, aliorum tamen magistri esse uolunt, nihil plus discetis, quam ipsi sciunt. nam satis quisque arbitratur, si elaboratus discipulus magistrum suum æquauerit, ex quo sequetur, ut ambo in errore uersentur. ij sunt, quibus obieciat Dominus dicens. uæ uobis scribæ, & pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cælorum ante homines, uos enim non intratis, nec aduenientes finitis intrare, & rursum. uæ uobis scribæ, & pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum profelytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium Geennæ duplo magis, quam uos estis. nam relictis uetis dogmatibus legis, docebant eos superstitiosa, & quæ ad suum commodum facerent. quare in eodem loco sequitur. uæ uobis duces cæci, quia dicitis. qui cunq; iurauerit per templum, nihil est, qui autem iurauerit per aurum templi, reus est. stulti & cæci. utrum enim maius est, aurum, an templum, quod sanctificat aurum? & quicumque iurauerit per altare, nihil est, quicumque autem iurauerit per donum, quod est super illud, reus est. stulti, & cæci. utrum enim maius est, donum, an altare, quod sanctificat donum? cernis insignem cæcitatem, quæ ab auaritia proficiscitur? quam nisi Euangelistæ narrauissent, uix adduci possemus, ut hoc crederemus. horum ergo discipuli, qui hæc à magistris discerent, ita imbuebantur, ut non possent easdem superstitiones, ac simulationes non sequi. huius generis magistros non paucos habet hæc ætas, qui synceram doctrinam deferentes, aniles fabulas lucri gratia in Christi ecclesiam introducunt, ut uix ulla integritas

tegritas Euangelicæ ueritatis falsim inueniatur, fingunt nescio, quæ formia, quæ nullo sacrarum scripturarum fundamento nitantur. cuius rei si causam quæras, nullam aliam reperiis, quam auaritiam, & lucri cupiditatem. hæc pestis hominum perditorum iam tum ab ipsis apostolorum temporibus existere cœpit. de quibus Paulus ad Titum scribens ait. sunt multi intractabiles, & uaniloqui, & mentium seductores, qui totas domos subuertunt, docentes, quæ non oportet turpis lucri gratia. & ad Timotheum appellat eos uoluptatum amatores potius, quam Dei, habentes formam pietatis, sed qui uim eius abnegarint. ex ijs (inquit) sunt, qui subeunt in familias, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur concupiscentijs uarijs, semper discentes, nec unquam ad agnitionem ueritatis uenire uolentes. Quod uerò ait, non esse discipulum super magistrum suum, sed tunc esse perfectum, & elaboratum, cum magistrum æquarit. dubitauerit fortasse quispiam, quo pacto uerum sit, cū apud Græcos prouerbij loco dicatur, πολλοῖς μαθηταὶ κριττοὶς διδασκάλων, quod scilicet sæpenumero fiat, ut discipuli præstantiores euadant magistris. sed quod hic dicitur, ita accipiendum est. eum, qui sub alicuius magistri disciplina est, tandiu, dum sub illius magisterio degit, non posse eum magistrum superare, sed satis laudis assequi, si magistrum æquet. quod cū in omnibus facultatibus uerum sit, tum in doctrina morum ita uerum est, ut, qui prauis magistris utuntur, non solum eos uirtute superent, uerum deteriores, uitiosioresq; magistris euadant, quemadmodum ex Euangelio dudum citauimus dixisse Dominum, scribas, & pharisæos circuire mare, & aridam, ut facerent unum profelytum, & cum fuerit factus, illum euadere filium Geennæ duplo magis, quam ipsi essent. Quid autem uidēs festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo proprio est, non animaduertis? aut quomodo potes dicere fratri tuo. frater, sine eijciam festucam, quæ in oculo tuo est, ipse in oculo tuo trabem non uidens? temeritas in gens, cum cæcitate coniuncta. cum ipsi simus infinitis uitij obnoxij, minima quæque aliorum errata uelle taxare. quod si quis etiam in culpata uita esset, circumspectè tamen id agere deberet, & illam reprehensionem condire misericordia, corripiet me iustus (inquit propheta) in misericordia, & increpabit me. & Paulus. si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos, qui spirituales estis, hunc instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris. uult enim, non cuilibet hoc admonendi, ac reprehendendi manus licere, sed hanc prouiciam assignat spiritualibus, & ijs, qui prius non exiguos in Euangelicam uitam progressus fecerint. nam ij spirituales uocantur, qui spiritu Dei aguntur, neque secundum carnem uiuunt. carere enim debet (ait quidam externus) omni uitio, qui in alium paratus est dicere, ob hanc causam cum scribæ

scribæ, & pharisæi adduxissent ante Dominum mulierem deprehensam in adulterio, peterentq; , ut sententiam suam super ea re diceret, respondit. qui uestrum immunis est à peccato, primus in illam lapidem iaciat, quòd scilicet non deceret eos, qui peccatis obnoxij sunt, iudicia in alios exercere, & ea tractare, quæ tantum ad iustos uiros debeant pertinere. unde & propheta eos reprehendit, qui, cum essent scelerati, audebant iustorum officia aggredi. peccatori (inquit) dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas, & asumis testamentum meum per os tuum? tu uerò odisti disciplinam, & proiecisti sermonem meum retrorsum. si ergo, cum aliquis, ut dicebamus, inculpata uitæ, officium reprehendendi aggreditur, id ei circumspectissimè faciendum est, quæ reprehensione digni sunt ij, qui cum ipsi grauioribus uitij sint obsessi, sine ulla necessitate, sed sola taxandi libidine leues aliorum errores obseruant? in hoc multi, qui regendi, & coercendi alios officium habent, sapissimè peccant, qui subiectorum leuia etiam peccata seuerissimè castigant, & ingentia sua scelera dissimulant, & post tergum abijciunt, neque in sese descendere unquam student. Quid uides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non animaduertis? per festucam intelligit erratum leue, per trabem grauius peccatum. exemplum autem oculi accepit propterea, quòd leuissima quæque res officit oculo, & uel sensum doloris facit, uel uisum impedit. arguit ergo insignem hominum stupiditatem, qui, cum in mente, qui interioris hominis oculus est, grauia peccata habeant, non ea sentiant, cum minima quæq; sentire debuissent, & leuissima quæque in altero acuti conspiciant, quæ ipsi grauiore impedimento obsessi, mirum est, quò pacto intueri possint. primum ergo reprehendit tantam hominum uecordiam, qui neglectis suis grauioribus uitij, exigua aliorum errata obseruent. quòd per se, si etiam sola cogitatione fieret, est uitiosissimum. deinde quòd audeant aliorum taxare minima quæque peccata, dum sua interea non animaduertunt. atque hoc est, quòd ait, quomodo potes dicere fratri tuo, frater sine eijciam festucam, quæ in oculo tuo est, ipse in oculo tuo trabem non uidens? unde obseruandum est, Dominum eiusmodi homines appellasse hypocritas, cum dixit. hypocrita, eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc perspicias, ut educas festucam de oculo fratris tui. primum quòd in ipso reprehendendi modo hypocriti utuntur, dū appellant fratrem illum, quem uolunt reprehendere, simulantq;, se fraternæ charitatis gratia admonere, cum tamen solo taxandi, ac morderendi appetitu id faciant. deinde, quòd ferè fit, ut ij, qui in aliorum uitij tam cernunt acutè, bonam de seipsis habeant opinionem, si enim bene de se non sentirent, profecto descenderent, in sese, & in se inquireret, neque tantum ab re sua esset illis, ocij, aliena ut curarent, ut ea, quæ minime ad

mè ad se pertinerent. nam ita facile mordere, ac taxare alios, ex eo proficitur, quòd homines seipsos obliuiscuntur, neque obseruant, quam multa ipsi peccent. atque inde fit, ut se aliquid esse arbitrentur, cum nihil sint, & iudicent se idoneos, qui de alijs iudicent. Non est enim arbor bona, quæ facit fructum malum, neque arbor mala faciens fructum bonum. unaqueque enim arbor ex fructu suo agnoscitur. Videtur hoc referri ad illud, quòd eum uocauit hypocritam, qui, cum malus sit, arbitratur se idoneum, qui proximum quenque reprehendat. quomodo (inquit) cum malus sis, persuades tibi, posse te alios ad bonum prouocare, & ad frugem bonam? quare etiam adiecit aliam similitudinem. neque enim è spinis colligunt ficus, neque è rubo uindemiant uuam, hanc eandem sententiam, & apud Matthæum inuenies, ubi ait. nunquid colligunt de spinis uuas, aut de tribulis ficus? sic omnis arbor bona fructus bonos facit, putris autem arbor fructus malos facit. non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor putris fructus bonos facere. quæ uerba sic accipienda sunt. arborem putrem, quandiu putris, & mala est, non posse bonos fructus ferre, & bonam, quandiu bona, non posse malos fructus ferre: atque ita non erit necesse, naturarum diuersitatem, bonarum uidelicet, ac malarum introducere, quòd olim quidam heretici somnauerunt. multò uerò minus is locus pro ijs facit, qui fingunt, quosdam ita à Deo reiectos, ut seruari nunquã possint, neque fructus salutis edere. ij enim humanum genus duas in partibus diuidunt, unam eorum, qui electi, alteram eorum, qui reprobi appellantur, & alteros nunquam damnari, alteros nunquam seruari posse, nitunturq; potissimum uerbis apostoli, ubi ait, ut secundum electionem propositum Dei maneret, & totum illud nonum ad Romanos caput putant pro se facere, & ob eam causam loca alia omnia, quæ illis aduersantur, uolentissima interpretatione in suam sententiam detorquent: quòd quam impudenter faciant, scire operæpretium est. cum enim legunt, nolo mortem impij, sed ut magis conuertatur à uia sua mala, & uiuat. &, non est acceptio personarum apud Deum, sed est diues in omnes, qui inuocant illum, & patienter agit Deus, nolens aliquos perire, sed omnes ad penitentiam reuerti, & sexceta alia, quibus scripturæ sanctæ plenæ sunt. respondent, hæc ad electos duntaxat pertinere. at quo pacto id fieri potest, si non est acceptio personarum apud Deum? si (ut Paulus ait) uult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire? audis hic per eum non stare, quin omnes feruentur, & tu illud uniuersale apertissimum ad nescio quos electos tuos contrahis? qua id fronte? admonet alibi Paulus, obstinationem hominum esse, quæ eos damnet, non Dei subductionem gratiæ, cū ait. ignoras, quòd benignitas Dei ad penitentiam te adducit? secundum autem

duritiam tuam, & cor pœnitere nescium, recondis tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei. tu verò culpam in Deum rejcis, quòd scilicet reprobis non solum gratiam præstare nolit, sed potius obduret, atque excæcet, ne eos pœniteat, & misericordiã consequantur, cum contrarium Paulus dicat, Deum sua benignitate inuitare peccatorem ad pœnitentiam. atque hoc gloriæ Dei cedere opinaris, quod de homine dictũ optimus quisque auerfaretur? Ex hac erroris opinione illud quoq; nefandissimum sequi uolunt, diuinas promissiones, & cruentam Christi mortem ad electos tantũ pertinere. at Christus (ait Ioãnes apostolus) est propitiatio pro peccatis, non solum nostris, sed totius mundi. cernis hæc uerba totũ mundũ cõplecti? quid verò apertius, ad hanc insanã refutandam, illis Pauli uerbis, cum ait. noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est? & rursus. peribit in tua scientia frater, pro quo Christus mortuus est. audis illum periturũ, pro quo tamen Christus mortuus est? sed ij aut sua malitia omnino obduruerũt, aut falluntur in eorũ morem, qui, cum diu in aspectũ nimis oculos defixerint, ubi aliud aspiciunt, omnia eis niuis colorem habere uidentur. quare amisso omni iudicio, quòd expedire se magis putant, in eò plures laqueos induunt, & vertiginem, quandam patiuntur, ut rectã ingredi nesciant, de quibus scriptum est, in circuitu impij ambulant. & alibi, Deus meus pone illos, ut rotam. Verum, quando isti nolunt intelligere, ut bene agant, & facti sunt ij, de quibus Spiritus Sanctus locutus est per Efaïam prophetam. auribus audietis, & nõ intelligetis. uos audite, quid hac in re sit tenendum, quid uerũ Diuinæ scripturæ ueteris, ac noui testamenti doceant. Deus enim sua benignitate uoluit, ut per vnigenitũ filium suum totum genus hominum seruaretur, quod genus per Seruatorem nostrum, & Dominum Iesum Christũ, eiusque redemptionẽ, equẽ totum electum, & descriptũ est in libro uitæ. uerũ hæc redemptio sub conditione facta fuit, quemadmodum etiã ante primi parentis Adæ peccatũ accidit, cui postea, quã Diuina gratia, ac uoluntate creatus fuerat immortalis, atque in paradiso uoluptatis positus, p̄cepit, ne uesceretur ex ligno scientiæ boni, & mali, alioqui fore, ut moreretur, is verò nõ obtẽperans, ipse se tanto bono, atq; immortalitatis munere priuauit. idẽ ipsum fecit Deus in hac secunda humani generis electione, cũ proposuit filiũ suũ, ut per eius cruentã mortẽ redimeremur, ac seruaremur. hac inquã conditione, ut obediamus Diuinæ maiestati suæ, & uirtuti, ac rectẽ factis operam demus, fidentes interea diuinę charitati, ac misericordiæ, alioqui delendi de libro uitæ, in quem scripti fueramus, & à iustissimo Deo in Geennã, æternosque cruciatus relegãdi. quare, nisi per nos stet, scripti oēs sumus in libro uitæ, de quo, nisi nostro uitio, non delebimur, sicut in Apocalypsi dicitur. qui uicerit, nõ delebo eum

eum de libro uitæ. quæ uerba duo complectuntur, & conditionem uidelicet. si uicerit, & quòd deleri possit, qui se non strenuẽ gesserit. si enim, qui semel scriptus est in eo, deleri, ut isti prædestinatos uolunt, de eo libro non posset, non hoc loquendi modo ufa fuisset scriptura. quæ enim fixa, atque immota sunt, neque aliter esse possunt, alio dicendi modo pronuntiantur. quis enim dicat, si Deus semper uixerit, erit hoc, uel illud? aut si quis iureiurando decreuisset habere aliquem in filium, & hæredem suarum facultatum omnino relinquere, si etiam perditissimẽ uicturus esset, non diceret, si honestẽ se gesserit, esto mihi filius, atque hæres? sic si isti horum prædestinantium electi deleri de libro uitæ non possunt, ridiculum erat dicere, qui uicerit, non delebo eum de libro uitæ. fixum ergo stet, omnes æquẽ, nisi nobis deesse uolumus, scriptos esse in libro uitæ, & per Christianam redemptionem nihil de prima morte parentis primi exoluendum, nisi corpoream pœnam, mortisque dormitionem. verum, si obedire neglexerimus, secundam mortem nos manere, de qua item in Apocalypsi fit mentio, ubi dicitur. qui uicerit, non ledetur a morte secũda. atque hoc est, quod per Ezechielem dicitur. filius non portabit iniquitatem patris, quod uidelicet ad primam æternam mortem attinet ob primi parentis peccatum. sed anima, quę peccauerit, ipsa morietur, secunda uidelicet morte. Neque uerò tantum Christus redemit nos, ac liberauit à primi parentis condemnatione, uerum etiam à priuatis peccatis nostris, modo nos ex animo pœniteat, & eius benignitate, ac misericordia fidamus, atque hoc est, quod dicebat apostolus. non sicut delictum, ita & donum. nam iudicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem. hæc gratia communis est omnibus uolentibus eam, ad quam inuitabat Christus omnes, cum dicebat. si quis sitit, ueniat ad me, & bibat. qui credit in me, sicut dicit scriptura (quæ nimirum testimonium de illo perhibet) flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. quod donum qui non assequitur, sibi imputet. nam perditio (inquit) tua ex te Israel, salus autem mea. atque ut ostenderet Deus, se nihil prætermisisse, quod ad eos seruandos pertineret, dicebat. quid debui facere uineę meę, & non feci? qui si gratiam suam subduxisset, quemadmodum isti uolunt, non ea protulisset uerba. quin & in iudicio, cum damnabit Christus peccatores, hanc condemnationem, referet acceptam eorum iniquẽ factis, & quòd non succurrerint pauperum necessitatibus. quod si facere non potuissent ob gratiẽ subductionem, sine qua fieri nihil boni potest, (sine me (inquit) nihil potestis facere) quid attinebat, eos de re illa reprehendere, quam

præstare non potuissent? sic Diuinæ scripturæ non rejiciunt culpam in de-
stitutionem Diuinæ gratiæ, neque in primi parentis peccatum (quod isti
prædestinatores faciunt) cur Cain execrationi sit datus, sed illius pessimo,
& cruento in fratrem animo. sic in originalis mundi interitu, & So-
domæ, ac Gomorræ euerfione, & reliquis, quicunque execrationi sunt
traditi, culpa rejicitur in eos ipsos, qui Diuinis præceptis obedire contem-
pserunt. Quòd uerò ad electionem pertinet, de qua dudum institutus
est sermo. uerum quidem est, nos sola gratia, & Diuina uoluntate, non
ex operibus iustitiæ (ut ait Apostolus) quæ nos fecerimus, sed secundum
suam misericordiam esse seruatos, sed postea, quam nos elegit, ut simus
ei in regnum, & Diuinitatis eius templum per filij sui mortem, & resur-
rectionem, oportet, ut eius uoluntati obtēperemus, & accipiamus eius
promissiones, atque ita fidamus eius benignitate, ut meminerimus in-
terea, nisi obedierimus, nos ad sempiternos Geennæ ignes esse condem-
nandos. quare necesse est, ut nos superioris malè actę uitæ pœniteat, Di-
uinisq; illius præceptis obediamus, speremusq; & fidamus illius promif-
sionibus, & paternæ misericordiæ, si Christianā redemptionem assequi,
& cœleste regnum uolumus, atque æternas pœnas euadere. Et hæc pro-
fectò uera est prophetica, & apostolica doctrina, quæ dat omnibus, sem-
perq; dedit uiuam eorum saluti spem, & paternæ misericordiæ conse-
quenda. quod hæc horum impia doctrina non præstat, quæ præter blas-
phemiam, qua Diuinæ gratiæ, & iustitiæ notam inurunt, ob impœni-
tentiam, & damnationem peccatorum, illud addunt, ut quisque de Christia-
na redemptione dubitet, uereaturq; ne ex ijs nõ sit, quos elegerit Deus,
dum isti nolunt, omnes ex æquo, si uelint, esse illius participes posse. qua
re in desperationem miseros homines adigunt. Illud quoque sciendum
est, ubi diuinæ scripturæ electorum mentionem faciunt, non selectorum
quandam electionem quorundam hominum significari, ut hi eligantur,
illi rejiciantur, quemadmodum protestantium error prædicat, sed intel-
ligitur electio, qua Deus sua gratia, & Diuina bonitate uoluit redimere,
ac seruare humanum genus per unigeniti sui cruentam mortem, ijs ta-
men conditionibus, quas supra commemorauimus, ut scilicet pœnitentiam
ageremus, crederemusque illius promissionibus, & in rectis, hone-
stisq; factis uiueremus. Hos, qui hac ingrediantur uia, scripturæ sanctæ
electos appellant, qua tamen electione unusquisq; priuare se ipse potest,
si nolit à peccato discedere, & in fide, atque obedientia Dei uitam agere.
sicut scriptura est. qui peccauerit mihi, delebo eum de libro uitæ. & in
Apocalypsi. si quis minuerit de uerbis prophetiæ huius, auferet Deus
partem eius de libro uitæ, & de ciuitate sancta Ierusalem, quibus ge-
minis auctoritatibus quid euidentius dici potest, ad refellendam horum
impietatem,

impietatem, qui uolunt Deum uti selectione, & electos nullo pacto dam-
nari posse? si deleri de libro uitæ damnari est. & qui iam scriptus est, de-
leri potest, necessariò sequitur, alios etiam præter eos, qui seruabuntur,
scriptos esse in eo libro, quos pollicetur se deleturum, qui uidelicet sibi
peccauerint. Idem autem ipsum, quod in hominum genere factum est,
in angelis accidit, qui cum electi omnes fuissent, ut Deo fruerentur, qui
tamen neglexerunt in ea electione stare, meritò fuerunt condemna-
ti. de quibus scriptum est. angelos uerò, qui non seruauerunt suum prin-
cipatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei,
uinculis æternis sub caligine referuauit. Et hæc quidem, quam diximus
electio est, quæ ad salutem totius generis nostri pertinet. est uerò alia pri-
uata quorundam electio, qua Deus quosdã feligit ad priuatum aliquod
ministerium, & ipsius humani generis regimen. sic elegit Deus Mo-
sen, & Aaron ad populi regimen, & sacerdotalis officij munus. Saulem, & Da-
uid ad regnum, prophetas omnes, atque apostolos. iccirco dicebat ex
apostolis Dominus. non uos me elegistis, sed ego elegi uos, & posui uos,
ut eatis, & fructum afferatis. & quamuis hi priuato, ac selecto hoc mu-
nere donati essent, priuare se tamen eo poterant, nisi Diuinis præceptis
obtemperarent. nam Moyses, atque Aaron, qui electi fuerant, ut popu-
lum in terram promissam introducerent, quia tamen irritauerunt eum
ad aquas contradictionis, non potuerunt in eam intrare. sicut scriptum
est. quia non credidistis uerbis meis, non intrabitis in terram promissam.
sic duo filij Aaron, Nadab, & Abiu, dum alienum ignem offerrent, in-
terfecti sunt. sic Saul reiectus, & Iudas præuaricatus ab apostolatu excidit.
In eundem modum cum sacræ literæ de prædestinatione loquuntur, nõ
priuatam quorundam selectorum hominũ, ut prædestinatores somniãt,
electionem intelligunt, sed peculiarem dignitatem credentium sub Euan-
gelio, quam ueteris testamenti patres consequi nõ potuerunt. non enim
illi promissiones spirituales, atque id, quod eorum sacrificia, ac cæremoni-
æ signabant, sunt affecti, nisi imputatione quadam, cum nõdum facta
esset Christiana redemptio. quam ob causam dixit apostolus. credidit
Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam, quam scilicet per Chri-
stum erat consecuturus. at fideles noui testamenti re ipsa per fidem, &
obedientiam, quam præstant Euangelio, consequuntur cœlestes, ac spiri-
tuales promissiones, quibus uiui Dei filij efficiuntur, ut Euangelista Ioã-
nes testatur, cum ait. quotquot autem receperunt eum, dedit eis potesta-
tem filios Dei fieri, ijs, qui credunt in nomine eius. quæ cogitans Paulus,
in gratiarum actionem erumpit per hæc uerba. benedictus Deus, qui be-
nedixit nos omni benedictione spiritali in cœlestibus, sicut elegit nos
in ipso, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu eius, qui prædesti-
naui

nauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum. de nobis enim dictum fuit. effundam super uos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis uestris, & alibi. auferam cor lapideum de carne uestra, & dabo uobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio uestri, & rursum. circuncidet Dominus cor tuum, & cor feminis tui, diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & uocabunt eos, populus sanctus, redempti à Domino. & omnes, qui uiderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus. & sexcenta alia huius generis. In hunc ergo modum se habet hæc prædestinatio, cuius esse participes omnes possumus iuuante Dei gratia, quæ nemini deest, qui eam uelit, & eam sine personarum acceptione Deus omnibus impertitur. si enim sub lege veteri non prohibebantur ethnici ad fidem uenire, & Diuinæ legis obedientiam, ut testatur Esaias, cum ait, non dicat filius aduenæ, qui adhæret Domino, separatione separauit me Dominus à populo suo, quanto magis noui testamenti gratia communis esse debet, cum Euangelij nuntijs imperatum, & dictum sit, euntes in mundum uniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui uerò non crediderit, condemnabitur? cernis etiam minas intentari, ut uel metu trahantur homines ad salutem? & hi nolunt redemptionem hanc omnibus esse communem, & passionem, ac mortem Christi non esse factam pro ijs, quos Deus abiecit, & obdurauit. putantque pro se facere ad suam prædestinationem confirmandam, quod ait apostolus, cuius uult miseretur, & quem uult indurat. uerum, quia ad caput nonum epistolæ ad Romanos, ubi hæc auctoritas est, tanquam ad asylum quoddam confugiunt, quò se tueantur, dum illud prauè interpretantur, assignauimus suam orationem illi capiti interpretando. nunc illud tantum breuiter dicemus, Paulum disputare, & respondere ambiguitatibus, & quæstionibus Iudæorum, cur Deus abiecerit Israelitas, & gentes accerserit, atque ostendit, cur hoc iustè potuerit facere, & iusta fuerit illius uoluntas, & iustè permiserit, ut lapis ille, quem reprobauerunt, factus sit illis in lapidem offensionis, & petram scādali, & misericordiam exercuerit in gentes, quæ Euangelium receperunt. de ijs enim gentibus dicit, cuius uult, miseretur, de Iudeis uerò, quæ uult, indurat. neque uerò hic loquitur, quod prædestinatores uolunt, quòd Deus partem unam humani generis elegerit ad gloriam, alteram abiecerit. quòd uerò ita sit, ipse se eodem capite aperit. ait enim: quid ergo dicemus? quòd gentes, quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam. iustitiam autem, quæ est ex fide. Israel uerò sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit, quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus, id est, iustificare se ipsos uolebant ea iustitia, quam operibus legis comparabant,

comparabant, non ea, quam Deus illis præstabat per fidem in Euangelium Christi, quemadmodum illis ante promiserat, iustus (inquiens) ex fide uiuet. &, desponsabo te mihi in fide. & ob hanc causam offenderunt (ait Paulus) in lapidem offensionis, & petram impactationis. quod uerò hoc eorum culpa factum sit, idem Paulus demonstrat, cum ait. propter suam incredulitatem fracti sunt rami, non quòd defuerit eis gratia Dei, ut hi nouatores uolunt, sed quòd ipsi gratiam reiecerint, quemadmodum obiecit illis Dominus, cum dixit. Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt. quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti. ecce relinquetur uobis domus uestra deserta. ob suam ergo incredulitatem digni facti sunt, in quos mitteret Deus spiritum erroris, & caliginis, id est, permitteret illos in sua obduratione magis in dies excæcari, & ex Euangelica luce accersere sibi tenebras. nam Deus auctor malorum non est, sicut nec sol tenebrarum. sed sicut homo, dum lumine solis abutitur, ex lumine tenebras sibi comparat, sic qui Euangelio aduersatur, in caliginem, & erroris tenebras incidit. Verum, quando superioribus annis fusius de hac re tractauimus, satis ista sint. uideamus nunc, quæ de hoc Domini sermone reliqua sunt. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum. & malus homo ex malo thesauro cordis sui profert malum. ex abundantia enim cordis loquitur os eius. Dixerat, unamquamque arborem ex fructu suo agnosci, ut uitis ex uua, rubus ex spinis. quare addit, sic hominem agnosci ex factis. ex bono enim corde profertur bonum, & ex malo malum. hoc autem responderi potest ijs, qui, cum superbe, aut inuidè quid dixerint, & derogauerint proximo, se tamen ipsos fallentes dicunt, se non odij causa dixisse, nihilque se inimicum in corde seruare. nam fieri non potest, ut, qui bonus est, malum quid proferat. & rectè ait Dominus, ex abundantia cordis os loqui. Quid autem uocatis me, Domine, Domine, & non facitis, quæ dico? sic & apud Matthæum, non omnis, (inquit) qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit uoluntatem patris mei, qui in cælis est. & addit. multi dicent mihi in illa die. Domine, Domine, non ne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & in nomine tuo uirtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, nunquam noui uos. discedite à me, qui operamini iniquitatem. Factis opus est, si declarare uolumus nos esse Christianos, non uerbis. nam regnum Dei non est in sermone, sed in uirtute. multos enim inuenias frequentius nomen Christi in ore habere, sed cum ad facta Christi ano homine digna ueniendum est, nihilò magis affecti sunt, quam si nunquam quicquid de Christo audiissent, de ijs hic loquitur Dominus.

quid

quid uocatis me, Domine, Domine, & non facitis quæ dico? illi dicunt, Domine, Domine, qui dicunt se in Christum credere, sed facta non adhibent, & fatentur quidem uerbis, se nosse Deum, factis autem negant. & hæc est fides illa, de qua dicit Iacobus apostolus, fides sine operibus mortua est. quæ opera quam sint necessaria, uide miram Domini sententiam, qui dicit, futuros multos, qui in eius nomine Demones eiecerint, & multa signa fecerint, quia tamen facta digna non adhibuerunt, profitetur, se illos non agniturum: facta ergo, uera sunt Christiani hominis signa. in hæc toto pectore est incumbendū, & quærendū, ut eius faciamus uoluntatē. uerum, quo pacto, & qua similitudine agnosci possunt ij, qui eius faciunt uoluntatem? hoc ultimis huius Diuini sermonis uerbis docet. Quisquis uenit ad me, & audit sermones meos, & facit eos, ostendam uobis, cui similis sit. similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & posuit fundamentum super petram, inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, & non potuit eam mouere, fundata enim erat super petram. qui autem audiuit, & non sic fecit, similis est homini, qui ædificauit domum suam super terram absq; fundamento, in quam illisus est fluius, & continuo cecidit, & facta est ruina domus illius magna. Hi faciunt uoluntatem eius, qui secundum eius præceptum perseverant usq; in finem, & uiriliter pugnant, atq; ingruentibus aduersis obsistunt, quod ab ijs, obseruatur, qui cupiunt tanquam uictores coronari. non enim coronatur, nisi qui legitime certauerit. at legitimus certamen est, perstare, & durare, & ingruentis impetus perferre in morem eius domus, quæ, cum esset fundata super firmam petram, impetum imbrium, fluminum, & uentorum sustinuit. Hæc autem postrema uerba multum nobis ciues mei cordi esse debent, uidendumq; accuratius, utrum domus nostra super petram fundata sit, an super arenam. petra Christus est, qui & factorum, & cogitationum omnium nostrarum fundamentum esse debet, de quo fundamento ait Paulus. fundamentum aliud nemo potest ponere præter illud, quod positum est a me, quod est Christus Iesus. in hunc unum intendenda est mentis acies, siue prosperæ res succedant, siue aduersæ ingruant. sed nihil est quod tã euidenter ostēdat nos ipsos nobis, quam aduersa. tunc enim agnoscitur, quo domus nostra nitatur fundamento, imbres flumina, uenti arguunt huius domus ædificium, solidum ne, an fragile sit. cum ergo cernimus, nos qualibet, etiam leui tentatione perturbari, & locum nostrum deserere, tunc arguimus nos fundamentum nostrum arenam posuisse, rem nimirum omni stabilitate destitutam. & hoc sanè quotidie experimur, sed res multò miserabilior nobis accidit, quam in manu factis domibus. nam illæ non corruūt, nisi uehementi aliqua re aduersa, ut sunt imbres, flumina, uenti, nos uerò etiã prospera

prospera deijciunt, & grauius plerunque, quam aduersa ipsa. nam etsi inueniantur, qui tentationum molestijs, atque hominum persecutionibus frangantur, cernas tamen plurimos, qui ad se redeant, & flagellis correcti ueluti filij à parentibus castigati respiciant: at prospera ipsa nos nostra stultitia efficiunt, ut aduersa nobis fiant, & quæ instrumenta esse debuerat ad firmandum interioris hominis ædificium, ijs ad illud euertendum utimur, & feris ipsis, ac ratione carentibus animantibus fumus deteriores. illa enim beneficentia mitescunt, nos uerò beneficijs euadimus magis efferi, quod contra faciendum fuerat. cum enim uidemus, Deum onerare (ut prophetæ uerbis utar) nos suis donis, opibus, honoribus, robore, ac specie corporis, deberemus his uti muneribus in eius gloriam, qui sit ea elargitus. uerum omnia in illius potius conuertimus ignominiam. qui diues est, mille excogitat uias, quibus ita opes infumat, ut nihil ad Christum, à quo eas accepit, queat peruenire. nam pro facultatum summa arbitrantur homines oportere uestium pretium, & exquisitos cibos, & equorum apparatus, & seruorum numerum adhibere, idq; nulla ratione, sed erroris duntaxat opinione sibi per suadētes. sic qui honoribus, ac dignitatibus à Deo fuerunt honestati, ijs abutuntur proximum quenque contemnendo, atque interdum opprimendo, quamuis hæc ad homines iuuandos, atque ut in eis honorificetur Deus, sint data. alius cæteris ingenio antecedit, mox illud ad circunueniendum proximum quenque conuertit. ille robore, ac forma corporis præstat. continuo in omnem la sciuiam ætatem insumit. at hæc omnia ad firmandam, stabiliendamq; domum apta potius fuerant, nos uerò ad illam euertendam istis abutimur, atque ad nostram duntaxat perniciem sumus ingeniosi, & efficiunt nostris peruersis moribus, ut ipsa bona nobis in malum conuertantur, ob eam solum causam, quod in arena fundamenta nostra collocauimus, neque ea, quæ à Christo audiuimus, præstare curamus, sed appetitionibus tantum nostris, instabili uidelicet arenæ inhæremus. Nunc rursus uideamus, quam clari sint, & magni, quorum domus fundata est supra petram. contemlemur præstantissimos illos uiros, qui ob uirtutis excellentiam spectaculum facti erant nō solum hominibus, uerum etiam angelis ipsis, qui in fragili corpore positi, corporeū omne pondus animi uirtute superabant, qui non modo direptionē suarum facultatū alacri animo perferabant, sed etiam exquisitis examinati tormentis, agebant gratias, & gloriabantur etiam. gloriamur (ait apostolus) super afflictionibus. Et alibi placeo mihi in infirmitatibus, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo. Et beatus Iacobus. omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes uarias incideritis. Quam solido nitentur fundamento, qui in quotidianis mortibus securi uersabantur?

qui in laboribus copiosus, in uerberibus supra modum, in carceribus abundantius, in mortibus frequenter se uitam agere gloriabantur? de quibus etiam ad Hebræos scriptum est. qui ludibrijs, & flagris explorati fuerunt, in super, & uinculis, & carcere, lapidati sunt, dissecti sunt, tentati sunt, occisione gladij occubuerunt, oberrauerunt in ouillis, & caprinis pellibus, destituti, pressi, afflicti, quibus indignus erat mundus, in desertis errantes, & montibus, ac speluncis, & cauernis terræ. Et hæc quidem perferunt in aduersis ijs, qui fundamentum super petram collocauerunt. ubi uerò remissionis tempus est, nihil agunt remissè, sed, si diuitijs abundant, non vulgi iudicium sequuntur, sed ad Euangelicam regulam eas distribuunt, seque tanquam Dei dispensatores gerunt. in eundem modum honoribus, ingenio, omnibus denique & corporis, & animi bonis utuntur. ut in omnibus honorificetur Deus, quemadmodum apostolus admonet. Videte uerò, quanta sit felicitas hominis, qui hoc posuerit fundamentum, ut uideatur quædam celestis uitæ representatio, ubi quis in quauis rerum fortuna semper idem est, semper sibi constat, atque in medijs molestijs etiam gaudet. ibant (inquit) apostoli gaudentes à conspectu concilij, quòd digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati. contra uerò, quanta est eorum infelicitas, quibus in nullo rerum statu bene est. si enim premantur molestijs, continuo franguntur. si res prosperæ sint, dissoluuntur, & illæ intemperantes appetitiones tanquam bestiarum, omnem animi tranquillitatem ita diuexant, ut ab ijs obsessus nunquam sui compos esse possit, & meritò dicatur, eiusmodi hominis domum fundatam esse super arenam. etenim humana hæc omnia arena sunt instabiliora, quæ nunquam eodem in statu permanent, quibus qui innitatur, ruat, necesse est, de qua ruina, ut eam metuamus, adiecit Dominus. & fuit ruina illius magna. quæ enim excogitari ruina maior possit, quam sempiternus interitus, & in illud inextinctum ignem relegatio? Et hic quidem finis est diuini huius sermonis à Seruatore Christo habiti, qui omnem Christianæ philosophiæ summam complectitur. opto autem, ut eundem sermonem, & quæ in eum dicta sunt, sæpius animo uersetis, & tanquam munda animalia, ueluti ruminando repetatis. nam ipsa repetitione fiet, ut eius maiestatem magis, ac magis semper agnoscat, atque admiremini. quod & tunc usu euenit turbis, quæ eum loquentem audierat. sic enim scribit Mattheus Euangelista. & factum est, ut, cum finisset Iesus sermones hos, obstupuerint turbæ super doctrina illius. & causam subdit. docebat enim (inquit) eos, uelut auctoritatem habens, & non sicut scribæ. re enim uera sola est hæc lex, quæ hominum animos conuertere ad se meritò possit, ut quæ ab ipso eorum auctore Deo profecta sit, atque iccirco efficax ad eos permouendos, in quam die, ac nocte incumbendum

dum est, ut promissa illam seruantibus præmia consequamur. iuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & potestas, & imperium, & nunc, & in omnia secula. Amen.

ORATIO TRIGESIMASEPTIMA.



CV M autem consummasset omnia uerba sua audiente populo, intrauit Capernaum. Diximus alijs locis, sermonem, quem Dominum habuisse in monte scribit Mattheus, qui etiam illustri fusius tractat, eundem esse existimari, quem compendiosius hic Lucas attingit, & habitum dicit in descensu montis, ubi opportuna planities occurrit, quæ non rarò in montibus reperitur, ut, cum de loco non discrepent, & sensus etiam uerborum utriusque euangelistæ concordet, facile credi possit, semel potius habitum, quam bis repetitum fuisse. & quamuis multa prætermiserit Lucas, quæ à Matthæo dicta sunt, nihil est, cur miremur, cum non omnes omnia assequi potuerint, quorum copiam, si scripta fuissent, totum mundum capere non potuisse scribit Iohannes euangelista. quin hoc ipsum ad faciendam huius Euangelicæ ueritatis fidem non parum confert, si enim omnes eadem, uno atque eodem ordine scripsissent, uiderentur data opera in unum conspirauisse, quæ res suspectos illos potius fecisset posteritati, quasi comminisci aliqua maluissent, quam ueritati studere. nunc uerò, cum diuerso scribendi ordine singuli, seorsum sint vsi, & tamen in vnâ ueritatem cõsenserint, apertissimam præbuerunt significationem, se omnia uera scripsisse. ob hanc causam etiam ordo rerum non est seruatus, ut hic. nam Mattheus scribit, post habitum in monte sermonem, cum descendisset de monte, leprosum accessisse ad Dominum, & impetrasse curationem. hoc autem miraculum Lucas attingit superius capite quinto. Hic itaque sermo, cum omnem Euangelicæ prædicationis summam, ac uim complectatur, uidetur hic euangelista appellasse hunc sermonem, omnia uerba Domini, cum ait. cum consummasset omnia uerba sua audiente populo, ut in hoc etiam

HHH a impleretur,

impleretur, quod Esaias multò ante prædixerat, cum prædicationem hæc Euāgelicam sermonem uocauit abbreviatum. breui enim oratione dat suam ueteri legi perfectionem, docetque, quo pacto sit interpretanda, & fructus ex ea capiendus. cum enim lex in literæ superficie uideatur ea duntaxat curare, quæ ad hanc uitam pertinent, fiebat, ut non solū uulgus, sed etiam legis periti illi, qui nesciebāt legē esse spiritalē, ita eā interpretarentur, ut ad huius uitæ utilitatem accommodaretur. iccirco in ipso sermone admonuit discipulos Dominus dicens. dico uobis, quòd nisi abundauerit iustitia uestra plus quàm scribarum, & pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. quasi illis uerbis apertissimè ostenderet, eos, qui scopum suum regnum cœlorum ponerent, oportere longè diuersa interpretatione uti, quàm qui nullam eius regni haberent agnitionem. quod ut manifestius declararet, aliquot exempla legis proposuit, quæ antiqui non ita interpretabantur, quod satis esset ad regnum cœlorum adipiscendum, ut de homicidio, de ira, de concupiscenda muliere, & cæteris eiusmodi, quæ exactius esse ijs tractanda docuit, qui æternæ uitæ compotes esse uellent. breuiterq; & cogitationes, & facta iubet ad solum Deum dirigi, atque ad interiorem hominem componendum, perfectumque faciendum, quæ non facile inuenias obseruata ab ijs, qui de regno cœlorū nihil cogitabant. Cum ergo consummasset omnia uerba sua audiente populo, intrauit Capernaum, quam Matthæus ciuitatē Domini appellauit, cum dixit. ascendens in nauim transierat, & uenit in ciuitatē suam, quàm ita appellasse uidetur propterea, quòd idem euangelista ante dixerat. cum audisset Iesus, quòd Ioannes traditus esset, secessit in Galileam, & relicta ciuitate Nazareth, uenit, & habitauit, in ciuitate Capernaum. uideamus ergo, quid ibi acciderit. intermiscerentur prædicationi miracula, ut fides euidentior fieret huius ueritatis. quòd ex Deo esset. ob hanc causam cum alibi paralytico illi dixisset, confide fili, remittuntur tibi peccata tua, quia hæc res erat, quæ corporis oculis non cernebatur, ac propterea quidam astantium offendebantur, miraculum sub oculos posuit, dicens. ut sciatis, quòd filius hominis habet potestatem in terra remittendi peccata (tunc ait paralytico) surge, tolle grabatum tuum, & uade in domum tuam. non creditis (inquit) inuisibili potestati? rem faciā, quæ aspectibus pateat, ut id, quod non cernitis, credatis. Centurionis autem cuiusdam seruus malè habens agebat animam, qui illi erat charus. Erat hic Centurio ethnicus, militiam exercens, præerat enim centum militibus. iccirco Latinis dicitur Centurio. Græcis εκατόταρχος, quasi princeps inter centum, & quamuis ethnicus, ac miles esset, cernemus tamen multa in eo bona, ut nemo iure excusare possit, quin quouis in gradu nequeat salutis suæ prospicere, quod enim hominum genus dissolutius solet uiuere, quàm mili-

tes?

tes? & tamen prædicante Ioanne Baptista, & ipsi ad eum accesserunt, petieruntq; doceri, quo pacto fugerent à uentura ira. quid ille alter centurio, cuius ipse Lucas meminit in alio suo uolumine, quod Acta apostolorum inscripsit, quàm fuit admirandus? qui adhuc ethnicus, iam tum erat (ut ibi legitur) religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper. cernis ingentem hominis uirtutem? nondum reuelata fuerat ei Christiana ueritas, & pius iam erat, ac timebat Deum, cuius pietas etiam in totam domum redundabat, ut & ipsa domus illum imitaretur, & ob hunc bene affectum animum multas eleemosynas præstabat plebi. quid hic dicturi sunt ij, qui Christum ab ipsa infantia professi sunt, & tamen nihil minus imitantur, quàm Christianam uitam, ac mores? nulla in Deum uera pietate feruntur, & non solum multas, sed ne exiguas quidem egentibus præstant eleemosynas. inde fit, ut domum etiam habeant incòpositam, filios contumaces, atque omni intemperantiæ generi deditos, ut factis uerè ethnici dici possint. quamuis a Christo cognomen acceptum impudenter usurpent. uide uerò, quid ex hac pietate uir beatus meruerit. Is uidit (inquit) in uisu manifestè, quasi hora diei nona, angelum Dei introeuntem ad se, & dicentem sibi. Corneli. at ille intuens eum, timore correptus, dixit. quid est domine? dixit autem illi, orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. magna uis est eleemosynæ tuæ, quæ angelos, & cœlestes illas mentes ad homines è cœlo demittat, eosque nondum fidei ueritate illustratos, & merito sanè. faciebat. n. eleemosynas ante, quàm earum uirtutē ex Euāgelio didicisset, easque largas, ac liberales. quid si audiisset illius centupli nomen, cuius in Euangelio fit mentio? si audiisset, in iudicio solius eleemosynæ faciendam esse mentionem, uel ad eos seruandos, qui illam præstitissent, uel eos condemnandos, qui præstare neglexissent, quid, inquam, fecisset his auditis, si ex solo pij animi affectu multas faciebat eleemosynas? hoc ad maximam plurimorum huius ætatis reprehensionem facit, qui non saltem tantorum promissorum spe fieri incipiunt liberales. sed reuertamur ad hodiernum centurionem. Erat illi seruus male habens, qui agebat animam. non eum propterea spreuit, quòd seruus esset, quod multi faciunt, qui seruos ita despiciunt, perinde quasi non homines, sed aliud animantium genus sint. hi nunquam audierunt Paulum, qui, cum admonuisset seruos, quodnam eorum esse deberet erga suos dominos officium, iubet, ut & ipsi domini paria rependant, & ait. & uos domini eadem facite erga illos, remittentes minas, scientes, quòd & uester ipsorum dominus est in cœlis, nec personæ respectus est apud illum. & tu, inquit, seruus es, & dominum habes, cui factorum tuorum magis exacta reddenda

reddenda à te ratio est, quam à quoquam seruo terrenis Dominis. arbitraris, te plus aliquid seruo tuo esse, quod illi imperas, quod honestius uestiris, quod opes, & facultates tibi suppeditant, quibus ille est destitutus, neque cogitas, fieri posse, atque adeo frequentius usu euenire, ut seruus, qui æquo animo seruitutem fert, æterni regni hæres fiat, dominus uerò, qui confusus est in incerto diuitiarum, peracta hac scena, in sempiternum ignem relegatur. cogitandum esset, ista omnia tanquam in scena fieri, & eius scenæ finis potius, quam medijs habendam rationem: quis enim cernens quempiam in fabula seruum agere, quem certò sciret claro esse genere, & post fabulam genus suum recepturum, sperneret eum in illo scenæ actu, in quo seruus uideretur? nemo opinor, non enim tam attenderet, quid tunc ageretur, quam quid serio peracta fabula esset agendum. sic nimirum in hac parte fieri deberet, neque tam intuendus status, in quo hoc breui uitæ spatio, tanquam in paucarum horarum scena degit homo, quam quid in futurum, ubi ageretur æternitas, esse poterit. & quidem sola naturæ contemplatio, quod & ipsi serui homines sunt, efficere deberet, ut omnium ratio haberetur, verù hoc multò magis præstandum esse Christianis, de quibus ait Paulus. omnes filij Dei estis, eo quod credidistis Christo Iesu. nam quicumque baptizati estis, Christum induistis. audis illum factum filium Dei, & Christum induisse, & spernere audes? quare adiecit. non est Iudæus, neque Græcus, non est seruus, neque liber. non est masculus, ac fœmina. omnes vos vnus estis in Christo Iesu. quare habendi etiam, ut fratres sunt, quemadmodum ad Philemonem scribit Paulus, dum ei commendat Onesimum, eiusdem Philemonis olim seruum, quem Paulus in Christo genuerat. hortatur enim, ut eum recipiat, non iam ut seruum, sed supra seruum, nempe fratrem dilectum. Hic ergo Centurio habebat seruum ægrotantem, cui cum præstitisset, quæ potuerat officia, ut curaretur, ne tum quidem eum deseruit; cum morti proximus ageret animam. nihil poterat ei amplius exhibere, si fuisset illi pater, & penè plus exhibuit, quam passim parentes solent. nam illi cum exhalantem animam filium cernunt, nil superesse aliud putant, quam ut lacrymis eius obitum prosequantur. hic uerò post humana auxilia, cogitauit ad diuinam opem accurrere. Erat (inquit) illi charus, & merito, nam rectè quidam sapiens dixit. seruus prudens sit tibi dilectus, quasi anima tua. talem enim hunc fuisse credendum est. certis seruitutem non impedire, quò minus in pretio esse quiuis possit? uirtus enim est, quæ homines honestare consuevit, ut multi ex seruili conditione ad dignitates magnas euecti sint. quare aiebat Salomon. uidi seruos in equis, & principes ambulantes quasi seruos super terram. & alibi. seruus sapiens dominabitur filijs stultis, & inter fratres hæreditatem diuidet.

diuidet. nemo de humili conditione queratur. uera nobilitas in animo est. uirtutem exerce, & diuinum timorem ante oculos habe, & regum æquasti dignitatem, quamuis corpore seruias. nemini nocet seruitus, qui peccatorum seruù esse nolit. quin plerunque profuit. cõtemplare enim castissimum illum Ioseph, qui ob id ipsum, quod fratrum odio primum uenditus fuit, deinde Dominæ suæ scelere coniectus in carcerem, tantus euasit, ut primus post regem in Aegypto sit factus. sapientissimus Deus ita administrat omnia, ut nemo, nisi sua culpa, de sua conditione possit conqueri. sed pergamus ad reliqua. Cum audisset autè de Iesu, misit ad eum seniores Iudæorum, rogans eum, ut ueniret, & sanaret seruum suum. uide hominis diligentiam in quærenda serui salute. cum cerneret corporea medicamenta nihil iam posse, cumq; audisset, Iesum Diuina uirtute desperatos alioqui morbos curare, præcipuam illam uiam est arbitratus, qua seruus reciperet incolumitatem. atque ut facilius hoc impetraret, usus est ijs medijs, quæ idonea esse arbitrabatur, & Iudæorum seniores misit, qui eum rogarent. neque vos moueat, quod alius euangelista dicit, eum accessisse, atque id postulasse. nam uidetur ille studuisse breuitati, ut cum sciret, ubi quis per alium facit, perinde esse, ac si faceret per seipsum, non multum curauerit, totum rei ordinem scribere, satis arbitratus, si historix summam narraret. tale quid reperias etiam in alijs euangelistarum locis. in illa enim historia, ubi Iacobus, & Ioannes filij Zebedæi querebant proximum Christo gradum tenere, Matthæus dicit, eorum matrem accessisse, ac postulasse, ut unus sederet à dextris Christi, alter à sinistris in regno eius. Marcus uerò scribit, non matrem, sed ipsos adijisse magistrum. at hæc non est discrepancia, quæ offensionem parere debeat. cum idem sit utrobique sensus, & quod mater fecit, idem sit, ac si filij fecissent, cum hoc à matre sit factum à filijs subornata. hic itaque, quod Matthæus compendiosius dixit, Lucas magis explicuit. nisi malimus dicere, utrunque fuisse factum, ut & seniores primum mitteret, deinde ipse quoque accederet ob Christi reuerentiam, quod quidam non exigui nominis scriptores sunt opinati. uerum, si huius textus uerba diligentius obseruentur, non admodum tuta uidebitur hæc opinio. At illi cum uenissent ad Iesum, rogabant eum studiosè dicentes. dignus est, ut hoc illi præstes. diligitem enim gentem nostram, & synagogam ipse ædificauit nobis. Et hic Centurio, quamuis ethnicus esset, pietati tamen studebat. cum enim inter Iudæos uerfaretur, essetque iam mundo celebre, quod ea gens ueri Dei cultum teneret, hac fama permotus Centurio, in ipsius ueri Dei affectum, atque in eum pietatem uenerat. quare arbitratus, se rem ipsi uero Deo gratam facturum, ædificauit Iudæis synagogam, id est,

id est, locum, in quem continere solebat sabbatis ad tractandam diuinā legem. ideo nunc ipsi seniores Iudæorum, beneficij memores, obnixè rogant Dominum, ut seruum eius curet. Iesus autem ibat cum illis, ut cui nihil gratius sit, quàm exercere benignitatem, & ægrè fert, quoties nos nostro uitio impedimus illius erga nos beneficia. est enim ille sol iustitiæ, qui se iccirco offert aspectibus hominum, ut calorem suum, & beneficam uim cum illis communicet. sed nos uitia, & peccata obijcimus, tanquam densam nubem, quæ cœlestem illius uirtutem impediunt, quo minus ad nos descendat. Hoc autem, quod ait. Iesum iuisse cum illis, concordat cum eo, quod apud Matthæum legimus, Dominum dixisse. ego ueniam, & curabo eum. sed illud plus illic est, quod ostendit ingentem Seruatoris Christi humanitatem, qui se sponte obtulisset iurum. qua in re nostra reprehenditur insignis superbia, qui ad alterius domum accedere officij causa non dignatur. si aliquantò nobis inferior sit, opinati multum de dignitate nostra detrahi, si nos aliquid submittamus. neque saltem ethnici illius sententia permouemur, qui admonet, ut, quod præstantiores sumus, eò nos submissius geramus. cum autem hoc uitium in omnibus sit reprehensibile, tum apud Christianos esse deberet in primis abominandum, qui diuina hæc habent filij Dei exempla ante oculos, & ea non querunt imitari, atque adeo sunt potius ab eis alienissimi. hoc uitio multi uestrum non parum laborant, quin, quod magis est detestandum, inueniuntur, qui non solum se ad inferiores demittere nõ dignentur, uerum etiam erga superiores insolescant, & tunc se aliquid esse arbitrentur, cū illis sese obijciunt, ac cum eis litigant. ita prorsus inuersa est res Christiana propterea, quod nemo ferè tam admiranda filij Dei exempla, & eam humilitatem, quæ propria illius fuit, studet imitari. Et cum iam non longe abesset à domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens ei. Domine nõ li uexari, nõ enim sum dignus, ut sub tectum meum intres. Iam dictum est, cur nihil referat, euangelistas diuerso modo scripsisse, ut alter dixerit, illum accessisse, alter misisse. nam sæpe reperias & in ueteri, & in nouo testamento, ubi diuersis locis eadè tractatur historia, scriptores nunquam ferè eadem recitare uerba, sed uel augere aliquid, uel minuere. nõ satis esse debet ad historiæ ueritatem, summam rei esse ueram, si etiam ipse uerborum ordo nõ ad amussim ubique quadret. quare his prætermisissis, quæ nihil officere possunt prudentibus, contemnemur Centurionis, & prudentiam, & reuerentiam. miserat primò seniores, qui rogarent Dominum, ut ueniret, & seruaret seruum suum. opinor enim, illum interea assiduam altitisse curæ serui, quem agere animam cernebat. uerum, cum renuntiaretur sibi, Dominum non longe abesse à domo, uidetur quasi fuisse deterritus aduentu tantæ maiestatis, & doluisse, ac reprehendisse

sese, quod hunc laborem ei dedisset, ac præterea erubuisse, indignum se iudicans, qui exciperet domo tantum hospitem. quare continuo mutauit sententiam, & confestim misit amicos, qui rogarent, ne fatigaretur. obserua autem mira uerba, & non reuerentiæ solum, sed etiã fidei plena. noli (inquit) uexari. uexatione appellauit illud iter, quo ad illius domum accedebat. sed cur hoc dicit? non sum dignus (inquit) ut sub tectum meum intres. non est domus mea digna, in quam tanta sanctitas ingrediatur. ethnicus sum, nec quicquam in me reperio dignum tanto munere. uide uerò, quanti referat, quo quis affectu quid faciat. laudatur hic Centurio, quod rogauerit dominum, ne intraret in domum suam, hoc enim ob humilitatem faciebat, reueritus Domini maiestatem. sed non laudantur Gadareni, quis cū audissent, Dominum liberasse eum, qui à Dæmonum legione fuerat obsessus, & illos Dæmones ingressos in gregem porcorum, præcipitasse gregem illum in stagnum, & suffocatum esse, rogauerunt eum omnis multitudo finitimæ regionis Gadarenorum, ut discederet ab ipsis, quia magno timore tenebantur. uidentur enim per hæc uerba timuisse, nequa ultio & in ipsis fieret, quare obtabant, ut discederet, non ob eam reuerentiam, qua Petrus olim dixit. Domine discede à me, quia homo peccator sum. sed pœnarum metu. rursus Zachæus laudatur, quod rem & Petro, & huic Centurioni contrariam fecerit, quod scilicet gaudens exceperit illum in domum suam, neque se indignum iudicauerit, qui illum exciperet, nam intellexit, paratum sibi esse Domino conuiuium, quod si recusauisset, parum ciuilitate facere uisus fuisset. idem & nunc usu uenit. sunt enim, qui frui Domino cupientes eo pacto, quo in hac uita licet, frequentius ad eucharistiæ mysteria accedunt. alij hoc rarius faciunt, reueriti mysteriorum maiestatem, cum tamen interea summo erga Seruatorem Christum affectu teneantur. utrique ergo laudantur, quamuis diuersa ingrediantur uia, quia eodem, atque uno pietatis affectu Dominum prosequuntur. ita animus semper in factis nostris omnibus obseruatur, qui si rectus, ac bene affectus est, etiam in diuersis actionibus, & quæ contrariæ inter se uidentur, commendatur. legimus in Actis apostolorum, inter Paulum, & Barnabam discrepantiam intercessisse, dum Barnabas consulere, ut profecturi ad uisitandas ecclesias allumerent & Marcum. Paulus autem nolebat, ut is, qui defecisset ab ipsis ex Pamphilia, nec esset cum eis in opus, adiungeretur. neuter tamen in re tam diuersa dignus fuit reprehensione, cum Barnabas ad lenitatem inclinaret, Paulus uerò iudicaret, aliquantò seueriore censura esse utendum. eiusmodi autem exemplis docemur, ne tamere de aliorum factis, præsertim præstantium uirorum feramus iudicium, quamuis diuersis utantur uijs, sed accuratius intueamur, quo quisque animo quid

faciat. Non sum dignus, ut sub tectum meum intres, quapropter nec dignum me ipsum arbitratus sum, ut uenirem ad te. summam animi submissionem, qui non solum iudicaret se indignum, in cuius domum intraret Iesus, sed etiam qui in eius conspectu appareret. quanto nos intervallo ab hac erga Christum Dominum reuerentia distamus? tunc Iesus credebatur quidem uir summæ sanctitatis, & propheta magnus, non tamen is, quem nunc agnoscimus. & Centurio uir ethnicus non solum non audebat illum accipere in domum suam, sed ne adire quidem illum, se dignum iudicauit. nos illum Dei filium, ac Deum credimus, & sedere à dextris Dei, & datam ei fuisse omnem potestatem in cælo, & in terra, & quam euidencia signa præbemus, quibus declaremus, nos illum ita reuereri, ut hic fecit Centurio? quid dignum facimus, quo significemus, nos optare illum pro uiribus honestare? ut illos interea Christianos, si tamen hoc cognomine digni sunt, taceam, qui ore blasphemum nomen eius sanctum, cui cælum, terra, inferi reflectunt genus, conspurcant, atque dilacerant. certè maxima pars Christianorum ita uiuit, ut nomen Iesu malè auidiat propter eos inter gentes, non ut honestetur. Quid ergo vis beate Centurio, si neque te dignum iudicas, vel in cuius domum Iesus ingrediatur, vel tu ad eum accedas? Dic (inquit) uerbo, & sanabitur puer meus. at quo pacto censes fieri posse, ut solo imperio sanet puerum tuum? etenim ego (inquit) homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic. uade, & uadit: & alteri, ueni, ac uenit. & seruo meo, fac hoc, & facit. mirum argumentandi genus, à summa fide profectum. coniecturam (inquit) ex me facio, quid ipse possis. etenim ego, qui homo sum, non absolutam auctoritatem habens, sed sub aliena potestate positus, tamen habeo milites, & seruos, quibus præsum, & imperem, atque ad uocis meæ imperium obediunt. Tu tantus, qui ipsi naturæ domineris, quid non solo uerbo possis? Auditis his Iesus, miratus est eum, & conuersus, sequenti se turbæ dixit. dico uobis, ne in Israel quidem tantam fidem inueni. Miratus est Iesus, id est ostendit rem illam dignam esse admiratione. neque enim illa admiratio eius generis fuit, quæ solet esse imperitorum, et ignorantium. neque quæuis admiratio ex ignoratione proficiscitur. quin potius intelligere, quæ sint res admiratione dignæ, non exigui est ingenij. nesciunt enim rudes, ac imperiti, quibus in rebus admiratione sit utendum. quare ascribitur philosophis, & ingeniosis uiris, quod philosophiam ex eo inuenerint, quod obseruauerint res in natura dignas admiratione. in eundem modum licet dubitatio soleat esse ignorantium, scire tamen ubi dubitari possit, in primis est peritorum, & doctorum hominum. hæc autem diximus aduersus impios illos, qui olim calumniandi occasionem querentes ex hoc loco uolebant Dominum, id est,

id est, sapientiam Dei, ignorantia redarguere, quod Centurionem fuerit admiratus. Quod autem ait, ne in Israel quidem, id est, in Israelitico populo tantam se fidem inuenisse, iam tum signabatur, gentes fidem Iudæorum superaturas. quare in Matthæo additur. dico autem uobis, quod multi ab oriente, & occidente uenient, & accumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno cælorum, filij autem regni eijicientur in tenebras exteriores. Et reuersi, qui missi fuerant, domum, inuenerunt seruum, qui languerat, sanum. uel, ut Matthæus scribit, & dixit Iesus Centurioni. uade, & sicut credidisti, fiat tibi. & sanatus est puer ex illa hora. Studeamus, hanc huius Centurionis fidem imitari, & ex eorum esse numero, de quibus hic Dominus dixit, quod multi uenturi essent ab oriente, & occidente, & accubaturi cum beatis illis patriarchis, & amicis Dei. nam de nobis prædicta illa fuerunt. eramus enim gentes sine Deo, & colebamus faxa, & simulachra, & omnem hominis dignitatem amiseramus, sed in comprehensa Dei benignitas miserata nostri, misit ad nos hanc Euangelicam lucem, qua possemus ex inimicis euadere filij Dei. & quidem fuerunt olim tempora, cum agnoscebamus tantum bonum, & ubi quis in Christum credidisset, totum se in eius philosophiam dabat, ut non facultates solum, sed uitam etiam ipsam contemneret, ac maximis, crudelissimisque tormentis illam exponeret, tuendi nominis Christi gratia. nunc nullam uideo huius nominis haberi rationem, uereorque uehementer, ne nos simus ex eorum numero, qui mittendi sint in extremas tenebras, ubi erit fletus, & stridor dentium. nos enim deteriora facimus ijs, quibus tunc Dominus eas minas intentabat, & cum simus sceleratiores, nihil tamen formidamus, sed stultè nobis pollicemur accubitum cum Abraham, Isaac, & Jacob, à quorum moribus, & fide longissimo distamus intervallo. quare mutemus mentem, mihi credite, & per rectè facta declaremus fidem nostram, alioqui fides sine operibus mortua est. opera ergo ipsa uiuam fidem ostendant, per quam promissa uerè fidelibus bona assequamur. Inuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & potestas, & imperium, & nunc, & in omnia secula. Amen.

ORATIO TRIGESIMAOCTAVA.



Factum est deinceps, ibat in ciuitatem, quæ uocatur Nain, & ibant cum eo discipuli eius multi, & turba copiosa. Ibat Iesus officium exercens, & munus, ob quod missus fuerat, quemadmodum alibi audiuius ab hoc ipso euangelista dictum à Domino, cum, turbis querentibus eum, & detinere uolentibus, ne discederet ab eis, respondit. & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ad hoc missus sum. uenit ergo in ciuitatem, quæ uocabatur Nain, ut ibi non solum prædicaret, sed rem iucundam, ac delectabilem etiam faceret, factumque responderet urbis appellationi. Nain enim iucundum, ac delectabile significat. comitabantur eum discipuli eius multi. non enim omnes ire semper cum eo poterant, uel ob ingentem numerum, etenim præter duodecim apostolos, et alios septuaginta, multi erant ei discipuli. uel quod eorum partem miserat ad prædicandum, sicut de septuaginta legimus, designauisse eos Dominum, & misisse in omnem regionem, & locum, quod erat ipse uenturus. neque uerò discipuli solum, sed adunata erat turba copiosa, quæ adibat eum, ut & audirent prædicantem, & sanarentur à morbis suis, ut superius scripsit euangelista. Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ. Appropinquans portæ ciuitatis obuium habuit defunctum prius, quam ingrederetur ciuitatem. nam mos erat, ut mortui extra urbem efferrentur sepeliendi, ut ciuitas esset purgatio, ac mundior. & huius rei uestigia extant adhuc per has regiones, ubi plerisque locis fabricæ, aut potius ruinae quædam reperiuntur sepulchrorum, quæ in agris sitæ sunt seorsum ab ædificijs, in quibus homines habitare consueuerunt. nunc sicut omnia apud Christianos inuersa sunt, ita & hæc res. nam mortui non intra urbem tantum, quod esset tolerabilius, sed in templis sepeliuntur, & implentur cadaueribus loca Deo dicata. neque contenti homines, intra parietes templi mortuos ponere, interdum intra sancta sanctorum inferri uolunt profanorum corpora, quæ uix essent digna, quæ extra urbem sepulturæ mandarentur. quæ sancta sanctorum solis sacerdotibus in templo ministrantibus esse peruia deberent. atqui in Hebræorum templo ne sacerdotes quidem illum in locum ingrediebantur, sed solus pontifex, idque semel per annum. O uerè perditum seculum, nullam habent rationem exemplorum diuinæ legis, non legum pontificiarum, quæ, siqui sunt in templis sepeliendi, nolunt quenquam ibi sepeliri,

nisi

nisi cuius fuisset insignis uitæ integritas, atque omnibus testata sanctitas quin, & imperatoris leges uetant quenquam in templis sepeliri. at hoc æuo honestiori loco templi ponuntur plerunque, qui inhonestiorem, & penè plus quam ethnicam duxerunt uitam, adiectis in maius Diuini honoris dedecus, uexillis, & insignibus domus. maior priuatarum domorum habetur ratio, quam templorum. quis enim unquam domum suam esse uoluit putridorum cadauerum habitationem? inter forum quoque, & templum nulla differentia est. nam æquè in templo, ut in foro fiunt deambulationes, & huius seculi negotia tractantur. quis uestrum præterea domum suam passus unquam est fieri quorumuis canum diuersorium? at templa omnibus totius urbis canibus peruia sunt. mitto lasciuias, & intemperantes iactus oculorum, qui à iuuenibus in mulieres fiunt, ut templa penè in prostibula redacta sint. exurge, quare obdormis Domine Iesu? tempus est repetendi iterum illius flagelli, quo olim eiecisti è templo uendentes, & ementes. quamuis locus ille non esset ipsum templum. nam in illud soli sacerdotes, ac ministri templi ingrediebantur, non quisquam è populo, sed nomine templi accipiebatur etiam illa structura fabricæ cum templo coniuncta, ubi uendentes erant, & ementes, quos tamen ob uiciniam templi, atque eius reuerentiam Dominus non tulit, sed adhibita omni seueritate eiecit. nunc uerò ipsa templa, non adiacens structura, tam profanè uiolantur, illa templa, in quibus ea mysteria tractantur, quæ cælum admiratur, et cælestes illæ mentes. quæ etiam mysteria (nequid ad plenam profanationem desit) dum aguntur, monstro per simile est, uidere, quàm incompositè plerique se habeant, & perinde sacrificio illi incruento astent, quasi intueantur mactari in macello tauros, aut arietes. hæc plus quam ethnicorum sunt. nam ethnicos in Deorum suorum templis, qui tamen non erant Dij, tam scelerata patrasse nunquam legimus. quæ si perseuerent diutius, quid expectandum nobis est, nisi ut securis ad radicem arboris ponatur, & arbor non faciens fructum succidatur, & in ignem conijciatur? Cum ergo propinquaret portæ ciuitatis Iesus, ecce defunctus efferebatur. illud, ecce, rem improuifam significare uidetur, quasi casu id acciderit, ut Iesus obuium haberet defunctum, dum aliud ageret, ac prædicandi Euangelij gratia illuc accederet. sed hoc dictum est ex hominum consuetudine, qui, quoties aliquid accidit, quod ipsi cogitatione non præceperint, fortuitum arbitrantur. at Diuinæ sapientiæ nihil accidit fortuitò. omnia præuidet, omnia præsentit, omnia ipso regente fiunt. sciens ergo Iesus, quod futurum esset, eo tempore profectus est, quo hic mortuus efferebatur, ut edito miraculo fides credentium aueretur. quod ergo nostræ ignorantie casu, ac fortuitò accidere uidetur, id totum à Diuina prouidentia sapientissimè regitur.

gitur. hoc autem scire utile est, ut in quotidianis euentis non ita facile homines ad casum, ac fortunam confugiant, quod sæpe faciunt, sed potius ad Diuinæ sapientiæ curam, ac prouidentiam accurrant. sic enim & quietiore animo, & erga Deum gratiore erimus. si enim aduersa erunt, quæ inopinata euenient, non turbabimur, incusantes fortem malam, ac fortunam malam. nam hoc pacto iniurij in Deum sumus, neque id aduertimus, & fortunam incusantes, Deum calumniatur. Deus enim, non fortuna, regit vniuersa. si prospera erunt, quæ nobis minimè expectantibus accident, ea Deo accepta referemus, & nostra in eum pietas augebitur. Ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ, & hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa. Quid attinuerat, dicere, hunc mortuum fuisse vnicum matri suæ, eamque fuisse viduam? nonne satis erat dixisse, defunctum elatum, cui rei mater eius interesset? hæc sapientissimè ab euangelista fuerunt dicta, ut doceret causam, cur Dominus hunc mortuum suscitauerit. neque enim quemlibet vita functum, qui ei fieret obuius, ad vitam reuocabat, sed omnia cum iudicio ab eo fiebant, quod ex alijs factis in hunc modum licet intelligere. filiam principis synagogæ suscitauit. quam ob causam? hic princeps synagogæ procidit ad pedes Iesu, & deprecabatur eum multum, dicens. filiola mea in extremis est, oro, vt venias, & imponas illi manus, vt salua sit, & viuet. & abiit cum illo. & sequebatur eum turba multa. Interea veniunt à principe synagogæ, qui dicerent, filia tua mortua est, quid ultra vexas magistrum? si desisset Iesus progredi, visus fuisset, non potuisse eam vita functam suscitare, quod sanè derogauisset veritati, quam invulgare mûdo venerat. quare Iesus audito sermone, qui dicebatur, animum adiecit illi principi synagogæ, & dixit. ne metuas, tantummodo crede. itaque accessit, & suscitauit puellam. sic in Lazari historia, cogitandum est, domum illam fuisse frequens, ac familiare hospitium Domini, & æquum fuisse, vt cum sorores Lazari misissent ad eum, qui dicerent, Domine, quem amas, infirmatur, illis gratificaretur, atque exemplum relinqueret grati animi. Et in hoc ergo miraculo uolens euangelista docere causam. cur Dominus hunc mortuum suscitauerit, duo proposuit, quæ commiserationem parere consueuerunt, & quod hic esset filius unicus, & quod præterea mater vidua esset. chari esse solent filij, etiam cum plures habentur, & in eorum iactura dolent parentes. vide enim, quid fecerit Dauid. cum enim percussisset Dominus infantem, quem pepererat vxor Vriæ ipsi Dauid, & desperaretur eius salus, quamuis plures alios haberet liberos, tamen precatus est Dominum pro puero, & ieiunauit, & ingressus pernoctauit, & iacuit super terram, & tam uehemèter dolebat, ut, cū uenissent seniores domus eius, cogentes eum, ut surgeret è terra, recusauerit, neq; capere uoluerit cū eis cibum.

cibum. dolori ergo est parentibus mors filij, etiã cū alij sunt superfites. at ubi is, qui unicus erat, moritur, tam ingès esse solet dolor, ut cū prophete ingentè luctū dicere uolunt, appellent luctū vnigeniti, quæadmodū in Ieremia legimus. filia (inquit) populi mei accingere cilicio, & conspergere cinere, luctū vnigeniti fac tibi, planctū amarū, quia repete ueniet uastator super nos. & cū uterq; parens charum habeat vnigenitū, multò uehementius affici mater solet. iccirco Dauid indicare uolens, quam ardèter amaret Ionathã sibi charissimū, non patris meminit, sed matris, & dixit. sicut mater unicum amat filiū, ita te diligebã. consueuerunt. n. matres attentius, ac frequentius iucundas habere cogitationes, & spe præuenire gaudia, quibus afficiendæ sint, cū adoleuerit filius, cū vxori eū copulauerit, cū natos ex eis filios genibus exceperit. neq; desperat nepotū filios videre posse. cū uerò per mortē filij tanta spes illas frustrata est, cogitet unusquisq; uestru, quantus eas dolor occupet: quod si contingat hanc matrē uiduã esse, ac uiri solatio destitutã, suprema est calamitas. cū. n. moriente vnigenito superest uir, habet, cui innitatur, qui eã consoletur, qui eam curet. rursus moriente uiro si filium habet, consolationem accipit, tanquam uiuam patris imaginem intuens. recreatur, dum cernit filium strenuè domestica negocia agere, & solertem euadere in uirum, quibus rebus penè mortui mariti obliuiscitur. at cum utroq; orbata solatio est, quis satis assequatur cogitatione mali magnitudinem? uidere sceminã, quæ per se maximè imbecillus sexus est, quæ tum etiam, cum uirum, ac filios habet, pusilli est animi, & uiro, & filijs, id est, omni ferè humano auxilio destitutam. & fortasse hæc omnia miserata ciuitas, ut quo posset modo afflictam consolaretur, fecit, quod hic narrat euangelista, & turba, inquiens, ciuitatis multa cum illa. docemur aut & hic, oportere ciues charitate inter se esse coniunctos, ut communes habeant & molestias, & læticias, ut tota ciuitas tanquam una quædã magna domus appareat, & in ea impleatur, quod admo net Paulus, cum ait. gaudere cum gaudentibus, flere cū flentibus. & quidem cum natura ipsa humana per se omnes ad hoc inuiter, tū Christianæ huius ueritatis agnitio exstimulare multò magis deberet, qua docemur, nos esse inuicè fratres, inuicè mēbra, & summã Christianæ philosophiæ esse charitatē, quod pulchrè in illo epithalamio, quod canticū canticorū Salomonis inscribitur, fuit designatū, ubi introducitur spōsa. i. ecclesia loqui, & dicere. introduxit me rex in domū uini, insigniuit propter me charitatem. appellant Hebræi diuersorium hospitum domū uini, quã nos cauponã dicimus. comparat ergo habitationem fidelium hospitio, cui pro insigni, quod eiusmodi locis imponi solet, charitas posita sit. hoc insigne ubi deest, non potest congregatio fidelium appellari, sed synagoga Satana. Quam cū uidisset Dominus, misericordia motus super eã, dixit illi. noli flere

flere. miserator, & misericors Dominus (ait propheta) & miserationes eius super omnia opera eius. iure autem miseratur dolentem matrem. ipse enim matribus ingeneravit teneros motus magis, quam viris, idque necessariò: nam aliter non possent eos labores ferre, qui infantibus educandis sunt necessarij. quantæ obsecro est tolerantia, diurnos, nocturnosque vagitus puerorum tam diu ferre? maximam plerunque noctium partem ducere infomnem? quotidie tergendis, atque abluendis eorum excrementis incumbere? & ea facere, ac pati, quæ neque fieri, neque perferri possint, nisi à mollissimo animo, ac miserationis pleno? ob hanc causam ipse Dominus erga matrem hanc, & uiduam, & orbatam filio unico misericordia motus est. Sed nollem, has matres, quæ hic præsentibus sunt, occasionem ex uerbis meis arripere, acerbius dolendi in filiorum morte. primum enim non habent hic ex Euangelio illam, qua uti solent, eiulandi licentiam, quin potius contrarium admonentur. etenim prohibet Dominus eam flere, idque prius, quam illi suscitationem filij polliceretur, quæ etiam, si flebat, magis ei fuerat ignoscendum, ad quam resurrectionis fama nondum peruenerat. tu verò Christiana mulier, quæ didicisti, promitti fidelibus resurrectionem ex mortuis, & mortem in scripturis sacris appellari somnum, non plus dolere deberes ex filij, aut alterius chari morte, quam cum cernis eum dormire, paulò post expergiscendum. quantus autem pudor est, in eiusmodi mortibus uellere crines, lacerare genas, ululare, atque interdum, quod multò est detestabilius, atque apertissima blasphemia, de Deo conqueri? hoc ethnicæ, non Christianæ est mentis, & eius, quæ nulla fide sit prædita. erant in ueteri testamento mulieres olim, non modo modestiores in luctu, uerum etiam fidentiores. cuius rei, ædificandi uestri gratia, exemplum unum proferam, eoque libentius, quòd maxima uestri pars tam pulchras historias ignorat, cum uestra negligentia, tum pastorum incuria, alioqui satis erat rem perstringere, quantum ad hoc pertinet, de quo agimus. Transibat quodam die Elisæus per Sunam. erat autem ibi mulier magna, quæ tenuit eum, ut comederet panem. cumque frequenter inde transiret, diuertebat ad eam, ut comederet panem. quæ dixit ad uirum suum. animaduerto, quòd uir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter. faciamus ergo ei cœnaculum paruum, & ponamus ei in illo lectulum, & mensam, & sellam, & candelabrum, ut, cum uenerit ad nos, maneat ibi, facta est ergo dies quædam, & ueniens diuertit in cœnaculum, & requieuit ibi. dixitque ad Giezi puerum suum. uoca Sunamitidem istam, qui cum uocasset eam, & illa stetit coram eo, dixit ad puerum suum. loquere ad eam, ecce sedulè in omnibus ministrasti nobis, quid uis ut faciam tibi? nunquid habes negocium, & nis, ut loquar regi, siue principi militiæ? quæ respondit.

respondit. in medio populi mei habito, id est, cum habitem in medio cognationis meæ, & populi, illi causam meam agent apud regem, quando necessitas ingruerit. & ait. quid ergo uult, ut faciam ei? dixitque Giezi. certè filium non habet, & uir eius senex est. præcepitque, ut uocaret eam, quæ cum uocata fuisset, & stetit ante ostium, dixit ad eam. in tempore isto iuxta tempus uitæ, habebis in utero filium. at illa respondit. noli quæso domine mi uir Dei, noli mentiri ancillæ tuæ. & concepit mulier, & peperit filium in tempore illo iuxta tempus uitæ, sicut dixerat ei Elisæus. Creuit autem puer, & cum esset quædam dies, & egressus esset ad patrem suum ad messorum, ait patri suo, caput meum, caput meum. at ille dixit puero. tolle, duc eum ad matrem suam. qui cum tulisset, & duxisset eum ad matrem suam, posuit eum illa super genua sua, usque ad meridiem, & mortuus est. Ascendit autem, & colloucauit eum super lectulum hominis Dei, & clausit ostium, & egressa uocauit uirum suum, & ait. mitte mecum obsecro unum de pueris, & asinam, & excurram usque ad hominem Dei, & reuertar. qui ait illi, quam ob causam vadis ad eum? hodie non sunt calendæ, neque sabbatum. quæ respondit, propter salutem. strauitque asinam, & præcepit puero. duc, & propera, nec facias eam tardè incedere eo, quòd ego insideam ei, nisi cum dixerò tibi. profecta est igitur, & uenit ad uirum Dei in montem Carmeli. cumque uidisset eam uir Dei è contra, ait ad Giezi puerum suum. ecce Sunamitis illa. uade ergo in occursum eius, & dic ei. rectè ne agitur circa te, & circa uirum tuum, & circa filium tuum? quæ respondit, rectè. cumque uenisset ad uirum Dei in montem, apprehendit pedes eius, & accessit Giezi, ut amoueret eam. & ait homo Dei. Dimitte illam. anima enim eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi. quæ dixit illi. nunquid petiui filium à Domino meo? nunquid non dixi tibi, ne illudas me? & ille ait ad Giezi. accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & uade. si occurrerit tibi homo, non salutes eum. & si salutauerit te quispiam, non respondeas illi, & pones baculum meum super faciem pueri. porrò mater pueri ait. uiuit Dominus, & uiuit anima tua, non dimittam te. surrexit ergo, & secutus est eam. Giezi autem præcesserat ante eos, & posuerat baculum super faciem pueri, & non erat vox, neque sensus, reuersusque est in occursum eius, & nuntiavit ei dicens. non surrexit puer. ingressus est ergo Elisæus domum, & ecce puer iacebat mortuus in lectulo eius, ingressusque clausit ostium super se, & super puerum, & orauit ad Dominum, & ascendit, & incubuit super puerum, posuitque os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius, & incuruauit se super eum, & calefacta est caro pueri. at ille reuersus deambulauit in domo semel huc, atque illuc, & ascendit, & incubuit,

& oscitauit puer septies, aperuitque oculos. & ille vocauit Ciezi, & dixit ei. voca Sunamitidem hanc, quæ vocata ingressa est ad eum. qui ait. tolle filium tuum. venit illa, & corruit ad pedes eius, & adorauit super terram, tulitque filium suum, & egressa est, & Eliseus reuersus est in Galgala. Animaduerto ex attentione vestra, placuisse vobis historiam, sed multò magis vos mysteria in eo delitescencia delectarent, si ratio temporis pateretur, ut in eis exspatiaremur. verùm, ne ab Euangelica historia longius euagemur, satis erit, illud admonere, cuius causa eius meminimus. cernitis, hanc mulierem ita repentina vnigeniti, & eius, quæ præter spem genuerat, morte nihil fecisse indecorum, nihil dissolutum? nullos hic audistis ululatus, nullos incòpositos motus. omnia tranquillè, & cùm prudentia facta. obserua item admirandam fidem. quo tempore summum erat de mortuorum resurrectione silentium, non desperat, mortuum filium esse ad vitam reuocandum. quare ponit illum super lectulum viri Dei, à quo beneficiùm hoc expectabat, & strenuè, ac prudenter omnia facit, quæcunque ex hac historia audiistis. At nunc deberent Christiani multò esse modestiores, magisque compositi in eiusmodi casibus. nam illius Sunamitidis filius suscitatus quidem fuit, sed iterum moriturus. nobis verò promittitur resurrectio in immortalem vitam, cuius tunc mentio non erat, & audeat quisquam afflicti ob chari alicuius mortem, quem paulò post plenum gloriæ sit còspecturus? hi tam crassi errores fiunt propterea, quòd nescimus in rebus eiusmodi vti fidei adiumento, qua erigamur, & humanos affectus sedemus, ac superemus. Cum ergo Dominus prohibuisset hanc viduam flere, accessit, tetigitque loculum. porrò qui portabant, substiterunt. tetigit loculum, ac forètrum Iesus, ut ij, qui defunctum portabant, confisterent, quòd intelligentes obtemperarunt. Et ait. adolescens, tibi dico, surge. Obserua Diuinam in Iesu potestatem. In corporeo somno adolescens ille fuisset oppressus, non tam facillè quisquam illum excitauisset, vt expergisceretur, quàm facillè Iesus illum à mortuis reuocauit. quin verba illa, tibi dico, leuius negocium hoc fuisse Domino indicant, quàm à somno excitare. solemus enim eiusmodi verbis vti, non cùm dormientem vocamus, sed quempiam, qui non dormiat quidem, sed alicui alteri rei intentum habeat animum, vt, quæ illi dicimus, aduertat. ita Diuinæ potentie omnia sunt facillima. quid verò mirum, si adolescentem recens mortuum tam facile suscitauit, cum in illa omnium resurrectione, ij, qui tot ante seculis in terræ puluerem versi erant, in momento (vt ait Paulus) in icu oculi sint ad vitam reuocandi? Adolescens, tibi dico, surge. non fuit necessarium rogare patrem, cum parem haberet cum eo potestatem. sicut pater (inquit) suscitatur mortuos, & viuificat, sic & filius, quos vult, viuificat. refert quidem, quoties opus est, ad patrem omnia,

omnia, ut qui ex eo sit. iccirco in Lazari suscitatione vtrumque seruauit, & potestatem, quam habebat, & erga patrem reuerentiam, cum dixit. pater, gratias ago tibi, quòd audisti me. ego autem sciebam, quòd semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi, ut credant, quòd tu me miseris. non hic rogat, neque enim hec esse habebat precando impetrare, quòd ex æquali cum patre natura in eius erat potestate, sed tantum gratias agit. quare? propter populum (inquit) qui circumstat, vt credant, quòd tu me miseris, vt populus, (inquit) qui nondum assecutus est hoc mysterium acceptæ humanæ naturæ, & cum Diuinitate coniunctæ, credat, me tecum esse vnanimem, neque à tua voluntate vlla in re discrepare, ob hanc causam ista dixi. Et hoc quidem modo præcipuè vsus fuit, vt potestatem declararet, quam erat necesse agnosci, vt huius philosophiæ veritas, intelligeretur. vbi verò interdum rogasse scribitur, hoc ad acceptam à nobis naturam referendum est, ut cum rogauit patrem, vt, si fieri posset, transfret ab eo calix. & cum dixit. rogabo patrem, & alium paraclætum dabit vobis. & quæcunq; huius generis sunt, & frequenter precationi operam dabit. nisi enim ea, quæ ad humanam naturam pertinent, exercuisset; ociosa fuisset illius susceptio. distinctiones huiusmodi si obseruassent heretici, non tam monstrosas hæreses in Christianum orbem inuexissent. Et resedit, qui erat mortuus. non dixit & resedit adolescens, sed qui erat mortuus, vel ad historiæ euidentiã, vel certè, quia id miraculi ratio postulabat, ut excitaretur magis lector ad agnoscendum, quanta res esset, ut qui erat mortuus, repente ad illa uocantis Domini uerba resideret. ita sapienter euangelista sua uerba moderatur. Et cepit loqui. & hoc adiecit, ut ueritas resurrectionis esset euidentiõr, & agnosceretur non solum suscitatus fuisse, sed etiam recepisse uires. nam sunt, qui, si etiam uiuant, ob imbecillitatem tamen uirium loqui non possunt. recepit ergo eodem tempore & uitam, & incolumitatem, ac uires, sicut & in focu Petri factum est, quæ, ubi primum discessit febris, mox cepit, illis ministrare, in plenæ sanitatis indicium. Et dedit illum matri suæ. hoc ad humanissimos filij Dei mores pertinet. nam ex uarijs Euangeliorum locis facillè cernere est, summa illum semper uti solitum, in consuetudine quotidiana, lenitate, ac mansuetudine, & humanitate. ut rectè dixerit. discite à me, quòd mitis sim, & humilis corde. at hoc nos discere nescimus, sed contra potius, uerba nostra omnia, & facta nihil spirant aliud, quàm superbiam, & arrogantiam. Accepit autem omnes timor, & glorificabant Deum dicentes. propheta magnus surrexit inter nos, & uisitauit Deus populum suum. Quod ait, timorem accepisse omnes, significat admirationem illam, quàm miraculi nouitas peperit in oculis, ac mentibus inuentium. quare

glorificauerunt Deum, qui tantis gentem illam beneficijs prosequeretur, ideo adiecerunt . propheta magnus surrexit inter nos, & Deus uisitauit populum suum . prophetam magnum appellant . neque enim adhuc intelligebant , quod filius esset Dei , qui naturam nostram induisset . illud item uerbum, surrexit, Hebræa locutio est, ut dicant, surgere, pro eo, quod est, existere, atque aperiri, & agnosci. sicut, & illud, inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista, id est, non extitit, non apparuit, non est declaratus maior propheta , qui non solum propheta fuerit, sed, Seruatore Christo teste , etiam plus quam propheta . hoc autem non fuit superuacuum admonere, nequis decipiatur, quemadmodum quidam, alioqui docti uiri, qui non animaduertentes Hebræam phrasim , frustra in illo uerbo, surrexit, fuerunt philosophati . Dicunt etiam , Deum uisitasse populum suum, uel quia id dicere solebant, cum Deus aliquem prophetam mittebat illi populo; uel coniectarunt illud, quod Zacharias pater Ioannis Baptiste prophetauit, dicens : benedictus Dominus Deus Israel, quia uisitauit, & fecit redemptionem populi sui . expectabant enim Messiam, id est, Christum, cumque Iesum cernerent ea facere, quæ nemo alius fecisset, facile erat, opinari, hunc illum esse, qui uenturus expectabatur . sicut & alibi legimus dictum . hic est uerè propheta, qui uenturus erat in mundum . Audiuimus in hac historia, adolescentem à Seruatore Christo uitæ restitutum, referamus animum ad illud tempus, cum, & nos suscitabimur, non iterum mortales, & corruptioni rursus obnoxij futuri, sed in ea gloria; de qua Paulus loquitur . Seruatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ , ut conforme sit corpori claritatis suæ . sed quinam sunt, qui hæc pulchras cogitationes animo uersant ? nempe de quibus prius dixerat . conuersatio nostra in cælis est . fieri enim non potest, ut, qui quotidie, atque adeo omnibus horis fluxa hæc, & caduca cogitant, de beata illa resurrectione, & uita, quam in cælo habituri sumus, cogitare idonei sint, non magis, quam iij, qui prostrati facie in terram uersa, cælum suspicere tandiu, dum in eo sunt statu . non pudet, homines, quibus tanta declarata est ueritas, in hoc duntaxat umbræ somnio (ut rectè quidam externus poeta dixit) esse occupatos, neque unquam ad seria, & grauiam, & Christiana philosophia digna sese attollere ? surgent in iudicio aduersus nos multi ex ijs, quos Paulus sine Deo fuisse ait, qui in illis tenebris lucem quærebant, & hortabantur sese, ut discerent disiungi à corporibus, et consuescere mori. quod tunc se facere dicebant, cum à corporis uoluptatibus, & à rebus familiaribus, terrenisque cogitationibus se uocabant animum, & hoc arbitrabantur quandam esse cælestis uitæ imaginem . nos uerò in tanta luce tenebris gaudemus , neque unquam cælestes has diuitias tractare animo , et his

frui

frui curamus. quid prodest, Christianum se profiteri, & uitam agere tam à Christianis moribus alienam? emendemus obsecro tantum errorem, & ad hanc resurrectionem, quæ nobis promittitur, attollamus oculos, & bene nos in eius cogitationem, & affectum demus. hæc enim una uia est, qua metum mortis superemus, qui metus unam ob causam Christiano homini oriri potest, ob peccatorum uidelicet conscientiam. nam ethnici; & qui huius ueritatis erant ignari, aliam ob causam timere mortem poterant, uel quod ignorabant resurrectionem, uel quod de animæ immortalitate diffidebant . sed cum nobis utrunque certissimum sit, tollantur eccata, & mortis cogitatio non modo terrori non erit, sed iucunditati potius, ut per quam iter ad uitam habeamus . atque ita fiet, ut sublato mortis metu, etiam hanc uitam iucundius agamus, spe illius beatæ eternitatis, quam utinam omnes consequamur. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & potestas, & imperium, & nunc, & in omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO TRIGESIMANONA.



Exiit rumor in uniuersam Iudæam de eo, & omnem finitimam regionem. Inter maxima miracula, quæ acciderent inter homines consueuerunt, est mortuorum suscitatio, quæ res sapientibus huius mundi tam uidebatur minime possibilis, ut, cum de nostris dogmatibus loquentes nos audirent, ferrent patienter multa, ubi uerò resurrectionis mortuorum fiebat mentio, irridebant, atque orationem interdicebant. iure ergo, ubi factum est à Domino hoc miraculum in Nain resuscitati illis adolescentis, exijt rumor ille in uniuersam Iudæam, & omnem finitimam regionem. hoc autem uidetur fuisse dictum ab euangelista, ut sequentem historiam subtexeret. Et annuntiauerunt Ioanni discipuli ipsius de his omnibus. uidentur hi discipuli ista renuntiauisse Ioanni, æmulatione honoris magistri, sicut & apud Ioannem legimus fecisse illos, cum uenerunt ad eum, & dixerunt ei. rabbi, qui erat trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes ueniunt ad eum. Erat tunc Ioannes in carcere, quemadmodum legimus in Matthæo, qui sic ait. Ioannes autem cum audisset in uinculis opera Christi. nostis enim,

enim, & ea historia declarata ex hoc loco à nobis est, Ioannem Baptistam coniectum fuisse ab Herode in carcerem, propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam uxorem, & arguebat eum Ioannes, quod non liceret ei habere uxorem fratris sui. Et conuocauit duos de discipulis suis Ioannes, misitque ad Iesum dicens. tu es, ille qui uenturus erat, an alium expectamus? carceris, & uinculorum molestia non prohibebant Ioannem, quod minus officio sengeretur suo, hoc proprium est eorum, qui uerè, atque ex animo seruiunt Deo, nullis afflictionibus deterreri, ne ea & dicant, & faciant, & tractent, quæ ad gloriam Dei pertineant. sic Paulus in medijs uinculis, scribebat ecclesijs, & eas confirmabat, & cum ipse, ac Silas plagis affecti essent, atque in interiorem carcerem coniecti, non sunt obliui, media nocte laudes de more Deo persolvere. nos uerò non solum in afflictionibus obliuiscimur Deo prestare, quod debemus, uerum etiam cum maximis ab eo afficimur beneficijs. Sed uident dum attentius est, cur Ioannes miserit discipulos, qui hanc facerent interrogationem, tu es ille, qui uenturus erat, id est, qui expectabatur, ut ueniret, an alium expectamus? perinde quasi non agnosceret illum esse Christum, aut aliquid de eo dubitaret. & tamen is est Ioannes, qui adhuc in matris utero conclusus, reueritus Iesu maiestatem, exultauit præ gaudio. uideamus item, quid ipse Ioannes de eo dixerit. cum enim uidisset Iesum uenientem ad se, ait. ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. & paulò post. uidi spiritum descendentem quasi columbam de celo, & mansit super eum, & ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit. super quem uideris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in spiritu sancto; & ego uidi, & testimonium perhibui, quod hic est filius Dei. fatetur hic, Iesum esse filium Dei, & eum, qui tollit peccatum mundi, quæ cui alteri, quam Christo possunt conuenire? alio item loco apertius fatetur, illum esse Christum, cum dixit. ipsi uos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim, non sum ego Christus, sed missus sum ante illum. quæ uerba respondent uerbis angeli, cum dixit Zachariæ. ipse præibit ante illum in spiritu, & uirtute Eliæ. deinde adiecit. qui habet sponsam, sponsus est, amicus autem sponsi qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter uocem sponsi. hoc ergo gaudium meum impletum est. illum oportet crescere, me autem minui. qui de supernis uenit, super omnes est. qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur. qui de celo uenit, super omnes est. & quod uidit, & audiuit, hoc testatur. at post paulò. pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius. hæc certè magnifica uerba, quibus cum dici magnificentius nihil possit, ne in aliū quidē conuenire possunt, quam in Christū, quo maius nihil à Iudæis expectabatur. cur ergo nunc mittit discipulos, qui rogent, num is

ille

ille sit, qui sit uenturus, id est, quem præstolarentur Iudæi, ut ueniret? deinde, qui conuenit, ut eius dicto stare, si diceret, se illum esse? uideret ergo id studiosè fecisse Ioannes, ut discipulorum utilitati consulere. cum enim ante, quam conijceretur in carcerem, cerneret discipulos penè inuidentes gloriæ Iesu, testimonium de eo perhibuit illis audientibus, per ea uerba, quæ dudum citauimus. cum uerò postea, quam in carcerem coniectus fuit, adhuc ijdem discipuli quasi cū eadē emulatione renuntiaret, quæ in hodierna habemus historia, iudicauit, satius esse, si eos ad illū mitteret, atque eius facta cernerent, ac in eius familiaritatem sese insinuarent, demumque in illum crederent. Cum autē uenissent ad eum uiri, dixerunt, Ioannes Baptista misit nos ad te dicens. tu es ille, qui uenturus erat, an aliū expectamus? quod & hic, & superius uertimus, qui uenturus erat, in Græco est, *ὁ ἐρχόμενος*, participium præsentis temporis. sed, cum de Christo loquitur scriptura, accipitur pro futuro, quod multis locis inuenitur, ut cum Martha ait. ego credidi, quod tu es Christus ille filius Dei, qui uenturus erat in mundum. quod si uerbum uerbo reddas, dicendum erat, ueniens, uel qui uenis in mundum. illic ergo, & hic illud, *ἐρχόμενος*, positum est pro futuro. sic & illud, scio, quod Messias uenit, *ἔρχεται*, idem est, quod uenturus est. & in epistola secunda Ioannis. non contentur Iesum Christum, *ἐρχόμενον*, uenientem, id est, qui olim expectabatur uenturus. Id autem fecerunt isti, quod nuntiorum esse debet proprium, ut sincere ea referant, quæ illis à mittentibus mandantur, & neque uel addant, uel minuant quicquam, quod uitiet nuntianci munus, ut, si forte in longiori oratione uariant uerba, detur tamen opera, ne de sententia quicquā immutetur. hoc quāti referat, agnoscitur in ijs, qui legatione aliqua funguntur, & dū minus obseruāt, quæ dicunt, cū uel illū alloquuntur, ad quē mittuntur, uel eius responsa referunt ad eū, qui miserat, multorum errorū causa fiunt. quod nō sine causa oportuit uos admonuisse. nā nō raro expertus sum, cū senatus aliquos ciues ad me mittit pro gravioribus aliquibus causis, eos ciues, siue ob inscitiam, siue ob incogitiam, ne dicā ob malitiam interdū, nō solū referre in senatū, quæ dicta à me, & responsa sunt, sed plerumque oīa contraria, ex quibus fiebat, ut senatus minus obsequēs esset cōsilijs episcopi, idque legatorū potius culpa, quā sua. ita oīa pulchra exēpla, atque ad uitę usum necessaria à scripturis sacris habemus. postea uerò, quam discipuli Ioannis sancti legatione sua fuerunt, sciēs Iesus scopū, ac mētē Ioannis, cur illos misisset, ut si uiderēt, quæ faceret, atque ex illis confirmaretur, fecit, quod sequitur. In eadē autē hora multos curauit à morbis, ac plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donauit uisum. Intuere sapientiam Christi, & præterea datū nobis exēplum, ut factis ipsis, non uerbis declaremus, quid simus. non dixit, ego sum ille, de quo interrogat Ioannes, neque enim idonea hæc uerba fuissent ad con-

ad con-

ad conuertendos ad fidem discipulos Ioannis, cum laudis de se testimonium suspectos potius faciat homines, quam fidem comparet. facta ergo adhibet, quæ fidem ipsa faciant. sic cum alibi dicerent illi Iudæi. quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam. respondit illis. opera, quæ ego facio nomine patris mei, hæc testimonium perhibet de me. sic Paulus non gloriabatur, nisi quatenus factis ipsis esset assecutus. habeo (inquit) quod glorier per Christum Iesum in ijs, quæ ad Deum pertinent. non enim ausim loqui quicquam eorum, quæ non effecit Christus per me, in obedientiam gentium, verbo, & facto, per potentiam signorum, ac prodigiorum, per potentiam spiritus Dei, ut ab Ierusalem, & in circumiacentibus regionibus usque ad Illyricum, impleuerim Euangelium Christi. contrarium faciebant falsi apostoli, aduersus quos scribens Corinthiis inter alia dixit. non enim sustinemus inferere, aut conferre nos ipsos cum quibusdam, qui se ipsos commendant. sed isti non intelligunt, quod ipsi inter sese se ipsos metiuntur, & comparant semet sibi. at nos non in immensum gloriamur, verum iuxta mensuram, regulæ, qua partitus est nobis Deus mensuram pertingendi usque ad vos. eiusmodi exemplis admonemur, ut si namus, facta ipsa de nobis loqui, non ut nos, noltraque iactemus, quod sanè vitium frequentissimum, vulgatissimumque esse apud meos ciues solet. Sed moueat fortasse aliquos, cur alibi Dominus loquens cum muliere Samaritana, aperuerit se illi, dixeritque, se esse Christum. hoc fuit summæ benignitatis, ac submissi animi, qui se primum demiserit ad loquendam cum muliercula de maximis mysterijs propterea, quod cernebat illam discendi cupidam. deinde se aperuit, quis esset. alioqui solent magni viri dedignari, res grauioribus cum humilibus communicare. sed Dominus, qui mitis erat, atque humilis corde, cernens mulierem cupidè expectare Messiam, à quo ea, quæ scire optabat, doceretur, ideo dixerat, scio, quod Messias uenit, qui dicitur Christus, cum ergo uenerit ille, nobis nuntiabit omnia, iudicauit dignam, cui se aperiret, non dedignatus tantam maiestatem ad unam mulierculam demittere. cum simplicibus (ait Salomon de Deo loquens) sermocinatio eius. ipse deludet illos, & mansuetus dabit gratiam. Cum ergo fecisset illa signa Iesus coram discipulis Ioannis, respondens dixit illis. euntes renuntiate Ioanni, quæ uidistis, & audistis. quod cæci uideant, claudi ambulent, leprosi mundentur, surdi audiant, mortui resurgant, pauperibus annuntietur Euangelium. Obseruandum est, non satis fuisse Domino dicere, ut irent, ac annuntiarent Ioanni, quæ uiderent, & audissent, sed adiecit etiam, quænam illa essent, ut tacite illos prophetiæ Esaiæ commonefaceret, qui de aduentu Christi loquens, cum dixisset, Deus ipse ueniet, & seruat nos, adiecit. tunc aperientur oculi cæcorum,

cæcorum, & aures surdorum patebunt, tunc saliet sicut ceruus claudus, & erumpet in laudem lingua mutorum. & ad hoc quidem pertinet, quod ait. quæ uidistis. ad illud uerò, quæ audistis, pertinet alius eiusdem Esaiæ locus, ubi ait. spiritus Domini super me, eo quod unxerit me Dominus. ad annuntiandum mansuetis misit me. nam dictio Hebræa significat mansuetos, modestos, mites, & quos Seruator appellat pauperes spiritu. explicat enim hic propheta, qualis futura esset prædicatio Christi, quod scilicet mitteretur, non in externâ gloria, sed in humilitate, & pauperibus, & mansuetis prædicaret uerbum Deitales enim soli sunt apti Euangelicæ doctrinæ assequendæ, quæ cum rerum omnium humanarum contemptum, ac despicientiam doceat, spernere honores, negligere facultates, huic affici non possunt ij, qui ista admirantur, & appetunt. ob hanc causam nulla diuitum fit mentio, quorum mens ex diametro (ut dicitur) huic philosophiæ prorsus contraria est, ut non sine causa pro re penè desperata posuerit Dominus eorum salutis spem, cum dixit. facilius esse camelum transire per foramen acus, quam diuitem intrare in regnum cælorum. hæc audiunt diuites, qui se Christianos esse profitentur, neque exhorrescunt. atqui ne audiunt quidem. nam quò quis est ditior, eò maiori erga Deum utens ingratitude, minus curat Euangelicæ audire documenta. & in tam periculoso negotio nemo ferè expèrgiscitur, sed is se licior existimatur, qui opibus, facultatibus, gloria, ac potentia cæteris antecellat. hoc profectò supremæ est stultitiæ, ac stupiditatis, confiteri Christum, & omnia illius philosophiæ contraria facere, neque saltem metu Geennæ ab ea re abstinere, cui penè certam ad æternum ignem comminationem Christus ipse est interminatus. ne quæso, ne uos, qui ista frequentius auditis, ab hac ebrietate capi patiamini. nam ebrietas mera est, nisi quòd, qui ea detinentur, eò deteriore, quam ebrii uinò, conditio ne sunt, quòd illi, ubi uinum digesserunt, ad se redeunt, qui uerò hac spiritali ebrietate semel occupati fuerunt, nunquam sine maximo Dei miraculo ab ea liberantur, quod declarauit Dominus, qui hac de re uerba faciens, cum ostendisset, quàm difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrarent, ac discipuli stuperent in uerbis eius, atque inter se diceret, & quis potest saluus fieri? intuens illos Iesus ait. apud homines impossibile est, sed non apud Deum. omnia enim possibilia sunt apud Deum. ad Dei potentiam retulit rem, quæ alioqui sua natura sit desperata. Quoties ergo hac tentatione permouetur aliquis uestrum parandarum opum, ponite ante oculos terrificæ hæc Seruatoris Christi uerba, & mox eiusmodi ineptæ appetitiones cessabunt. multò uerò facilius id fiet, si animum referatis ad ea, quæ eodem Euangelij loco fuerunt dicta. cum enim post illa Domini uerba contra diuites coniectasset Petrus, ex opposita re,

magna quædã bona assecuturos eos, qui diuitias relinquerent, pro ijs, qui ea uia essent ingressuri, interrogat, & ait. ecce nos dimisimus oĩa, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? & respondens Iesus ait. amen dico uobis. nemo est, qui reliquerit domũ, aut fratres, aut sorores, aut patrẽ, aut matrẽ, aut uxore, aut filios, aut agros propter me, & propter Euangelium, qui non accipiat centies tantũ nunc, in hoc tẽpore, domos, & fratres, & sorores, & matres & filios, & agros, & in seculo futuro uitã aternã. O stolidos, ò stupidos hoĩes, qui hæc sciunt, & affici diuitijs possunt. audiunt ab ipsa ueritate, promitti cõtes multiplicatam mercedẽ nunc, in hoc tempore, in hac ipsa uita, charũ aliquid relinquentibus propter Christũ, & propter Euangelium, & præterea uitã aternã & tam pauci ita felicem conditionẽ amplexantur, maiorq; pars mauult suis somnijs delectari (nam quod in somnis agant diuites, psaltes ait. dormierunt somnũ suũ, & nihil inueniunt oēs uiri diuitiarum in manibus suis) q̃ tantis bonis nõ modo in futura, sed etiã in præsentĩ uita frui. & quidẽ si tantũ eternitas illa felix promitteretur, momentanea hæc relinquentibus, quæ quisq; uelit, nolit, saltẽ per mortẽ est amissurus, accipiendã esset conditio. cũ uerò centuplũ etiã addatur in hac uita, usurã genus nunquã antea auditũ, stupeo tã exiguum esse numerũ eorum, qui ista animaduertant. Non sine causa ergo, cũ promittitur annuntianduũ Euangelium, pauperũ duntaxat mẽtio fit, id est, manfuetorum, & qui temporaria ista contempnunt, quod Euangelium docet. qui non renuntiauerit (inquit) omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Sed miretur fortasse quispiam, cur in enumeratione signorum meminerit resurrectionis mortuorum, quos tunc Dominũ suscitasse Lucas non dixerit. fieri potest, ut in illis uerbis, quod multos Dominus curauerit, comprehendatur & resurrectio mortuorum, uel certẽ hoc dixerit Iesus ob adolescentem in ciuitate Nain resuscitatum, cuius miraculi famam ipsi Ioannis discipuli ei annuntiauerunt. Et beatus, qui non fuerit offensus in me. maluit de futuro dicere, beatus, qui nõ fuerit offensus in me, quã de præsentĩ, qui non offenditur. nam & tunc quidem offendebantur multi ob abiectum genus, & inopem uitam, & dicebant. unde huic hæc? & quæ est sapientia, quæ data est illi? & uirtutes tales per manus eius efficiuntur? non ne hic est faber ille filius Mariæ, frater Iacobi, & Iosẽ, & Iuda, & Simonis? non ne & sorores eius hic nobiscum sunt? & offendebantur in eo. sed longẽ maior fuit illa offensio, cum in crucem actus fuit, teterrimum, & crudelissimum mortis genus, & cum sceleratis positus in medio latronum, tanquam latronum princeps, & execratus. nam in lege scriptum erat execratus omnis, qui p̃det in ligno. offensi sunt hoc factõ Iudæi, offensi ethnici. prædicamus (ait Paulus) Christũ crucifixũ, Iudæis quidẽ offencilũ, Græcis aut̃ stultitiã. offende-

debantur Iudæi propterea, quod non tã humilia expectabant de Mesiã suo, sed epinabatur, illũ regia potestate, & tẽporario regno dominaturũ. non. n. intelligebãt, sed ne nunc quidẽ intelligunt, illius regni cõditionẽ, & modũ. offendebantur ethnici, & præsertim Græcorũ sapientes, qui nõ lãtes cuiquã rei fidẽ habere, nisi quæ suis rõcinationibus uideretur cõsentanea, rẽ stultitiã plenã iudicabant, credere, Deũ dedisse filiũ suũ vnigenitũ in mortẽ, & eã crucis, non intelligentes, quod Deus ipse per prophetã dicit. non. n. cogitationes meæ cogitationes uestræ, neq; uia meæ, uia uestræ, quia quantum distant cœli à terra, tantũ distant cogitationes meæ à cogitationibus uestris, & uia meæ, à uis uestris. & quod ait Paulus. postquã in sapientia Dei nõ cognouit mundus per sapientiã Deũ, uisum est Deo, per stultitiã prædicationis saluos facere credentes, quodq; infatuauerit Deus sapientiã mundi huius, & quod stultũ uidetur de Deo, sapientius esse, quã homines. & quod imbecillum de Deo uidetur, robustius esse, quã homines. hæc nescientes sapientes huius mundi offendebantur, & eã rem stultã appellabãt, quæ demũ oẽm eorũ sapientiã aboleuit. sicut à prophetis prædictũ iã olim fuerat. perdã (inquit) sapientiã sapientiũ, & intelligentiã intelligentiũ reijciã. soli uerò & ex Iudæis, & ex gẽtibus nõ sunt offensi, qui minimẽ suis cogitationibus fisi, sed eas iugo fidei subijciẽtes, agnouerunt, Christũ esse Dei potentiã, ac Dei sapientiã. & de his loquitur hic Dominus, cũ ait. & beatus, qui nõ fuerit offensus in me. Et fortasse, dũ hæc loquor, maior uestri pars arbitrabitur, se ex eorũ esse numero, quos hic Dominos beatos appellat, cũ fateantur illũ Christũ Dei filiũ, qui ad nos descenderit, & carnẽ à genere nostro acceperit salutis nostræ gratia, ceteraq; quæ ad Christianæ fidei sinceritatem spectant. ij nõ ea quidẽ offensione offenduntur, qua olim & Iudæi, & Græci. neq; uerò magnũ hoc esse debent existimare, sed contra potius, si offenderentur, summa digni essent reprehensione. iã. n. & ex Euangelijs, & ex Paulo, & scripturis oĩbus didicerunt, hoc fuisse consiliũ Dei, ut ille vnigenitus in accepta à nobis hominis natura exinaniret semet ipsum, ac se ad humillimã quæq; demitteret docendi nostri gratia. pauper fieret, cũ esset diues, nempẽ Dominus oĩum, ut nos sua inopia ditaret. execratus haberetur, ut nos à legis execratione liberaret, ac demũ sua morte nostrã aboleret mortẽ, & perditũ ab ipso initio nostrũ genus in pristinã dignitatẽ, atque adeo maiorẽ etiã instauraret. hæc q̃ didicit, quo pacto offendi his mysterijs potest? præsertim cũ præterea doctus sit, hũc, qui tã humilia sit passus, gloria, & honore coronatum à Deo, quodq; propter crucẽ, quã obediendo usq; ad mortẽ esse passus, ignominiam, extulerit illum Deus in summã sublimitatem, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorũ, & sedere illum fecerit ad dexterã suam in cœlestibus

super omnem principatum, ac potestatem, & uirtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non solum in seculo hoc, uerum etiam in futuro, & omnia subiecerit sub pedes illius, & eum dederit caput super omnia ipsi ecclesiae. haec inquam eius generis sunt, ut non modo quis non offendi ex eis possit, sed nisi ea ueneretur, atque in maxima habeat admiratione, sit uehementer reprehendus. nemo ergo uestrum habet, quod in istis offendatur, quod alij habebant in ipsis nascentis ecclesiae initijs. uerum offensio, qua nunc maxima uestri pars offenditur, multo est detestabilior, ac magis abominanda, quam illorum, quos memorauimus. quis nunc offendi deberet in cruce, quae tam plenum gloriae signum est, & a qua profecta est & caelestium, & terrestrium instauratio? & tamen uideo plures esse, qui in ea offendantur, quam qui illam uenerentur. qui inimici crucis Christi sint, quam qui ei affecti. an inimicus crucis Christi non est, qui contraria, quam Christus ipse iubet, ingreditur uia? Christus dicit. qui uult uenire post me, abneget semet ipsam, & tollat crucem suam, & sequatur me. tollere crucem, & sequi Christum est illum imitari, & dare operam, ut quam ipse uitam egit, eandem & nos sequamur, ille supremam paupertatem est amplexatus, uulpes (inquit) foueas habent, & uolucres caeli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet. cur ergo hoc illius exemplum non imitatur? nimirum quia in eo offendimur, & cum paupertatis mentio fit, ad illius nomen exhorrescimus, pudorem arbitrati in paupertate degere. & ob hanc causam per totam uitam parandis opibus incumbimus, & eò beatiorem quenque iudicamus, quò plures diuitias, ac facultates possidet. Ille honores, ac dignitates declinauit, & cum regem uellent illum turbæ constituere, aufugit. cur igitur tu, qui tantum exemplum ante oculos habes in hias honoribus, paras eos filijs, illis proponis, hortaris, ut curent magni euadere. hoc enim pacto domos honestari, & nomen, ac famam apud homines acquiri? hoc quid aliud est, quam offendi in Iesu humilitate, & arbitrari rem pudendam, uiuere in honorum, atque in humili uita? & hoc est erubescere Christum, quod qui faciunt, audi, quid eis fiet. qui me erubuerit, (inquit) & meos sermones, hunc & filius hominis erubescet, cum uenerit in maiestate sua, & patris, sanctorumque angelorum. illa erit uera erubescencia, ueraque pudefactio, sempiterno probro fieri obnoxium, & non modo in conspectu orbis terræ, sed etiã illarum angelicarum mentium rejici, & abdicari, & eos, qui in hoc uita huius momento refugerunt humilem, & pauperem ad exemplum Christi uitam degere, perpetua affici ignominia. quis tantam ueritatem, atque adeo insaniam satis admiretur? & tamen maxima hominum pars, qui se in Christum credere profitetur, ea laborat. errorem profectò lacryma-

rum fontibus dignum. Et, cum discessissent nuntij Ioannis, cœpit de Ioanne dicere ad turbas. quid existis in desertum, ut uideretis? noluit de Ioanne Iesus coram eius discipulis uerba facere, ne uideretur ad gratiam loqui, quod assentatores facere solent, qui uel coram eis, quos laudant, uel eis, quos relatueros eorum uerba sperant, amant loqui, & magnifica de illis prædicare. ijs uerò absentibus, uel tacent, uel etiam interdum illis detrahunt. pestilentissimum hominum genus, quodq; maximo eos, qui buscum uersantur, afficiunt damno. nam plerique omnes, cum sibi placeant, bonamq; de seipis opinionem habeant. ubi laudari se sentiunt, arbitrantur, uera esse ea, quæ de se prædicantur. quin eiusmodi pestes etiam quæ uitiosa in aliquibus sunt, quasi honesta cõmendant, dicuntq; generosi esse hominis, splendida conuiuia instruere, numerum equorũ alere, satellitium habere, & eiusmodi nugis eos fascinant. quo fit, ut ij, quibus tam misere isti imponunt, neque ullos progressus in uia Dei faciant, & præterea uitia, a quibus obsidentur, non agnoscant. eiusmodi homines Salomon detestatus aiebat. melius est a sapiente corripi, quam stultorũ adulatione decipi. & rursus. meliora sunt uulnera diligentis, quam fraudulenta odio habentis oscula. uerè enim ij inimici, & osiores proximi cuiusque sunt, quem suis assentationibus in præceps agunt. Dominus ergo docens nos, quid in eiusmodi negocijs sit faciendum, non prius de Ioanne locutus est ad turbas, quam eius discipuli abirent, quibus recedentibus dixit. Quid existis in desertum, ut uideretis? harundinem agitatam uento? sed cur uoluit Dominus in Ioannis commendationem loqui ad turbas ea, quæ hic scribit Lucas? decuit hoc omnino. magnum enim, ac celeberrimum erat Ioannis nomen, ut multi uenirent in opinionem, quòd ipse esset Christus. cum ergo uenissent ad Iesum illius discipuli, nisi in hac occasione aliquid de eo dixisset, uisus fuisset, non tantum eum æstimare, quantus erat. quæ res potuisset etiam derogare testimonio, quòd Ioannes de Iesu perhibuerat, id quòd nullo modo expediebat Euangelicæ ueritati declarandæ. si enim missus erat Ioannes ante Iesum, ut illum manifestaret, eò maiorem auctoritatem habiturum erat eius testimonium, quòd maior fuisset eius existimatio. quare merito loquitur de eo ad turbas, & dicit. cum existis in desertum, ut uideretis Ioannem, nũ uidistis harundinem uento agitatam? quid hoc uult? commendat eum primò a lynceritate, atque ingenuitate prædicationis, quodque nihil ad gratiam fuisset locutus, ut nomen aucuparetur ab hominibus, & neque blanditijs, neque minis de statu deijceretur suo, qui enim affectibus, ut spe, ac metu agitur, ueluti harundo est, quæ quouis uento, ut res lenissima, huc, atque illuc agitur. affectus enim tanquam uenti sunt, qui ubi occupant animum, pro arbitrio illum mouent. appetit, exempli gratia,

tiam, quispiam ab hoibus laudari in dictis, factisq; suis, oportet, ut hic oia ad illum scopu referat, loquatur ad gratia, faciat ea duntaxat, ac dicat, quibus se gratu habendu esse iudicabit. ea taceat, ac omittat, quibus vereri pot, ne displiceat. spes laudis vnu persuadet, timor probri aliud prohibet, vt velut harundo, perpetuo venti alicuius flatu agiteatur. hoc aut maximu rebus humanis damnu affert, presertim in ijs, quæ ad Diuinu honoru, & animarum salutem spectant. hoc aut experiri frequentissimè contingit. accersitur à me aliquis, mādatur ei cura negocij alicuius peragēdi, in quò sola Diuinæ gloriæ ratio quæritur, aut proximi cuiusq; salus, is vbi intelligit, fore, vt quisquā, vel amicus, vel consanguineus offendatur, cōtinuò resilit, detrectatq; negociu. rursus siquid ei mandetur, vbi nullus sit metus, necui displiceat, & preterea speret aliquid se honoris, aut alterius cōmodi consecuturum, nullus est labor, illi persuadere, neque admodu sollicitus est, nequid intercedat, quod minus Euangelicæ regulæ respondeat. sic oēs alij vitiosi affectus inanè reddunt animam, & veluti harundinè quandam faciunt, quæ ob vacuitatē, ac leuitatē culibet auræ cedit, atq; eius arbitrio agitur, at viri sancti ab ijs liberi, solum Deu in dictis, factisq; suis intuentur. præcipuè verò placere hoibus cauent, vbi quicquā periclitari de veritate pot, cū sciant, vtrunq; simul stare non posse. si. n. adhuc hoibus place rem (ait Paulus) Christi seruus non essem. sic cū Iudæoru conciliu prohiberet apostolis, ne omnino loquerentur, neq; docerent in nomine Iesu, Petrus, & Ioannes respondentes dixerunt ad eos. an iustu sit in cōspectu Dei, vos potius audire, quàm Deu, iudicate. nō. n. possumus, quæ vidimus, & audiuius, non loqui. at hæc integritas nō facile reperitur, sed passim pleriq; oēs pro bucella panis (ut Salomonis vtar verbis) deserūt veritatē, vt mihi videar interdū non in ciuitate cū hominibus, sed in harundineto versari. Iure ergo Dñs Ioannē primū ab integritate, & synceritate prædicationis cōmendat, ut qui oia & faceret, & diceret sine personarum acceptione, neq; minus liberè reprehenderet Herodem, quod duxisset Herodiadē Philippi fratris sui vxorē, q̄ quoscunq; alios, q̄ ad eius prædicationē accessissent, sunt, q̄ arbitrentur, Iesum ista dixisse, ne turbæ offenderetur, quæ, cū audissent, Ioannem ingens præbuisse testimoniū Dño Iesu, quod esset Christus, quod esset filius Dei, quod ipse haberet spontam, iedst, ecclesiam, nunc, cum videatur de illo subdubitare, num ipse esset, quem iā fuerat confessus, & magnificentissimis præconijs commendauerat, potuissent ambigere, ac dubitare, quo pacto res ista se haberet. quare voluisse Dominum hanc offensionem de turbarū mentibus auferre, taciteq; admonere, ista non ab vlla animi mobilitate proficisci, vt qui diuersis temporibus diuersa vel sentiret, vel diceret, verum eundē illum esse erga Iesum, qui prius fuerat, sed hanc esse dispensationē quandam, ob discipu-
 lorum

lorum vtilitatem, atq; instructionē. Sed quid exitis videre? hominē molibus vestibus indutum? ecce, qui vestitu splendido uestiuntur, & in delicijs agunt, in aulis regum sunt. Altera Ioannis commendatio est, quod simplici, ac vili corporis cultu vteretur. nam vestis eius contexta erat pilis camelorum, vt siluestre potius quoddam animal videri, quàm homo posset. uidetur autem significare, Ioannem comparasse sibi nomen illud, atque auctoritatem sola uitæ sanctitate, non autem ex ijs rebus, quæ solēt homines in adiuuentum comparandi honoris assumere, ut est, ad gratiam loqui, & cultu corporis uti ornatiore, quo vitio laborabant scribæ, qui auctoritatem apud populum venari arbitrabantur, si honoratius vestirentur, quos meritò Christus reprehendit, cum admonuit discipulos suos dicens. caute à scribis, qui volunt ambulare in stolis. Et in hac etiā parte vehemēter peccant homines, qui à vestibus, ac rebus sensu carentibus quærunt honestari. Et siquidem iudicare de quopiam equo, aut canine volumus, non solum non æstimare solemus pretiosas uestes, siquibus obtekti sunt, sed iubemus etiam, ut eas illis detrahant, & contemplari nudum animal liberius liceat. ubi uerò de homine faciendum iudicium est, quem solus rationis usus, & uirtus à ratione profecta, commendare, atq; honestare debet, uelle à uestibus, & pretioso corporis cultu laudem, atq; auctoritatem illi comparare, quis non uideat, rem esse non minus ridendam, quàm si cerneremus a fellum onustum auro, ob illud aurum sibi placere, & quærere generoso alicui equo antecellere? non ne hoc faciunt ij, qui, cum moribus, & uitæ ratione nihil à mutis pecudibus differant, ob ornatum tamē uestium præferri uolunt ijs, qui frugaliore cultu utuntur, quamuis summis uirtutibus præditi sint, quæ solæ essent in pretio habendæ, & quibus omnia externa ista seruire deberent? hoc profectò suprême est stoliditatis, ac stupiditatis, qd̄ i brutis animalibus, si fieri cerneremus, aut admiraremur, aut rideremus, hoc à rōne p̄dito animali fieri, & neminè reprehēdere, aut saltē ridere, & demū tāquā ré pudēdā fugere, atq; abominari. Videte uerò, q̄ ingēs malū afferat nobis, in factis omnibus nostris scripturas sacras nō cōsulere, atq; ad earū normā facta ipsa dirigere. creauerat Deus hominē nudū, & uitæ innocētia erat illi pro quodā honestissimo uestimēto. neq; .n. pars ulla in illis corporibus creata erat sua natura turpis, & cuius pudere eos posset. uerū, cū post peccatū, atq; adeo ob peccatū cœpissent erubescere, fecit illis Deus uestes pelliceas, nimirū q̄ satis esse possent tegēdo corpori. nullus hic supuacuu ornatus requisitus fuit, sed necessitatis tātū ratio habita. qd̄ intelligēs Paulus aiebat. habētes alimenta, & q̄bus tegamur, his cōtēti erimus. q̄bus tegamur, (inqt) nō q̄bus ad pompam ornemur. satis enim est obtegere corpus, cum ob honestatem, tum ad tuendos nos contra frigora, & reliquam cœli intemperiem. quicquid

quicquid uerò præter hæc, uel ad delicias, uel ad gloriam additur, id à diuinis legibus est alienum. nam inter alia mala hoc maxime introducit acceptionem personarum, quam uehementer auersatur Deus, de quo uitio pulchrè scribit beatus Iacobus in hæc uerba. fratres mei, nolite in respectu personarum habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloria. nã, si ingrediatur in cœtum uestrum uir aureum gestans annulum, ueste indutus splendida, ingrediatur autem & pauper in sordida ueste, & respexeritis ad illum, qui uestem gestat splendidam, et dixeritis illi, tu sede hic bene, & pauperi dicatis. tu sta illic, aut sede hic subter scabellum meum, & nõ diiudicati estis in uobis ipsis, et facti estis iudices cogitationum malarum. quod ut ostenderet, quam iniuste, atq; etiam absurde faciant, adiecit. audite fratres mei dilecti. non ne Deus elegit pauperes mundi huius diuites in fide, & hæredes regni, quod promisit Deus ijs, à quibus dilectus fuerit? uos autem contemptui habuistis pauperem. non ne diuites tyrannidem exercent in uos, & iidem trahunt uos ad tribunalia, & iidem male loquuntur de bono nomine, quod inuocatum est super uos? Quid? quod iste externus ornatus eò sceleris progreditur, ut Diuinitatis interdum sibi titulum audeat usurpare? uide enim, quid in Actis apostolorum de Herode sit scriptum. statuto (inquit) die Herodes uestitus ueste regia sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. populus autem clamabat. uox Dei, & non hominis. ferunt enim alij historici, illum indutum fuisse ueste argentea, & uenisse in theatrum incipiente die, ubi primis solis radiorum iactibus argentum illud illustrius factum mirè splendebat, quod intuentes adulatores acclamarunt, tanquam Deum appellantes, petentesque, ut propitius illis fieret, quodque, si hætenus tanquam hominem timuissent, nunc præstantiorem humana natura cõfiterentur. & quia rex illos non corripuerat, neque impiam assentionem fuerat auersatus, uide quantum hoc Deo displicerit. confestim enim percussit eum angelus Domini, quia non dederat gloriam Deo, & consumptus à uermibus expirauit. Præcipue uerò in hac uestiendi corruptela mulieres peccant, quæ tum demum, aut potius tunc solum aliquid se esse opinantur, cum pretioso cultu ornatae prodeunt, quæ si cogitarent, quam multis ex causis absurdus sit ille mos, non tam essent in hac parte dissolutæ. primum enim ad lasciuiam pompæ illæ pertinent, atque ad impudicos amores multos pronocant, & ueluti rete quoddam sunt, quo diabolus utitur ad capiendas illas animas, pro quibus Christus mortuus est. hoc unum non ne detertere uos deberet ab omni superuacuo ornatu, siquid Christiani pectoris in uobis esset? deinde immanes illi sumptus, & qui nõquã finem habent, impediunt beneficentiam in pauperes, & eos, quos Christus fratres appellat. dum enim semper aliquid deesse iudicatis infinito illi

illi uestro muliebri mundo, sit, ut nunquam supersit, quod in pauperes tribuatis. neque pudet, intueri, & pati, atq; adeo committere, (uos enim plurimum in causa estis) ut fratres Christi nudi per urbem uagentur? neque uenit unquam in mentem terrificorum illorum uerborum, quæ ipse Dei filius dicturus est, ite in ignem æternum. quare? quia nudus erã, & non operuistis me. Illud præterea additis detestabilius. si enim pretio sæ, ac molles uestes per se à Christo, ut hic ex Euangelio audiuitis, reprehenduntur, habere præterea non solum unam, atque alteram, sed tam multas, ut potius sinatis illas in arca à tineis consumi, quã cogitetis, quo pacto illarum pretio iuentur pauperes, quantæ hoc crudelitatis est? quã euidēs indicium animi à Christo alienissimi? quod quã uehementer sit abominandum, audite, quid dicat apostolus Iacobus. agite nunc diuites. plorate ululantes super miserijs uestris, quæ aduenient uobis. diuitiæ uestræ putrefactæ sunt. uestimenta uestra à tineis consumuntur. argentum, & aurum uestrum erugine uitiatum est. & erugo eorũ in testimonium uobis erit, & exedit carnes uestras sicut ignis. hæc uerba quem non perterrefacerent? & uos ad ea non commouemini? præstaret nunc expergisci, quã expectare, dum ignis iste consumat carnes uestras, & cogitare, quanta sit stultitia incumbere ornando illi corpori, quod paulò post uermibus tradendum est consumendum, atque adeo quod & nunc nihil est aliud, quã putredo, & corruptio. obseruate. n. quã scædæ res ex omnibus corporis partibus quotidie prodeant, & inuenietis, nihil esse humanum corpus aliud, quã (honor sit auribus) stercus inuolutum. & quis uestrum uas stercoris plenum pateretur ornare pretiosa ueste, & auro, & argento, quod uos corporibus uestris facitis? Statuite semel, utrum malitis, ethnicarum mulierum more uiuere, an Christianam pietatem profiteri. si ethnicæ esse uultis, ac sine Deo, nihil opus est, ut ad me audiendum conueniatis, neque ut ego diutius fatiger reprehendendis tam absurdis moribus. sin sub Christi doctrina, quod sanè arbitror uos uelle, uiuere eligitis, cur factis, tam à præceptis Christi alienis operam datis? cur traditam uobis à Christi apostolis regulam non obseruatis? sic enim apostolus Petrus uos docet. mulierum ornatus non sit extrinsecus plicatura capillorum, aut circumdatio auri, aut amictus uestimentorum, sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. sic enim quondam & sanctæ mulieres sperantes in Deo ornabant se. in eundem modum & Paulus docet, mulieres (inquiens) in uestitu modesto, cum uerecundia, & castitate ornare se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, uel ueste pretiosa, sed quod decet mulieres promittentes pietatem per bona opera. audistis ex duobus apostolorum

principibus, quid nos deceat, & quem eligere ornatum debeatis? nempe ut interiorem ornetis hominem, uos autem soli ornando exteriori operam datis. non pudet, animal ratione præditum, ea duntaxat ornamenta querere, in quibus ratione carentia sibi placent? pauones, quia gemmatas pennas habent, suas coram hominibus opes ostentant, & in ijs sibi placent, & nisi laudentur, eas recondunt. non ne & vos idem facitis? quæ cum domi estis, ubi à nemine conspiciamini, uestes, & monilia, & gemmas, in arca sitis esse reconditas, ubi uerò prodeundum est, & in hominum conspectum ueniendum, omnibus uos ornamentis circumdatis, & elatæ inceditis ob unâ causam, quòd uos pauonibus comparastis. in quibus non cernitis, qua corporis parte natura locauerit eas pennas, quibus ambitiosè se ostentant, ne appetitus eos imitandi uos subiret, nempe in cauda, ut, cum ostendere illas uolunt, cogantur nudare pudendas partes? idem ipsum uobis accidit. cum enim lasciuior ille ornatus, meretricis magis deceat, quàm matronas, non ne hoc est ueluti pudenda aperire, dum per illa ornamenta imitare alios ad uos contemplandas conamini, & momentaneam laudem tanto cum pauperum damno queritis? atque in hoc uos deteriores estis uolucris, quas memorauimus. nam illæ ostentandis suis pennis nemini nocent, uos uerò maximo cum damno proximi cuiusque hoc facitis. estis etiam illis imprudentiores. pauones enim, si quis tacitus spectet, recondunt pennas, dum non laudantur. at uos non solum non laudatæ, uerum etiam reprehensæ, ab his uanitatibus nescitis recedere. Illud præterea cogitate. cum Deus omnia hominis gratia creauerit, si uoluisset, uos externa corporis pompa honestari, effecisset profectò, ut in hac parte reliqua omnia creata superaretis: sed contrarium fieri uoluit. nam, ut cætera omittam, quæ hominum ars æquare potest. speciem colorum, quæ in floribus elucet? dico uobis, (ait ueritas de lilijs, & floribus loquens) quòd nec Salomon in omni gloria sua uestitus fuit, sicut unum ex istis. cur hoc, nisi, ut desinatis in ijs contendere, quæ sola opinione, non autem rerum ueritate sunt æstimanda? Meritò ergo Dominus laudat in Ioanne, quòd non esset mollibus uestimentis indutus, quæ mollem, & eneruatum reddere animum solent. ecce (inquit) qui uestiuntur uestitu splendido, & in delicijs agunt, in aulis regum sunt. quibus uerbis taxantur principes, qui pro re honorifica habent, molliter, ac delicatè & uictu, & cultu degere, & habere aulicos in illud unum incumbentes, perinde quasi summa illa sit eorum dignitatis, & gloriæ. qui si hæc Euangelica documenta audire paterentur, puderet illos earum rerum, in quibus gloria-

ri

ri confluuerunt. non intelligunt, reges, & principes oportere in primis esse uium exemplar uirtutum omnium, ut quòd celsiore loco sunt constituti, eò latius uirtutis eorum splendor fundatur, ut, ueluti lucerna super candelabrum posita, luceant omnibus, qui eorum ditioni subiecti sunt. sed ista nemo ferè eorum curat, putantque, se in illis dignitatibus constitutos, ut genio indulgeant, & bene se in uoluptates dent. quòd fit, ut, cum gratiores Deo ob maiora accepta beneficia esse deberent, cæteris magis ingrati deprehendantur, & magis iniuri in Deum, & Christum eius. Sed quid existis ad uidentum? prophetam? utique dico uobis, & plus quàm prophetam. hic est, de quo scriptum est. ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te. Manus fit incrementum commendationis. neque enim satis est carere uitijs, sed oportet præterea honestatum esse uirtutibus. arbitrabantur autem turbæ, Ioannem quidem esse prophetam, sed Dominus maius quiddam addit, & ait, illum esse plus quàm prophetam, & mox causam assignat, quòd scilicet scriptum de eo sit, id est, prophetatum. nam reliqui prophetae prophetarunt quidem, sed non de illis ab alijs prophetis prædictum fuit. At Ioannes non solum prophetauit, sed de eo etiam ab alio propheta facta mentio est. is est Malachias. qui sic ait. ecce ego mitto angelum meum, & præparabit uiam ante faciem meam. & statim ueniet ad templum suum dominator, quem uos queritis, & angelus testamenti, quem uos uultis. quibus uerbis significatur, Ioannem Christi præcursores, angelum egisse, & uitæ sanctimonia, & officij dignitate, qui etiam præparauit, ac repurgauit uiam, tollens è medio impedimenta pietatis, qualia sunt, ebrietas, libido, superbia, incredulitas, sollicitudo huius seculi. unde ab Esaia, qui & ipse de Ioanne prophetauit, uocatur uox, quæ clamat in deserto, parate uiam Domini, & rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. addit etiam propheta ille Malachias, statim uenturum dominatorem, quem optabant, nempe Christum. cum enim Ioannes sex mensibus præcessisset Dominum, & magno cum zelo prædicasset in populo illo Ierosolymitano, qui tot uitijs unâ cum sacerdotibus erat corruptus, repente ueluti lux in tenebris apparuit Seruator mundi, ingrediens templum suum, uerus ille, & summus sacerdos. appellat autem propheta Christum angelum testamenti, quòd testamentum, & fœdus fecit Deus nobiscum, & in sanguine Christi consummatum fuit. Et Paulus uocat Christum ministrum circumcisionis, propter ueritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum. & quia angelus Græca uox dicitur missus, uocatur Christus angelus, quòd à patre fit in

MMM 2 mundum

mundum missus ad faciendam redemptionem. Dico enim vobis. maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptista nemo est. siue enim sanctitatem vite spectes, siue munus officij, quod exercuit, facile inuenies, nullam prophetam illo maiorem extitisse. nam, ut cetera omittam, quid maius in prophetandi negocio cogitari potest, quam ut quis ante prophetę fungatur officio, quam editus in lucem sit? quid autem fuit aliud illa in matris utero exultatio, quam prophetia, qua declarabat maiestatem eius, qui in virginis utero delitescerat? quod intelligens Elisabeth, iam spiritu sancto plena, appellauit illum Dominum, cum dixit. unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Attamen, qui minor est in regno Dei, maior est illo. Oportebat, Christum ita commendare Ioannem, ut tamē veritas non periclitaretur. nihil enim dubium est, Christum infinitis partibus Ioanne esse maiorem, quare oportebat, ut aliqua fieret declaratio illorum verborum, cum dixit, nullum inter natos mulierum prophetam Ioanne esse maiorem. præterea, cum Ioannes ipse professus esset Christum se longè maiorem, & oportere illum crescere, se autem minui, visa fuissent vtriusque & Christi, & Ioannis verba inter se discordare. iccirco hæc posteriora uerba addidit declarandi gratia. attamen qui minor est in regno Dei, maior est illo. regnum Dei hic appellat cœtum fidelium, quod ex alijs Euangeliorum locis facile est intelligere, ut sit sensus. quamuis maximum prophetarum appellauerim Ioannem, est tamē inter uos, qui maior est illo, qui nunc minor æstimatur. se intelligens, sed modestię gratia quantum potuit occultè locutus est. neque verò tempus erat apertius loquendi de ijs, quæ in consequenti tempore potius, quam tunc fuerunt intellecta. Scio, varias huic loco à Græcis, & Latinis datas fuisse interpretationes, sed satis esse iudicauit illam ponere, quæ magis videtur esse germana. Et omnis populus audiens, & publicani iustificauerunt Deum, baptizati baptismo Ioannis. pharisæi autem, & legis periti cōsiliū Dei spreuerunt aduersus semet ipsos, non baptizati ab eo. Omnis populus, & publicani glorificauerunt (nam illud *ἐθαύμασαν* positum uidetur pro *ἐθαύμασαν*) Deum, quod scilicet iustus esset, neque deesset ijs, qui reuerti ad se uellent, miram rem, & dignam, quam attentissimè obseruemus. populus, & publicani, qui ineptiores ad paulò grauiora, & subtiliora esse consueuerunt, nullo negotio cœlestē hanc philosophiam arripuerunt. pharisæi autem, & qui peritiam legis profitebantur, tam fuerunt ab ea alieni, ut cōsiliū Dei spernerent, quod plus alijs intelligere debuerant, cum scripturas sacras haberent, tanquam lucernam, quæ uiam illis commonstrabat accedendi ad Christum. sed ubi corrupta mens est, ac vitijs sordidata, nihil prodest legis peritia, neque agnitio scripturarum. si submittere se uoluerint, ac pharisæicum deicere supercilium, adijssent

primum

primum Ioannem, à quo cum audiuisent prius, se esse illum, quem prædixisset Esaias, sic enim interrogatus respondit, ego uox clamantis in deserto, parate uiam Domini, sicut dixit Esaias propheta; scrutati essent prophetiam diligentius: & cum præterea audiuisent eiuldem Ioannis magnificum illud de Christo testimonium, quod esset agnus Dei, qui tolleretur peccatum mundi, quod esset filius Dei, quod ipse Ioannes missus fuisset ante illum; cōtulissent simul alia sacrarum scripturarum loca, ut illud, cuius dudum facta mentio est. ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, ceteraque eius generis, adijssent Christum, uidissent, omnia pulchrè conuenire, & ueritatem agnouissent. sed cum superbia, tum auaritia, & inuidia, & ambitio eorum animos inuaserat, ut nihil synceri cogitare possent. tumebant fastu, quo se legis doctores profitebantur, & aptiores se iudicabant, qui alios potius docerent, quam ab alijs discerent. & hac opinione inflati, dedignabantur baptizari à Ioanne, ut ab eo ad Christum mitterentur. Cōsiliū (inquit) Dei spreuerunt aduersus semet ipsos. nam totum demum in eorum recidit perniciē. cōsiliū erat Dei, ut per humilem prædicationem, mundi arrogantia deiceretur, at huius cōsiliij superbia non est capax, & dum iustitiā suam uellent constituere, iustitiæ Dei non fuerunt subiecti. quod autem ex malè affecto animo hæc mala proficisceretur, ostendit Dominus per ea, quæ sequuntur. Ait autē Dñs. cui ergo similes dicam hoīes generationis huius? & cui similes sunt? similes sunt pueris sedentibus in foro, & acclamantibus inter se, ac dicentibus. cantauimus uobis tibijs, & nō saltastis. cecinimus uobis lugubria, & non plorastis. uenit enim Ioannes Baptista, neque edens panem, neque bibens uinum, & dicitis. dæmonium habet. uenit filius hominis edens, ac bibens, & dicitis. ecce homo edax, & uini potor, amicus publicanorū, ac peccatorum, & iustificata est sapientia à filijs suis omnibus. ista uidentur præcipuè dicta contra pharisæos, & legis doctores, quamuis generatim loquatur de illius qui generatione, atque ita uerba faciat, quasi omnes, qui eum audiebant, complectatur. nusquā enim in Euangelijs inuenimus, turbas eiusmodi absurdas, uel de Ioanne, uel de Christo habuisse opiniones. uidetur ergo Dominus in ipsis suæ prædicationis initijs tacitè reprehendisse scribas, & pharisæos. quos demum cum cerneret nolle corrigi, & eorum uitam, ac mores Euangelicæ prædicationi esse impedimento, tunc apertius in eos inuectus fuit, ne illorum contagione ceteri corrumperentur. reprehensus ergo deprauatam eorum mentem, utitur similitudine, à quodam puerorum illius temporis Iusu acceptam, quæ huius generis fuisse uidetur. in parteis duas pueri multi diuidebantur. alij ex una parte lamēbantur, alij ex altera tibijs canebant, & neque qui canebant tibijs, curabant lugubres, neque qui canebant lugubria, cura-

bant

bant canentes tibijs. ex hac autē ludēdi ratione facile conijcere possumus, fuisse curā ijs, qui pūeros educabant, ut lusibus uterentur, (quādo ætas illa recreari omnino iocō aliquo, aut ludo uult) qui ingenij aliquid secum haberent, ut etiam ex ludo non nihil lucrarentur. tale quid legimus de Lacedæmonijs, qui creduntur ab Hebrejs duxisse originē. cum. n. recreari ciuitas uellet, ludi, ac ioci cuiusdam genus instituerant, quo ad uirtutem iuuentus, & pueri præsertim animarentur. nā in ijs uersabantur argumentis, ut uel laudarent eos, qui fortiter, ac generosē uitā exegissent, quiq; propria occubuisse. & ob id ab oībus, ut beati celebrabantur. uel uituperarent eos, qui metu periculorū nihil egregij gessissent, ut qui ob ignauiam post mortem, cruciabilem, infelicemq; uitā uiuerent. uel per gloriæ studium accenderēt animas ad uirtutem, accōmodē ad cuiusq; ætatē. itaque tres erant apud illos chori, iuxta triplex ætatum discrimen, quibus in duobus festis simul constitutis, senum chorus incipiens canebat.

Nos fuimus olim strenui iuuentuli.

secundus, in quo erant uiri robustæ ætatis, ita respondebat.

At nos sumus, si uis, facito periculum.

porrò tertius, qui erat puerorum, ita canebat.

Præstantiores nos futuri olim sumus.

ita etiam puerilem ætatem ludere docebant ludos, qui coniunctam secū haberent utilitatē, & ista faciebant ethnici, & qui sine Deo erant in mundo. at Christiani, quibus tanta ueritatis lux oblata est, nullam penē, si cū horū studio conferantur, in rectē educandis filijs rationē habent, neq; in ludis, neque in serijs rebus. ludos permittunt, qui nullam secum bonæ in dolis speciē habeant, sed uel insulsos, ac ridiculos, uel etiam parum decoros, & qui ad uitia potius, quā ad uirtutes trahāt. cū uerò seria se putant filios docere, proponunt illis, non uirtutis, ac rectē factorū studium, neq; ut curent ciuitati, ac reipublicæ prodesse, ac suis ciuibus esse & utilitati, & ornamento; sed quo pacto diuites fiant, opes parent, augeant domum facultatibus, & copijs, & priuatū in primis cōmodum querant. at ista mere ethniconum sunt, & eorum, qui nunquam audierint, quid deceat animal ratione præditum in hac uita facere, uel quid in futura sit expectandum. non pudet Christianos homines nullam rectam educationem, nullam disciplinam filijs suis querere, & eam institutionem uitę statim à pueritia adhibere, quæ in amorem uirtutis paulatim adducat animum puerilem? erant apud ethnicos, qui uellent, pueros usque ad duodeuigesimum annum uini usum prorsus ignorare, quod scilicet non oporteret ignem igni in corpus, atque animum suggerere, ante quā uiri effectū subire labores incipiant. furiosum enim habitum iuuentutis cauendum esse. nunc uerò iuuenes præcipuē ebrietati, atque epotandis calicibus studēt, ex qui-

ex quibus lasciuia omnis, atque intemperantia proficiscitur, quorum tamen dissolutę uitę non exigua causa est, parum compositi senum mores. ubi enim senes minus pudici sunt, necesse est, ibi iuuenes esse impudentissimos. qui iuuenes si etiam à prouectioribus ætate, qui ex uitæ probitate auctoritatem non habeant, reprehendantur, non permouentur, cum senum facta potius, quā uerba sequi libeat. præstans enim (ait qui dam magni inter externos nominis) & iuniorum, & seniorum disciplina est, non uerborum increpatio, sed ut, quæ increpando quis diceret, ac monendo, eadem ipse in omni uita facere uideatur. quid autem non esset in puerorum educatione obseruandum, quando admonentur grauidæ mulieres, ut maximē omnium illo anno nec ad uoluptates multas, furiosasque ferantur, neque doloribus agitentur, sed tranquillam, pacatamque, ac mitem uitam agant, quasi hi mores in filiorum naturam, ac uitam transeant? & profectō si cogitaretur, puerum esse omni bestia intractabiliorem, ideo multis quasi frenis esse uinciendum, cum, si pueritia rectē sit educata, reliqua omnis in uita recta futura sit nauigatio; non tā supini essent parentes, nec tam regendæ illi ætati somniculosi. Cum autē dixisset Dominus acceptam à pueris similitudinem, declarauit, cur hoc dixerit. uenit (inquit) Ioannes Baptista, neq; edens panem, neq; bibens uinum, & dicitis, Dæmoniū habet. uenit filius hominis edens, ac bibens, & dicitis, ecce homo edax, & uini potor, amicus publicanorum, ac peccatorum. Ioannes, qui à baptizandi officio Baptistæ cognomen habuit, uictu usus fuit austerissimo, & cultu etiam: uestiebatur. n. filuestri melle, ac locustis, uestiebaturque indumento ex pilis camelorum contexto, & uitam agebat in deserto, ut uictus, & cultus cum loci qualitate concordaret. hoc autem fieri decuit, cū ut impleretur prophetia Esaïæ, quā supra citauimus, cum appellatus fuit Ioannes uox clamantis in deserto, tum ut, ubi perhibendum erat de Christo testimonium, & functurus erat præcursoris officio, intelligeretur, omnia ista Diuinitus fuisse facta, neq; potuisse intercedere cōmenta hoīum, cum nullū habuisset cum hoībus commercium, sed fuisset in desertis locis semper, quousq; iubente Deo declaratus fuit in Israël. atq; hoc uidetur dicere uoluisse Ioānes, cū testimoniu perhibuit, quod uidisset spiritum descendentem quasi columbā de cælo, & mansisse super eum. adiecit. n. & ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit. super quē uideris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in spiritu sancto. & paulò superius. hic est, de quo dixi. post me ueniet uir, qui mihi antepositus est, quia prior me erat, & ego nesciebam eū, sed ut manifestetur in Israël, propterea ueni ego in aqua baptizans. illa ergo solitudo, & nullū habuisse cum alijs familiaritatem, maiorem faciebat fidem, uerum fuisse testimonium

testimonium, quod de Christo perhibuit, quod tam syncerum fuit, ut ne hostes quidem ipsi ausi fuerint apertè refellere. quod tunc fuit demonstratum, cum principes sacerdotum, & scribæ interrogarunt Dominum, qua auctoritate ea faceret, & quis dedisset illi eam auctoritatem, & ipse respondit. interrogabo nos & ego unum quiddam, & respondete mihi. baptifmus Ioannis è cælo erat, an ex hominibus? tunc enim illi nolentes confiteri ueritatem, neque tamen auderent detrahere baptifmo Ioannis, dixerunt, se ignorare. & profectò ingens erat negocium, suscipere munus indicandi eius, qui esset filius Dei, atque ita indicandi, ut ei fides haberetur. Ob has ergo, & huius generis causas æquum fuit, Ioannē Baptistam uictu illo tam tenui uti. sed uide, quid accidat peruersis, & malè affectis mentibus. cum enim & uenerari, & admirari debuissent tanti uiri sanctitatem, dicebant. Dæmonium habet. quid Dæmonibus cum austiore uictu? non licebit ergo sine pane, ac uino uiuere, nisi Dæmonis habeatur commercium? ita cæca est inuidia, ut nihil rectum queat intueri, sed omnia uitiet, atque inficiat suo ueneno. sed esto, offendatur, aut certè durum eis uideatur, sine pane, ac uino uitam agere, reliquum erat, ut remissius, ac magis commune uiuendi genus laudarent. & tamè uide, quid sequatur. uenit filius hominis edens, ac bibens, & dicitis ecce homo edax, & uini potor, amicus publicanorum, ac peccatorum. Fieri non potest, ut filius Dei, licet cum quibusuis uesceretur, neque quicquã auerfaretur eorum, quæ propofita in mensa essent, plus uel ederet, uel biberet, quàm sobrietatis ratio pateretur, quin potius minimum erat, quod in conuiuio curaret, cibus, ac potus. cuius rei manifestissimum indicium est, quod in ipsa mensa loquebatur de regno Dei, & hoc in primis illi curæ erat. & ob hanc causam cum Martha quereretur, quòd non curaret Dominus, quòd soror eius Maria relinqueret solam in ministerio mensæ, respondit. Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima. porrò unum est necessarium. nempe quod elegerat Maria, & cui incumbebat Dominus etiam in medio conuiuio. cur ergo tam impudentes erant isti, ut eum edacem, & uini potorem appellarent. primum hoc efficiebat odium, atque inuidia, quæ optimis quibusque rebus calumnias struere consueuit. deinde uidentur, quemadmodum cæteris in rebus, ita & in illis conuiujs, in quibus spectarentur ab hominibus, aliqua uti hypocrisis, & mensuram quandam adhibere cibus, ac potibus, ut abstinentes esse, ac parsimonia uictus conspicui iudicarentur. quam observationem, quòd esset hypocritarum, & eorum, qui omnia facerent, ut uiderentur ab hominibus, quia Iesus respuebat, ac sine illis pharisaicis cæremonijs, ac simulationibus uesceretur, occasionem hinc columniadi scelesti homines capiebant. cum eadem animi peruersitate calumniabantur,

mniantur, quòd esset amicus publicanorum, ac peccatorum; non cogitantes, quam ob causam cum illis uersaretur, nempe ut eos ab errore ad rectam uiam reuocaret. accidit ergo illis, quod in ludo puerorum iam dicto cane batur. pharisæi enim neque lugere uoluerunt cum Ioanne, qui tenuissimo uictu quasi lugubrem uitã agebat, ac penitentiã introducebat; neque obtemperabant Iesu, uitã præ se ferenti ciuiliore, sed ambos repellebant. Et iustificata est sapientia à filijs suis omnibus. & hic positum uidetur, iustificata, pro, honorata. sicut & infra, cum de quodam legis perito loqueretur, qui tentas Dominum interrogabat eum, quid sibi faciendum esset, ut haberet uitam æternam, cui cum Dominus respondisset, adiecit euangelista. ille autem uolens iustificare seipsum, id est, honestum reddere, atque honore afficere, quasi diceret, uolens sese iustum ostentare, aut etiam doctum. ait ergo hic. iustificata est sapientia à filijs suis omnibus, id est, omnes filij intellexerunt sapientiam Dei, & eam gloria, & honore affecerunt. quòd si mauis dicere iustificata, sic intellige. declarauit se sapientia Dei omnino iustam, & à filijs suis omnibus agnita est, quæ nihil prætermiserit, quod ad hominum salutem pertineret. sapientia autem hæc illa est, quam soli filij possunt agnoscere, cæteri stultitiam appellant. at hæc stultitia sapientior est, quàm homines, sed ad eam non introducuntur nisi soli filij germani, ac legitimi, non spurij, neque ancillæ filij, sed ad quos spectat hæreditas. eijce (inquit) ancillam cum filio eius. non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac. non solent inquam spurij pura, ac uera erga suos genitores charitate affici. eius generis homines Esaias uocat, semen nequam, ac filios sceleratos. tales erant isti scribæ, & pharisæi, qui non syncera filiorum charitate colebant Deum, sed uel ut nomen assequerentur apud homines, uel lucri aliquid facerent, imponentes simplicioribus, & sub prætextu prolixioris orationis deuorantes domos uiduarum. hi gloriabantur, se patrem habere Abraham, neque curabát, opera Abraham facere, quod meritò obiecit eis Dominus, dixitque eos non filios esse Abraham, sed ex patre Diabolo esse, cuius facere uoluntatem uellent, dum ueritati detraherent, & eam audire nollent. amabát semet ipsos tantum, nullum in proximum quenque charitatis præ se indicium ferebant: cuius rei euidentis signum erat, quòd imponebát alijs onera grauiora, & quæ portari non possent, & ipsi nolébant ea digito mouere, satis arbitrati, si suam apud alios auctoritatem, ac dignitatè conseruarent. ubi enim reperias eos proximorum saluti studentes, & peccatores ad rectam uiam reuocantes? à quo officio tantum aberant, ut minus honestam rem iudicarent cum aliquo uersari, qui malè audirèt apud homines, dicebantque, ut est apud Esaiam. recede à me. noli me tangere, quia sanctior te sum. hi mores non assequuntur hanc sapientiã: nam in maleuolam animã

non introibit sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccatis. hi recta etiam ueritatis dogmata nunquam possunt admittere, sed uel omnino non recipiunt, uel accepta continuo uitiant, ut cum in putridū, & aliquo uitio infectum uas purissimus liquor mittitur, ex illa uasis corruptio ne inficitur. si enim obserues hereticos, qui ueritatis dogmata suis scriptis deprauarunt, inuenies, id illis propterea accidisse, quod uel arrogātia, uel auaritia, uel ambitione corruptum habebant animum, quo fiebat, ut etiā dogmata, quæ tractabant, inquinarentur. A solis ergo filijs iustificata est sapientia, qui uitæ integritatem habentes, tanquam mundissima specula Euangelicæ ueritatis lucem admittebant, atque ab ea ad optima quæque syncerè peragenda illustrabantur. qui sunt filij? illi, qui obediunt Domino præcipienti. diligite inimicos uestros. benedicite ijs, qui uobis maledicunt. benefacite ijs, qui uos oderunt. & precamini pro ijs, qui uos persequuntur, & calumniantur. ut quid? ut sitis filij patris uestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. sic & Paulus, estote (inquit) imitatores Dei, sicut filij dilecti. quo pacto? ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & uictimam Deo in odore suauitatis. qui hoc præstant, ij sunt, de quibus hic audistis, quod ab eis iustificata sit sapientia, cum ex uitæ puritate eò perducantur à Diuino spiritu, ut agnoscant huius philosophiæ dignitatem, & horum mysteriorum maiestatem, quorum agnitio efficit, ut maiora etiam in dies incrementa, atque in uirtutes progressus fiant, ex quibus rursus magis quis illustretur. hæc in duo se inuicem iuuant. qui enim Euangelica præcepta seruat, quò magis in ijs seruandis progreditur, eò etiam magis luce ueritatis illustratur, & quantò quis efficitur cœlestium horum dogmatum capaxior, tantò magis eorum pulchritudine inflammatus, in omnia rectè facta sese dare studet. ut qui eiusmodi sunt, quandam resurrectionis imaginem in hac mortali uita repræsentent: de qua uidetur Paulus loqui, cum ait ad Philippenses scribens, ut agnoscam illum, & uirtutem resurrectionis illius, & communionem afflictionum illius, dum conformis fero morti eius, si quo modo pertingam ad resurrectionem mortuorum. quibus uerbis docemur, quo pacto ad felicem hunc uitæ statum perueniatur, uidelicet per communicationem afflictionum Christi, dum conformes efficiamur morti eius. in hunc tota mente, atque omni animo est intuendum, dandaque opera, ut, quemadmodū ille ambulauit, ita & nos ambulemus. alioqui indigni sumus, qui tam immensis bonis ab eo donemur. qui enim equum esset, nos sine laboribus ad illam gloriam peruenire, ad quā filius Dei per totas afflictiones peruenit? oportuit regem gloriæ per crucem intrare in gloriā suam, & nos omnem molestiam fugientes speramus illam assequi? ille,

qui

qui peccatum nō fecit, nec fuit inuentus dolus in ore eius, uoluit patiēdo illam gloriam comparare, & nos tot peccatis onerati, audemus nobis eā polliceri prius, quā dignos fructus penitentiae faciamus? fallimur, si ista nobis persuademus. laborandum, pugnandum, & legitime decertandum est. non coronabitur, (ait Paulus) nisi qui legitime certauerit. legitimum certamen est, totum animum, & omnem industriam, atque artem adhibere huic certamini. cernitis eos, qui humanæ gloriæ amore certant, quā hoc strenuè faciunt? omnis (inquit) qui in agone cōtendit, ab omnibus abstinet, quæ scilicet impedimento esse posse coniecit ad uictoriam, & illi quidem, ut corruptibilem coronam acquirant, id faciunt, quid nobis non esset faciendum, ut illam incorruptam adipiscamur? abstinent ab omnibus, qui momentaneam gloriam expetunt, & nos non multò magis id præstabimus, pro immortalī felicitate comparanda? cum audis Paulum clamantem, ne erretis. neque scortatores, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regni Dei hæreditatem accipient. ab his omnibus abstinentum tibi est. cum audis eundem dicentem. qui uolunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum, & cupiditates multas, stultas ac noxias, quæ demergunt hominē in exitium, & interitū. siquidem radix omnium malorum est studium pecuniæ, quam quidam appetentes, aberrauerunt à fide, & seipfos implicauerunt doloribus multis. cum inquam hæc audis, non exhorrescis? non refugis ab appetitione diuitiarum, tanquam à re pestilentissima, & quæ præcipuè impedire solet, ne hanc coronam assequamur? audit uir Christianus ex eo apostolo, in quo Christus loquebatur, appetitionem diuitiarum rem esse, qua in laqueum inciditur, & eam demergere homines in exitium, & interitū, esse radicem omnium malorum, & auocare à fide, & inueniri potest, qui huic studio afficiatur? ne quæso charissimi, ne tam inertes, tamque somniculosi simus. incipiamus aliquando in rebus tam serijs serio agere. pugnemus posthac uiriliter, & legitimum certamen certemus, ut, cum ad huius agonis terminum peruenerimus, gloriari liceat cum Paulo, & dicere. bonū certamen certauī, cursum consummaui, fidem seruaui, post quæ facta nihil reliquum erit aliud, quā ut repositam ijs, qui Deum diligunt, coronā accipiamus. Iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & potestas, & imperium, & nunc, & in omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO QVADRAGESIMA.



Rogabat autem eum quidam è phariseis, ut caperet cibum cum ipso: & ingressus domum pharisæi accubuit. Licet pharisæorum natio perpetuas cum Christo exerceret similitates, inueniebantur aliqui tamen, qui uel plenè illi afficiebantur, ut Nicodemus, qui adijt illum nocte, ut ab eo doceretur, & Gamaliel, quem in Actis apostolorum scribit Lucas defendisse apostolorum causam. uel, si minus integrè, certè aliquo pacto illi uenerabantur, ut hic erat, quem præ manibus habemus, qui licet adhuc infirmior esset, ut ex hac ipsa historia licet agnoscere, non tamen illum Dominus est auersatus, cum seruire omnes optaret, ac de illo scriptum ab Esaia esset. calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet. id est, eum, qui non sit omnino desperatæ uitæ, nõ abijciet, & qui est ueluti linum fumigans, uel caligans, & extinctioni proximum, fouebit, ne uel residua scintilla extinguatur, quod etiam ostendit in latrone, in adultera, & alijs multis. nullius enim unquam desperanda salus est, præsertim ubi quid adhuc residet in peccatore, quo declaratur, non prorsus auersum à Deo illius esse animum. nam corporum quidem medici, suæ artis periti, facile iudicant in grauioribus morbis, qui sint morituri, & illos ægrotos etiam ante, quam exhalent animam, relinquunt, ut quos certò sciant minime uicturos, neque suam artem prodesse iam illis posse. at in animorum morbis spiritalibus medici nunquam desperare de cuiusquam salute debent, dum in eo & uita, et sensus superest. hac enim parte uoluit benignissimus Deus præstare curationem animæ corporis curationi, sed abutuntur homines etiam hic Diuina bonitate, qui scientes dixisse Deum per prophetam, forè, ut quoties uoluerit peccator recedere ab errore uia suæ, præsto sit illi Diuina misericordia, illa spe uenie, per totam uitam alieni à Diuinis præceptis degunt. at eiusmodi uiri quanto in periculo sint, uideant in uerbis Pauli. qui huius generis homines reprehendens, sic ait. num diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans, quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te ducit? secundum autem duritiam tuam, & cor pœnitere nescium, recondis tibi ipsi iram in die iræ. qua sententia ostendit, eos, qui abutuntur Dei longanimitate, dum illo expectante, ut conuertantur, ipsi ex ea lenitate fiunt deteriores, manere, non misericordiam, sed cõdemnationem, atque æterna tormenta. audio enim, non paucos ita stupidos reperiri, ut hac spe freti dicant, satis sibi esse, si, cù moriendi tempus imminet, unius horæ

horæ spatium habeant ad postulandam ueniam peccatorum, cum sciant, benignum esse Dominum, qui semper suscipere peccatorem paratus sit. ò stolidas cogitationes. primum enim qui scis homo, te illam horam habiturum, qua omnino sis indignus, cuius animus tota uita auersus à Deo esse decreuerit? quid enim est aliud, dicere, te ultima uitæ hora contentum esse, ad agendam pœnitentiam, quàm non curare, si toto reliquo tempore pecces, & inimicus Dei uiuas? cum hoc animo audes tibi ueniam suprema illa hora polliceri? hoc nimis temerarium est, ac stultitiæ plenum, atque adeo impietatis. deinde fingamus, te illud horæ extremum spatium habiturum ad agendam pœnitentiam, qui fieri potest, ut, qui perpetuas cum Deo inimicitias exercueris, illa hora ita mutes animum, ut uerè, atque ex animo te superioris malè actæ uitæ pœniteat, & non potius solo mortis timore commouearis? at pœnitentia ob metum pœnarum non meretur peccatorum condonationem. nõ possunt æternæ inferorum pœnæ ueniam impetrare damnatis, quia pœnitentia illa non ab amore in Deum proficitur, sed ob pœnarum dolorem, & tu una hora pœnitentiam agens, idq; ob metum, promittis tibi ueniam peccatorum? quòd enim ob solum metum mortis, & pœnarum doleas peccasse, superior uita declarat, in qua semper ab amore Dei alienus, in peccatis uiuere fuisti delectatus. nolite errare. Deus non irridetur. quæ seminauerit homo, hæc & metet, & qualis ante acta uita fuerit, talis erit etiam exitus. nolite falsis opinionibus in re tanti momèti uobis ipsis iponere. si iustus uix seruabitur, impij, ac peccatores ubi apparebunt? iustus appellatur, qui dum uiueret, dabat operam, ut rectè, ac sanctè uitam ageret, atq; hic uix seruabitur. tu uerò, qui semper uitã sceleratam, & impiã es professus, unam supremam horam eligis ad salutem impetrandam? quam nec certus es, te habiturum, & si habueris, metus, non nouæ uitæ studium pœnitentiam (si tamen pœnitentiæ titulo dignanda est uiolenta illa animi mutatio) extorquebit. hanc plenam erroris opinionem, nunquam somniassem, uenire cuiquam in mentem potuisse, nisi audiuissem illam passim circumferri, quam ob causam & hæc admonere fuit necessarium. Rogatus ergo Dominus à quodam pharisæo, ut caperet cibum cum ipso, ingressus domum pharisæi accubuit. & ecce mulier, quæ fuerat in ciuitate peccatrix, ut cognouit, quòd Iesus accubuisset in domo pharisæi, attulit alabastrum unguenti, stansque ad pedes eius à tergo flens, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & deosculabatur pedes eius, & unguento ungebat. Mirum hodie, ac nouum spectaculum propositum est, atque utinam idonei simus illud contemplari, quemadmodum contemplatu est dignum. hic enim exemplar quoddam intueri licet ueræ pœnitentiæ; quam nunc omnes ferè ignorare mihi uidentur. Et ecce mulier

mulier, quasi & ipse euangelista scribens miretur rei nouitatem, ait eccle. quid? mulier, quæ fuerat in ciuitate peccatrix. quid mirum, si mulier inueniatur peccatrix, cum omnes & uiri, & mulieres peccatores sint? omnes enim conclusit Deus sub peccatum, ut omnium misereatur, sed insigniter ostenditur per illud uerbum, hanc publica nota fuisse peccatricem, & eius perditam, atque impudicam uitam celebrem toti ciuitati fuisse, hoc enim uidetur significare, quod addit. in ciuitate. eiusmodi autem foemina, quæ iam callum obduxerunt uitio, & frontē perfricauerunt, difficilius resipiscunt, & rarō ad pœnitentiam se recipiunt. sunt enim ex eorum numero, qui fœdus pepigerunt cum morte, atque inferno. quare huius curatio, maiori nobis esse debet admirationi. Non uideo autē admodum necessarium, quod multi fecerunt, longiorem texere disputationem, quænam fuerit hæc mulier, Maria ne Magdalene, an alia. & num hæc eadem sit, quæ hic ungit pedes Domini, & quæ alio tempore unxit eius caput. sunt enim, qui tres putent fuisse mulieres, quæ Dominum unxerint. unam quidē apud Ioannem ante sex dies paschæ, & quæ soror fuit Lazari. aliam autem apud Matthæum, & Marcum, ante duos dies paschæ, & tertiam illam, de qua nunc Lucas. quamuis autē hæc inuestigatio ociosa minimē sit, sed à pijs mentibus proficiscatur, & ijs, qui nihil in obseruatu esse debere in sanctis Euangelijs iudicant; hodie tamen hoc contenti eritis, quod nunc diximus, ut tempus suppetat, rebus uacadi utilioribus, ac magis necessarijs. Vt cognouit, quod Iesus accubisset in domo pharisæi. cur hæc mulier obseruauit tempus adeundi Dominum, cum in domo pharisæi accumberet? opinor accidisse, ut eo die, uel casu, uel curiositate audiret Iesum concionantem, ac docentem, cuius sermo cum esset cum auctoritate coniunctus, ut superius audiuius, & non sicut ille scribarum, mulier commota sit, ac Domini prædicatio in animi eius interiora penetrauerit. quare more impatiens, neque ferens ignem illum, quo æstuabat, ubi à concione discessit, domum profecta, & arrepto illo unguento, interrogauit, quonam Iesus esset profectus, & ubi audiuit, illum in domo pharisæi accumbere, facibus amoris inflammata, nihil curauit, qui futurus esset hominum rumor facti illius, modo uoti sui fieret cōpos. hæc enim est maximi amoris uis, ut affectus uehementissimos excitet, & totos ad se rapiat, ac de amata duntaxat iubeat cogitare. solent mulieres, etiam alioqui impudentes, pudoris sui rationem habere, & quoties aliquid in hominum conspectu est faciendum, circumspectius agere, & uereri semper, ne fiant uulgi fabula. at hæc mulier, quam Iesu amor totam occupauerat, nihil horum curat, nihil de hominum rumore cogitat. unum illud sibi cordi est, ut amatum inueniat, cætera non asis facit. eiusmodi affectuū natura exprimitur in illo epithalamio, ubi sponsi, ac sponsæ, id

se, id est, Christi, atque ecclesiæ aguntur mysteria. sic enim inter alia didicit sponsa. in lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea. quæsiui illum, & non inueni. surgam, & circuibo ciuitatem, per uicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea. quæsiui illum, & non inueni. inuenerunt me uigiles, qui custodiunt ciuitatem. num, quem diligit anima mea, uidistis? Magna est uis ueri amoris, & eius pœnitentiæ, quæ ex corde proficiscatur. non iudicauit satis esse, domi defleuisse peccata, & lacrymis rigauisse lectum suum, nisi integram præberet mutati in melius animi significationem. Sed obseruemus huius mulieris, non amorem solum, sed etiam studium, ac prudentiam. attulit alabastrum unguenti. quid cogitas mulier, non iam peccatrix, sed sancta? quid uult hoc unguentum? ubi uidisti Iesum delectari unguentis? ego (inquit) tam multa non cogito, sed, cum inanis ad tantum magistrum accedere, minimē iustum putarem, neque ad nianus esset aliud, quod opportunius iudicarem, arripui hoc unguentum, ut quibus rebus hastenus sum usa ad delicias carnis, eisdem iam uti incipiam in Domini mei obsequium. Cernitis, ubi quis spiritu Dei incipit agi, quam repente fiat sapiens? hæc mulier, ubi primum amare cœpit Dominum Iesum, mox didicit, quod Ioannes Baptista prædicans admonebat turbas, ut scilicet, qui uellet fugere à uentura ira, faceret dignos fructus pœnitentiæ. digni autem fructus pœnitentiæ sunt, opposita peccatis facta iustitia. ebriosus fuisti? iam ama sobrietatem, atque ut prius plus æquo uino indulgebas, nunc etiam à uino abstinere, quantum ualitudinis ratio patitur. hoc ubi feceris, & à comessationibus, & ebrietatibus abstinueris, cessabunt ea, quæ inde solent sequi, uidelicet, cubilia, & impudicitia. rapuisti aliena? imitare Zachæum publicanum, qui non solum restituit, quod iniuste acceperat, sed dimidiū bonorum suorum dedit pauperibus, & siquid aliquem fraudauerat, reddidit quadruplum. alius in cultu corporis nimius fuit, & multas pecunias frustra in uestium pompas insumpsit, easdem uestes in pauperes tribuat, & modestiore cultu posthac utatur. superbe alius se gessit, & proximum quenque despiciatui duxit? nunc se omnibus inferiorem existimet, seque demittat, ac subiiciat, non modo maioribus, sed paribus etiā, ac se inferioribus. alius oblocutionibus, murmurationibus, detractationibus, blasphemijs impetiuit Deum, atque homines? posthac assuescat, Deum laudare, ei que gratias agere, bene de proximo quoque loqui, & eum uelle honestissimum. hoc est alabastrum unguenti, quod præparare debent, qui dignos fructus pœnitentiæ facere cupiunt, ut illa sua uolentia recte factorum deleat, ac cessare faciat fetorem superioris malæ actæ uitæ, atque incipiant esse bonus odor Christi in omni loco, quem admodū Paulus de se, ac sui similibus aiebat. sed hoc unguentū pauci admodum

modum sciunt preparare, ac ferre secum, ubi peccatorum facienda pœnitentia est, nullumque bonæ fragrantia odorem præ se ferunt. quoties enim uidisti eum, qui prius immorari in uino sit solitus, & studere calicibus epotandis, post factam peccatorum exhomologesim, sobriæ uitæ se tradere, & cibum, ac potum in pondere, & mensura capere? aut auarum, qui deposita illa insatiabili habendi cupiditate, finem imponat parandis, ac congerendis pecunijs, cogitetque, quo pacto amicos faciat de Mamona iniquitatis, qui, cum defecerit, recipiant eum in æterna tabernacula? quæ mulier, postea quam in peccatorum exhomologesi admonita est, fucû, ac pictam faciē Deum offendere, monilia, & pretiosas uestes, & infinitos in uestitu sumptus plurimum in causa esse, cur pauperibus desint necessaria, non solum ab illo errore absteat, sed etiam superuacuos illos ornatus in Christi, & fratrum eius pauperum obsequium tribuat? eadem est aliorum peccatorum ratio, ut non facile inuenias, qui hoc rectè factorum unguentum comparare sciat. uerum sine hoc adire Iesum non licet, aut ab eo peccatorum ueniam consequi. nam sine hoc unguento uera non est pœnitentia. ubi autem uera deest pœnitentia, ne uenia quidem speranda est. diximus enim, ad ueram pœnitentiam, dignos requiri fructus pœnitentiæ, non fructus solum, sed fructus dignos, quid hoc est? nimirum, ut pro errorum magnitudine, rectè factorum adhibeatur, magnitudo. & quidem superare deberet unguenti fragrantia, ut peccatorum factor prorsus aboleretur, ne sensum odoris Domini Iesu offenderet. sed demitto me ad uestram imbecillitatem, doctus à Paulo, qui & ipse cum ad eadem hortaretur, aiebat. humanum quiddam dico propter infirmitatem carnis uestre. sicut enim exhibuistis membra uestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, sic & nunc exhibete membra uestra seruire iustitiæ in sanctificationem. humanum quid (inquit) dico id est, non repeto à uobis totum quod deberetis. quis enim nesciat, decere, ut multò maius studium adhibeatur ijs, quibus æterna paratur salus, quam ijs, quæ sempiternum interitum afferunt? uerum habita ratione infirmitatis uestræ, ista dixi. quòd si parem labore prestare in rectè factis, non est perfecti operis, sed indulgentia quædam, atque, ut sic dicam, condescensio; quid de ijs dicemus, qui multò minus laborant pro salute comparanda, quam fecerunt, cum ijs dabant operam, quæ æternum afferunt interitum? quis ex ijs, qui lasciuum amorem secuti sunt, ubi pœnitere cœpit prioris uitæ, tot incommoda perpessus pro Christo est, tot sollicitudines, tot insomnes noctes egit, quot pro amato scorto? quis eorum, qui avaritiæ studuerunt, & congerendis pecunijs, tantum pro Christo, post agnitum errorem laborauit, tot pericula subiit, quot pro comparando Mamona iniquitatis? quæ mulier, ubi ex animo cœnituit, tam

tuit, tam anxie studuit ornare Christum, atque eius membra, quam propria membra ornare curauit? at hæc ubi desunt, non fiunt digni fructus pœnitentiæ, quibus deficientibus, uos ipsi colligite, quid consequatur. quare ne posthac tam crassis erroribus occupemini, attentè obseruate huius mulieris factum, atque ab ea discite ueræ pœnitentiæ formam. Attulit alabastrum unguenti, & stans ad pedes eius à tergo flens, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui extergebat, & deosculabatur pedes eius, & unguento ungebat. Intuere admirandum mulieris affectum, & præterea reuerentiam. uehementia affectus cogebat eam, ne expectaret locum, ac tempus, quò minore cum rubore sui animi pœnitentiam aperiret, sed in medio conuiuio irrupit, secura, quid inspectores essent dicturi. ubi enim ueræ pœnitentiæ studium mentem occupauit, non curat hominum rumorem, sed unum illud spectat, quo pacto superiores errores corrigat. mulier uerò, quæ admonita quantus error sit, tantam pecuniæ summam in uestes, & monilia, & superuacuum cultum corporis infumere, non tamen post exhomologesim ab illis abstinet, uerita uulgi sermonem, hæc sine dubio simulatæ pœnitentiæ, non uerè, atque ex animo factæ manifesta præ se indicia fert. reuerentiam uerò declarauit, cum à tergo se collocauit, & pretiosum unguentum, quod capiti magis conuenire uidebatur, unguendis pedibus impendit, indignâ se arbitrata, quæ Diuinum illud caput tangeret. mirum uerò, quomodo uenerit illi in mentem, prius, quam ungeret, lauare ipsos pedes proprijs lacrymis, & capillis capitis sui tergere. hoc autè existimo in causa fuisse. continere non poterat lacrymas, quæ tanquam ex copioso fonte scaturiebant. quam enim copiosas fuisse credendum est, quæ lauandis unius hominis pedibus satis essent? cum ergo fleret, uelletque unguendi officio fungi, uidit Domini pedes puluerulentos ex itinere, neque arbitrabatur conuenire, ut adhiberetur unguentum prius, quam pedes mundarentur. uerum, cum neque aquam, neque linteamina ad hunc usum necessaria haberet, cepit consilium sapientiæ, ac pietatis plenum, ut lacrymis pro lauacro, & capillis pro linteamine uteretur. Quam cito fiunt sapientes, & ingeniosi homines, ubi primum à spiritu Dei agi incipiunt. adiecit & oscula, quæ intimi amoris indicia sunt. osculis dignos iudicabat illos pedes, qui defatigabantur perambulando, ut annuntiaret Euangelium regni. & fortasse iam eodem afflata spiritu fuerat, quo Esaias, qui & ipse hoc pedes contemplatus aiebat. quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Simul & illud obserua, cum nihil magis cordi esse mulieribus soleat, quam ut in conspectu hominum ornatum corpus, caput præferat, & crines habeant, hæc mulier solutis crinibus, uisa illis fuit, tergendis Domini Iesu pedibus. hæc omnia dignissima sunt,

quæ quibus attentissimè contempletur, qui dignos fructus pœnitentiæ facere aliquando decernat. Miror uerò, si non hæc matres, quas hoc loco ad tam admirandum spectaculum attonitas cerno, cupiunt se huic beatæ peccatrici socias addere, & eadem obsequia Domino Iesu præbere. at hoc uobis, si uultis, licet, idq; minore cum incommodo, quam ab hac muliere factum est. qui enim sunt pedes Domini, nisi ij, qui infimi omnium uidentur? nempe pauperes, quos & ipse Dominus minimos appellauit, cū dixit. quod uni ex his minimis meis fecistis, mihi fecistis. cum ergo cernis hos pauperes, commouere misericordia erga eos, & lacrymis lauisti pedes Iesu. aufer ab illis sordes, quæ à pœdore, & squalore paupertatis illitæ eis fuerunt, quod facile facies, si multa te supernacua habere intelliges, & capillis absterfisti pedes Iesu. nam per capillos, sine quibus esse possumus, significatur ea, quæ ultra necessitatem nobis suppetunt. Oscularis pedes Iesu, cū intimis affectibus suscipis pauperum curam, ac ueluti proprios filios foues, ac nutris. nã parentum propriū est, filios deosculari, præfertim tenellos adhuc, & infantes. eiusmodi aut pauperes sunt, qui ueluti infantes nequeunt sibi opitulari, sed aliorū indigent ope. postea uerò, quā tantū eis es impertitus, quā tum satis illis esse potest, ne fame, & frigore cōficiantur, lauisti quidē illis pedes, sed nondū unxisti. quo uerò pacto unguentur? habes uicinū pauperē, cui plures sunt filij, ac filia. si eis nō solū panē subministras, ne fame pereant, sed opē præterea fers, ut filij ita iuuetur, ut euadant in uiros, & artes aliquas cōparent, filia uerò dote subuenis, ut uiris locentur, & honestā agere uitā possint, tunc unguento unxisti pedes Iesu, & odor ille per totā domū, id est, ecclesiā diffundetur, atq; in huius unguenti odorē multi current, & p̄clarū factū imitabuntur, ac laudibus oēs efferent, præter hypocritas, ac superciliosos, qui nihil aliud quam externū hunc humanæ gloriæ fumum curant. quod facile ex eo, quod sequitur, licet intelligere. Videns autem pharisæus, qui uocauerat, ait intra se dicēs. hic si esset propheta, sciret utique, quæ, & qualis sit mulier, quæ tangit ipsum, quod peccatrix sit. uide, ut quicumque scopum Diuinæ legis non inspiciunt, alioqui docti in lege, eiusque intelligendæ professores, in crassos errores incidant. scire potuerat ex prophetarum lectione hic pharisæus, Deum nolle mortem peccatoris, sed ut conuertatur, & uiuat, & quoties ingemuerit peccator, paratum esse ad ignoscendum. hic manifestū erat, mulierem illuc ingressam fuisse, pœnitentiā ductā, cernebatur fons lacrymarum, quas dolor peccatorum extorquebat, & offenditur, quod à peccatrice muliere sineret se tangi. non saltem recordabatur, hoc uitium reprehendi ab Esaia, eorum, qui se sanctos arbitrati, alios auersarentur, ac dicerent, recede à me, noli me tangere, quia sanctior te sum? iure ergo alibi Dominus appellat pharisæos cæcos. quid. n. magis cæcum, quam opinari,

nari, declinandum esse cōmercium eius peccatoris, quē iam peccatorū incipiat pœnitere? sed ij illud præcipuè attendebāt, ut probi, ac sancti hoīes uiderētur, & quicquid hanc de eis opinionē obscurare posset, studiosè cauebant, quare ex se, suisq; moribus alios metiebantur. hic ergo pharisæus, cū cerneret, Dominū pati, ut à muliere peccatrice tangeretur, iudicauit illum nescire, quē, ut qualis esset illa mulier, quæ illum tangeret, alioqui nō permitturum se ab ea tangi. ex quo etiam colligebat, illum minimè esse prophetam. cum prophetarū propriū sit, non modo præsentia, sed futura etiā agnoscere. ita unus error ad alium errorē trahit. Et respondens Iesus dixit ad illum. Quod ait, Iesum respondisse pharisæo, cum nihil legamus hic illū fuisse locutū, referendū est ad illud, quod intra se, & in secreta cogitatione dixerat, quā cogitationē nouerat Iesus non minus, quam si sermo nem uoce, & lingua protulisset. quare ad illud, quod in corde dixerat, respondet. inuenitur etiā in plerisq; sacræ scripturæ locis, hanc esse Hebrææ linguæ proprietatem, ut respondendi uerbo utantur pro eo, quod est, dicere, & loqui. Simon, habeo quiddā, quod tibi dicā. cū hic pharisæus uocetur Simō, fortasse opinatur aliquis, hunc eundem fuisse, cuius meminit Mattheus, ubi ait. cū aut esset Iesus in Bethania, in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier, habens alabastrū unguenti pretiosi, sed non est necesse, eundē esse, qui & illic, & hic describitur. nã præter id, quod multi idē nomen sortiuntur, ille fuisse leprosus scribitur, in hoc nulla lepræ fit mentio. & quāuis illic mulier quidē memoretur, quæ & ipsa alabastrū unguenti secum attulerit, non tamen sequitur eundē fuisse, cū illa non appelletur peccatrix, neq; unxerit pedes Iesu, sed super caput eius fuderit. uidetur præterea, Simonem illū meliorē, ac perfectiorē fuisse, quā hunc, cū ille nihil uel murmurauerit, uel offensus fuerit, hic uerò tacita cogitatione taxare Dominū ausus sit. Dominus ergo uisa pharisæi offensione, uoluit eius animi morbū curare, ne gratis in eius domo cibū caperet, & ait. Simō habeo quiddā, quod tibi dicā. at ille ait. magister dic. Duo debitores erāt cuidā creditori, unus debebat denarios quingentos, & alter quinquaginta. cū aut illi non haberēt, unde soluerēt, donauit utrisq; horū igitur dic uter eū plus diligeret? respondēs Simon dixit. existimo, quod is, cui plus donauit. at ille dixit ei. rectē iudicasti. Ante quā sciat pharisæus, quæ de re sermo habēdus esset, proponit parabolā Dñs, in qua pharisæus liberè suā proferret sententiā, ut Iesus ipse sententiā cōinceretur. hac prudentia usus etiā fuit Nathan propheta, cū missus esset, ut reprehederet Dauid ob patratū scelus, & adulterij, & homicidij. prius. n. proposuit ei parabolā diuitis, quæ parcēs suis gregibus, tulit pauperis ouē, quā unā habebat, ut cōuiuū pararet hospiti, qui ad se diuertisset, ut, cū Dauid protulisset sententiā cōtra diuitē, quod filius mortis esset, qui hoc fecisset, suo ipsius iudicio se cōdēnatū demū intelli-

geret. Duo ergo isti debitores erant, mulier illa peccatrix, & pharisæus. sed quia arbitrabatur pharisæus, se iustum esse præ illa muliere, aspiciens Dominus ad illius de seipso opinionem ita parabolam instituit, quasi mulier deberet denarios quingentos, & pharisæus quinquaginta, quorum neuter esset soluendo. si enim docemur, ut cum omnia fecerimus, quæ præcepta nobis sunt, dicamus, nos esse seruos inutiles, at seruo inutili pœna non merces debetur, cum præterea non solum non facimus, quæ præcepta nobis sunt, sed plura sunt peccata, quàm rectè facta, quomodo dissoluere debita possumus? si, ubi quis omnia, quæ præcepta illi sunt, fecit, id tantum fecisse admonetur, quod debuit, qui uerò fecit, quod debuit, nulla ei debetur merces ex se, cum peccata præterea addit, unde accipere potest, quod soluat, cum, si etiam nihil peccasset, non haberet, quod sine debito erogaret satis faciendo beneficijs? iure igitur illa debiti remissio condonatio appellatur. nam misericordia Dei (inquit) est, quod consumpti non sumus. Quod uero interrogante Domino pharisæum, uter horum plus diligeret, & illo respondente, se existimare, illum plus diligere, cui plus fuerit condonatum, Dominus dixit, illum rectè iudicauisse; sic accipiendum est. non quod inueniri non possint aliqui, quod non raro accidit, qui maioribus acceptis beneficijs, minus grati sint, ac propterea minus diligant, quàm iij, qui minora quidem acceperunt, sed ea melius agnoscetes, magis afficiuntur donatori. sed quia ratio ipsa postulat, ut, cui plus datur, is maiorem etiam præbeat grati animi significationem, quàm ille, cui minus. his dictis adiecit euangelista. Et cōuersus ad mulierem dixit Simoni. uides hanc mulierem? intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis capitis sui extersit. osculum mihi non dedisti, hæc autem ex quo intraui, non cessauit osculari pedes meos. oleo caput meum non unxisti, hæc autem unguento unxit pedes meos. propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. cui autem minus remittitur, minus diligit. Primum attentum eum facit, dum cōuertitur ad mulierem, & iubet, ut ipse etiam pharisæus illam intueatur. deinde reddit causam, cur hæc fieri à muliere permiserit. sed obseruandus est dicendi modus, ac respondendi. neque enim dixit, ne mireris, cur permiserim me ab hac muliere tangi, sed enumeratis ipsius mulieris factis, declarat, dignam fuisse, quæ admitteretur, ut quæ non iam peccatrix, sed ob condonationem peccatorum iusta esset, atque ipso etiam phariseo iustior, qui longo intervallo fuerit ab ea in penitentia, ac beneficentia superatus. tantum (inquit) abest, ut tu eam equaueris, ut ne minora quidem præstiteris, ut fuisset, si lauisses mihi pedes aqua, osculum ori meo admouisses, simplex oleum adhibuisses capiti. at hæc ipsis lacrymis lauit pedes meos, & non linteo, sed capillis extersit,

extersit, neque ipsos pedes deosculari est dedignata, & demum pretioso unguento, quod honestado capiti idoneum esse potuisset, eosdem pedes ungere non iudicauit esse nimium. quare iustum fuit, ut impetraret copiosam peccatorum remissionem, propter quâ huc accessit. multa enim dilectio multorum quoque peccatorum ueniam debet impetrare. Quod uerò ait. cui minus remittitur, minus diligit, sic intelligendum est. is, qui minus agnoscit sua debita, minus se debere existimat, & ideo minus diligit, quare dignus est, ut minus diligenti, minus remittatur. sed à quo maiorem quis gratiam expectat, magis etiam diligit, & amplius diligenti plura etiam remittuntur. in hanc sententiam uidetur facta conclusio, cum dictum est, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. cui autem parum remittitur, parum diligit. sed euangelista, dū breuiter multa concludit, uidetur quibusdâ in hac conclusione obscurior, cū dicendo, remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum, causam remissionis ponit dilectionem. per id uerò, quod addit, cui autem parum remittitur, parum diligit, causam dilectionis facit remissionem. Neque uerò stare ullo modo potest, quod quidam dicunt, inuertendam esse sententiam, & dicendum dilexit multum, quoniam remittuntur ei peccata multa. nam hoc nimis est uolentum, neque ferendum ullo pacto, ut tam ingens uis scripturis sacris adhibeatur, & tanta aperiatur fenestra ijs, qui inuertere Diuina eloquia confueuerunt. quamuis enim pro se facere putent, primū quod dictum prius sit, plus diligere, cui plus sit donatum. & paulò inferius, parum diligere, cui parum remittitur, tamen non ob hanc causam tam monstruosa inuersio fuerat facienda. nam, quod dicit, illum donasse, uerū quidem est, nam legimus, donum Dei esse uitam æternam, quæ tamen, & dilectioni, & rectè factis dari prædicatur. quod uerò ad alteram rationem pertinet, sensus totius rei potius, quàm singula uerba sunt consideranda. alioqui & hic, & pluribus alijs scripturæ sacre locis, in multos nos induemus laqueos, à quibus non facile poterimus expediri. hic ergo cogitandum est, quid Seruator Christus uoluerit, nempe ut intelligeret pharisæus, quam ob causam peccatricem mulierem tam benignè acceperit, eiq; ueniam præbuerit, quemadmodum superius fuit dictum. Obserua etiam in hac historia, ut salutem non solum fidei tribuat, cum dicit, fides tua te saluam fecit, uerum etiam charitati, cū ait. remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. recipit ergo utraque salutem, quam tamen Christi sanguis nobis comparauit. Dixit autem ad illam. remittuntur tibi peccata tua. & cœperunt, qui simul accumbebant, dicere intra se, quis est hic, qui etiam peccata remittit? Videntur isti admirati potius fuisse, quàm murmurasse. cum enim scirent, scriptum esse, ad solum Deum pertinere, peccata remittere, cum per prophetam dicat. ego sum, qui deleo iniquitates

tates tuas, indicauerunt, magnum esse oportere hunc, qui peccata, remitteret. atque ob hanc fortasse causam non respondit Iesus eorum cogitationibus, sicut supra fecit, cum scribæ, & pharisæi tacita cogitatione dicebant. quis est hic, qui loquitur blasphemias? quare pretermittens ad hoc respondere, dixit ad mulierem. fides tua te saluam fecit. uade in pace. dimittit eam in pace, quia ueram pacem fuerat affecta, nempe reconciliationem cum Deo. ea est enim sola, quæ pacis appellatione sit digna. hanc annuntiauerunt angeli nato Domino, qui est pax nostra, cum dixerunt. gloria in altissimis Deo, & in terra pax. Habemus in hac muliere exemplar quoddam, quo pacto quis iustificetur, atque ex peccatore iustus fiat. uerum, quando hac ætate, non solum ab hæreticis, uerum etiam à catholicis multum de iustificatione hominis, fuit disceptatum, uideor mihi opportunum nactus locum, ut de ea aliquid dicamus, præsertim cum in hac historia & fidei, & operum fiat mentio, quæ utraque in desceptationem ueniunt, in hac de iustificatione controuersia. sic autem orationem temperabo, ut caueamus, quantum fieri potest, rationes ab humana sapientia acceptas, ut meminimus, nos esse discipulos piscatorum, qui suis in disputationibus solebant spiritualibus spiritualia comparare, quemadmodum ipsi profitentur, & tantum abest, ut laxarent habenas humanæ intelligentiæ, ut etiam dicerent, se uelle in captiuitatem agere omnem intellectum ad obediendum fidei. quod quia nos dedidimus facere, illud est consecutum, ut non solum hæc de iustificatione materia, uerum etiam omnia, quæ in Christiana philosophia præcipua sunt, hac ætate, & facta sint obscurissima, & maximo cum populorum damno tractata. quod quia multum ad hanc causam, & ad secuturas etiam cognoscendas pertinet, rem ita se habere, breuiter demonstrabo. Habet Christiana professio quædam in primis, quibus philosophia illius omnis constat. ea uero sunt, fides, iustificatio, recte facta, gratia, libertas arbitrij. hæc multis ab hinc annorum millibus Diuina oracula ita prodiderunt, ut ea uetus quidem lex per Moysen Hebræis tradita, subobscurius quidem, sed tamen acutius intuentibus demonstrarit. noua uero, atque Euangelica tam aperte protulerit, ut quauis pietate prædita mentes ea non multo negotio, quæ saltem ad salutem sunt necessaria, per se queant intelligere. accesserunt è toto penè dicam orbe uiri doctissimi, qui sua & eruditione, & pietate, siquid superesset offendiculi, ita uiam complanauerint, ut uel cæci tuto ingredi possent. nunc eadem ipsa post tam multa secula, tot adhibita lumina, perinde in controuersiam uertuntur, atque obtorto collo ad tribunalia, unde iandudum recesserant, pertrahuntur humanis sophismatibus, quasi nunquam de ijs superioribus seculis fuerit disputatum.

tum. id uero quanta cum utilitate fiat, considerate. Fides hoc tempore ita infide, atque adeo perfide tractatur, ut fructus omnis, qui proficisci ex fide solet, interea amittatur. De iustificatione, quæ nunc præ manibus est, tanta animorum contentione homines digladiati sunt, ut uideatur metu horum gladiatorum misera delituisse, ut ubinam gentium sit, non facile inueniatur. hanc ea tractauerunt dexteritate, ut ex iustis iniquos, & ex pijs impios effecerint. Recte facta tam crudeliter, ac rabidè exagitata sunt, ut hæc ætas sibi uendicare sola possit, quod nunquam post conditum orbem uenit antea in dubitationem, ut scilicet inquiratur, num recte factis danda sit opera. num ea, quæ iuste, atque honestè fiunt, boni, an mali potius appellatione sint dignanda. Gratia uero tam ingrati sumus, ac de ea ita parum grate uerba facimus, ut ipsam ad laxandas in omnia scelera habenas populis proponamus, eoque rem deducamus, ut Christum Dei filium, qui hanc unam ob causam sese ad nos demisit, ut essemus sancti, & immaculati coram eo, omnis licentiæ, atque intemperantiæ patronum constituamus. Liberum denique, quemadmodum est hactenus appellatum, arbitrium hominis, ita in discrimen uenit, ut uel libertatis nomen seruitutis appellatione mutetur, uel certe anceps sit cogitatio, utrum illud habere, nec ne, utilius fore hominibus sit statuendum. ita uerum apparet uetus prouerbiū, nimium altercando amitti ueritatem. Hæc ipse apud me reputans, uidensque, me, si hanc eandem tenere uiam uoluero, multum nimis, & frustra fortasse laboraturum, cogitavi crassa agere minerua, atque eo uti modo, qui piscatorum discipulos decet, si forte ista iustificatio inermem intuita me, posito tandem metu, aliqua sui inueniendi uestigia præbeat. Vtar uero ijs & uerbis, & sensibus, quæ si ijdem ipsi Christianæ philosophiæ duces, piscatores adessent loquenti, possent intelligere, qui cum fuerint in hac professione omnium eruditissimi, siquid à me proferretur, quod ipsi minimè essent intellectu, id totum ad Christianam facultatem non pertinere, & mihi persuadeo, & cupio unicuique nostrum esse persuasissimum. Liber autem in hac de iustificatione materia, illum tractandæ illius ordinem tenere, qui in Tridentino concilio seruatus fuit, ut scilicet tres hominum status proponerentur, eorum uidelicet, qui adulta iam ætate sunt, nam de infantibus, qui nullo adhuc rationis usu sunt præditi, alius erit dicendi locus. inter hosce tres status, quorum omnium suo loco fiet mentio, primus est, ubi quis tunc primum ad fidem in Christum accedit. in quo quaeritur in primis, quomodo ad eum merita Seruatoris ipsius Christi applicentur. qua in re censeo prius declarandum, & sacræ scripturæ auctoritatibus ostendendum, merita

merita ipsa ad iustificationem adiungi nobis, deinde docendum, quo id pacto fiat. Quod autem his opus sit meritis, ipse Seruator admonuit, cum dixit. uenit filius hominis dare animam suam redemptionem pro multis. aliter frustra mortuus esset Christus, si illius meritis, cum sumus iustificandi, nõ eguissimus. quam ob causam & alio loco dixit. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeat uitam æternam. alioqui uidelicet periturus, neque uitam habiturus æternam. huius assertionis, apostolicæ plenæ epistolæ sunt, & eas auctoritates, quæ ad hoc faciunt, non difficile erit cuius medio critter exercitato inuenire. quare ueniam ad id, quod quærendum proposuimus. quo uidelicet modo huic homini, qui recens ad fidem accedit, Christi merita ad iustificationem apponantur. dicimusq; id per fidem agi, atque baptismum. qui enim crediderit, (inquit) & baptizatus fuerit, saluus erit. fidem autem hanc eam accipio, quam describit Paulus, cum ait. in Christo Iesu, neque circuncisio aliquid ualet, neq; præputiũ, sed fides. tantum ne? immo uerò, quæ operatur per charitatem. si enim, quemadmodum Iacobus ait, fides sine operibus mortua est, quid uiuũ, & efficax à re mortua est expectandum? neque mihi quisquam nunc scrupulum inijciat, apostolum eo loco significare ea recte facta, quæ ab iustificato iam homine fiunt. nam latius hoc patet, atque in quouis hominis statu uerum est, fidem sine operibus esse mortuam, Christianamque fidem nunquam bonis operibus esse destitutam. quod alio huius orationis loco fortasse faciam apertius. nunc pergamus reliqua, & quod deinceps quæritur, explicemus. quid scilicet in hac iustificatione faciat Deus, & quid requiratur ab homine. primum, si, quid Deus in homine iustificando faciat, scire uolumus, cogitemus, quid in illis agat nobiscũ rebus, quæ intra naturæ nostræ terminos continentur. in quibus si ita egemus Deo, ut in ipso uiuamus, (sicut scriptum legimus) & moueamur, & simus; quid in ijs fiet, quæ naturam omnino nostram superare est competentissimum? omnia ergo opera nostra (ut ait propheta) Deus efficit in nobis. nec tamen iccirco ociosis esse nobis licet, sed illud requiritur ab homine, quod uni ex omnibus animantibus homini Diuino munere datum esse, non modo sacræ literæ nostræ, uerum & externi etiam philosophi, atque adeo poetæ ipsi profitentur. id autem est, libertas, quæ uocatur, arbitrij, ut oblati à Deo donis homo assentiatur, eaque non auersetur, alioqui audiet sapientiæ increpationem, quæ aduersus contemptores queritur in hæc uerba. Quia uocaui, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret. destruxistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. ego quoque in interitu uestro ridebo, & subsannabo, cum uobis id, quod timebatis, aduenerit. Neque est, quod mire-

mur,

mur, qui fieri possit, ut, cum Deus efficere omnia in nobis dicatur, efficere & nos aliquid dici possimus. nam Diuina actio eam vim habet, ut, dum in nobis agit, non solum id, quod nostrum, ac in nobis est, vel auferat, vel corrumpat, uerum etiam illud roboret, atque aptius ad agendum reddat, quod corporeis exemplis facilius patebit. cernimus cœlum ipsum inferiores motus ita ciere, ut sine illo motu, ne mea quidem, quæ ad loquendum utor, lingua moueri posset, quam tamen linguam ego mouere dicor, quamuis ipsius motus vim è cœli motu pendere fateamur. neque dicimus tamen, cœlum, sed memet ipsum linguam meam agitare, ac mouere. Exemplo item sit ignitum ferrum. nam ubi igni ferrum canduit, etsi tota caloris ratio ab igne proficiscatur, solemus tamen frequentius dicere, ferrum illud ignitum, & candens adurere, quam ignem illum, qui in ferro est. simillimè confitemur quidem, omnem agendi facultatem Diuinæ gratiæ acceptam esse referendam, nec propterea tamen ea ipsa, quæ, agente in nobis eadẽ gratiã, agimus, nostra etiam appellare prohibemur. quam ob causam Seruator ipse cum diceret, sine me nihil potestis facere, seque uitem appellauisset, nos palmites, in quos ab ipsa uite succus, ac uigor omnis manaret, non dixit tamen, uitem in palmitibus, sed palmites ipsos, qui in uite manerent, multum fructum allaturos. Et hæc quidem breuiter de libertate nostra, quæ à Dei gratiã iuuatur potius, quam tollitur, sint dicta: nam exspatiari liberius, quemadmodum à nobis alibi factum est, huius loci ratio non sinit. quare ad id, quod deinceps propositum est, ueniamus, an scilicet recte facta ad hanc iustificationem faciant, & quando. Facere illa quidem, & superius, cum Pauli, tum Iacobi auctoritatibus demonstrauimus, & post paulò etiam nihilo minus sumus demonstraturi, quare ad illud potius respondebimus, quando id accidat, ut ad iustificationem faciant. dicimusque, illa toties facere, quoties ipsa agit cœlestis gratia, quod adeo sic cognoscite. Præuenit impium adhuc hominem gratia, occultoque il lapsu impiæ illum, ac flagitiosæ uitæ admonet. is, si proximè ad iustificationem accedere uult, continuo motum illius gratiæ sequitur, incipitque respicere, iudicium Dei formidare, quem omnium & inspectorem, & iudicem credit. non desperat tamen, sed potius incomprehensa eius incipit fidere bonitate, cæteraque agit, quæ præcedere iustificationem dicuntur. Eadem quoque opera, dum fit in homine iustificatio, neque enim uelim à me expectetis, dum uobis explicem subtilius transitum illum, qui ab iniustitia ad iustitiam fit. cum laborent philosophi, quando transitum illum, qui à somno fit ad uigiliam, conantur explicare. & sanè eiusmodi disquisitiones obscurant potius hanc tractationem, quam lucis aliquid afferant, præsertim cum ab externa philoso-

PPP phia

phis plurimum ista petatur. Eadem ergo opera, dum iustificando Deus, hominem innouat interiorem, à iustificante gratia non sunt separata. nam, si Christiani hominis opera ab illis Iudæorum, ethnicorumque, quæ tantum æstimabantur, cum extra prodirent, distinguuntur, ut prima, præcipuaque eorum uirtus intrinsecus petatur, profectò cum remittuntur homini peccata, et interior innouatur homo (hoc enim est iustificari) non potest tunc anima pulcherrimis cogitationibus, quæ uerè sunt rectè facta, quæ & bona opera uocamus, non esse grauida. quæ eadem opera, & post iustificatum hominem, eandem ipsam gratiam, uelut indiuiduæ comites sequuntur, & cum ea agente simul agunt. neque enim in homine tanquam in stipite agit gratia, sed, cum ea duntaxat ratione addita sit, ut in recta, honestaque facta incumbere uolentibus sit adiumento, tum demum, aut potius tunc solum uires suas deponit, cum ei operanti cooperari uoluerimus. Postremum, quod in hoc primo hominis statu, & conditione quæritur, est, quid sit ipsa iustificatio, & quo pacto sit intelligendum, hominem iustificari per fidem. Ex ijs, quæ dicta hætenus sunt, ita definire possumus, ut iustificatio sit innouatio interioris hominis, dum ei per fidem in Christum remittuntur peccata, & charitas Dei in cor illius per spiritum sanctum effunditur. hominem uerò iustificari per fidem, quo sit intelligendum modo, omnino accuratè querendum est, quando horum uerborum pro cuiusque stomacho facta interpretatio, multis erroribus uiam aperuisse hac nostra ætate uisa est. atque etiam in ipsis nascentis ecclesiæ exordijs ferunt uetustissimi auctores, fuisse multorum sententiam, quæ & nunc fuerat excitata, nos sola fide in Christum seruari, qualiscunque uita nostra foret. Conabor ergo similitudine aliqua ante oculos ponere, cur fidei ascribatur iustificatio, quæ tamen fides sine rectè factis nullam ad iustificationem adipiscendam habere uim potest. In lege, quæ à Deo per Moysen data est, præcipitur, nequis sanguine uescatur propterea, quod anima, id est, uita hominis in sanguine sit. uitam ergo hominis in sanguine esse, nihil est aliud, quam hominem per sanguinem uiuere. neque enim aliter quenquam uestrum opinor esse interpretaturum. uiuit ergo homo per sanguinem. quo tandem id pacto? dum uidelicet ab ipso cordis conceptaculo per uenas in omnes corporis partes, membraque diffunditur, quæ corporis membra nisi essent, in quæ reciperetur, non solum uitam homini non præberet, uerum ne ipse quidem uitale quippiam in se habere posset. hanc nos similitudinem rei propositæ accommodemus. Iustificari per fidem hominem dicimus, quemadmodum eundem hominem per sanguinem uiuere. & sicut necessaria sunt corporis membra, ut non tam uiuat homo per sanguinem, quam sanguis ipse uitale aliquid sit, at-

que

que habeat; sic in hac parte accidit. constat enim quoddam ex uirtutibus corpus, non minori arte compactum, surque membris non minus distinctum, quam externum hoc, quod carne, & ossibus cottat. per hoc corpus fides ueluti sanguis diffunditur, ut huic corpori uitam præbeat. nulla. n. facta, si fides amouetur, uiuidum quid habent, aut ef icax, quando apostolica auctoritate admonemur, fieri non posse, ut sine fide quisquam placeat deo. & tamen hic fidei sanguis, nisi, quemadmodum in illo corporeo sanguine usu euenire diximus, per uirtutum corpus diffundatur, & in illis, ac per illas, ueluti per membra, & ipse, ut sic dicam, uiuat, non solum uitam uirtutibus, ac rectè factis præbere, sed ne ipse quidem uiuere poterit. quare appositè beatus Iacobus fidem dixit sine operibus esse mortuam, nimirum tanquam extra corpus, & uenas ipsam sanguinem. Dicimus ergo, iustificari hominem per fidem, non quod solitaria vnquam hæc, de qua loquimur, fides, & ab operibus seiuncta esse, aut assequi sola quicquam possit, sed propterea, quod tanquam sanguis corpori, quod sæpe diximus, sic illa rectè factis nostris omnibus necessariò immisceatur, ut iustificationem à Deo assequi liceat. Quemadmodum uerò non propriè dixeris, sanguinem uitam asserre homini, sed animam per sanguinem. nam quod scriptum est, hominis animam in sanguine esse. Hebraismus est, ut anima pro uita accipiatur, ut scilicet uitam accipiat homo ab anima per sanguinem. sic nunquam rectè, ac propriè dicas, fidem iustificare, sed gratiam, ac misericordiam Dei, quæ per fidem accipitur, hanc asserre iustificationem, ut quod in exteriori homine efficit anima, id in interiori agat gratia, ut, si par pari referre uelis, gratia animæ, fides sanguinis, iustificatio uitæ uicem gerat: & quemadmodum per sanguinè anima uitam corpori præbet, sic gratia per eam, quam diximus, fidem, iustificationem homini subministret. His animaduersis, non ita multo negotio catholica ueritatis aduersarijs respondetur, qui uolunt, sola nos fide, non etiam charitate iustificari. nos. n. contra dicimus, nos neque fide primo, neque charitate, sed una dei iustitia, in Christo nobis impertita iustificari, quæ tamen iustitia, tum fide, tum etiam charitate recipitur, & efficitur iusti: nam utrunque reperimus à Seruatore dictum in hac historia, quam hodie exposuimus, &, fides tua te saluam fecit, &, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Hæc ergo iustificatio in sacris literis & fidei, & dilectioni ascribitur, quædo utraque illam Dei gratiam, qua iustificamur, æquè recipit. quod uerò apostolus aliquoties, præsertim ad Romanos, & Galatas scribens, idetidem repetit, iustificari nos fidè, hoc necesse fuit Paulo facere, ad demoliendâ illâ Iudaicâ iustitiâ, quæ legis operibus nitebatur, ut crederet, eâ iustitiâ gratis donari per Christum, in quo uno deus nobis facta nostra gratis ad iustitiâ imputat. nūquã

PPP 3 enim,

enim, si diligenter peruestigemus, inuenietur Pauli ætate quæsitum, quid rectè facta, & quæ ipse uocat opera iustitiæ, faciant ad iustificationem, neque, cum dixit, non ex operibus iustitiæ, quæ nos fecerimus, saluos nos fecit, id ipsum uocare in dubium uoluit, sed solum docere, tantam benignitatem à Deo profectam, non propterea, quòd in hominibus repererit quippiam boni, quo eis afficeretur, sed sola misericordia eius totum id nobis contigisse, quòd ex sequentibus uerbis declarat, cum addit. sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Hæc item cogitatio facit, ut apostoli duo, Paulus, & Iacobus, qui penitus contrarij inter se uidentur, maximè sint concordēs. nam Paulus, cum inquit, Abraham, si iustificatus est ex operibus, habere gloriam, sed non apud Deum, intelligit opera legis, quibus iustus apud homines apparuit, qui cernentes illum circumcisum ex Dei fœdere, quòd cum illo pactus erat; intelligebant, charum esse uirum illum Deo, nam manifestum est, totam illam disputationem eò pertinere, ut ostendat Paulus, opera legis, quorum præcipua erat circumcisio, non esse ad salutem, uel iustificationem necessariã. Non ergo illic disputatio erat de rectè factis, quibus iustificamur apud Deum. at de his Iacobus loquitur, quòd apertissimè significat, cum loquens de Abraham, non meminit circumcisionis, ut Paulus, sed de egregio illo facinore, cum obtulit Isaac filium suum. Quòd ergo ait apostolus Paulus, iustificari hominem ex fide, eam nimirum fidem intelligit, quæ per dilectionem operatur, id est, quæ sine operibus esse non potest. cum uerò Iacobus dicit, ex operibus fuisse Abraham iustificatum, uide quæ opera dicat, nempe quæ fides ipsa exerit. quo enim pacto sine maxima fide Abraham offerre potuisset filium illum suum unigenitum, maximeque dilectum? itaque ambo re ipsa concordēs sunt, quanquam uerbis discrepare uideantur, cum uterque fidem, & opera simul iungant, quoties de uera, & secundum Deum iustitia loquuntur. Et uide, ut pulchrè rem hic Iacobus explicet. nam sequitur. uides, quòd fides cooperabatur operibus eius, & ex operibus fides consummata est? quibus uerbis admonet, tum demum opera nostra esse grata Deo, cum illis hæc fides cooperatur, uicissim uerò fidem placere, cum ex talibus operibus consummatur. quòd quanquam apertum sit his uerbis quid uelit, ut tamen omnem tollat dubitandi occasionem, addit. & impleta est scriptura, quæ dicit. credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam. non ergo negat, etiam ex fide iustificatum esse Abraham, neque dat omnem iustificationem operibus, sed docet, non solam sine operibus fidem iustificare. quòd idem est cum uerbis Pauli, quibus proponit fidem, quæ per dilectionem operatur, qua proculdubio iustificamur.

Et satis

Et satis quidem hæc erunt, si non pro rei magnitudine, ac dignitate, certè pro loci, ac temporis conditione ad ea, quæ primo loco fuerunt proposita. quare ad alteram partem transeundum est, & alterum hominis statum, ubi quæritur, quibus modis iam iustificatus homo debeat, ac possit acceptam iustificationem conseruare, & in ea fideliter se exercens proficere. quibus item modis renatus in spem gloriæ filiorum Dei, tandè ipsam gloriã consequatur. Hæc cum plura sint, quæ simul postulatur, sigillatim ijs suo ordine respondebimus. & quæ admodum in eò, quòd primò fuit propositum, diximus afferendum esse prius, Christi merita ad iustificandũ hominẽ esse applicanda, quam quæritur, quo pacto applicentur; sic, & multò magis hoc loco ob recens ortas hæc ætate opiniones id ipsum est faciendũ, ut prius affirmemus, hominẽ, & debere, & posse dare operã, ut acceptã iustificationẽ conseruet. deinde paruestigemus, quo id pacto fieri possit. Et debere quidẽ nos omni studio incũbere, ut tantã rẽ conseruemus, uel ratio ipsa cõmunis admonet; quando vulgaris sententia est, non minoris esse operis, ac uirtutis tueri, quæ iam parauerimus, quam ea acquirere. sed cum Diuinis scripturis inniti debeamus, si non infinitis penè locis id admoneremur, satis esset illud in Apocalypsi documentum. tene quòd habes, ut nemo accipiat coronam tuam. quid enim est admonere, ut, quis id, quòd habet, teneat, nisi ut curet conseruare, quòd est affectus? quòd si non idem ipsum etiam possit, quid attrinuerat id admonere? nisi uerò etiã id præstare, & deberemus, & possentis, non adhortaretur nos Paulus, cum sæpe alibi, tum ubi ait. obsecro uos, ne in vacuum gratiam Dei accipiatis. Quid autem est aliud, gratiam Dei in vacuum accipere, quam id munus, quòd adeptus sis, ob incuriam, & incogitantiam amittere? possumus ergo, ac debemus acceptam semel à Deo iustitiam, toto pectore incũbere, ut conseruemus. quo uerò fieri id pacto possit (hoc enim quæritur) admonent nos Diuina oracula, quibus primũ docemur, ut semper à Dei auxilio, & gratia pendeamus. nam sine me (inquit) nihil potestis facere, quòd si ne cogitare quidem aliquid à nobis, quasi ex nobis, ex Pauli sententia idonei sumus, quid tandè est, uel exiguũ, uel magnum, quòd humana imbecillitas per se posse, sibi audeat polliceri? deinde hæc freti gratia, perpetua & duce, & comite, id cogitemus esse à nobis faciendũ, quòd Paulus ad Corinthios scribens dicit. nescitis, quòd ij, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit brauium? sic currite, ut comprehendatis, quòd non omnes (inquit) propositum præmiũ accipiunt propterea, quòd non ita currunt, ut cõprehendant. non enim coronatur, nisi qui legitime certauerit. ubi enim quis primum Christo nomen dedit, athleta fit Christi. sed ubi quis

inter

inter athletas ascriptus est, non cōtinuò præmium est assecutus, sed præstet, oportet id, quod addit idem Paulus. omnis enim, qui in agone contendit, ab omnibus abstinere, quod suo ipsius exemplo roboras ait. ego itaque sic curro, non quasi in incertum. sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne, cum alijs prædicauero, ipse reprobus efficiar. Castigabat corpus Paulus, quod mea ipsius anima magis erat spirituale, & audebit quispiam dicere, non esse homini assiduè desudandum? quare uel ex hac auctoritate facile refelluntur eorum impostura, qui censent, ubi semel se quis Deo toto corde obtulit, crediditq; Deum illum in se recepisse, sedus illud nunquam dirumpendum, neque posse hunc posthac unquam in aternos ignes relegari. illud quoque, quod quidam insanè somniant, non oportere eum, qui prædestinatus à Deo ad cælum sit, quicquam laborare. uiuat enim securus pro libidine, nam omnino illum esse seruandum. neque intelligunt miseri, Deum ipsum in sua prædestinatione, non solum finem illum seruandi hominis, sed consentanea etiam illi fini media comprehendisse, ut omnino rectè factis danda sit opera, quod nisi esset necessarium, non admonisset suos Petrus, cum dixit. magis fatagite, ut firmam uestram uocationem, & electionem faciatis. nam seruandis conditio proponitur. si spiritu (inquit) facta carnis mortificaueritis, uiuetis. & uos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio uobis. & qui perseverauerit usque in finem, hic saluus erit. quæ perseverandi uirtus si certa, ac tota nobis esset, non diceret Paulus. qui stat, videat, ne cadat. & cum timore, & tremore uestram ipsorum operantes salutem. His perpetuis conatibus, illud deinceps sequitur, quod etiam est quæsitum, ut non solum datam iustificationis gratiam conseruemus, uerum etiã ut in ea ita nos exercendo progrediamur, & eamus de uirtute in uirtutem, alioqui relapsuri, cum scriptum sit, hominem nunquam eodè in statu permanere. Magnum uerò ad progressum præbet adiumentum, illud, quod de se aiebat Paulus. fratres, ego me nondum arbitror comprehendisse, uanum autem, quæ quidem retro sunt, obliuiscens, ad ea uerò, quæ sunt à fronte, extendens me ipsum, iuxta præfixum signum persequor ad brauium supernæ uocationis Dei. Quo uerò pacto is, qui renatus est in spè gloriæ filiorum Dei, tandem ipsam gloriam, perpetuamq; felicitatē, à pijs omnibus expectatam (quãdo hoc postremò in secundo isto gradu quaeritur) consequatur, diligentius est pertractandum ob eos, qui sola se fide omnia profitentur assecuturos. uerum, cū multa ex sacris literis afferri possint testimonia, unum, quod appositissimum mihi uidetur, afferam. Corde (ait Paulus) creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. uidete, ut, cum ait, corde creditur ad iustitiam, fidei tribuat iustificationem

cationem quidem, non tamen plenam salutem, quam oris confessio ni referuat. nam illud, ore confiteri, quod iam corde præceperis, quandam præ se fert in sententia, & bonis operibus constantiam, quæ seruandis est necessaria, iuxta illud. qui perseverauerit usque in finem, hic saluus erit. neque negamus; ubi non suppetant uitæ spatia, illam ex fide adeptam iustificationem sufficere ad salutem. sed cogitandum est, ne huic quidem huius alterius partis uotum deesse, plenamq; esse illius hominis animam hoc perseverandi desiderio, ut uerum in quouis gradu quodam modo sit, quod diximus, huic alteri parti salutem attribui, quod similitudine aliqua fortasse fiet apertius. Pingamus animo, externum aliquem, & alienigenam donari ciuitate Romana. is ubi in eam ciuitatem ascriptus est, aptus quidem iam est adipiscendis muneribus, honoribus, & magistratibus ciuitatis, non tamen continuò his donatur, sed expectatur, cum ipse uirtute- & rectis, honestisq; factis idoneum se illis accipiendis præbeat. qui si inerte se, atq; indignè tanto munere gesserit, nihil hic præter ignominiam ex ea ciuitate reportabit. similem in modum ubi Christo quis nomèn dedit, cuius Christianæ ciuitatis effectus est, quemadmodum ait Paulus de huiuscemodi. iam non estis hospites, & aduenæ, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei. sed ut ijs muneribus honestetur, quæ huius ciuitatis hominibus promittuntur, eum oportet ita exerceri, itaq; uersari, ut non indignus tanta republica esse iudicetur. aliter erit in eorum numero, quibus dicitur. amen dico uobis, nescio uos. & discedite à me operarij iniquitatis. Aliam adhuc adhibeamus similitudinem. Nascitur quispiam homo. is ubi natus est, quamuis in uirum non euaserit, homo tamen est, crescit interea, atq; ubi adoleuit, exercet se in studijs, quibus multis & opibus, & dignitatibus illustris fit. hic nisi natus esset homo, ista profectò adipisci non potuisset. cur ergo non illi natiuitati omnia ascribuntur? ob eam opinor causam, quòd, etsi ad ea paranda oportuit eum nasci hominem, nihil tamen eiusmodi natiuitas profuisset, nisi in robustiori ætate ea gessisset, quibus ita clarus effectus est. ad eundem sanè modum, etsi necessaria est homini iustificatio, ut ex iniusto iustus, atque ex impio fiat pius, & sit quædam imago hominis recens nati, sine qua nihil consequi boni præterea possit, tamen quia per rectè facta quasi adolefcit, & ad mensuram, ut ait Paulus, plenæ ætatis Christi peruenit, salus illi maturæ ætati refertur accepta. quæ mea uerba uelim somnia existimetis, nisi magnū illū piscatorem (mirificè enim hoc cognomine delector) Petrum mecum sentire ostendero. obseruate enim, ut appositè ad meam sententiam uerba proferat. Quasi modo geniti infantes, rationale, & quod fine dolo est, lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. cernitis, ut salutem

salutem adultæ, quam appellauimus, ætati assignauerit, non autem infantia? ut nihil mirum sit, si in scripturis sacris ferè is seruetur dicendi modus, ut dicatur, mercedem operibus iustitiæ dari, & reddi unicuique secundum opera sua. neque tamen propterea gloriari quisquam iure potest, quasi quicquam ex se egregij fecerit, quo vitam illam æternam sit meritis, cum enim, ut superius diximus, iubeamur, postea quàm omnia perfecimus, quæ à Deo nobis præcepta sunt, dicere, seruos nos esse inuites, quid tandem est, quòd confidete benefactis nostris audeamus? sed totum id Diuinæ est liberalitati ascribendum. Deus enim fidei nostræ, quam per huiuscemodi opera in nobis exercet, donat, ut mereamur æternam illam vitam, quæ gratuito nobis pollicitus est, rebusq; quæ nullum per se pretium habent, pretium ipse voluit assignare. quòd si hominibus licet, pretium pecuniæ statuere, ut tantum valeat, quantum ipsi decreuerint, id Deo in factis nostris non licebit? Sed iam ad tertiam partem veniendum est, in qua proponitur, si quis post iustificationem peccando exciderit, quo pacto resurgere habeat, ut iterum iustificetur, & ei merita Christi prodesse iterum possint. & quid hæc iustificatio à prima differat, & in quo conueniat. Quæ sit ei ineunda resurgendi ratio, qui relapsus in scelera est (nam & hoc aduersus eam licentiam, quam multi sibi maximo suo cum damno sumunt, hac ætate est ualde necessarium, quòd tractetur) locus est maximè accomodatus in Apocalypsi, ubi dicitur ei, qui charitatem suam primam reliquisset. memor esto, unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. vult ergo, ut agat pœnitentiã, quando peccati uenia non datur, nisi correctis. vult præterea, ut excitet in sese priora opera. & ea omnia ferè adhibenda sunt, quæ primo in statu iustificando homini sunt necessaria. nisi quòd fidè adhuc retinet, tametsi tandiu ociosa, & ipsa, atque inutilis remanet, quandiu in peccatis perseverat. emigilabit ergo fides, affectus in Deum excitabitur, terrore pœnarum exagrabitur, ueniet in spè ueniæ, cæteraq; aget, quæ in prima iustificatione præcedere dicta sunt. atq; hoc pacto merita Seruatoris Christi prodesse illi rursus incipient, dū per fidè, & charitatè, ut prius factum fuerat, illorum eorundè fiet particeps. Non tamen hæc geminæ iustificationes sic similes sunt, quin inter se etiam differant. è quibus differentijs vnã illam attingam, quæ latiore est specie. ea uerò est, non ita licere iterare baptismum, quemadmodum pœnitentiã licet, quæ res iure admirationem parere possit, cur, si pœnitentiã repetere licet, baptismi repetitio prohibeatur, contraque, cum baptismi iteratio sit uetita, cur non item pœnitentiæ. Quæ in re mihi uidentur fidei nostræ sacramenta ita interioris hominis uisibus fuisse accommodata, ut moribus exterioris facile respondeant. sicut ergo homini semel duntaxat nasci conceditur.

ceditur. neque enim potest homo, ait Nicodemus apud Ioannem, ubi ad senectam peruenerit, iterum in matris ventrem introire, & renasci. sic baptismus nouam quandam, ac spiritualem natiuitatem præ se fert. dicimus enim, renasci hominem fonte baptismatis. atque adeo ipse Seruator renascentiam hæc appellauit, cum dixit. nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. ob hæc causam non permittitur iterari, ne naturæ quippiam repugnans agere videamur. sed quamuis semel tantum nasci concedatur, cum tamen frequenter ab incolumitate ad morbum, rursusque à morbo ad sanitatem fiat reditus, iterantur etiam remedia, & medicinæ. quid uerò pœnitentiã est aliud, quàm eius animæ curatio, quæ in morbum misera inciderit, cupiatque recuperare incolumitatem? iccirco fit, ut pœnitentiæ repetitio concedatur, quæ in baptismo non licet. Sed accuratè obseruandum est, tum denique salutarem esse pœnitentiã, cum hominem ita sui lapsus pœnitet, ut mortem potius oppetere paratus sit, quàm in eadem uitiã relabi. nam uereor, ne ætate nostra maximã hominum pars per eam rem nunquam se à uitijs, & peccatis, expediat, semperque in illis nescia detineatur, quæ res ad leuandum eisdem peccatis hominem; saluberrimè fuit excogitata. putant enim se tum pœnitentiæ fructum percepisse, cum interroganti sacerdote, num scelerum, quæ sunt confessi, eos pœniteat, respondent, se utique pœnitere. quòd falsum esse, illud est argumeto, quòd ad eadem paulò post, & flagitiosiora etiam temerè relabuntur. quos si uerè, atque ex animo pœnitiuisset, qui fieri posset, ut id, quòd uerè uoluerunt detestari, tam facile amplecterentur? quis enim obsecro nostrum est, qui si forte aliqua in immanissimi cuiuspiam tyranni manus uenisset, atque ab eo crudelissimè fuisset affectus, deinde ex eius manibus elabi contigisset, rursus in eius potestate redire uellet, si etiam blandis pollicitationibus ab eo inuitaretur? sic profectò nemo unquam peccati blanditijs allici se facile pateretur, si cogitaret, quantum damni sit, in suam, crudelèque peccati tyrannidem trahi, quòd ab ipso Deo, id est, ab vno, & summo nostro bono abducit, paratis nobis illis cæli sedibus priuat, ad æternos, neque desituros unquam ignes pertrahit, & exituum hoc, quo hic agimus, uitæ nobis aufert, ut esse homines desinamus, & animantium ratione carentium figuram, in ipso interiori homine induamus, quæ mala si, cum ad pœnitentiæ portum recipere nos de liberamus, cogitatione præciperemus, inueniremus proculdubio eum pœnitentiæ modum, quò ferè uulgus uitatur, impedimento esse potius, ne unquam ferò ad Deum accedatur, quàm remedio. Quare hoc vno mea sententiã indicio intelligere possumus, hominem ex hac pœnitentiã certum fructum capere, quòd indicium à magno illo Basilio, in

O R A T I O

eo libro, qui de institutione monastica inscribitur, propositum est. is enim interrogatus, qua ratione quis intelligere posset, à Deo sibi remissa fuisse peccata, respondet. cum illud in sese experitur, vt dicere cum propheta possit. iniquitatem odio habui, & abominatus sum, legem autem tuam dilexi. nemo enim ei, quod odit, atque abominatur, facile adduci potest, ut reconcilietur, verumque est vetus prouerbiū. neminem scilicet cum inimico citò redire in gratiam. qui verò paucos post dies ad peccata reuertuntur, ij ex ipsis factis arguuntur, se non recessisse à peccato, tanquam à capitali hoste, sed tanquam ab amico per aliquot dies abfuisse, ad quem redire quàm ocysimè cōcupuerint. at hoc est & Deū irridere, & sibi ipsis imponere, impostura maximè omnium miserabili. quod ne vobis posthac accidat, seruate memoria omnia hæc, quæ hodierna oratione audiistis, vt & pœnas peccatoribus paratas eua datis, & misericordiam consequamini in tempore opportuno. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & potestas, & imperium, & nunc, & in omnia secula seculorum. Amen,

ORATIO QVADRAGESIMA
P R I M A.



VPERIORE oratione, cum historię Euangelicæ oblata fuisset occasio mulieris peccatricis, quæ ob dilectionem, & fidem iustificata dimissa fuerit à Domino Iesu Christo, & hac ætate acris facta sit alteratio, cuius rei referenda accepta esset iustificatio, fidei ne, an rectè factis, quæ ab ipsa dilectiōe proficiuntur, iudicauī oportunum tempus me fuisse nactum, si meam de hac re sententiam vobis aperirem, quod eò & libentius, & tutius feci, quòd hæc eadem sententia mea Tridentini concilij patribus vita fuit non displicuisse. Verum, quia in eodem concilio, dum iustificationis materia tractaretur, obtulerūt se duę quæstiones quasi gemini scopuli, qui cursum disputationis tot ferè diebus retardarunt, quot reliqua materia. & res est scitu digna, atq; vtilis, videbar mihi imperfectam hanc tractationem reliquisse, nisi de geminis hisce quæstionibus ex hoc loco verba facerem. Ex sunt autem, de imputatione iustitiæ, & certitudine gratiæ. priore quæstione propositus est homo, qui iustificatus, rectè factis iuuante Deo operam dederit, quæ facta meritis passionis Seruatoris Christi innitantur, is cum sistendus est coram

coram iudice Christo cum hac inhærente sibi iustitia, quaritur, num censendus sit ita fecisse satis Diuinæ iustitiæ, vt vitam æternam adipiscatur, an præterea adhuc opus illi sit misericordia, & alijs à Christo communicandis meritis, atque iustitia. Altera quæstio est, num cui certum esse possit, atque exploratum, quòd gratiam Dei, & iustificationem sit adeptus, eamque teneat, & quo id genere certitudinis. Huic geminæ quæstioni & maiori compendio, & magis appositè respondebimus, si eum duntaxat scopum nobis proponamus, cur ad hæc duo peruestiganda, ab eius concilij patribus sit ventum. nimirum vt falsis opinionibus, quæ hac ætate Christianum orbem inuasere, occurreretur. Reperti enim sunt, qui, vt omnem, qui nunc est, ecclesiæ statum euerterent, ac funditus tollerent, rectis, honestisque factis omnem auctoritatem derogare cœperunt, vt quæ ad adipiscendam vitam illam, immortalem nihil cōferant. quare ab eis non minus, atque adeo magis etiam, quàm ab improbè factis esse abstinendum, totamq; fiduciam suam hominem in solis ipsius Christi Domini, ac Seruatoris omnium, meritis, ac passione, qua nobis abundè omnia promeruit, esse collocandam, quòd si quis tantum ex animo credat, ipsam illius meritorum vim credenti sibi imputari (liceat enim mihi in vsu verborum, dicendi consuetudinem sequi) vt iustificetur, securus ab omni metu sit. vbi enim se à peccatis absolutum solidè credit, is absolutus est (inquunt) qualis eius cunq; sit contritio. Et sanè à vetustis etiam patribus memoria proditum est, in ipsis nascentis ecclesiæ exordijs, in hanc multos venisse sententiam, homines sola in Christum fide seruari, nulla habita uitæ ratione, ex hoc etiam sequi cōsentaneum est, eum, qui ita affectus sit, atq; opinionem hanc ueram esse sibi persuaferit, nihil vel de præsentis iustitia, vel de salute postrema posse dubitare, cum in solis Christi humeros omnem huius negocij proiecerit sollicitudinem. Huius nobis malo ita curatio est excogitanda, vt ne in contrarium morbum, is, qui ægrotat, transferatur, atque in multò vetustiore haresim delabamur; eorum, qui ignorantes Dei iustitiam, & suam uolentes constituere, à vera iustitia aberrauerunt, & quos redarguit Dominus, qui sibi ipsis, suis que factis perinde fidebant, quasi ex ipsis iusti essent effecti. Media ergo via est ingrediendum, quæ semper catholicæ ecclesiæ, cum de dogmatibus esset agendum, fuit consuetudo: cuius rei non pauca proferre exempla possem, si viderem esse necessarium. Hæc si præstiterimus, vt erroris vtriusque pericula declinemus, simul illud assequemur commodi, vt non admodum multo negotio componantur eæ lites, ac controuersiæ, quibus tanta sententiarum diuersitate, plurimi è theologis, etiam nostris disceptare uisi sunt, & scripturæ sacræ præterea, sanctorum que patrum auctoritates,

Meritantes, quas ad se quisque trahere, atque, ut pro se facerent, efficere conabatur, quem habere sensum debeat, intelligemus. Cum ergo quaeritur, num satis sint ad salutem iustificati hominis opera, quae in Deo, & Christo eius facta sint, (nam ab eo vim omnem suam habere, ut à capite membra, atque à vite palmites iam superiore oratione, cum de tota iustificationis materia verba fecimus, est declaratum, ut nunc noua de ipsa re non sit opus narratione) an alia praeterea meritum ipsius Christi imputatione indigemus, quid proponatur est cogitandum. proponitur enim homo, qui iustificatus iam sit, atque in Christi ciuitatem ascriptus, & qui adoptionis spiritum acceperit, in quo clamet. abba pater. at eiusmodi homines ij sunt, qui, cum ante iudicis tribunal sistentur, audituri sunt. venite benedicti patris mei, percipite regnum. qui etiam in parabola virginum designantur, quae accersit, cum repertae sint habere oleum, quo ornarent lampades suas, & obuia fierent sponso, in eius thalamum sunt introductae, ij etiam sunt, qui cum veste nuptiali ad regias epulas sunt admisi, qui cum ad excolendam quoque vineam fuissent inuitati, quamuis vna tantum hora sese exercuissent, acceperunt & ipsi suum denarium: quare non video, cur hic dicendum sit, ijs noua iustitiae Christi imputatione esse opus: adhibetur enim imputatio, ubi sublata opera sunt. nam ei (inquit Paulus) qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. ei vero, qui non operatur, sed credit in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam. Si ergo pollicitus est Dominus, se redditurum unicuique secundum opera sua, atque, ut ait Paulus, stantendus est vnusquisque ante tribunal Christi, ut referat, quae in corpore gessit, siue bona illa sint, siue mala, atque hanc iustitiam appellat, & hac in re Deum iuste agere, quod nifaceret, ipse se parum iustum esse arbitraretur. quam ob causam idem Paulus ait: non enim iniustus Deus, ut obliuiscatur operis vestri. sequitur proculdubio, ut, ubi Christiani hominis opera aestimantur, ibi noua praeter eam, quam adeptus iam est, meritum Christi imputatio non sit introducenda. nam illud praeterea sequeretur incommodi, quod postea quam in filios fuimus recepti, deteriore essemus conditione, quam cum ex inimicis fuimus reconciliati. cui sententiae aduersatur Paulus, nam ait. si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati salui erimus in vita ipsius. quod si iam reconciliatis noua adhuc requireretur imputatio, plus hic egeremus, quam cum fuimus primo reconciliati, in qua reconciliatione nequaquam altera fuit opus imputatione. ut taceam interim, derogari ipsis Christi meritis, quae in iustificatione sumus assecuti, quae non satis virium ad nos seruandos habuisse visa sint. Neque

Neque hic tacebo scrupulum non contemnendum, quem iniecit quidam ex theologis, eruditissimus idem, & acutissimus. sic enim dixit. in iustificatione satis esse illam iustitiam, quam inhaerentem uocant, qua nidelicet interior homo per eandem iustificationem innouatur. alioqui contingeret, Christum pro iustis esse mortuum, si iusto iam effectu homini Christi meritis opus praeterea esset. sed ad aeternam (inquit) adipiscendam uitam, misericordiam adijci est necessarium, quod scilicet incomprehensa illa, ac sine carentia bona, nostris factis meritiue facta sit. Et sane huic astipulantur sententiae uerba apostoli, cum dixit. non sunt pares afflictiones huius temporis ad gloriam, quae reuelanda est in nos. sed uerborum esse uidetur potius haec, quam rerum discrepantia. quam enim ille in aeterna illa retributione requirit misericordiam, hanc ego eandem inuenio iam tum mihi praestitam, cum sua benignitate ita staturit, ut opera nostra, quae per se nullo pretio digna sunt, eam vim haberent merendi, ut momentanea haec, & leuis afflictio nostra, mire, supra modum, aeternum gloriae pondus pariat nobis. Haec itaque misericordia in hoc iustificato nunc homine, quodam modo delitescit, suo tempore reuelanda. atque ob hanc opinor causam hoc Diuinae in nos beneficentiae donum, idem & iustitiae, & misericordiae appellatur. ut quum propheta ait. misericordia autem Domini ab aeterno, & usque in aeternum super timentes eum. & iustitia illius in filios filiorum, ijs, qui seruant testamentum eius. & Paulus nunc iustitiam Dei reuelatam esse ait, nunc apparuisse benignitatem, & humanitatem Seruatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiae, quae nos fecerimus, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecisse. rursumque; factores legis iustificabuntur, & tamen gratiam Dei appellat uitam aeternam. Cogitetur ergo (ut reuertamur ad id, quod dicebamus) continua potius quaedam quam noua miseratio, quae ab ipsa regeneratione, ac spiritali ortu, usque dum perueniamus ad mensuram plenae (ut ait Paulus) aetatis Christi perpetuo deducat, & regat, & tanquam causa ijs, quibus causa est, semper praestet, ac ueluti fons riulis inde manantibus suppeditet, ut semper fluant. itaque fiet, ut non sit necessarium torqueri, distinguendo iustitiam; tum Christi, tum nostram, & cum intellectum est, omnes nos de plenitudine eius accepisse, agnoscamus, id quod accepimus, ab eo profectum esse, & eius liberalitate nostrum factum, atque eam esse aquam, quae epota fiat in nobis fons aquae nunquam deficientis. esse item eam lucem, quae in iustis, ut ait Salomon, procedit, & crescit usque ad perfectam diem. nimirum in qua nulla est futura nox, cum fulgebunt iusti sicut sol in regno patris sui. Haec cogitatio illud etiam afferet boni, ut, qui malitiose his annis imputandi rationem excogitauerunt, facile

facile refutentur. nam ij, dum perstradeant, nullam recte factorum habendam esse rationem, fingunt hominem semper quidem iniustum esse, sed sola Christi iustitia fieri, ut ei iustitia, quam nullam habet, imputetur tamen, ut nihil referat, iustis operibus, nec ne operam dederit, neque cogitant, hoc pacto nihil Christianum hominem ab ethnico differre, nisi fiat interior mentis innouatio, nam hoc uno in primis Christus se Dei esse filium declarauit. etenim cum apud ethnicos plurimi honeste facta sint amplexati, unum tamen illi, qui fidem in Christum professus sit, hoc referatur, ut expulsus, euulsusque (quod in ethnico non fiebat) ab radice peccatis, nouam induat creaturam, & præterea renouetur de die in diem, quæ vtraque sine permixtione nostrorum recte factorum, quæ ipsius iustitiæ Christi quasi conseruatio quædam sunt, seu vasa, quibus ipsa contineatur, nunquam fieri posse, superiore vobis oratione, cum de tota iustificationis materia locuti fuimus, satis mihi videor declarasse. Stet ergo, vt hanc partem, quam primum tractare exorsi sumus, hic concludamus, ei, qui semel iustificatus sit, seruaueritque iustificationem, nouam meritorum Christi accessionem non esse necessariam, vt æterna doneatur salute. quod vel ex eo liquet, si accipiatur quispiam, qui recens baptizatus, mox ex hac vita migret. huic enim nihil eiusmodi additamenti opus esse omnes consententur. Sed quid ijs fiet (dicet aliquis) qui post acceptum baptismum multa peccauerunt? at hæc non eadem; sed diuersa quæstio est, quæ bifariam mihi videtur distinguenda, vt ij vel peccata, quæ ad mortem vocantur, peccauerint; vel quæ non ad mortem, si ad mortem, ij desuerunt esse iustificati. quare iam ad hanc quæstionem nihil pertinent, nisi forte velimus eos esse, qui iustificationem sæpius amissam tandem receperint, quos, si verè fuerunt iustificati, in eo gradu necessario collocabimus quo eos, de quibus istita oratio est, quatenus ad acquirendam salutem æternam res pertinet. sin iustificatus ea tantum admiserit peccata, in quæ ex quotidiana vitæ consuetudine incidimus, is non ob ea omisit illam iustificationem, quam satis esse ad comparandam æternam vitam dudum professi sumus. sed diminuetur fortasse ob ea ipsa errata, ac lapsus, siue delicta, ac vitia quædam aliquod de gloria, vt illi terræ contigit, quæ alioqui bona est commendata Domini testimonio, quæ quamuis centies multiplicatum fructum non attigerit, sexaginta tamen, ac triginta partium numerum sit assecuta, quæ proculdubio aliquo vitio interiore impedita fuit, quò minus ad centenarium numerum perueniret. accedunt quotidianæ afflictiones, castigationesque, quæ æquo animo ob Dei gloriam toleratæ, eiusmodi maculas quasi obliterant, ac resignant. Verum de ijs peccatis, quæ digna venia solemnus appellare, latius, accurratiusque erit tractandum, cum de penitentia

nitentiæ sacramento à nobis agetur. satis enim sit in præsentia, scire, hæc peccata non esse impedimento, quò minus iustificationem teneamus, per quam æternæ salutis beneficium à Deo accipiamus. Et hæc quidem eatenus proposita, & quæ sita sint, quoad fallax illa iustitiæ imputatio, quæ ab catholica fidei hostibus introducta, in erroris opinionem homines trahit. non è ratione, ut quenquam nostrum insolentem, ac Diuinæ misericordiæ ingratum faciat, quin quouis tempore quisque & viuens, & moriens ad eam, tanquam ad tutissimum vnicum portum se referat. quid enim habes (inquit) quod non acceperis? quod si accepisti, quid perinde gloriaris, quasi non acceperis? esto. egerit quis vitam inculpatissimam, quousque tamen huic sit fidendum, ab ipso veritatis magistro admoneamur. sic enim docet. cum feceritis omnia, (Intellige semper de operibus secundum se, vt diximus & non vt per gratiam) quæ præcepta vobis sunt, dicite, serui inutiles sumus. quod si is, qui omnia perfecit; quæ sibi fuerant imperata, hoc esse animo debet, quid nobis (de mei enim similibus loquor) qui tantum abest, vt omnia, quæ debueramus, simus, assecuti, vt plurima illis contraria patrauerimus, erit faciendum? stellæ (inquit) non sunt mundæ in conspectu eius, quanto magis homo putredo & filius hominis vermis? Qua in re venit mihi in mentem, vobis commemorare sententiam, profecto memoratu dignissimam, viri cuiusdam, qui ad sexaginta annos in sanctissima vita solitarius egerat. admonebat enim, vt optimus quisque se latronem esse recordaretur. addebatque, maximo mysterio effectum esse, vt ipse Dei filius Iesus Christus inter duos latrones ageretur in crucem, quorum alter ei obloqueretur, eumque execraretur, alter scelus suum, latrociniaque confessus, & Christi innocentiam, veniam ab eo, misericordiamque impetraret. omnes enim homines esse latrones, qui Diuinam quotidie gloriam latrocinemur, nobisque vendicemus, sed hoc tantum differre, quod alij, cum summè scelerati sint, iustitiæ tamen sibi nomen vsurpēt, alij submissè se gerant, & hoc vno ceteris antecellant, quod sua latrocinia fateantur, atque, vt eis ignoscatur, Diuinam quotidie exposcant misericordiam. Et sanè tutissimum hoc consilium est, ac sacris literis apprime consentaneum. quod si quibus in locis viri sancti iustitiæ suæ fidere videntur, id non tam faciunt, vt non se, suaque facta iudicanda Deo proponant. supremumque de eis faciendum iudicium sit, sed ut interdum aduersariorum, persequentiumque calumnijs obnoxij, conscientie suæ testimonio nitantur, causamque suam Deo exponant. tunc enim dicunt. iudica me Domine secundum iustitiam meam, & secundum innocentiam meam super me, & alibi. retribuet mihi Dominus secundum iustitiam

iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi. interdum solandi afflicti animi sui gratia. ut cum Iob magnifice factorum suorum catalogum profert aduersus affligentes amicos. uel consolandi alterius causa, ut cum Paulus admonuisset Timotheum, instare tempus dissoluendi sui corporis, ne discipulus eo nuntio afflictaretur, adiecit. pulchrum certamen certavi, cursum consummaui, ceteraque, quibus significabat, discessum illum non esse mortem, sed finem laborum, pulcherimamque certaminum consummationem, quodque iam ad percipiendam coronam proficisceretur, ut gaudendum potius discipulo esset, quam dolendum. Hactenus de prima questione, si non pro rei magnitudine, ac dignitate, certe pro loci huius, ac temporis ratione satis sit disputatum. Restat altera questio. num certo scire quis possit, se iustificantem illam gratiam tenere, quo ue id certitudinis genere. in qua disputatione mirum est, quanta contentione nostri ipsi theologi, contrarijs inter se, atque ex diametro (quod aiunt) oppositis sententijs decertauerint, & cum scripturae sacrae, tum aliorum scriptorum auctoritates ad se traxerint, dum illas pro se facere unusquisque sibi persuadebat. facta est multiplex distinctio certitudinis, euidentiae uidelicet, coniecturae, moralis, fidei. rursusque illa fidei in multas distributa fuit parteis, ut quida fidem etiam illam, quae catholicae appellatur, quadruplicem esse demonstrauerit. Sed erit, opinor, & compendiosior, & certior etiam, itemque apertior (quod sane plurimum est querendum) nobis uia, si, cum intellexerimus, quam ob causam tractatu necessaria existimata haec pars est, eam sacrae scripturae, quae cogitationum omnium nostrarum norma esse debet, consuetudine fuerimus metiti. Diximus, repertos fuisse quosdam, qui, dum aliud tamen assequi uellent, iubebant homines ita de sua salute esse securos, ut perinde fideret, ac si iam illam fuissent assecuti. quare ij, quibus luxus cordi est, haec nihil fiducia, omnem appetitionibus suis licentiam permittere, & Christum ipsum, qui sanctioris uitae magister a summo patre missus est, omnis licentiae, atque intemperantiae patronum constituerunt. Hic error itaque sic ex hominum mentibus auferendus a nobis est, ut illa tamen animi tranquillitas, & fiducia, quae Christianum hominem decet, nihil de suo statu dimoueat. sed meminerimus in primis, de communi Christiani hominis statu generatim nobis esse tractandum. nam quae priuata reuelatione, atque infuse Diuinitus fidei priuilegio sunt, atque huiusmodi rerum singularium rationes, sub scientiam cadere, & regulis contineri, externi etiam negant posse. Principio, cum caelestis haec nostra philosophia fide constet, fideique innitatur, semperque ab eo, qui Christo nomen daturus est, postuletur, ut credat, sciendi uerbum, si proprie loqui

loqui uolumus, hac parte mea sententia tollendum e medio est, tamen si hanc fidem humana scientia intelligamus esse certiore. Cum ergo Christianae professioni peculiare sit credendi uerbum, ut dicat, se credere, unum esse Deum, unum esse Dominum Iesum Christum eius filium, ceteraque, quibus tota constat, non uideo, cur hac quoque parte communi uocabulo contenta esse non possit, ut dicat quis, credere se, & quadam pia fiducia tenere, in Dei se amicitiam, eiusdem Dei benignitate esse receptum. Nam quod a Paulo dictum est. scimus, quod, si terrestribus domus nostra huius tabernaculi dissoluatur, edificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, aeternam in caelis. & illud Ioannis. scimus, quod translati sumus de morte ad uitam. & si qua eius generis sunt, aliam rationem habent, atque ab ea diuersam, quae nunc pra manibus est. nam decebat eos, qui caelestis huius philosophiae essent duces, qui praeterea semel illuminati, gustauerunt donum caeleste, & participes facti erant spiritus sancti, idque copiose, & tantum non hisce oculis, quibus humana cernimus, ea, quae alios docebant, intuebantur, ijs uti uocibus, ubi de totius philosophiae nostrae summa, & scopo agebatur. qui si etiam de seipsis magnifice aliquid polliceri sibi uoluissent, quam reliquae multitudini conueniat, suo id iure potuissent. Et tamen cum ad id ueniunt, uidete, ut se gerant modestius. scio (inquit Paulus) cui credidi, & persuasum habeo, quod potens est depositum meum seruare in illum diem iustus iudex. contentus hoc fuit, ut diceret, scire se habere iudicem iustum, cui posset fidere, seque pro comperto habere, eundem ipsum praestare posse, quod esset pollicitus. quibus uerbis nihilo sibi plus arrogauit, quam quiuis nostrum faceret. & alio loco multo se gerit submissius. cum enim de administrato a se Euangelio agendum esset, & si nullius in eo negocio conscius sibi culpa erat, nullum tamen ipse de se in re, quae magis explorata illi esse poterat, quam ulla cuiusquam nostrum facta, iudicium facere uoluit, sed contentus, se nihil conscire sibi, Diuino iudicio rem totam permisit. neque me ipsum, inquiens, iudico: nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. qui autem iudicat me, Dominus est. Quem locum etsi plerique torquere in alium sensum sunt conati, si quis tamen priuatarum sententiarum affectus seponere. neque quod semel suscepit defendendum, tueri mordicus uoluerit, intelliget, opinor, non esse aliter interpretandum. & qui, inuertere tam aperta uerba in alium sensum uoluerit, hunc spiritu potius contradictionis, quam inueniendae ueritatis esse praeditum. Si ergo Paulus in re tam sibi nota iudicare ipse se noluit, sed iudicium ipsi Deo relinquere, sine dubio in alijs quoque rebus idem ipsum facturum fuisse credibile est, & praeterea nos docuisse, quo pacto in rebus eiusce-

modi nos geramus . Et sanè, qui nescio quo fidei genere certius aliquid intelligi posse autumant, meminerint ij, fidem esse ex auditu, quare uel interioribus, uel externis auribus id perceperint est necesse. at huius generis homines iam excepimus, qui priuilegio, ac præter communè aliorum legem id sint assecuti . Sed reuertamur ad scripturæ sacræ consuetudinem, atque ipsius Seruatoris Christi, qui, cum, oblato sibi paralytico, perfecta que eorum, qui obtulerant, fide, significare uellet, interiori etiam homini præstari à se curationem, dixit. confide fili, remittuntur tibi peccata tua. confide (inquit) id est, bono animo esto; neque ulla præterea alia, quam plerique hic quærere uidentur, apposta est euidentior certitudo . Et profectò, cum doceamur diuinis literis, nos per fidem ambulare, non autem per speciem, facienda est aliqua, & ea non exigua differentia inter hoc nostrum huius peregrinationis tempus, & illud, cum iam, quæ nunc speramus, & per patientiam expectamus, erimus assecuti. Plurimum tamen referre scio, quo quis animo quid loquatur . nam quemadmodum perfidiosa dissidentium à catholica ecclesia commenta detestor, sic non possum non eorum deosculari animi, qui, non ut in sceleratè factis quis securus conquiescat, sed ut imbecillis, afflictisque conscientijs consulatur, hanc tueri nituntur certitudinem, piè credèdo. Horum mentem, tantum abest, ut ego asperner, ut ipse quoque cū propheta adhorter, ut dicant. pusillanimes corroboremur, & nolite timere, quod & Seruator Christus faciebat. nolite (inquiens) timere pusillus grex, quia placuit patri vestro dare uobis regnum. sed unum hoc simul quærere pergamus, quibus uis sacræ literæ nos ingredi uelint, quæ, quātum, perlustrare possum, uelle uidentur, ut medium, spem que, metumque; inter, tenere iter curemus. iccirco nunc Paulus admonet unumquēque, ut cum timore, & tremore suam quisque operetur salutem, & Petrus maluit dicere, satagite, ut firmam uestram uocationem faciatis, quā asserere illam esse iam firmam. nunc adhibetur fiducia . confidite (inquit) quia ego uici mundum. & illud ad Hebræos. non enim iniustus Deus, ut obliuiscatur operis uestri, & labōris, sed cupimus, unumquēque uestrum eandem ostendere sollicitudinem ad expletionem spei usque in finem, ut non segnes efficiamini. quæ posteriora uerba mirum in modū id exprimunt, quod nos declarare conati sumus, hunc scilicet in sacris literis esse spiritus sancti morem, ut nos uelit semper in officio continere, interim uerò consoletur pauidiores, neque se paracletum esse obliuiscatur. hoc enim loco, cum superius aliquantisper illos, ad quos scribebat. perterruisset, reddi causam, cur hoc fecerit, ne uidelicet segnes efficerentur, sed considerarent, hoc maximè conuenire statui nostro, ut semper pauidi simus, & in timore, si facta nostra examinentur. Hic ergo

timor

timor non est, quod quidam uerentur, carnificina, sed officina rectè factorum, quæ efficit, ne unquam quisquam se omnia assecutum existimet, sed continuis conatibus ad ea, quæ reliqua adhuc sunt, ipse se animet. nisi quis uelit, carnificinam quoque appellare, quod non ei certum adhuc sit, se inter prædestinatos esse numeratum . nam hoc non minoris, quàm illud estimandum est, atque adeo pluris etiam. Neque uerò hic timor est, quem dicimus seruilem, sed potius is, de quo ait Salomon. beatus homo, qui semper est pauidus . & alius quidam. homo sapiens (inquit) in omnibus metuit. hæc circumspectio quædam est potius, qua præditus fortissimus ille Iob dicebat. si iustificare me uolueris, os meum condemnabit me, si innocentem ostendere, prauum me comprobabit. etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, & tædebit me uita mea. quæ tamen, & alia huius generis non eum prohibere unquam potuerunt, quò minus ita fideret, ut dicere auderet. si etiam me occiderit, sperabo in eum. sic Dauid, quo quis unquam Deo fidentior fuit? imbecillitatis tamen humanæ conscius aiebat. delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me . & eius filius Salomon. quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato? hæc, atque eiusmodi loca scio à plerisque diuersam in partem accipi, sed mihi ea uia magis eligenda uisa est, quæ toti scripturæ maximè sit consentanea, in qua reperio istos fidere quidem, neque tamen sibi quicquam arrogare. & pharisæo, qui sua facta iactare ausus fuerit, humilis publicanus fuit antepositus . ut illa meritò magni Gregorij nostri sententia passim commendetur, ac prædicetur. bonarum scilicet mentium esse, ibi culpam agnoscere, ubi culpa non sit. ut nunquam timor ille maximè, qui sollicitudinem, ac studium ad proficiendum parit, prætermittatur. iccirco magnus ille & doctrina, & sanctitate Basilius audet, quendam in ipsis quoque sanctis angelis, cum futurum est mundi iudicium, timorem collocare, quam tamen sententiam Euangelij auctoritate confirmat. nam ubi habemus, uirtutes cælorum mouebuntur, cum in Græco sit, *καλεῖθ' ἰσχυροί*, quasi dicas, fluctuabunt. *σαλός* enim turbationem maris significat. ipse sic ait. Quis sine timore erit? ne angeli quidem. astabant enim & ipsi, non tanquam rationem reddituri, sed tamen gloriosa illa tanti regis declaratio, atque præsentia omnibus terrorem iniiciet. Et hæc quidem Basilius scriptis prodidit. at Hilarion ille tanta sanctitate uir factis etiam suum timorem declarauit, qui, cum acturus iam esset animam, sensit se trepidare, ut cogeretur animare sese, atque animū suum recordatione suæ tot annorum seruitutis in Deum consolari. Et tamen in hoc timore, quem dicebamus, & hac animi submissione, ad quam etiam Diuinis oraculis, & sacris auctoribus

R R R 2 inuitamur,

inuitamur, uidete, quam ingentis fidendi thesauros nobis eadem Diuina oracula subministrēt. Precaturi iubemur patrem appellare Deū, qua uoce quid nobis nō possumus polliceri? is appellari pater uult, qui proprio filio nō pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. omnia profectō nobis, si ipsi uoluerimus, cum illo etiam donaturus. qui conquerentibus hominibus, quod essent derelicti, ait: nūquid potest obliuisci mulier infantem suum, ut non misereatur filij uteri sui? quod si illæ oblitæ fuerint, ego tui non obliuiscar. omnium mulierum tenerrimæ in filios charitati suam antepōnit. propterea alibi Seruator ait. si vos, cum sitis mali, nostis res bonas dare filijs uestris, quantō magis pater uester cœlestis (ipsa uidelicet bonitas) dabit spiritum sanctum petentibus se? ob hanc eandem causam parabolam illam inducit adolescētis decoctoris, qui omnem, quam à patre acceperat, substantiam consumpsisset cum meretricibus, hunc tamen ubi reuertentem pater, quantum oculi ferre poterant, intuitus è longinquo est, tantum abest, ut irascēretur, ut etiā misericordia motus sit. atqui ne ad horam quidem seueriorē simulare uultum potuit, quod improba perditū filij facta merebantur. nō saltem tandiu expectauit, dum ille accederet, quod omnibus modis æquū erat, sed ipse accurrit, irruit in oscula, iubet proferri uestem præcipuam, annulum, calceamenta, occidi uitulum illum saginatum, ac selectū, adhiberi symphoniam, & chorū. denique omnia præ se amoris, & gaudij signa tulit pro recepto perditissimo filio, quanta maxima potuisset pro optimo. Quem desperatissimum animum non erigat ad spem ingentē hęc similitudo, quem supremis inuolutum sceleribus non animet, non ad sperandam ueniam solum, uerum etiam ad maxima expectanda præmia? cum uideat hunc, qui sola primum necessitate adductus ad patrem reuersus sit, tantis perinde honoribus affectum, quasi non dico nihil unquam peccauisset, sed in egregia facta semper incubuisset. Tantum ergo, quisque post mercenarij cogitationem, in huius propositæ similitudinis exemplum, ueros filij affectus induat, & ex animo agnitijs atque peccatis, quamuis perditissimis hactenus filius, ad benignissimū hunc patrem reuertatur. agnoscat hic pater cum Euangelica parabola in eadem causa esse personas, ut modis omnibus sit sperandus humanissimus idem boni parentis occursum, & æquē liberalis receptio filij, si eū serio pœniteat malè superioris actę uite, eamque detestetur, quod reconciliatę cum Deo amicitia pignus ingens est. nam, quemadmodum idē Basilus, cuius dudum feci mentionem, ait, tunc persuadere sibi quisque potest, remissa sibi à Deo fuisse peccata, cum in se affectum illum sentit, ut dicere possit. iniquitatem odio habui, & abominatus sum, legem autem tuam dixi. & alius quidem non contemnen-

dæ

dæ & eruditionis, & sanctitatis vir, quærens, unde, aut quomodo nosse possumus, nos indulgentiam à deo consecutos esse, quod homini quantumuis spiritali etiam usque ad summum spiritalis exercitij gradum prouecto, tantum de primi gradus imperfectione relinquatur, ut vix sibi primum videatur adeptus, tandem respondet. nobis non leuiter prætereundum esse, quod in Euangelio legimus, Iesum paralytico dixisse, confide filij, remittuntur tibi peccata tua. atque ut pharisæis non credentibus, sed magis subsannantibus, hanc fiduciam tanti esse momenti demonstraret, signo uisibili inuisibilem probasse potestatem. ut sciatis, (inquit) quod potestatem habet filius hominis in terra remittendi peccata, tunc ait paralytico. surge, tolle lectum tuum, & ambula. & tu ergo (inquit idem) si iam surgis desiderio supernorum, si grabatum tollis, corpus uidelicet à terrenis subleuans cupiditatibus, ut iam non feratur animus concupiscentijs eius, sed magis ipse, ut dignum est, regat illud, & ferat, quod non uult. si demum ambulas, quæ retro sunt obliuiscens, & ad ea, quæ ante sunt, te extendens desiderio, & proposito proficiendi, curatum te esse confide. Scio ego partem hanc ingentem habere latitudinem, ut non æqua mensura omnes illud in se experiantur, ac sentiant, quod ait apostolus. ipse enim spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quod filij Dei sumus, sed illud tamen audeo affirmare, in diuerso antea actæ uitæ statu, ei, qui redire studiosè aliquando decreuerit, suam nunquam defuturam partem eiusdem testimonij spiritus, quæ eoulsque sedatum illius animum reddat, ut ne continujs agatur cogitationum fluctibus. nam nihil omnino unquam commoueri, tam penè mihi difficile uidetur, quam mare sine ullo undarum fluctu prorsus reperiri. quod cum propheta se assecutum sperauisset, dixissetque, ego autem dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum. mox expertus aliud est, ut dicere rursus cogeretur. auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. in qua conturbatione non reliquit tamen spei suæ ancorā, sed quid? ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor. quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? nunquid confitebitur tibi puluis, aut annuntiabit veritatem tuam? ad hanc precem redijt tranquillitas. quare gratulabundus adiecit. audiuit Dominus, & misertus est mei, Dominus factus est adiutor meus. conuertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, & circundidisti me latitia. Hęc mihi tuta, atque, ut dici solet, regia uisa est uia, quæ & ijs, qui Deum querunt, abundè fidendi facultatem subministrat, & inanem illam, non tam fiduciam, quam temeritatem explodit, eorum, qui Dei gratiam in occasionem carnis conuertunt. Et miror sanè, quo pacto inueniri quis possit, (quanquam hac ætate plures reptos audio) qui in

pesimè

pesimè factis quotidie sese exercens, concipere animo hanc fiduciam possit, vt confidat, propitium se habiturum Christum, cuius sanguinis pretium continè impijs, ac sceleratis operibus contèmnat, atque conculcet. Iubeor (inquit) ex scripturis fidere. non nego, nec prohibeo. sed quo pacto eadem scripturæ id iubent? fiduciam (inquit) habemus ad Deum. sed quid ante dictum est? si cor nostrum non reprehenderit nos. & vos amici mei estis. tantum ne? immo si feceritis, quæ ego præcipio vobis. & si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea. cernis vbique propositam conditionem? sic & propheta. misericordia Domini ab æterno, & vsque in æternum, super timentes eum. & iustitia illius in filios filiorum, ijs, qui seruant testamentum eius, & memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea. Hæc namq, fiducia, timorem habet, crescit, tamen de die in diem prout amor noster in deum inardescit. Et hæc quidem satis sint pro diabus propositis quæstionibus, de imputatione iustitiæ, & certitudine gratiæ. quibus eo consilio dedi, operam vt responderem, vt non solum declararem, quod questum est, verum etiam vt causam, quam obrem ista queratur, occurrerem, & malitiam aperirem, cum eorum, qui peruersis itineribus, imputatæ, quam vocant, iustitiæ vocabulo, neglecta recti vsus ratione, abutuntur. tum etiam eorum, qui nescio cuius certæ fiduciæ in Deum prætextu, in ipsum Deum, & Christum eius ingrati, & impij sunt. Hæc autem, quæ & hac, & superiore oratione dicta à nobis sunt, cupio vestris animis insidere: cum ex his ferè pendeant ex controuersia, quæ hac ætate fuerunt agitata. quòd si hanc partem integrè, ac catholicè tenueritis, ad reliqua omnia, quæ in controuersiam veniunt, dijudicanda eritis robustiores, & sinceritatem dogmatum illibata conseruabitis, quod erit, mea sententia, vngere caput Iesu. etenim Christiana dogmata caput, ac summa sunt nostre huius philosophiæ, ad quæ omnis vitæ ratio conformanda est. cum verò & recta dogmata quis, & vitam illis consentaneam habet, is iurè dicere poterit. fiduciam habemus ad Deum, per Iesum Christum Dominum nostrum, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & potestas, & imperium, & nunc, & in omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO

ORATIO QVADRAGESIMA
SECUNDA.

VM pastoris officium sit, dare operam, vt à gregibus omnia arceatur, quæ nocere illis possint, cogitavi oportere superioribus orationibus hodiernam adiungere, quæ de pœnitentia tractemus. quæ ita ad iustificationem pertinet, vt non Ioannes Baptista solum, sed Seruator etiã ipse Christus, initium suæ prædicationis, quam ob iustificandos homines exercebat, à pœnitentia fecerit. impletum est (inquiens) tempus, & appropinquauit regnum Dei, pœnitentiam agite. quam tractationem duas ob causas aggredi visum est mihi necessarium, cum vt fusius doceamini, quæ sint ad veram pœnitentiam adhibenda, tum ne in errorem abducamini ab ijs, qui acerrimè hac ætate, ac perniciosissimè huic detraxerunt. vt autem apertius à vobis agnoscat, quid illud sit, de quo tractemus, sic definiemus pœnitentiam. nam definitio in primis rei notitiam ante oculos ponit. Vera pœnitentia est conuersio hominis ad Deum, quæ tum fit, ac peragitur, cum peccata, quæ patrauimus, ex animo, propter Deum, non sine graui animi dolore, odimus, & execramur ea mente, vt nunquam posthac peccemus, sed vitam in melius commutemus, tres autem sunt huius pœnitentiæ actiones à patribus obseruata. vna, quæ nouum hominem parturit, donec per baptismum omnium præteritorum ablutio peccatorum fiat, atque hoc agitur ante baptismum. nullus enim, qui suæ voluntatis est arbiter, nisi pœniteat eum veteris vitæ, inchoare nouam potest. de hac dixit apostolus Petrus. agite pœnitentiam, & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum. Altera est actio pœnitentiæ post baptismum, vbi quis Diuine legis præcepta transgressus est, de qua locutus fuit apostolus Paulus, cum dixit. timeo, ne iterum, cum venero ad vos, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex ijs, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam, super immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt. Est & tertia pœnitentia, bonorum, & verè fidelium, qui quotidiana pœna peccata tundunt, & dicunt. remitte nobis debita nostra. non quòd grauium scelerum sibi sint conscij, sed ob ea dolent, quæ humanæ fragilitati, quamuis parua, tamen crebra surrepunt. at hæc pœnitentia primè optimarum, & optimè affectarum mentium iudicium est. deinde singulare est remediũ ad cauenda grauiora peccata. sicut. n. qui exiguam spernit, vt ait quidam sapiens, paulatim decidit, sic qui cauet in minimis labi, nõ facile ad maiora pertrahitur. cū ergo orates quotidie dicimus, re-
mitte

mitte nobis debita nostra, fatemur habere nos, quod nobis remitti potest, atque his verbis dei ieiunantes nos, quotidianam quodam modo agere poenitentiam non cessamus. Inuenti sunt autem haeretici, qui primam tantum poenitentiam, ante baptismum .s. concederent, illam vero post baptismum penitus negarent. hi a Nouato auctore Nouatiani fuerunt appellati, quorum impietatem nostra aetate fanatici Anabaptistae renouare conati sunt. hos non difficile est, a perspicuis scripturae sacrae testimonijs, & exemplis innumeris refellere. quid enim eo testimonio fortius, quo Deus apud Ezechielem, addito etiam iureiurando, hos haeticos impietate mentiri clare pronuntiat? viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut magis conuertatur, & viuat. huic promissioni nullum praefigitur temporis spatium, nulli termini circumscribuntur, conuertatur tantummodo peccator, & viuet. & Christus, si peccauerit (inquit) in te frater tuus, uade, & corripe eum inter te, & ipsum solum. si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. quid hic respondebunt, qui poenitentiam post baptismum auferunt? hic, quem dicit lucrandum, frater appellatur, ergo & baptizatus. nam de externis hoc loco non fit mentio. ergo baptizatus est locus poenitentiae. baptizatus erat ille, de quo ad Galatas scribens Paulus ait. fratres, si praecipuus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis. baptizatus erat, cui dicitur. memor esto, unde cecideris, & age poenitentiam, & prima opera fac. sic Petrus ad Simonem magum iam baptizatum dixit. poenitentiam age ab hac nequitia. sexcenta alia in hanc sententiam reperias. Neque vos moueant geminae illae auctoritates epistolae ad Hebraeos, quas pro se facere putant haeretici. quarum altera sic ait. impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati, gustaueruntque donum caeleste, & participes facti sunt spiritus sancti, & gustauerunt bonum Dei verbum, virtutesque seculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad poenitentiam, rursus crucifigentes sibi met ipsis filium Dei, & ludibrio exponentes. hic locus si recte intelligatur, nullo modo tollit poenitentiam. primum enim viri doctissimi, & Latini, & Graeci de baptismo intellexerunt, quem iterari non licet. cum enim superius meminisset baptismi, nunc dicit, impossibile esse, renouari ad poenitentiam. non poenitentiam auferens, sed dicens, non esse querendam repetitam renouationem per baptismum. ijs enim fortasse Iudaici mores placebant, qui varijs baptismatibus in lege assueuerant, & inde volebant & noui testamenti baptismum identidem repetere, & inde assequi remissionem peccatorum. Sunt tamen, qui illud, impossibile, interpretentur, pro admodum difficili. nam illud, non posse, siue impossibile, varijs modis accipitur in scripturis sacris, praesertim pro difficili, aut quod raro contingere soleat. ut cum dicitur, non posse occul-

tari

tari ciuitatem, quae super montem posita sit. hoc enim non est omnino, atque absolute impossibile. nam potest aliqua vrbs etiam in monte sita, occultari altioris montis obiectu. sic ergo & hic dicere licet. impossibile est, id est, difficile admodum, quodque rarissime accidat, ut qui tam multis Dei donis sint ditati, si ingrati recedant, ac labantur, postea redeant ad poenitentiam. Reperti autem quidam sunt, qui dicerent, illud, impossibile, accipiendum esse, ut sonat vox, sed de ijs tantum intelligi, qui progressus fecerint ingenteis, quemadmodum hic describuntur. nam eiusmodi homines tanta luce praeditos, si relabuntur, non posse renouari ad poenitentiam. quae sententia si admittatur, oportet, opinor, intelligi, nos ad eum statum peruenisse, in quo erant desertores angeli, qui ceciderunt, qui quoniam non infirmitate, aut ignorantia, ut homines, peccauerunt, sed certa malitia, non possunt, ut obstinati in sua sententia, redire ad poenitentiam. quae opinio si etiam a catholicis reciperetur, non tamen passim tolleretur poenitentiam, cum non facile inueniantur eius generis homines, qui hic describantur, essetque haec exigua quaedam exceptio generalis illius regulae, quae omnibus promittit reditum per poenitentiam. Alter locus in eadem epistola ita se habet. voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia, sed terribilis expectatio iudicij. verum ne hic quidem tollitur poenitentia, sed docetur, non debere eos expectare quotidianas victimas, quae ob repetita peccata, ut in lege fiebat, offerantur. sed quemadmodum Christus vna oblatione omnia peccata aboleuit, sic post semel condonata peccata, non debere eos iterum ad eadem reuolui, quod nihil esset aliud, quam videri velle quotidie repetitas hostias pro peccato expectare. neque simpliciter dixit, peccantibus, sed, voluntarie peccantibus, qui non infirmitate aliqua, aut ignorantia, sed vitiorum delectatione, sponte, atque ex animo peccant. huiusmodi autem hominibus quid expectandum est (id enim plurimum eis vsu venit) nisi mina aeterni ignis? Confutata ergo haeretica illa, & plena impietatis sententia, loquamur de ea poenitentia, quae post baptismum in ecclesia agitur. hanc veteres patres elegantitropo secundam post naufragium tabulam appellauerunt. prima tabula, qua subnixi ex diluio peccatorum, tam in Adam, veluti stirpe, quam postea male viuendo, quacumque tandem ratione contractorum, enatumus, baptismus est, post quem acceptum, si rursus naufragium fecerimus, nulla pro peccatis noua hostia restat, sed tantum superest haec secunda tabula, videlicet poenitentia, quam si strenue, donec est vita superstes, apprehenderit, ac apprehensam persecuti fuerimus, nil dubitandum est, quin rursus ad salutis portum perueniamus. remedium sane in ecclesia summe necessarium, quo sublato, quantum antea esset hominum pars, quae

SSS

post

post baptismum nullius peccati sibi conscia, vitæ æternæ participationem sperare quiret? ut nulli nobis immaniores hæretici, inquam fuisse videantur, quam Nouatiani, qui tam necessarium animæ medicamentum è medio tollere conati sint. Hanc autem pœnitentiam ecclesiastici patres, tribus partibus constare nobis tradiderunt, contritione, confessione, & satisfactione, ea enim tum demum perfecta, consummata, & fructuosa censetur, si tribus illis partibus absoluat. sic enim totam hominis conuersionem, renouationemque, complectitur. qui vero vim omnem pœnitentiæ in sola peccatorum exhomologesi, quæ sacerdotibus sit, esse arbitrantur, nihil de geminis alijs partibus curâtes, hos crasse decipi sæpius diximus, & efficere ipsam exhomologesim quasi lenonem peccatorum, dum sub spe confitendi peccata, quotannis in eadem, atq; interdum grauiora relabuntur. Prima ergo huius pœnitentiæ pars contritio est, quam ecclesia vocat vehementem animi amaritudinem, & intimum dolorem conscientiæ, quæ Deum peccatis irasci sentit, & se peccasse grauius dolet, cupitque, atque adeo tota mēte decernit, vitam in melius commutare. Hæc incipit quidem, & concipitur plurimum timore seruili, sed non perficitur, nisi illo timore, qui filios decet. principio enim illa credendi ratio, qua Deum esse, eundemque iustum, ac veracem credimus, timorem seruilem parit, qui peccâtes metu pœnarum terret, de quo timore dictum videtur illud. initium sapientiæ timor Domini. & alius quidam sapiens. timor Domini initium dilectionis est. Ab incurSIONE huius timoris Ioannes Baptista doctrinam pœnitentiæ exorsus est. progenies viperarum, inquit, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? iam securis ad radicem arboris posita est. omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur: nec aliter Christus docuit, cum dixit. nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis, & alibi. nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest & corpus, & animam perdere in Geennam. sic apostolus Petrus prima concione post acceptum spiritum sanctum Iudæis hunc timorem ingerit, ex prophetis arguens, & contestans, quod Iesum, quæ & Dominum, & Christum fecit Deus, per manus iniquorum affligentes, in crucem egerint, atque interfece- rint. sequitur enim, his auditis compuncti sunt corde. idem docendi genus admodum frequens est in prophetis. Concipitur itaque contritio fermè ex hoc timore, cum .s. peccator in legē Diuinam intuens, considerat interiorē animi sui immunditiē, legi Dei repugnantem, simul cum magnitudine, turpitudine, ac fœditate criminū suorum, repetēs, quoties in ea relapsus, & quādiu in suis tenebris, ac fordibus versatus sit, quātisq; bonis seipsum interea priuauerit, à cōmunionē totius corporis

corporis Christi separatus, obnoxius æterni ignis supplicio. ex quarum rerum attenda consideratione nascitur horror peccatorum. Qui hunc horrorem non sentiunt, nec dolore vllō, aut metu iræ Dei afficiuntur, sed securi indulgent suis cupiditatibus, vel, quasi nihil habeant vitij, sibi blandiuntur, hypōcritæ, longè à pœnitentia sunt. de quibus propheta ait. non est timor Dei ante oculos eorum. Hæc autem vos admouisse necessarium fuit ob eos, qui hac ætate timorem hunc, tam in scripturis sacris testatū, auerfantur, & abominantur, fiduciam quandam, aut potius temeritatem introducunt, quā Diuina lex nunquā approbat, si quis rectè, ac germanè interpretari illam voluerit. Neq; tamen putandū est, seruilem hunc timorē, qui ex metu supplicij ducit originem, & horrorem incutit peccatorū, pœnitentiam totam absoluere, sed initium tantū præbere veræ pœnitentiæ. qua in re cogitent ij, qui ad peccatorum exhomologesim sine hoc timore, sed quadā dumtaxat cōsuetudine ducti, accedūt, quæ fructū ex ea referre possint, cum ne id quidē sint assecuti, quod pœnitentiæ diximus esse principium. interroget n. vnusquisq; cōscientiam suam, si vnquam hunc timorē in intimis animi sui penetralibus verè receperit, vt cū propheta dicere potuerit. horruerunt timorē tui pili carnis meæ, à iudicijs. n. tuis timui. Initium ergo hic timor pœnitentiæ præbet, cui succedere debet spes veniæ, alioqui esset exitialis, ac desperatio nem gigneret, nisi succederet contemplatio Diuinæ misericordiæ, & præterea timor ille filio dignus, cui peccasse displiceat, non iam Geennæ metu, sed quod patrem optimum, ac de nobis ita meritum offenderit. hoc enim germani filij faciant, qui, siquid peccauerint, atque indignum paterno nomine fecerint, dolent vehementer, atque excruciantur, non quod metuant, ne à patre priuentur hæreditate, sed quod displiceat eis, fuisse in amantissimum patrem iniurios. Hic timor, qui filium decet, nisi adhibeatur, non est stabilis pœnitentiæ, sed facile quis in peccata relabitur: at, qui dolet Deum offendisse, non pœnarum metu, sed ob patris Dei reuerentiā, is decernet mori potius, quam iterum Deum offendere. hic etiā timor filio dignus veram pœnitentiam à falsa separat, & discrimen facit inter contritionem impij, & eius, quem verè pœniteat. impius enim concepto timore seruili ex metu supplicij, atque ibi consistens, in desperationem agitur: quod uidere est in Cain, Pharaone, Saul, Achab, & Iuda proditore: sed quos in hoc dolore constitutos Deus clementer aspicit, ij cum ex timore seruili per fiduciam misericordiæ ad timorem filiorum gradum fecerint, tum demum ad veram pœnitentiā cōtristantur. quales fuerūt, Dauid Ninivite, Magdalenæ, & quotquot illorū exemplū imitantur, qui nō, vt impij illi, obdurat,

sed

sed scindunt corda sua, Deo ante ostium stanti, ac pulsanti aperiētes, & locum dantes. atque hæc tandem est vera illa interior pœnitentia, ad quam omnis scriptura passim nos prouocat & verbis, & exemplis. scindite (inquit Ioel) corda uestra, & non uestimenta uestra: & Esaias. ad quem respiciam, nisi ad pauperulum, & contritum spiritu, & tremētem sermones meos? & Dauid. sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despiciet. &, beati qui lugeat, quoniam ipsi consolationem habebunt. Vides ergo, vt consideratio iustitię, ac iudicij Diuini pœnitentiam inchoet, consideratio verò bonitatis Diuinę, ex amoris affectu proficiscens, cum fiducia misericordię, pœnitentiam formet, quam obrem hæc duo passim scriptura coniungit. be neplacitum (inquit Dauid) est Domino super timentes eum, & in ijs, qui sperāt super misericordia eius. & Paulus cum dixisset reuelari iram Dei super omnem impietatem, adiecit, Dei benignitatem ad pœnitentiam hominem inuitare. Non inficiamur quidem, sanctiorem esse pœnitentiam, quam timor filialis in bonitatem Dei prospectans, & inchoat, & format. sed quoniam hæc est fragilitas, & imperfectio nostra, vt non faciliè ad bonitatem Dei oculos attollamus, nisi prius iram senserimus, quemadmodum psaltes ait. cum occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur. &, clamauerunt ad Dominum, cum tribularentur, ideo rectè sanctis patribus placuit, pœnitentię doctrinam à timore seruili non ineptè exordiri. quæ sententia ecclesię catholicę maximè est consentanea, quæ tres gradus fidelium constituit, vnum filiorum, qui solo amore Deo seruiunt, alterum mercenariorum, qui spe præmij in rectè facta incumbunt, tertium eorum, qui pœnarum metu à peccatis abstinent, cum spes sit, & hos maiores progressus facturos, atque ad celsiorem gradum ascensuros. sic in pœnitentiā, ij, qui nunc ad pœnitentiam solo Geennæ metu aguntur, demū relicto seruili affectu, illū induūt, qui esse filiorum debet. ob hanc causam veteres patres non ineleganti tropo, hunc timorem setę, ac medici ferramento compararunt. vt enim, per setam linum introducitur, sic per hunc timorem charitati locus præparatur. at vbi nullus est timor, ibi non est, qua intret charitas. Rursus quemadmodum medici ferramentum putredinem tollit, & vulnus, quod minus dolebat, plus dolere facit, donec accedente medicina succedat tandem sanitas; sic timor pungit, ac vulnerat mentem, sed succedens charitas, vulneri sanato cicatricem obducit. nec minus eleganter alius hunc timorem isagogicum, id est, introductorium, & pædagogicum appellauit, qui tanquam pædagogus hominem ad veram pietatem, tanquam ad legitimum magistrum ducit. exercet enim timor eum, quem occupat, memoria veteris vitę, perhorrescentia, & execratione peccati,

peccati, & ignis æterni pãuore, ut exercitatum iam per timorem, charitas plena fiducia suscipiens perficiat. breuiter maximi quique theologi & Græci, & Latini hunc commendant, & primum esse incipientium gradum statuunt. ut, qui nescit proximum sicut seipsum diligere, iam tamen incipiat suprema iudicia formidare. Hęc à verbi Dei ministris sunt obseruanda, ut intelligant, vnde verbum prædicationis suę ordiri debeant. nam tum rectissime suo funguntur officio, si primum animos ad deslenda peccata commoueant, si spiritualibus increpationibus à lege Diuina acceptis populum peccantem arguant, vitam futuram, atque æterna supplicia ad memoriam reuocent, hoc in primis cauentes, ne peccantes statim securos reddant, ne indulgentius, & citra omnem obiurgationem absoluant, alioqui alienorum criminum futuri participes. ubi verò hunc primum pœnitentię gradum posuerint, tunc superest, ut & secundum protinus subiiciatur, quo fiducia misericordię in Christum arripitur, quem ordinem videre est in prima illa Petri concione, postquã enim uehementi oratione ad intimum dolorem Iudæos concitauit, atq; illi compuncti corde dicere cœperunt, quid faciemus uiri fratres? non cunctandum ratus, protinus eò prouectis per uerã pœnitentię remediũ, remissionem peccatorum in Christo Iesu ostendit, ac pollicetur. Eodẽ gradus, uelut ob oculos nobis positos, in beatissimi Pauli apostoli conuersione cernere nobis licebit. qui spirans adhuc minas, & cædem in discipulos Domini, cum proficisceretur Damascum, primum durè increpatus, ac metu exanimatus, in terram profernitur. at postquam tremens, ac stupens dixit. Domine, quid me uis facere? statim Domini iussu in urbem introducitur, atque ad eum Ananias mittitur, qui dicat. Saule frater, Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in uia, qua ueniebas, ut aspicias, & implearis spiritu sancto. Hic est uerã pœnitentię fructus beatissimus, remissio peccatorum, & spiritus sancti adeptio. sed uidentur mihi perpauci hunc percipere fructum sua negligentia, atque socordia. cernas enim maximam eorum partem, qui ad pœnitentiam accedunt, solo seruili timore hoc agere, & cum eo senes fieri, ut nunquam id assequantur, ut Deum tanquam patrem amare incipiant, atque ob eius amorem uitia detestentur: atque huius mali causam esse arbitror, quòd ne timorem quidem illum, quem seruorum esse diximus, plene sunt affecuti, neque unquam ex animo ingemiscere didicerunt. quare oporteret maximum adhibere studium in hac parte, & precibus, ac lacrymis, atq; alijs pijs studijs à Deo contendendum, ut in veram pœnitentiam nos tandem aliquando uenire faciat. & dicendum cum propheta. cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectũ innoua in uisceribus meis. quòd si non statim contingit, quòd ambitur, nõ est tamen cessandum, sed meminisse

minisse oportet, quod ait quidam sapiens. oratio submittentis se nubes penetrabit, & donec appropinquet, non accipiet consolationem, & non discedet, donec altissimus aspiciat. proinde, qui ex consideratione uitæ turpiter actæ, ac metu Geennæ iam concepit aliquam detestationem criminum, id est timorem seruilē, neq; dum sentit timorem filio dignum, perseueret in lacrymis, ac precibus, quærat, petat, pulset, donec & hunc timorem senserit, ac uotum efficax mutandæ in melius uitæ. ubi uerò & hunc spiritum senserit, quem apostolus uocat spiritum filiorum, in quo clamamus. Abba pater, caueat, nequid hinc sibi tribuat, agnoscat gratuitum Dei munus, atque abiectus ad pedes illius, gratias agat eius benignitati, rogans, ut quod gratis largitus est, pro sua bonitate perpetuum esse uelit, ac semper in maius augere. nec suo uoto, suoq; proposito deinceps non peccandi ita fidat, ut existimet, se suis uiribus per se à peccatis abstinere. sed cum magno tremore imploret opem Diuinam; ut idē, qui uotum dedit, adiuuet, atque confirmet. sic enim ecclesia Deum orat, ut actiones nostras aspirando præueniat, & adiuuando prosequatur, ut cuncta nostra operatio ab eo semper incipiat, ac per eū incepta finiatur. ut autem hic huius primæ partis pœnitentiæ articulus, qui sanè in primis est necessarius, memoria à uobis retineatur, breuiter colligemus, quæ ad ueram contritionem requirantur. primò necesse est, ut homo concipiat odium peccatorum, non huius, uel illius, sed omnium, quæ Deum offendunt. falsam enim pœnitentiam esse constat, cum pluribus contemptis de uno solo pœnitentia agitur, uel cum sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio. sunt enim quidam ita inepti, qui putant, non admodum se esse reprehensibiles, si, cum à pluribus peccatis abstineant, à quibusdam alijs possideantur. quid enim prodest, si peccata luxuriæ quis desinat, & tamen auaritiæ æstibus anhelet. qui hunc maximum esse errorem ignorant, ipsis magis cæci sunt ethnicis. nam eorum quidam eiusmodi homines reprehendens ait.

Non es auarus? abi. quid cætera? iam simul isto
Cum uitio pone.

&

Quid te exempta iuuat spinis è pluribus una?

Sed ueniamus ad nostros. in hanc sententiam dixit Iacobus apostolus. si quis totam legem seruauerit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. hoc odium tum peccati scditas, tum Diuini iudicij acris contemplatio subministrant. deinde contritionem amarulentam, & gembundam esse oportet, qualis fuit pœnitentia Dauid; qui dicebat. poculum meum cum fletu miscebam. & non est sanitas in carne mea, à faciæ iræ tue, non est pax osibus meis, à faciæ peccatorum meorum. & paulò post miser

miser factus sum, & curuatus sum usque in finem, tota die contristatus in grediebar. & in eodem psalmo. rugiebam à gemitu cordis mei. & gemitus meus non est à te absconditus. & alibi. laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum. lacrymis meis stratum meum rigabo, & apud alium prophetam ait Deus. conuertimini ad me in toto corde uestro, in ieiunio, & fletu, & planctu. & scindite corda uestra, & non uestimenta uestra. huc item respicit, quod Dominus ait. beati, qui lugent, quoniam ipsi consolationem accipient. uæ autem uobis, qui ridetis, quia lugebitis, & flebitis. de hac tristitia dixit apostolus. gaudeo, quod contristati estis ad pœnitentiam. contristati enim estis secundum Deum. quæ enim secundum Deum tristitia est, salutem stabilem operatur. Hos ergo dolores, non fictos, aut simulatos, sed ueros, esse, atque in conscientia sentiri necesse est, alioqui non perficietur contritio, quod & ipsi uocabuli ratio satis ostendit, nec Dominus aliter accedet, nisi nobis interno dolore, & terrore uerè affectis, pauidis, ac contritis, quod per Esaiam Dominum dixisse, superius meminimus. & psalter. sacrificium Deo spiritus contribulatus. cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. fiunt autem hi terrores in nobis Dei beneficio, qui ad hoc utitur ministerio. & legis naturalis, & legis scripte. quia per legem cognitio peccati. & quia hæc lex non tantum arguit externa delicta factorum, & ditorum, sed etiã interiorum concupiscentiæ impuritatem, iccirco utraq; agnoscere debemus. Paulus enim etiã concupiscentiæ æstus, etsi lex mentis repugnet, peccatiq; stimulis haud assentiatur, grauiter deplorat. uideo, inquit, aliã legem in mēbris meis, repugnantem legi mētis meæ, & captiuatē me in legem peccati. infelix ego homo, quis liberabit me de corpore mortis huius? deplorabat apostolus, non peccatū, quod hac in re peccasset ipse, sed pugnam, quæ in hac corrupta natura sentitur, quanto magis unusquisque, qui in suis cogitationibus peccato est assensus, id studiosè præstare debet? præterea non oportet leuiter transmittere peccata præterita, quod plerique omnes faciunt, qui post factam exhomologesim, & acceptam à sacerdote absolutionem, securi in utranque, quod dicitur, aurem dormiunt. sed necesse est eadem agnoscere, ac memoriam eorum perseueranter retinere. quemadmodum psalter ait. quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum coram me est semper. uix enim est quicquam tam efficax ad prohibendum, nequis ad eadem peccata relabatur, & quod tam facilem hominem faciat, ad remittendam proximo cuique iniuriam, quam peccatorum suorum continua recordatio. cum enim cogitat quis, se toties Deum offendisse, facile adducitur ad remittendum, siquid à proximo læsus fuit. Hoc seruandę præteritorum peccatorum memorię exemplum in signe habemus in Paulo qui

qui quamuis ob ignorantiam persecutus fuisset ecclesiam Dei, tamen hoc peccatum semper ante oculos ferebat, & se peccatorum primum appellabat, fatebaturque, se fuisse blasphemum, & contumeliosum, & abortiuum, atque indignum, qui vocaretur apostolus. Sed non sufficit, sola lingua pronuntiare, peccasse nos, nisi & intima conscientia id pronuntiemus, & nobis ita esse persuadeamus. Ad contritionem item pertinet uotum uitæ in melius commutandę, quemadmodum propheta admonet. quiescite agere peruersę, discite benefacere. & Diuinus psaltes. declina à malo, & fac bonum, inquire pacem, & persequere eam. & iniquitatem odio habui, & abominatus sum, legem autem tuam dilexi. interea auferendę sunt omnes occasiones, quæ causam præbere possint relabendi in peccatum, atque adhibendum studium, ut fiant opera superioribus peccatis contraria. nam qui uerbo pœnitere se dicit, & peccandi occasionem non deuitat, sed se rursus peccatis implicandum offert, is est, cuius Petrus meminit, cum ait. canis reuersus ad uomitum, & sus lota ad uolutabrum luti. Postremo, ubi grauitur, & ex animo ob peccata indolueris, diesque tuos in amaritudine animę tuę recogitaueris, ac fixę in corde tuo statueris, desinere à malo, & facere bonum, tum fides accedere debet contritioni, qua rursus fiducia misericordię Dei erigaris, & consolationem accipias, confusus, tibi sic affecto peccata tua propter Christum remissum iri. nam hæc fides contritionem perficit, ac discrimen facit inter contritionem pię, atque impię, Petri, & Iudę. ideo enim nõ profuit Iudę pœnitentia, quia hac fide caruit. Ideo Petro profuit contritio, quia hæc fides accessit, qua misericordiam apprehendit. hanc fiduciam insigniter cernere est in Dauid in eo psalmo, in quo ueniam petit patrati & adulterij, & homicidij. is enim psalmus uiuum exemplar est uerę pœnitentię, ueręque contritionis, & præterea maxime in Deum fiducię. quàm enim pœnitens cor declarauerit, quantumque illi displicuerit offendisse tantam Dei benignitatem, ostēdit uerbõrum affectus, dum non tam eum torqueret pœnarum metus, quàm quòd in Deũ suũ peccauerit. iniquitatem meam (inquit) ego cognosco, & peccatum meũ coram me est semper. tibi soli peccaui, peccaui quidem & in Vrĩam, & in totum exercitum, uerũ in primis me excruciat, quòd te offenderim. in te, in solum te peccaui, & abominabile scelus hoc admisi, nõ reueritus conspectum tuum. ob hanc causam sepius petit deleri peccatum illud, quòd puderet cum illa macula apparere corã Deo suo. dele (inquit) iniquitatem meam. amplius, id est, iterum atque iterum laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. & rursus. asperges me hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealabor. & auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. cor mundũ

crea

crea in me Deus, & spiritum rectũ innoua in uisceribus meis. quę eiusdem sensus repetitio significat ingentem admisi sceleris dolorem. & profectò nisi peccator eo animo sit, ut eum plus mordeat offensio Dei, quàm ultio, quę peccatũ comitari solet, nihil sit homine Christiano dignum, cum reperi sint ex ethnicis, qui dicerent, culpam maiori sibi esse dolori, quàm damnum, & minus sibi esse pati pœnam, quàm meruisse. inter hæc uerò à spe, & fiducia nunquam recedit. cum enim dixisset. tibi soli peccaui, & malum coram te feci, adiecit. ut iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cum iudicaris. id est, si hanc iniquitatem mihi condonaaueris, & promissa seruaueris mihi perfido, meritò æquissimus iudicaberis, & in seruandis promissis constantissimus, & in damnandis illis, qui respiscere nolunt, iustissimus. atque ut Deum magis ad misericordiã flectat, affert in medium causam, quamobrem præstare illud debeat, quod sanè est euidens ingentis fiducię testimonium, & ait. ecce enim in iniquitatibus cõceptus sũ, & in peccatis cõcepit me mater mea. iniquitas (inquit) mihi est ueluti genuina. dum enim fingimur, & concipimur, nos statim occupat peruersitas, & mater mea peccato obnoxia fuit in ipso calore conceptionis meę. ut nisi nouos suo spiritu Deus faciat, ad malum propendeant omnes uires nostrę. cum hac fiducia postulat, ne sancti spiritus donum à se auferatur, sed in eo potius innouetur, & confirmetur. cor mundum (inquit) crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in uisceribus meis. ne proijcias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. redde mihi lætitiã salutaris tui, & spiritu principali confirma me. ad eandem fiduciam pertinet, quod ait. docebo iniquos uias tuas, & impij ad te conuertentur. id est, meo exemplo discent peccatores, quibus uis reuertantur ad te. Et profectò psalmus iste non solum dat fiduciam cuius peccatori, accedenti ad petendam à Deo ueniam, uerũ etiam pulchrè docet, quo se pacto quis gerat, ubi post commissum facinus reuerti ad Deum cupit. cernis enim, ut in ipsa confessione peccati in ingentem surgat fiduciam, & Diuinę misericordię assequenda, & eadem dona reparandi, quę prius habuerat, sed illud in primis me minerimus oportet (ne, quod pro remedio institutum est, trahatur in occasionem carnis) Dauid ita petiisse ueniam, ut nunquam postea ad illud peccatum sit reuersus. id enim præcipuum est animi, quem uerè pœniteat, indicium, post pœnitentiam non iterum sordidari. Sed hæc satis sint de prima pœnitentię parte, id est, contritione, nunc ad alteram ueniamus, quam diximus esse confessionem, quę triplex est. una interior, qua soli Deo nostra peccata confitemur, dum coram eo nostra iniqua facta ex animo agnoscimus, & ea cum ingenti cordis dolore damnamus, ac Dei misericordiam quærimus. de hac psaltes loquitur, cum ait. dixi

TTT confitebor

confitebor aduersum me iniustitiã meã Domino, & turemissi impietatem peccati mei. & iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum coram me est semper. Hanc interiorem confessionem gentes nobiscum ex parte communem habuerunt, quod scilicet ad condemnationem, & professionem peccati attinet. nam quis tandem est hominum, quem, cum turpitudinem suam perpendit, sui non pudeat? qui se non accuset? Nimirum id operante lege naturæ, omnium cordibus inscripta, quæ parit cogitationes accusantes, ac defendentes, quemadmodum Paulus docet. at hæc ethnicorum confessio ad uerum scopum non prospectabat. ideo peribat illis huius mentalis confessionis fructus, cum duo deesse uiderentur. nam in primis nemo rectè errores suos coram Deo confitebitur, nisi qui proponat in posterum à peccatis discedere. quid enim aliud est confessio erroris, quàm professio definendi ab errore? proinde gentes, quæ afflictabant conscientias suas absque uoto uitæ in melius commutandæ, confessionem fructu suo frustrabantur. definendum enim à peccato est, ob quod peccati cœpta confessio est. atque ideo extra ueniam erant gentes, quæ peccatum quidem agnoscebant, sed agnitum non confitebantur. Deinde agnouerunt quidem illi peccatum, sed præter spem uenię, & misericordiæ, quam obrem nulla ad eos redibat utilitas. nam quid profunt lacrymæ, & confessio, si nulla adfit abolitionis fiducia? & quis potest à peccatis abstinere, detentus adhuc malo incredulitatis? quemadmodum enim agricola ille, qui desperato fructuum prouentu, deuastantia segetes non arcebit, ita & ille, qui confessionem quidem seminat, nihil lucri expectans, ne utiquam dimouere studebit ea, quæ respicientiam corrumpunt. ethnicis ergo hæc confessio nihil profuit, quod de ulla expiatione culpæ adeo nullã spem haberint, ut de ea ne cogitarent quidem, cum non haberent, nec prophetas, nec apostolos, à quibus discerent, sperandum esse à Deo peccatorũ ueniam, per unigeniti eius filij cruentam mortem. & hæc scire, maxime nobis est utilitati, ut grati hoc nomine simus Deo, qui nobis ea dona contulerit, quæ antea ignota erant mundo. ut dicere cum propheta possimus, non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Ea itaque interior confessio, quæ cum amarulenta agnitione peccatorum, ac ueris doloribus uotum respiscendi, & spem indulgentiæ coniuncta habet, propriè piorum est, potissima utique contritionis pars, atque adeo ueræ contritionis formatrix, & effectrix, à qua tam secernuntur illi, qui neque cum animę compunctione, & amaritudine, neque cum peccatorum abolitione, & spe indulgentiæ suam malitiam agnoscunt, quàm qui nimia desperatione obstupescunt, & bene, ac male uiuere iuxta ponunt, atque adeo de suis malis gloriantur, qui nullo dolore, aut metu Diuinæ

iræ

iræ afficiuntur, sed securi suis uoluptatibus indulgēt, sicut irrationalia pecora, natura genita in capturam, & perniciem, uoluptatem existimantes diei delicias, sicut apostolus Petrus homines illos impiè securos describit, quorum hodie plenus est orbis terræ. quàm multi enim sunt peccatores securè degentes? quàm multi rapiunt, & nolunt intelligere, quod iniquè agant? quàm multi deuastant uiduas, & diripiunt pupillorum facultates? quàm multi circumueniunt alienos thoros, affligunt orphanos, & agnoscere nolunt superuenturam sibi calamitatem? & in his nec ingemiscunt, nec lacrymam proferunt, neque confitentur, quos hac uia seruari possibile non est, cum nec agnoscant facinora sua, nec iudicium Dei præ oculis habeant. Oportuerat autem, ut sacerdotes, & quibus credita animarum cura est, identidem inculcarent populo, & necessitatem, & utilitatem huius mentalis confessionis, & præterea confitendi rationem, quod antiqui patres summo studio fecerunt. tam enim est hæc confessio necessaria, ut Deus non aliter nos iustificet, quàm confessos. Deus est, qui gratis quidem iustificat. ego sum (inquit) ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. sed quia non uult Deus nos abuti sua misericordia, ut scilicet hæc consecuti remissiores fiamus. ideo quærit & à nobis quiddam, non pretium iustificationis, sed ut adminiculum, quod tamen ipse quoque nobis per confesum cooperantibus, largitur, nempe fidelem mentis confessionem. Huius confessionis fiducia fidelis ille rex Dauid reposcit, ut Deus eum ab iniquitate sua lauet. secundum multitudinem (inquit) miserationum tuarum dele iniquitatem. unde uerò tantum beneficium præsumat, statim subiecit. quoniam iniquitatem meam ego cognosco. hæc confessio nisi adfit, sentire non potest homo, quid illi Deus per misericordiam concesserit. qui enim memor est cumuli peccatorum suorum, erit & memor magnitudinis misericordię Dei, qui uerò morborum suorum ueluti lethargo occupatus obliuiscitur, quo tandem pacto misericordiæ medicinã fideliter requiret, aut accipiet? quam obrem in prouerbij legimus. iustus prior accusator est sui. &, qui abscondit scelera sua non dirigetur, qui aut cõfessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiã consequetur. & alius quidã sapiens. ne moreris in errore impiorũ, ante mortẽ confitere. à mortuo quasi nihil perit cõfessio. cõfiteberis uiuens, uiuens, & sanus confiteberis, & gloriaberis in miserationibus illius. sanus (inquit) confiteberis. nã qui nõ ante, quã ægrotent, ad hãc medicinã accurrunt, arguuntur inuiti potius accedere, quàm uolentes, atq; ita ferè priuantur confessionis fructu. Tã uerò semper fuit sanctis, ac pijs uiris curę interior hæc ad Deum confessio, ut etiam ea, quę iam credebant remissa, in memoriam reuocarēt: hoc scientes, quod etsi præsentium culparum sibi non essent conscij, re-

TTT 2 cordationes

cordationes tamen præteritorum peccatorum, & lætæ, sibi plurimum prodesse, uel ob id, quod animæ uerecundiam incutere, eamque ad amorem eius, qui tam multa & magna condonauerit, prouocare possent. dū cogitant, quod nisi miseratio eius subuenisset, tantum illud peccatorū pondus eos inferni supplicij mancipasset. Proinde Dauid rex, quamuis remissum iam sibi peccatum esset, nihilò tamen minus ille in conscientia sua, tanquam in imagine adulterium, & homicidium depicta habebat, & per singulos dies præteritam illam putredinem intuens, dicebat. iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum coram me est semper. Ad eundem modum Paulus apostolus, etiam illa commemorat, quæ per ignorantiam commissæ, gratia baptismi, & confessio fidei aboleuerat. Christus Iesus (inquit) uenit in hunc mūdum, peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. & rursus. fideliem me existimauit, ponens in ministerium, qui prius fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, supra modum persequens ecclesiam Dei, & expugnauit eam. & qui non sum dignus uocari apostolus. Paulus ergo illorum meminit, quorum er tuentiā consecatus. nos uerò nec ista recordamur, quæ post baptismum commisimus. quod si aliquando ad recordationē uenimus, statim effugit cogitatio, & transimus ad alia, & ne integra quidem hora patimur, animam nostram afflictione mœroris huius astringi. hinc fit, ut semper malis addamus mala. quid enim prohibet, ubi nihil metuimus, ubi nihil uerecundiæ, nihil pudoris admittitur, quin in omnes perditionis foëas demergamur? in quas ne incidamus, Dominus apud Ezechielem saluberrima admonitione nos munit. recordamini (inquiens) uiarum uestrarum, & omnium scelerum uestrorum, quibus polluti eratis, & displicebit uobis in conspectu uestro in cunctis malitijs, quas fecistis, & scietis, quod ego Dominus, cum benefecero uobis propter nomen meum, non secundum uias uestras malas, neque secundum scelera uestra pessima. Vult ergo hic, ut recordemur peccata nostra, ut ex hac recordatione melius agnoscamus ignoscentis Dei benignitatem, aliqui illam non intellectu. Debet itaque hæc confessio, quæ mente fit, sine intermissione fieri. nam haud multum differt ab illa pœnitentiæ in ecclesia actione, quæ quotidiana est. Porrò si oratio nostra ad Deum perpetua esse debet, orationis autem, præsertim illius, quam nos docuit Christus, uis tota in eo consistit, ut Dei bonitati omnia, nobis nihil tribuamus, Dei nomen sanctificemus, nos uerò, nostraq; opera coram Deo accusemus, ac damnemus, ad misericordiam eius perpetuò prospectantes, consequens est, ut & hæc confessio nunquam intermittenda sit, quod hæc confessio omnino sit, aut precatio illa, quam à nobis requirit Deus, aut saltem precatationis eius ipsissima medulla. quid enim

enim ~~quid~~ est confiteri Deo, quàm displicere nobis, illius uerò omnipotentiam, sapientiam, & bonitatem semper, & ubique prædicare? Hæc est autem Deo confitendi ratio, ac modus. peccata nostra Christus debita appellat, nos Dei uillicos, cum quibus Deus sit positurus rationem. ergo codex rationum nobis conscribendus est. codicem habemus conscientiam nostram, in hac peccata nostra & maiora, & minora, tanquam in libro scribere oportet, deinde confiteri, non tantum quod multa in nobis delicta sint, uerum etiam singillatim peccata, idque frequentius recensere, atque ante oculos ponere, & hæc tanquam nuper admissa lugere. ita enim & animæ arrogantiæ frangimus, frequenter eam malorum suorum, ac uitiorum commonefacientes, & cautela nobis, ne in eadem incidamus, uerius nascetur, ut interim taceamus, hæc confessione fidem quam maximè acui, & exerceri, sine qua non accipimus remissionem peccatorum. Accedit & aliud, ex continua hac peccatorum nostrorum recordatione, maximum bonum, quod homines in quotidiana consuetudine cum proximo quoque multò se gerunt submissius, neque audent aduersus alios insolecere, suorum sibi peccatorum conscij, unde enim censet tantam arrogantiam, quanta nunc passim grassatur, proficisci, ut quisque semper se altero præstantiorem arbitretur, ac meliorem, nisi quod nunquam descendere in nos studemus, & agnoscere peccatorum nostrorum multitudinem, & grauitatem, quibus Diuinam maiestatem offendimus? Non habet autem homo, cur se à quotidiana ista confessione excuset. nam si omnino per diem non habuisti tempus excutiendi rationes tuas, saltem quando accubueris super fratrum, & neminem habueris infestum, ante quàm obrepat somnus. profer in medium codicem conscientiam tuam, & reminiscere peccata tua, siquid in uerbo, siue in facto, uel in cogitatione peccasti. dicito in corde tuo, & anima tua. consumpsimus diem à anima, quid boni fecimus? aut quid mali operati sumus? tunc si boni cuiusquam tibi conscius fueris, totum Dei benignitati tribue, illi gratias age. at peccatorum reminiscens, si unde saltem cordis lacrymas, recense peccata singillatim, facito tibi met ipsi rationem, Deum tuum roga, ora misericordiæ, & inuenies requiem. sic enim poteris in lectulo tuo positus peccata tua delere. hoc ubi feceris, tum demum permitte animam tuam soporari. hoc faciebat, qui dicebat. lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis fratrum meum rigabo. cur quæso graue, aut molestum uidebitur, positum in lecto quotidiana deflere peccata, unde tanta promanat utilitas? Ut autem populus Dei ad hanc interiorem mentis confessionem modis omnibus inuitaretur, lege ueteri cauit Deus, ut pontifex cum offerret sacrificium pro delicto, generalem totius populi peccatorum confessionem ad Deum

Deum faceret. Postquam (inquit) emundauerit sanctuarium, & altare, tunc offerat hircum uiuentem, posita utraque manu super caput eius, & confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, & uniuersa delicta, & peccata eorum. sic confessus est populi delicta Neemias in Susis. itidem populus præsente sacerdote. nec alia ratione sancti patres generalem hanc confessionem tam frequentem in ecclesia esse, & per sacerdotes totius populi nomine, ac ipsum etiam populum, sacerdotem uerbis comitantem, pronuntiare uoluerunt. hinc sacerdos sacra mysteria à confessione, quam uicissim cum altantibus recenset, orditur. hinc finita concione, generalem hanc, & publicam confessionem ad populum pronuntiat, ac monet, ut se pronuntiantem populus eisdem uerbis profequatur. hinc in horarijs precibus mane, & uespere hæc confessio repetitur, ne rei tam necessariæ unquam obliuiscamur, aut fructibus tam eximijs, qui hinc nobis proueniunt, careamus. & hæc quidem de interiori mentis confessione dixisse sit satis. Secunda confessio fraterna dicitur, de qua in Mattheo legimus. si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersus te, relinque ibi munus tuum, & uade prius reconciliare fratri tuo, & tunc ueniens offer munus tuum. ne autem frater tuus sic à te offensus, te noxam tuam agnoscentem, ac ueniam ab eo petentem auersari, aut confessionem tuam aspernari impunè possit, Dominus præceptum dedit in hæc uerba. remittite, siquid habetis aduersus aliquem, ut, & pater uester, qui in celis est, remittat uobis peccata uestra. & rursus, Petro interrogati, Domine, quoties peccabit in me frater meus, & remittam ei? usque septies? respondit, non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septem, idque subsequente illic parabola magis inculcat, qua declarat, eum uana spe Deum precari, qui fratri errata non dignatur condonare. Hæc autem confessio significata est in Euangelio per pedum lotionem. hæc siquidem post cœnam peracta, Christus facti sui rationem discipulis suis exposuit dicens. si ego laui pedes uestros Dominus, & magister, & uos debetis alter alterius lauare pedes. exemplum enim dedi uobis, ut, quemadmodum ego feci uobis, ita & uos faciatis. quo significat, ubi proximum læserimus, id debere nos coram eo agnoscere, ueniam petere. & uicissim, ubi offensi fuerimus, remittere, mutuis erratis condolere, & inuicem alterum pro altero orare. Et quamuis hæc confessio propriè sacramentalis non sit, de qua mox dicemus, eandem tamen, ut remissionem peccatorum consequamur, necessariam, atque adeo sacramenti appellatione, largè accepto uocabulo, contineri, uiri eruditi existimauerunt. ut non tantum publicè in sacramento pœnitentiæ, sed etiã priuatim in hac confessione fraterna peccata per homines remittantur, & Euan-

gelij

gelij beneficium nobis applicetur, quamuis alia, atque alia ratione. nam sacerdotes longè alia ratione soluunt, uel remittunt peccata confitentibus, quàm fratres, seu priuati inuicem remittunt. illi enim publica auctoritate, & uice Christi, cuius personam in ecclesia repræsentant, uirtute clauium ab eo acceptarum, ab omnibus passim peccatis poenitentes absolunt, uerè contrito, & confesso nihil minus præstantes, quàm si Christus præsens absolveret, ac diceret, remittuntur tibi peccata tua. quamobrem diuus Paulus dixit. Omnia ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis. quoniã quidem Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis uerbum reconciliationis. pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. sed relaxatio illa, seu remissio fraterna, non ita fit, ut frater eatenus fungatur uice Christi absoluentis, sed tantum remittit priuatim, quod in se peccatum est. unde magis priuatæ iniuriæ condonatio, quàm peccati remissio est, quam tamen Deus tam habet gratam, ut remittenti offensam fratri, idque ex animo, uicissim peccatorum remissionem sic polliceatur, ut is, qui hunc affectum condonationis, à se fratri factæ, uerè in conscientia sua sentit, sibi hoc ipso, ueluti certo, sed inuisibili signo persuadere possit, se uicissim à Deo remissionem peccatorum suorum, quorum tamen eum uerè pœniteat, assecutum esse. nam Christi uerbum est. remittite, & remittetur uobis. & si remisistis hominibus peccata eorum, remittet, & uobis pater uester cœlestis peccata uestra. quia tamen homo non facile statuere potest, num penitus, & ex animo totam iniuriam remisit, quod concepti odij malum altas habeat radices, adeundus ipsi præterea est sacerdos, à quo tanquam ab ipso Christo uerbum absolutionis, & certissimæ consolationis accipiat. nam ministerium, quod exhibet sacerdos, est ministerium Christi, quod uerò exhibet frater, est ministerium charitatis, & humilitatis. Quamuis ergo fraterna hæc confessio tanti sit momenti, non est tamen de numero illorum sacramentorum, quorum ecclesia septem tantum numerauit. nam illa talia esse oportet, ut signa sint uisibilia, & causa inuisibilis gratiæ Dei, quam Deus per ea, cum in ecclesia publicè administrantur, in non indignè recipientibus operatur, eiusdem gratiæ similitudinem extrinsecus gerentia. quæ omnia in hac confessione fraterna, & priuatæ, propriè reperire non est, unde cum clauium potestate confundi non debet, ut quidam hac ætate uidentur uoluisse, sed magis ad pœnitentiæ sacramentum præparatoria est, & præambula. Verù exigua nunc huius fraternæ confessionis, tã necessariæ, cura est, & qui iniuriã accipiunt, nō obseruāt Euāgelica documēta, ut cū adeant, qui in se peccauit,

peccauit, & Inuentur fratrem suum. non meminerunt, se esse inuicem membra, & præstare inter se debere, quod corporis membra inter se faciunt. qui verò iniuriam attulerunt, & ipsi inertissimi sunt, ad suum errorem corrigendum, perinde quasi hoc nihil ad eos pertineat, neque eorum salus agatur, raro petunt veniam ex animo, atque ad reconciliationem metu potius temporarij damni, quàm salutis comparandæ desiderio adducuntur. quæ manifestissima signa sunt animi non intelligentis, quænam sit veræ pœnitentiæ ratio. & hæc quidem de secunda confessione. Tertia confessio est ea, quæ fit præpositis ecclesiæ, id est, episcopis, & sacerdotibus, quibus à Christo facta est remittendorum, ac retinendorum peccatorum potestas. hæc in vsu veteris ecclesiæ multiplex fuit. vna publica, altera secreta. rursus publica duplex, quædam coacta, quædam voluntaria. secreta quoque secundum diuersos ritus & ecclesiarum, & temporum, in alias species scindi, ac discerni posset. quæ omnia vt dilucidiora fiant, in primis nosse oportet, veterem ecclesiam seueram admodum fuisse in criminibus publicis vindicandis, tum ne ecclesia ob quosdam manifestarios delinquentes malè audiret inter gentes, quemadmodum ad Romanos scribitur, nomen Dei propter vos blasphematur inter gentes; tum ne contagio totum gregem inficeret, neue res pessimi exempli infirmioribus offendiculo foret, quod Christus diligentissimè cauere iussit. denique & alij admoniti cauèrent, ne laberentur, vtque animus ipsorum, qui ad ecclesiam redibant, exploraretur, an ferio resipiscerent. Olim ergo ijs, qui in criminibus publicis essent deprehensi, publicè erat cõfitemdum, & crimen apud pastorem, & coram ecclesia agnoscendum, & petenda ab episcopis, seu pastoribus publicæ pœnitentiæ concessio. Hæc confessio cum fiebat voluntariè, nimirum criminosis se ipsos apud ecclesiæ præsides spontè prodentibus, deferentibus, ac publicantibus, longè gratior erat, & venia dignior, quàm coacta. ad eum modum voluntariè confessa est mulier illa Evangelica, publica in ciuitate peccatrix, quæ super conuiuentes ingressa est, non iussa venit, inter epulas lacrymas obtulit, ac Christi pedibus aduoluta, pedes eius lacrymis lotos capillis terfit. imitabile pœnitentibus exemplum præbens, vt sua sponte ad Dei misericordiam per pœnitentiæ semitam accedant. Ad hanc voluntariam publicorum criminum confessionem sancti olim patres populum solerter hortabantur, ac incitabant. verum, cum is sit humanæ vanitatis præposterus pudor, vt, quæ publicè patrare crimina non pudeat, publicè tamen agnoscere, & confiteri pudeat, visum est ecclesiæ veteri, publicè peccantes, & tamen crimen suum confiteri nolentes, ad publicam exhomologesim compellere, idque non vno remedio. nam, si crimen tam fuisset vulgatum, quòd totam ecclesiam, seu ciuitatem

commo-

commouisset, episcopus, seu pastor ecclesiæ peccantem coram omnibus arguebat, quemadmodum Paulus Timotheo præcipit dicens. peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant. correptum verò, & confiteri, seu agnoscere crimen recusantem excommunicabat, nec recipiebat eum, nisi prius confessum. cuius pulcherrimum exemplum habes in priore epistola ad Corinthios, vbi vides, quanta cum seueritate apostolus Corinthios increpet, quòd publicum incestum illius Corinthij fratris, necdum agnoscentis crimen, dissimulauissent, & eundem è medio non remouissent. quem etiam, quia de resipiscencia nondum cogitabat, excommunicat, ac Satane tradit, in interitum carnis, id est, afflictionibus corporis. postea verò concepta iam ex iniusta pœna tristitia, quæ secundum Deum est, crimen publicè agnoscentem, ac confitentem absoluit, ecclesiæ reconciliat, ac communioni restituit. Præterea Christus modum, disciplinamque prodendi, ac indicandi peccatum constituit, qua delinquens ad exhomologesim tandem perueniret. si peccauerit in te (inquit) frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum. si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. quòd si te non audierit, adhibe tecum alios duos, aut tres. quòd si nec ipsos audierit, dic ecclesiæ. si verò nec ecclesiã audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. Tale quid legimus in Leuitico, vbi sic dicitur. si peccauerit anima, & audierit vocem iurantis, testisq; fuerit, quòd aut ipse vidit, aut cõsciens est, nisi indicauerit, portabit iniquitatem suã. quo quid aliud docemur, quàm ne vnquam in peccatis alienis polluamus conscientias nostras, ne consensum malè agentibus præbeamus. consensus enim est, non solum vbi quis pariter malè agit, sed etiam cum ea, quæ illicitè gesta sunt, reticet. Euangelicum verò præceptum in eo perfectius datum est, quòd & ordinem indicandi peccatum demonstrat. non enim vult, te, si forte videris peccatum fratris tui, quòd nondum toti ecclesiæ manifestarium est, continuò euolare ad publicum, & passim proclamare, & vulgare aliena peccata, vt multi nunc faciunt, quòd vtique est, non corrigentis, sed potius infamantis. solus (inquit) inter te, & ipsam solum corripe eum. vbi enim seruari sibi mysterium viderit ille, qui peccauerit, seruabit & ipse emendationis pudorem. si verò diffamari se viderit, illico ad negandi impudentiam conuertetur, & non solum non emendaueris peccatum, sed & duplicaueris. Primum igitur solus inter te, & ipsum, quòd si non sufficit, adhibe tunc tecum duos, vel tres. in ore enim duorum, vel trium testium stabit omne verbum. & quoniam postremo mandat correctionem ad ecclesiam deferri, par erat, vt prius iuberet adhiberi duos, vel tres testes, quibus presentibus correptus, si peccatum agnoscere, & emendare non vellet, posset duobus testibus adhibitis, cum ad ecclesiam delatum fuerit eius pecca-

VVV

tum,

tum, confutari, idque admodum prudenter. nempe ne uolens quis Euangelicū implere mandatum, calumniator uideatur, si crimen deferat ad ecclesiā, & deficiat testibus. Vides, quò correptio Euangelica tendat nempe ut peccator ad confessionem, & agnitionem criminum, non clam, aut internè, sed manifestè in fratrem commissorum, adigatur, quā si recuset, neque se agnoscens, neque per pœnitentiam corrigens, excommunicetur. Verum hic ad duo prospiciendum est: primum ut correptio fraterna ex dilectione, & charitate, non autem ex odio, aut amarulentia procedat, uerum in eum modum fiat, ut sentiat correptus salutem suam quæri: alioqui compertum est plures, qui arguente nullo, peccatores se esse confitentur, ubi de uera culpa fuerint forte correpti, defensionis patrocinium querere, ne peccatores esse uideantur, quod omnino cauendum est. deinde ut ex communicatio infligatur non aliter, quam ut salubris ecclesiæ medicina, quæ salutem omnium materna charitate querens, tanquam inter phreneticos, & lethargicos æstuat quam obrem post excommunicationem non est desistendum, non cōtemnenda salus excommunicati, sed, ueluti cū phreneticis, & lethargicis agitur, qui ligari, & excitari nolunt, & tamen castigantur, ac stimulantur, ita debet erga excommunicatos perseuerare diligentia charitatis. Vicissim uerò qui corripitur, etsi acerbe ita, ut a conuentu abscindatur ecclesiæ, arguentem odio habere non debet, sed animaduersionem patienter accipere, & fortiter ferre, quemadmodum ille à Paulo correptus, maiorem etiam affectum concepit erga Paulum, atque erga omnes, qui statuti Pauli in eius animaduersione paruierant. quo factum est, ut Paulus sententiā reuocans, & eiectum reconcilians ecclesiæ præciperet, ut confirmarent in eum charitatem. Atque utinam parochi populum frequenter de hac fraterna correptione admonerent atque ad eandem quam diligentis finis hortarentur, quam Christus ipse præcepit, ac tam lucrosam ostēdit. Certè omnibus persuasum esse debet, ut, si quis ea, quæ uidet in delicto proximi sui, uel non indicauerit secundum regulam superius datam, uel in testimonium uocatus, non quæ uera sunt, dixerit, peccatum, quod commisit ille, quem celat, ipse suscipiet, & pœna commissi reuoluetur ad conscium. Quam ergo res sit salutaris correptio illa fraterna, iam uides, quam etiam in primitiua ecclesia, nimirum charitate uerè christiana magis adhuc inardescente, frequentissimā fuisse non dubitatur. uerum, cum postea charitas refrigesceret, ac tam salubre Christi præceptum sensim negligenter, tum quòd rari inuenirentur alios correpturi, qui non eisdem, uel paribus criminibus obstricti tenerentur, tum quòd correpti correctionem æquo animo, & patienter ferre nollent, obliui quod psaltes ait, corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris

peccatoris non infringat caput meum. Ne ergo tam salutare remedium agnoscendorum, ac cōfite dorū criminū publicè cōmissorū deperiret, plurimis ecclesiasticis regulis, ac canōnibus cautum, & mandatum est de eiusmodi delictis prodendis, atque adeo mos saluberrimus introductus, ut in uisitacionibus parochiarum, aliquot ex plebe maturiores, honestiores, ac ueraciores uiri in mediū euocarētur, ac iure iurādo cōstringerētur dicere, quicquid cōtra rectā fidē, & Christianæ uitæ ordinem in parochia nossent, uel audiissent factū esse, omni affectu humano longè seposito, additis hisce uerbis. Videte fratres, ut Domino reddatis iuramenta uestra, non enim homini iurastis, sed Deo creatori uestro. nos aut, qui eius ministri sumus, non terrenā uestram substantiā concupiscimus, sed salutem animarū uestrarum requirimus. caute, ne aliquos abscondatis, & ex alterius peccato uestra fiat dānatio. Nec patres temere ad hoc moti sunt. neq; enim illis negligendæ uidebantur illæ sententiæ, nepe, nolite communicare operibus tenebrarū. & aufert malū de medio uestri. & exite de medio eorū. & in mundum ne tetigeritis. & separamini, qui fertis uasa Domini. Post hanc inquisitionē, qui publicè peccasse comperiebatur, ad publicam adigebatur confessio, & pœnitentiam, & secundum canōnū ordinē pro merito suo excommunicabatur, postea expleta pœnitentia reconciliabatur. Reliquū est, ut de confessione priuata dicamus. hanc olim & in Romana, & in Græca ecclesia episcopi, & sacerdotes priuatim audiebant, ac admittebant, sed cum quodam peccatorū discrimine. nam si crimen aliquod manifestum, aut tale, unde laesa esset ecclesia, deprehendissent, erat in eorum potestate, nō tamen sine magna discretione, ac de liberatione, hoc crimē in cōuentu totius ecclesiæ exponere, & publicare, aut saltem publicam delinquenti pœnitentiam iniungere, qua etsi, qui deliquit, non proderet speciatim crimē suū, tamē factō ipso cōfitebatur, ac declarabat ecclesiæ, se grauiter peccauisse. Cauendū tamen erat episcopis, & sacerdotibus, ne crimē proderet, aut publica etiā pœnitentia, seu excommunicatione muldaret, quod commissum esse aliter, q̄ sua asseueratione factæ confessionis, probare nō possent. Verū nouissimis istis temporibus, cū magis, ac magis hoīum malitia succresceret, ac peccatores oēm seueritatem iā penitus auersarentur, & oēm potius pœnitentiā spernere, quam uelā pœnitentiæ acerbitate ferre melius duceret, ecclesia ueluti plena pietatis mater, quæ nō eadē disciplina, & præfractis, & morigeris filijs medetur, remissiore disciplina pœores in officio, id est, ad pœnitentiæ remedium capiendū, retinere studuit, quam obrem uoluit, ne omnino sacerdotes quacūq; crimina ipsi in pœnitentia iudicio detecta, uel uerbo, uel signo, aut alio quouis modo reuelare, aut pœore, p̄dere p̄sumat, ac cōtrariū facientē, nō solū à sacerdotali officio deponendū, uerū etiā ad agendā perpetuā pœnitentiam

tentiam, in arctum monasterium detrudendum decreuit. deinde remissa est ea seueritas, qua olim confitentes etiam secreto, ac priuatim; peccata non clam commissa non absoluebantur, nec ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admittebantur, nisi salubri primum satisfactioe purgati, qui mos & in Latina, & in Græca ecclesia fuit. hodie verò pro crimine quàmlibet enormi, sed occultò, nolenti non imponitur publica pœnitentia. nam volenti adhuc eam imponi posse, vetus ecclesiæ, præsertim Romanæ, consuetudo testis est. nudantur enim etiam hoc tempore Romæ quibusdam scapulæ, & extra templum cæduntur interdum vsque ad sanguinem, idque numerosissima populi multitudine spectante. solus tamen pœnitentiarius nouit, quid admissum sit, nisi quòd omnes atrox facinus admissum suspicantur. Præterea hoc tempore ante absolutionem non exigitur, sed tantum imponitur satisfactio post absolutionem, & reconciliationem explenda, nisi tamen confessarius crimen tam enorme comperit, vt necessarium, ac vtile ducat, peccatorem à communionem altaris ad tempus saltem, citra tamen criminis vllam publicationem, sequestrare, aut se maiores, & doctiores prius consulere, quàm manum imponat. vbi enim prudentiori consilio confessarius indigerit, iubet concilium generale, vt illud absque vlla expressione personæ cautè requirat, quæ est casuum reseruandorum radix, & origo. nam & in veteri ecclesia ad episcopos magnitudo culpæ, & criminis referebatur. Porro etsi nunc ex ecclesiæ remissione peccator, qui neque apud ecclesiam accusatur, neque denuntiatur, aut defertur, à publica pœnitentia, quamuis manifestè deliquerit, excusetur, videat tamen is, vt saltem bono exemplo eos, quos publicè peccando offendit publica malitia, tantum bonis operibus rursus publicè ædificet ecclesiam Dei. Multa supererant de hac priuata confessione dicenda aduersus huius ætatis hereticos, qui ei detraxerunt, & tollere eam sunt conati: sed quando Dei benignitate hæc ciuitas ab hac contagione est libera, his prætermisissis, ad tertiam pœnitentiæ partem, id est, satisfactionem veniemus. Principio dubium non est, vocabulum satisfactionis ex publico ecclesiæ vsu frequentari cœptum esse, pro castigatione, seu pœna, quæ secundum peccatum vniuscuiusque, quem pœniteret, & qui culpam confiteretur, ab episcopo, vel sacerdote indicitur, quamuis nunc hoc vocabulum latius vsurpemus, quæ omnia vt dilucidiora fiant, sciendum est, duplicem esse in ecclesia satisfactionem. vnâ est, quæ meretur remissionem peccatorum, & abolet eternam mortem: hæc soli Christo tribuitur, qui dedit semetipsum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate, factus propitiatio pro peccatis nostris, & notatum pro nostris, sed & totius mundi, quatenus. scilicet ad efficaciam pertinet, ac virtutem redimendi, licet non omnes sibi hunc satisfactionis Christi fructum

fructum suo vitio applicari curent. applicatur siquidem hæc satisfactio à Deo per veram contritionem, & fidem, cuius certum testimonium est sacramentalis sacerdotis absolutio, quæ docet nos hæc tribuere debere Deo, non nostris operibus. nam nullus omnino hominum poterit, vel pro culpa unius peccati mortalis satisfacere, & pœnam æternam suis meritis abolere, ergo non in merito confitentis, sed in nomine patris, & filij, & spiritus sancti sacerdos confitentem absoluit. Præterea de abolitione æternæ mortis legimus, aculeus mortis peccatum est, sed Deo gratiæ, qui dedit nobis uictoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Verum, cum ex diuinis literis cõpertum sit, post remissionem peccati, quæ solius Christi beneficio nobis contingit, adhuc quædam præteritorum peccatorum reliquias in anima hærerè, deinde remissa culpa non statim omnem remitti pœnam, sed tantum pœnam eternæ mortis, quam etsi Deus in iustificatione hominis condonat, eius tamen loco temporariam pœnam frequenter substituit; iccirco patres uiderunt, alia quadam purgatione post remissam culpam, & ad expiandas præteriti peccati reliquias, & ad mitigandas, seu tollendas temporarias illas pœnas, nobis adhuc imminentes, opus esse, quam pœnitentiæ satisfactionem appellauerunt. Post remissum peccatum peccati reliquias remanere, quas deleri oporteat, David testis est, nam etsi Nathan remissionem peccatorum ipsi David annuntiasset, dicens, Dominus remisit peccatum tuum, nihilò tamen minus David adhuc orat, ut Dominus secundum multitudinem miserationum suarum deleat iniquitatem eius, atque ut amplius lauet eum ab iniquitate, & à peccato mundet, id est, ut non tantum remittat culpam, sed & decorem pristinum restituat. Atque eadem omnino ratio esse uideretur in diluendo peccato, quod actu fit, quæ est in diluendo originali. nam originalis peccati reatus in baptismo remittitur, attamen reliquie eius, nimirum fomes ille manet, quem tota uita pijs exercitijs mortificare, & eradicare oportet. sic peccatum, quod actu fit, per fidem quidem in Christum, merito passionis eius remittitur, sed adhuc quidam ueluti fomes, seu quædam reliquie in anima manent, quas salubri satisfactione purgare necesse est, præsertim cum præteritum peccatum in consuetudinem quandam abiierit, quæ cum altius radices iecerit, multa, ac longa purgatione opus habet, lauari quidem citò possumus, ad sanandum uerò opus est curatione multa, quam contrarijs oportet adhibere remedijs. quemadmodum Diuinus Paulus ait. sicut exhibuistis membra uestra seruire inmunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra uestra seruire iustitiæ in sanctificationem. quod cum facimus, satisfactionem pœnitentiæ agimus. Si enim peccatum morbus est animæ, uideamus, quid in corporeis morbis usu ueniat, & ex hac similitudine conijcere licebit, quid hic sit faciendum.

erit aliquis letali morbo grauis, hunc medici peritia, atque industria curant, ut non moriatur: uerum non statim ita conualescit, ut pristinas recipiat uires; sed medicus remedia quædam adhuc adhibet, quibus instaurantur ipsæ uires. neque hoc contentus, admonet, ut à quibusdam abstinereat, quæ causa esse possunt, ut in morbum relaberetur. idem ipsum multò accuratius præstandum est in animæ curatione. quamuis enim peccator ueniam à Dei misericordia acceperit, quia tamen animæ uires ex diuturna peccandi consuetudine factæ sunt imbecillæ, multa spiritualia exercitia adhibenda sunt, quibus pristinum robur recipiat, quæ etiam adiumento sunt, ne uel in paria, uel etiam grauiora peccata recidat. atque hæc est pœnitentiæ satisfactio, quæ causas peccatorum amputat, & earum suggestionibus aditum excludit. hoc enim est facere dignos fructus pœnitentiæ, si contraria peccatis iustitiæ facta adhibeamus. aliena rapuisti? incipere donare iam propria. lōgo es tempore fornicatus? à legitimo quoque usu coniugij suspendere, ac perpetuam continentiam sæpius aliquot dierum castitate meditare. iniuria quempiam uel factis, uel uerbis affecisti? refer benedictionis uerba conuicijs. te percutientes, nunc officijs, nunc beneficijs placare contende. neque enim uulnerato sufficit tantummo ad salutem, spicula de corpore euellere, sed etiam remedia oportet uulneribus addere. delicias antea, & temulentia difflebas? ieiunio, & aquæ potu utrunque compensa. uidisti impudicis oculis decorem alienum? femina iam omnino ne aspicias, maiore tactus cautione post uulnera. Caterum per remissionem culpæ peccati, quod actu fit, non statim etiam aboleri omnem pœnam temporariam, non magis absurdum est, quam quòd abolito peccato originali per baptismum, non simul tamen aboleantur eius peccati pœnæ, quæ sunt omnia corporis incommoda, atq; adeo mors ipsa corporea. certè Dauid locupletissimus testis est omnino discerni debere remissionem culpæ à remissione temporariæ pœnæ, quòd ipse etiam exemplo sit, restare pœnam post remissam culpam, ut in eius rerum historia cernere est, cum ob patratum adulterium, & homicidium, filius, qui ex ipso adulterio natus erat, mortuus est, & Absalon ipsum regno expulit. & ob numeratum populum, post etiam postulatam peccati ueniam, pestis ingens defecit. Has pœnas quadam pœnitentiæ nostræ satisfactio mitigari, ac tolli, testatur Paulus, cum ait si nosmet ipsos diiudicemus, non utique iudicemur. nam hic à Domino iudicari significat castigari pro peccato, quòd declarant sequentia uerba. dum iudicemur autem, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. & quòd prius dixerat, ideo inter nos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. & alibi scriptum est. si claufero cœlum, & pluuia non fluxerit, & mandauero, ac præcepero locustæ, ut deuoret terram, & misero pestilentiam in populum,

populum meum, conuersus autem populus meus super quos inuocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, & quæsierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à uis suis pessimis, & ego exaudiam de cœlo, & propitius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum. Et Daniel consuluit Nabuchodonosori, ut peccata sua redimeret eleemosynis, & iniquitates suas misericordia in pauperes. ubi appellatione peccatorum pœna peccato debita intelligitur. Præterea curæ sacerdotum incumbit, ut exploret pœnitentium animos, an scilicet ex animo respuerint, uel tantum fictè, ac folijs uerbis, non autem intimo affectu, ac re ipsa. iccirco satisfactio etiam extremæ opus est, ut sacerdoti animus pœnitentis innotescat, in ecclesia etiam disciplinam esse oportet, maxime in coercendis publicis delictis, qua satis etiam ecclesiæ fiat, in qua remittuntur ipsa peccata. deniq; ut ceteri à flagitijs detereantur. Quamobrem in ecclesia semper obseruatum est, ut episcopi, ac sacerdotes ecclesijs præpositi, respicere cupientibus, secundum criminum, ac delictorum modum, pœnitentiam darent, id est, pœnitendi tempus constituerent, ac castigationes, & opera quædam piâ, quæ ad eluendas præteritorum peccatorum reliquias, & demonstrandum peccatoris animum quam maxime idonea uiderentur, imponeret. idq; non potestate humana usurpatum est, sed potius Diuina, nimirum apostolis, & eorum successoribus per Christum tradita, hisce uerbis. quorum remisistis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. quòd uiri & doctrinæ, & sanctitate præstites, sunt interpretati, mediatorè scilicet Dei, & hominum, hominem Christum Iesum, hanc præpositis ecclesiæ dedisse potestatem, ut pœnitentibus pœnitentiæ satisfactioem darent, & eadem saluari satisfactioem purgatos ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. Quicquid ergo seueritatis pœnitens, aut uoluntariè, aut iniunctum, in se reciperet, uel pro peccati reliquijs expiandis, uel pœnis temporarijs mitigandis, uel tollendis, uel ad animum pœnitente homine dignum declarandum, uel, ut ecclesiæ satisficeret, patres pœnitentiæ satisfactioem, atq; adeo pœnitentiæ uocare nõ sũt ueriti, nec dicere dubitauerũt, his satisfactioibus præterita delicta, & pœnas inde imminetes quodam modo cõpescari, peccata purgari, tegi, ac iudicè, quò minus de nobis præteritorum peccatorum ultionè sumat, placari. non quòd opera ista satisfactoria remissionem culpæ, aut æternæ mortis mereantur, (nam hoc est proprium Christi meritum, ac beneficium, ipsius etiam uirtute nobis per fidem, & sacramenta applicandum) sed quòd à conuersis facta, iam placent Deo, mutanturque iam aliquid meriti, non ex se, sed ex radice meriti, & satisfactiois Christi, ad deluenda peccata, id est, peccatorum reliquias, & pœnas. hoc enim pacto non solum remittuntur iniquitates, sed etiam rectè factis teguntur peccata.

ta: nam utrunque attingit David, cum dixit. beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. qui enim agit pœnitentiam, nō solum diluere lacrymis debet peccatum, sed etiam emendatioribus factis operire, & tegere delicta superiora, ut non ei imputetur peccatum. & fortasse huc pertinet, quod ait Diuus Petrus. charitas operit multitudinem peccatorum. Quōd autem ueteres interdum futuras Geennæ pœnas perpetuas per pœnitentiam in hoc paruo uitæ spatio compensari dicunt, id non de merito operum istorum, quæ satisfactoria appellamus, intelligendum est, nam horum meritum, & dignitas eō se non porrigunt, ut, quod solius Christi gloriæ, ac merito ascribitur, ipsis ex debito tribuatur. quin prius quàm incipias hæc opera peragere, iā in interiori pœnitentia culpam remisit Deus. Illud ergo rectius de tota pœnitentia intelligitur, quæ tropo quodā compensatoria est æternæ mortis, quōd uidelicet nisi pœnitentiam egerimus, futurum sit, ut in æternū pereamus. nō quōd dignitas nostræ pœnitentiæ mortem æternam aboleat, sed quōd Deus non aliter, quàm per pœnitentiam tantum beneficium nobis impertiat. ob hanc causam in ueteri ecclesia canonicis institutis cautum fuit, non aliter reconciliandos, nec ad communionem admittendos pœnitentes, quàm post peractam pœnitentiam, nisi tamen necessitas coegisset, ac periculum mortis urgeret. tunc enim eis, qui post baptismum omni tempore uitæ suæ uoluptatibus dediti, in extremo uitæ pœnitentiam exposcerent, pœnitentia ab ecclesiæ antistitibus dabatur, ea tamen lege, ut, si eis Dominus uitam donauisset, sanitatemque reddidisset, secundum delicti qualitatem, & canonum instituta penitentiam agerent. Hodiè longè remissius agitur cum pœnitentibus. nam exceptis atrocissimis criminibus, publicè cum totius populi scandalo patris, pro cæteris certè delictis, ante absolutionem imponitur, quidem, sed non exigitur satisfactio, nimirum post absolutionem complenda: ferenda quidem, hæc lenitas: sed interim uideant sacerdotes, ne, cum in consideranda, ac exploranda uita pœnitentiam, post absolutionem omnino incurri sint, ille non potestremus habendus satisfactionis finis negligatur. Ex ijs, quæ dicta sunt, perspicuum est, ecclesiam in pœnitente præter confessionem dno requirere, in primis propositum deinceps non peccandi, quemadmodum & Christus mulieri in adulterio deprehensæ dixit, uade, iam amplius noli peccare. quod uotum sequi debet bonæ conscientie iustitia, ac noua uita, quemadmodum apostolus dixit. debitores sumus non carni, ut secundū carnem uiuamus. deinde etiam præter hæc exigit satisfactionem pro præteritis peccatis, secundum eum modum, quem in ecclesia præsidens pœnitenti præscriperit. quare definit, non sufficere mores in melius commutare, & a factis malis recedere, nisi etiam pro ijs, quæ facta sunt, satisfiat

Deo

Deo per pœnitentiæ dolorem. non enim tantum dictum est, fili peccasti, non adijcias iterum, sed adiectum etiam est, de præteritis deprecare Dominum, ut tibi remittantur. Qui enim dicunt, Ioannis Baptistæ præceptum illud, facite dignos fructus pœnitentiæ, tantum de bonis operibus alioqui debitis, non de satisfactorijs, & pœnitentibus propriè dignis, intelligi debere, ij non tantum suo more ueterum interpretationem, ac sententiam temere reiiciunt, sua suffecta, sed etiam uerbis eiusmodi mandati minus consentanea afferunt, quōd nemo non intelligat, alios esse bonorum operum fructus, unoquoque Christiano dignos, alios uerò pœnitente dignos. alioqui frustra Ioannes Baptista pœnitentiæ meminisset, cū dixit, facite dignos fructus pœnitentiæ. quocirca rectè ueteres patres dixerunt, pœnitentiam uocari, non à pristinis tantum malis desistere, sed etiam meliora sequi officia. nec ad sanitatem satis esse nobis, euulsisse solum sagittas, uerum & medicamenta esse uulneri adhibenda, neque tantum in melius uitam mutandam, sed per elemosynas de præteritis rogandum Deum. nam miserando quidem delet Deus superiora peccata, sed si congrua satisfactio non negligatur. Verum, quod nouatores huius ætatis has satisfactiones scholasticas appellant, & è numero traditionum humanarum, quibus coli nolit Deus, faciunt, atque adeo dicunt, per eas opera uerè bona obrui. præterea satisfactiones, quarum meminerunt ecclesiastici scriptores, & concilia, nihil aliud fuisse, quàm quendam politicum morem ecclesiæ, humana auctoritate, exempli tantum causa ad dehortandos cæteros à flagitijs, non etiam ad expiationem ueterum reliquiarum, aut etiam pœnarum institutū, hæc qua ratione illi dicant, non uidemus. nam scimus, sacerdotem habere mandatum, non tantum remittendi, sed & ligandi. & si uerū est, has satisfactiones humanitus tantū inuentas, quid est, quōd Cyprianus, antiquus ecclesiæ doctor, & martyr, dixit se in remittendis delictis plus quàm oportet, penè delinquere? nimirum significans, se leuiori satisfactione, quàm Euangelicum mandatum de remittendis peccatis permittere uideatur, contententes admittere solitum, idque suggerente præpta, ac plena dilectione. Quid? quōd Euangelium postulat, ut Euangelij præco pœnitentibus iniungat, ut faciant dignos fructus pœnitentiæ? Id uerò miramur, quomodo illis in mentem uenerit, ut dicerent, satisfactionibus ecclesiasticis obrui opera uerè bona, cum patres omnes satisfactiones, quas plurimis canonibus, ut uocant, pœnitentialibus sunt complexi, tribus operibus quàm maximè Euangelicis contineri dicant, nempe oratione, ieiunio, & elemosyna, & rectè quidem. cum enim omne quod in mundo est, sit, aut concupiscentia carnis, aut oculorum, aut superbia uitæ, quis non uideat, concupiscentiæ carnis nulla re melius, quàm ieiunio. concupiscentiæ oculorum,

XXX que

quæ auaritia est, quæ elemosyna. fastui uitæ, quæ humili, ac pia oratione nos mederi? adde, quod ois ferè peccator, & in Deum, & in proximum, & in seipsum peccat. oratione itaque, quod in Deum peccatum est, elemosyna, quod in proximum, ieiunio, quod in semet ipsum, quodam modo expiatur. Quod uerò aiunt, satisfactiones, quarum patres meminere, apud Deum nihil ualere, uel ad expiationem reliquiarum, uel poenarum, quæ pro delictis debeantur, sed tantum exempli causa imponi solitas; in hoc ex diametro, cum patribus pugnantia dicunt. Denique miramur, quod putant satisfactiones, quæ hodie priuatim, ac secrete imponuntur, nihil habere cum uetustis illis commune, perinde quasi ueteribus nulla secreta satisfactio cognita fuerit, cum uel solus Augustinus idoneus testis sit, in ecclesia ueteri non solum publicam, sed & secretam satisfactionem in usu fuisse, scribens in hæc uerba. Quem mortalia crimina post baptismum commissa premunt, hortor prius publica poenitentia satisfacere, & ita sacerdotis iudicio reconciliatum, communioni ociari, si uult non ad iudicium, & condemnationem sui eucharistiam percipere, sed & secreta (inquit) satisfactione solum mortalia crimina non negamus. uerum mutato prius seculari habitu, & confesso religionis studio per uitæ correctionem, & iugi, immo perpetuo luctu, miserante Deo, ita duntaxat, ut contraria, pro ijs, quæ poenitet, agat. Meminit quoque Leo priuata secessionis ad Rusticum Narbonensem episcopum. Non ignoramus tamen, apud ueteres satisfactionem publicam & frequentiore, & patribus gratiore fuisse, quam priuatam, quod interna satisfactio non facile innotesceret ecclesie præpositis, proinde eandem impositam etiam ijs, qui secretò essent maiora crimina confessi, quemadmodum Sozomenes in ecclesiastica testatur historia. At planè absurdum nobis apparet, ob id quod ecclesia indulgentius agens, seueritatem illam publicæ satisfactionis remiserit, iccirco etiam omnem satisfactionem iam prorsus planè abolitam esse oportere. nam, si sacerdos spiritualis medicus censendus est, si apta remedia pro modo, & conditione cuiusque morbi adhibere, si inter soluendos, & ligandos discernere debet, idque ex mandato Dei, planè desipit, qui putat, eum debere poenitenti, nulla prorsus imposita satisfactione, prepropere manum imponere. Potius docendum erat, quod huius tempestatis, quæ uæ omnium scelerum lues est corruptissima, ratio quam maxime postulabat, ut ad præscripta patrum, quoad fieri possit, regredi adniteremur, quam ut magis adhuc laxatis habenis ecclesiasticæ disciplinæ, ex poenitentia rem planè ridiculam faceremus. Certè iucundum est uidere, quam fuerint patres in remedijs istis adhibendis solliciti, prudentes, ac discreti. non uno collyrio omnium oculos sanabant, non eadem seueritate quælibet crimina expurganda putauerunt: non eadem temporaria poenitendi quibuslibet statuebant. non omnes, qui poenitentiam recipiebant

cupiebant, in unâ classem relegabant. non eadem indulgentia in tempore poenitentiae impositæ, moderando, erga quoslibet, citra omnem discrimen affectus poenitentium utebantur, sed grauiora crimina, acerbiori, duriori, ac diuturniori, leuiora uerò mitiori, ac breuiori poenitentia uindicabant. Qui lapsi fuissent, participes idolorum facti, inter audientes constituebantur. audientes erant, quibus tantum auditioni uerbi interesse licebat. interesse autem, & eam ob causam ecclesiam ingredi, atque ibi usque, ad missam catechumenorum permanere, quibuslibet, siue ethnicis, siue Iudæis, siue hæreticis permittebatur, sed catechumini, qui & auditores dicebantur, post cõcionem manebat, donec sacerdos ad consecrationem eucharistiæ pergeret. quare ea pars missæ, quæ canonem antecedit, missa catechumenorum dicebatur, quæ admodum indicat conciliū Carthaginense quartum. Quod si qui in sceleratissima crimina proruisissent, ueluti, qui cum pecoribus coitu miscerentur, ijs tanquam a Dæmonibus correpti, in classem energumenorum relegabantur. erant autem energumeni, qui prius quidem sacris participauerant, sed postea in grauisimas tentationes incidentes, a Dæmonibus uexabantur, dicti energumeni, Græca uoce, quod ageret in eis Dæmon, & terriculamentis spiritum immundorum, ueluti tempestate quadam iactarentur. Postea uerò quæ isti rei tempus constitutum, uel inter audientes, uel inter energumenos, secundum delicti rationem complessent, in ordinem poenitentium, qui sacris quidem intererant, sed arcebantur a cõmunionem, recipiebantur, oratione tantum cum ecclesia cõmunicaturi. deinde sacramentis reconciliabantur, & cõmunionem recipiebant, sed sine oblatione. postremo perfectionem poenitentiae accipiebant, & quasi in integrum per manus impositionem restituebantur, idque non aliter, quam uita, & conuersatione eorum toto illo tempore per præpositos ecclesie prius inspecta, pensata, ac considerata, quemadmodum ex antiquissimis concilijs, præsertim primo illo Nicæno, & Anciranò uidere est. Denique in actione poenitentiae, ubi tale crimen commissum erat, ut is, qui commississet, a Christi corpore separaretur, non tam episcopi considerabant mensuram temporis, quam doloris, abbreviâtes iterum statuta poenitentiae tempus, si modo ardore conuersionis in poenitente cõsiderauissent. Refrigescete quoque subinde charitate, cõstitutus est modus redimendi rigorem canonis poenitentialis, nepe ut ieiunium redimeretur elemosyna, aut oratione, quemadmodum libri uetustissimi canonum poenentialium declarant, quæ est radix indulgentiarum pontificaliũ, quæ nihil aliud sunt, quam canonicarum satisfactionum cõdonationes, aut redèptiones, illis temporibus magis cõgruentes, cum adhuc poenitentiae illæ canonicæ in ecclesia essent usitatiores, atque utinam eiusmodi indulgentijs non fuissent abusi, quæ eas dispensandas receperat. Iam eò uertum est, ut uix ullus sit cõfessarius sacerdos, quæ ueterum canonum ullam noticiam habeat,

multò minus, qui ad eorum normam satisfactionis modum imponat. nimirum hominum malitia ueterem seueritatem non ferente, sed magis in omnem licentiam ruente. Ut autem seueritatem illam non reuocemus in usum, quod nec nostrum est, nec, an expediat, satis compertum habemus, hoc tamen à sacerdotibus confessarijs requirimus, ut diligèter considerata morbi radice, idoneum adhibeant medicamentum, uel indictionis ieiunij, uel eleemosynæ, uel orationis, doceantque ex ijs, quæ apud Matthæum in sermone Domini in mōte habito, dicuntur, quo pacto sit ieiunandum, eleemosyna tam spiritualis, quàm corporea indigenti impertienda, ac danda, & quomodo orandum sit. quod si fecerint illi, & uicissim pœnitentes in simplicitate cordis uerbo sacerdotis, uice Christi fungentis obedierint, nihil dubium est, quin opus eorum futurum sit bis gratum Deo, tum quòd sit suapte natura pium, tum quòd habeat obedientiam, quæ omnium uirtutum mater, & fons est, sibi coniunctam. Vnde sequitur etiam, eos non satis sibi constare, qui putant, tota pœnitentia pœnas temporarias mitigari, his uerò satisfactionibus ecclesiasticis nequaquam. quasi hæ nullam sapiant pietatem, cum alioqui pietatis plenæ sint, si tamen per expertum magistrum adhibeantur. Nec minus displicent nobis, qui satisfactiones istas aliò trahunt, aut eis plus, quàm oportet, tribuunt, ueluti qui in satisfactiones istas etiam culpæ remissionem, aut mortis æternæ abolitionem transferunt, aut earum contemplatione cætera bona opera, quæ Deus præcepit, paruipendunt. singula enim singulis distictè tribuenda sunt, ac populus de fine utriusque satisfactionis, planè, ac diligenter docendus est, ac instruendus. Satisfactio propitiatoria culpæ, & abolutoria æternæ pœnæ, soli Christo tribuenda est, quam tamen non applicat nobis, nisi per contritionem, & fidem, & quæ ipse instituit sacramenta. satisfactio uerò canonica tantum medetur peccati reliquijs, & mitigat pœnam temporariam, idque non ex dignitate sua, sed ex beneficio Christi, qui opus suum à se præceptum, præsertim obedientiam, quam suo uicario in re sibi mandata præstamus coniunctam habes, in nobis agnoscat, atque acceptat, si tamen non pharisaico more, id est, tantum externè, sed in spiritu, & ueritate, atque internè secundum regulam Euangelicam peragatur. Dicimus itaque, his satisfactionibus mitigari, atque etiam purgari pœnas tēporarias, modo tamē ex fide proficiantur. Scimus interim, pœnarum reseruationem neminem ad integrum nosse, nisi cui pater omne iudicium tradidit, nempe Iesum Christum. quamobrem pœnarum discussio, & exactum iudicium Deo relinquendum est. nostrum autem est, citius peccatum emendare, & pœnitere, lugere præterita, futura cauere, & à præpositis sacramentorum, non secus, atque ab ipso Christo satisfactionis modum accipere, & cum bona fiducia

cia expiandæ nos pœnæ exoluere. Hæc de tribus pœnitentiæ partibus, quàm potuimus breuissimè diximus, ut facilius memoriæ commendentur. si enim omnia, quæ & ueteres, & recentiores scripserunt, persequi uoluissimus, conficienda erant magna uolumina. quòd si exigua hæc, quæ dicta sunt, memoria retinueritis, fiet, ut & hæreticorum errores declinetis, & quæ secundum catholicam ueritatem præstanda sint, intelligatis. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & potestas, & imperium, & nunc, & in omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO QVADRAGESIMA
TERTIA.



Et factum est deinceps, & ipse iter faciebat per singulas ciuitates, & castella, prædicans, & annuntiās regnum Dei. Venerat filius Dei, non ad faciendam tantummodo redemptionem generis nostri, sed etiam ad docendam uiam ueritatis, quod erat dare notitiam salutis in domo Dauid pueri sui. Doctrina enim Euangelica necessaria est, ut discamus, quæ à Deo donata sunt nobis, & nisi per eam instruamur, quo pacto dederit Deus filium suum redemptorem, ac Seruatorem mundi, non possumus huius redemptionis, ac salutis capaces fieri. & quoniā salus hæc proponitur oibus, neque personarum distinctio est apud Deum, æquè enim pauperes, & ignobiles, ut diuites, & nobiles ad regnum uocantur, iccirco non in urbibus tantum prædicabat, sed per oppida, & uicos iter faciebat, prædicans omnibus, & annuntians regnum Dei. Hoc exemplum apostoli imitati, orbem omnium terrarum peragrarunt, Euangelicam hanc ueritatem in lucem omnibus proferentes. idem ipsum apostolici uiri præstiterunt, è quibus episcopus uester, & martyr Felicianus, quo hæc ciuitas, tanquam egregio, ac pretioso ornamento honestatur, nō contentus uestrā urbem continuis prædicationibus instruere, uoluit etiam circumiacentes regiones perambulare, & eas Euangelico lumine illustrare. ego uerò, ac mei similes magnum quid effecisse nos existimamus, si in urbe curæ nostræ credita residentes, semel in hebdomada uerba ad populum faciamus. atque utinam uel hoc exiguum præstaremus omnes.

omnes. nunc uero cernas maximam episcoporum partem ne in dicecesi quae sua residere, nedum ut suo predicandi munere fungantur. difficile. n. quatuor in tota Italia nunc reperias, quae appellari pastores iure possint, & pascendi officium subire dignetur, & tamen uocari pastores uolunt. interea miror ego uehementer, quo pacto conscientiam istam suam forment. Paulus post peragrata totum penes orbem terrarum, & predicationibus repletum, post infinitos labores; uerbera, carceres, & quotidianas mortes, post uirgas, lapidationes, plagas, naufragia, pericula fluminum, latronum, in ciuitate, in deserto. post famem, sitim, frigora, & nuditatem, quae omnia, ut creditum sibi predicandi munus imple ret, patiebatur. post quotidianam omnium ecclesiarum curam, non audeat affirmare, se fecisse satis suo officio. sed, quauis sibi nullius rei esset conscius, iudicium Deo relinquit. neque me ipsum (inquiens) iudico. nullius. n. rei mihi conscius sum, sed non per hoc iustificatus sum. quae autem iudicat me Dominus est. nos uero, qui omnia ex diametro contraria factis Pauli agimus, non pertimescimus iudicium Dei, & declaramus rebus ipsis, nos, uel non arbitrari futurum Christi iudicium uel ita obstupuisse, ut, seruemur, nec ne, nihil referre putemus. obnixè orandus est Deus, ut meliorem nobis mentem inspiret, ne Christi greges tam miserè uagi ferantur, ac disperdantur. nullam. n. aliam ob causam tam alienus Christianus populus ab Euangelicis legibus uiuit, ut penes Christiane perfectionis regulam sublata in medio sit, quae ob desideria, negligentesque pastores, qui omnia uidentur scire propter id, quod scitum deberet esse precipuum, id est, pascendi Christi gregis officium. sed faciamus nos, quod nostrum est. precemur Dominum, ut meminerit, quod per Ezechielè prophetam est pollicitus, ubi, cum reprehendisset pastores, quod facti essent greges eius in rapinam, & oues eius in deuorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor, neque quaesierint pastores gregem eius, sed pascebant pastores semet ipsos, & greges eius non pascebant, adiecit. propterea pastores audite uerbum Domini. haec dicit Dominus Deus. ecce ego ipse super pastores, requiram gregem meum de manu eorum, & cessare eos faciam, ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semet ipsos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in escam. quia haec dicit Dominus Deus. ecce ego ipse requiram oues meas, & uisitabo eas, sicut uisitat pastor gregem suum in die, quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum, sic uisitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersae fuerant, in die nubis, & caliginis. & post alia quaedam. quod perierat (inquit) requiram, & quod abactum erat, reducā. & quod confractum fuerat, alligabo. & quod infirmum fuerat, consolidabo. & quod pingue, & forte, custodiā. & pascam illas in iudicio. Haec optanda quidem obnixè sunt, sed metuendum est uobis est, ne uestra plurimum culpa haec penuria accidat, cum ad eundem Ezechielè dictum sit. lingua tua adhaerere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi uir obiurgans. cur haec? quia domus (inquit) exasperata est. & per Amos prophetam Deus in populi ultionem dicit. emittam famem in terram, non famem panis, neque

situm aquae, sed audiendi uerbi Domini. cum. n. cernit Deus. Diuina haec eloquia, & quae angeli est, ac coelestes ille mentes delectatur contempleri (de ijs. n. dictum est, in quae desiderant angeli prospicere) passim negligi, & maximam Christianorum partem ea pro nihilo habere, ac penes pessundare, subtrahit plerumque illa, ne detur sanctum canibus, & proijciantur margaritae ante porcos. quare conemur grati esse, ut non solum non subducat haec copia, quae nobis tot annos sua benignitate largitus est, uerum augeat est. nam spirituum opum optare abundantiam sepe licet. Iesus ergo inter faciebat per singulas ciuitates, & castella, praedicans, & annuntians regnum Dei, & duodecim cum illo, simulque mulieres aliquas, quae erant sanatae a spiritibus malis, & infirmitatibus. Maria, quae uocatur Magdalene, de qua septem demonia exierant. & Ioana uxor Chuse procuratoris Herodis. & Susanna, & aliae multae, quae ministrabant eis de facultatibus suis. Habebat quidem Dominus Iesus multam discipulorum turbam, quemadmodum superius ex hoc Euangelista audiistis, quae enim est sequebatur. uerum, cum ex ea multitudine selegisset illos duodecim, qui post Domini ascensionem futuri fuissent huius Euangelicae praedicationis duces, aequum fuit, ut hi perpetui Domini comites essent, & testes (quemadmodum ipse eis dixit post resurrectionem) non modo Ierolymis, uerum etiam in uniuersa Iudaea, & Samaria, & usque ad extrema terrae. Sequebatur, & mulieres aliquas, quas a uarijs morbis curauerat Dominus, & gratiae tanto muneratori, curam eius, & discipulorum illius suscipiebant, ac de suis facultatibus eis ministrabant. pulchrum exemplum, & ab omnibus, praesertim a nobis mulieribus, imitandum. sed uideo uos ab eo quae maxime alienas. sed dicetis fortasse, nos non ea a Christo beneficia assecutae sumus, ut a spiritibus malis simus liberatae, a quibus nunquam fuimus obsessae. at quaecumque, ex uobis hoc dicunt, maxima, ac perniciosissima laborat ignorantia. unusquisque, n. est tot demonibus obditur, quot peccatis subiectus est, uos uero respondete hic mihi. non negabitis, uos a pluribus peccatis huiusmodi obsessas, a quibus si liberatae fuissetis, id eius misericordia fuit factum, & tamen nihil facitis, quod grati animi prebeat significationem. si adhuc detinemini, non minori studio accedere ad illum debetis, ut liberemini, quam si fuissetis liberatae. quare utrum respondeatis, fateamini necesse est, uos summa dignas esse reprehensione, quae uel curari negligatis, uel curatae tam sitis ingratae tantae curationi. sed uereor, ne adhuc a malorum demonum potestate detineamini, ac propterea nesciatis Domino ministrare. nam & eae, quas hic commemorat Euangelista, ministrabant ei, quae fuerant sanatae a spiritibus malis. uultis uero scire, uos ab eis adhuc detineri? cernite facta uestra, & hoc nullo negotio intelligetis. quoties faciem pigritis, ut hominibus placeatis, toties a spiritibus malis uexamini, quae uobis utitur tanquam laqueis ad capiendas eas animas, pro quibus Christus mortuus est. cum pecunias infumitis in uestes, & superuacua ornamenta corporis, quae pecuniae in pauperum necessitates essent impendenda, mali spiritus uexatio est, quae tanto est danosior, quam ubi demones hominum corpora

corpora uexant, quanto dignitas animi præstantior corpore est, & tamen nullum uideo studium à uobis adhiberi, ut ab hac obsessiōe liberemini, quod faceretis, si corpora uestra uexarentur. cernimus enim, ubi corpus alicuius à malo Dæmone occupatur, summo studio quæri liberationem. adhibentur remedia, quanta inueniri queunt, non parcitur sumptibus, peruestigantur undique, qui opitulari possint. uos uerò, ut à pessima hac, & maximè horrenda obsessiōe liberemini, nihil laboratis, nihil impenditis pecuniarum, non aditis spirituales medicos, quorum cōsilijs, & ope curemini. Ponite interdum ante oculos Euangelicas istas mulieres, & earum studium æmulamini, ac facultates uestras, atque pecunias, quas hætenus in uestram perniciem disperdidistis, in eius obsequium incipite impendere. tunc enim demum, aut potius tunc solum uos è Dæmonum potestate ereptas intelligetis, cum hæc præstare ceperitis. donec uerò ea præstetis, pro certò habete, uos à septem Dæmonijs possideri, quorum hic in Euangelio fit mentio. qua appellatione in scripturis sacris numerositas intelligitur. ut illud. donec sterilis peperit septem, id est, plurimos. sic, reliqui mihi septem millia uirorum. &, septies cadet iustus, & resurget. Iter agebat ergo Iesus per singulas ciuitates, & castella, prædicans, & annuntians regnum Dei, id est, regnum cælorum, quod sola Euangelica prædicatio introduxit. hoc nullus prophetarum prædicauit. nam quod non uiderant, quomodo prædicassent? propterea & præcursor dicebat. qui de terra est, de terra est, & de terra loquitur, qui è supernis est, quod uidit, testatur. illum ergo decuit superna prædicare, qui è supernis descendit. nemo enim ascendit in cælum, ut scilicet cælestia patefaceret, nisi qui de cælo descendit, filius hominis, qui est in cælo. Cum autem turba plurima conueniret, atque è singulis ciuitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem. exijt, qui seminabat, ad seminandum semen suum, & inter seminandum, aliud cecidit circa uiam, & conculcatum est, & uolucres cæli comederunt illud. & aliud cecidit super petram, & natum aruit, quia non habebat humorem. & aliud cecidit inter spinas, & simul natæ spinæ suffocauerunt illud. & aliud cecidit in terram bonam, & natum fecit fructum centuplum. Sicut ubi desunt, qui audire uelint, non sunt profundenda uerba, quemadmodum quidam sapiens ait, ubi auditus non est, ne effundas sermonem; sic quò plures sunt auditores, eò libentius, & alacrius prædicatio uerbi Dei exercenda est. cum ergo uidisset Dominus properantem è singulis ciuitatibus turbam, ut eum audirent, mox cælesti doctrina pascere illos aggressus est, & proposuit de more parabolam. nam & prophete prædixerant, illum hoc docendi more usurum, teste euangelista Matthæo, qui, cum plures Domini parabolas recitauisset, adiecit. hæc omnia locutus est Iesus in parabolis

lis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis, ut impleretur, quod dictum est per prophetam dicentem. aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi. Hic autem loquendi per parabolas mos apprime utilis est ad excitandam audientium attentionem. cum enim anima constemus, & corpore, quoties sermo noster habet utriusque similitudinem, est naturæ hominum accommodatior. ipsa enim parabola corporis uicem gerit, interior sensus loco animæ est. ubi ergo auditor exteriore specie fuerit delectatus, & ea, tanquam corporis forma illectus, studiosius expectat intueri, quod intus latet. ob aliam etiã causam hoc faciebat Dominus, quam mox estis audituri. Est autem hic seminator filius Dei, qui exijt à patre, & uenit in mundum, ut cæleste semen in hominibus seminaret. hoc autem semen proprium illius est, ut rectè dixerit, exijt, qui mentem faciebat, ad seminandum semen suum. nam quod prophete seminabant, ab ipso acceperant. iccirco diebant. hæc dicit Dominus. ipse autem Christus dicebat. ego dico uobis. Seminante autem illo, diuersis in locis cecidit semen. sed dicet aliquis. cur hic seminator nõ adhibuit curam, ut in solam terram bonam caderet semē, ne aliò proiectum periret? cui respondebimus. aliam esse rationem spiritualis iacti seminis, aliam corporis. nam hæc similitudines non omni ex parte cum re conueniunt, ob quam sunt inuentæ, quod & in figuris usu uenit. nam Dauid, & Salomon, & Samson figura fuerunt Christi, sed non omni ex parte, uerum quatenus duntaxat ad ea pertinebāt, quæ in Christo fuerant implenda. corporeum ergo semen cū agricola semināt, non est eius uoluntas, ut cadat, ubi amittatur, & pereat, sed præter illius intentionem id accidit, cum sciat, neque uiam, neque petrosam terram, aut spinis obsitam, aptam esse fructificationi. at corda hominum apta omnia sunt ferendo fructui, si ea tollere uelint, quæ impedimento esse solent, quò minus feratur fructus. quod uasorū exemplo discimus à Paulo, cum ad Timotheum scribēs ait. in magna domo nõ tantum sunt uasa aurea, & argentea, uerum etiam lignea, & testacea. & alia quidem in honorem. alia uerò in contumeliã. si quis igitur emundauerit seipsum ab ijs, erit uas in honorem, sanctificatum, accommodum usibus Domini, ad omne opus bonum præparatum. Nam in uasis quidem materialibus fieri non potest, ut uas testaceum fiat argenteum, aut aureum, aut quod promatula factum est, euadat uas idoneum mensæ. in uasis uerò spiritualibus, id est, humanis animis, id usui elicit, quod hic ait Paulus. si quis emundauerit seipsum, erit uas in honorem, sanctificatum, accommodum usibus Domini, ad omne opus bonum præparatum, id quod quotidie fieri cernimus, ut qui dudum uelut fordida quædam uasa erant, conuersi demum euadant uasa honestissima. intueamur Paulum, qui spirans minas, &

eadem in discipulos Domini, querebat per ciuitates huius uia uiros, ac mulieres, ut perderet eos. uerum, quia reprehensionem Domini audiens, territus fuit, & uoci eius obtemperauit, factus est uas electum, ut portaret nomen Iesu coram regibus, & gentibus, & filiis Israel. Hic ergo seminator dum iacit semen, non errat, etsi semen cadat in corda, quae non fructificent. nam hoc non seminantis, sed ipsorum. culpa fit. etenim quod ad ipsum pertinet, uult omnes fructificare. qui uult (inquit) omnes saluos fieri, & ad uiam ueritatis uenire, & ob hanc causam cum manus praediciendi Euangelij apostolis credidit, dixit. euntes in mundum uniuersum, praedicate Euangelium omni creaturae. qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui uero non crediderit, condemnabitur. at condemnatur nemo, nisi propria culpa. fuit ergo culpa non credentium, quod iacto in eorum corda semine, credere, & fructificare uoluerint. seminatis uero benignitati ascribendum est, quod semen salutis obtulerit omnibus. Cum autem proposuisset Dominus parabolam, cupiens, qua erat benignitate, ut auditores reportarent ex ea praedicatione utilitatem, inuitat ad obseruationem, atque attentionem, unde subdit Euangelista. Hac dicens clamabat, qui habet aures ad audiendum, audiat. uide Domini humanitatem. non satis ei fuit admonuisse, ut attenderent, sed adiecit clamorem, ex quo magis inuitarentur ad quaerendam dictorum intelligentiam. neque uero simpliciter dixit, qui habet aures, nam omnes, qui eius praedicationem audiabant, habebant quidem aures, sed adiecit. ad audiendum. quod nihil fuit aliud, quam admonere, ut interiori auditum admouerent. is enim est, qui percipit, quae dicuntur, cum audita usque ad intima cordis penetrantia transmittit. qui uero audiunt quidem, sed non student ea retinere, quae audiunt, & meditari, ac ruminare, & tanquam in animi succu, & sanguinem conuerrere, habent quidem aures, sed eas duntaxat corporis, quae eadem facilitate sinunt dicta euanescere, qua illa hauserunt. Atque hoc est, quod non omnes, qui huc aequae ad audienda Dei uerba conueniunt, non aequae tamen fructum referunt propterea, quod non id praestant, quod uos non semel admonui, ut scilicet, ubi peracta concio est, cum domum uos recipitis, reuocetis ad memoriam, quae dicta sunt, de illis identidem cogitetis, inter uos colloquamini, ut quae sola digna sint, in quibus omnis Christiani hominis intelligentia occupetur. Interrogabant autem eum discipuli eius, quanam esset ista parabola. Praecipuum indicium est, quempiam esse Christi discipulum, si sedulus operam det inquirenda Euangelicae ueritati. contra uero, signum alienae a Deo mentis, non curare Diuina eloquia. quod Seruator ipse affirmauit, cum reprehendens Iudaeos dixit. qui ex Deo est, uerba Dei audit. propterea uos non auditis, quia ex Deo non estis.

At

At ille dixit. uobis datum est nosse mysteria regni Dei, ceteris autem in parabolis, ut uidentes non uideant, & audientes non intelligant. Quod ait, uobis, non de solis discipulis accipiendum est, sed de omnibus etiam, quicumque eum studio discendi audiebant. sed, quia scribae, & pharisei accedebant, non ut discerent, sed ut inuenirent aliquid, quo eum reprehenderent, & accusarent, illis proponebant parabolam, quia indigni erant, quibus res aperte proponerentur, ne daretur sanctum canibus. quod autem ita se res habeat, facile colligitur ex Euangelio secundum Mattheum, ubi haec eadem parabola narratur. cum enim interrogassent discipuli, cur in parabolis loqueretur eis, illeque respondisset, quia uobis datum est nosse mysteria regni caelorum, illis autem non est datum, adiecit. qui enim habet, dabitur ei, & abundabit, qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo. nam qui habet alacritatem, ac studium adhibet, ut discat, additur ei maior, et apertior rerum intelligentia. qui uero hoc destitutus est, etiam in eo damnum facit, quod habere uidetur. id quod Iudaeis Christi hostibus usu uenit, qui odio, & inuidia in illum obcaeci, omnem rectam sacrarum scripturarum intelligentiam amiserunt. Quod uero ait, ut uidentes non uideant, obseruandus est Hebraei sermonis mos, quod uos saepe abinonui, ubi dictio illa, ut, non semper causam significat, sed plerumque consecutionem. non enim Christus, qui omnium salutem optabat, loquebatur per parabolas, ut illi non intelligerent, nec seruarietur, sed eorum uitio factum est, & illud consuetum, ut audientes non intelligerent, quod aperte eodem Matthaei loco ostenditur, ubi mutata Hebraea locutione ait. Ideo in parabolis loquor eis, quia uidentes non uident, & audientes non audiunt, neque intelligunt. & adimpletur in eis propheta Esaiae dicens. auditu audietis, & non intelligetis. & uidentes uidebitis, & non cernetis. in crassatum est enim cor populi huius, & auribus grauitate audierunt, & oculos suos clauferunt, nequando uideant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos. At hic locus in Esaia horridior uidetur ob Hebraicum, quem molliit Matthaeus. sic enim in Esaia legitur. Vade, & dices populo huic. audite audientes, & nolite intelligere. & uideate uisionem, & nolite cognoscere. excaca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte uideat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum. quae uerba si eo modo essent intelligenda, ut sonare uidentur, non mutasset Matthaeus loquendi proprietatem, neque enim licuisset. nunc uero ita loquens, ut audistis uidetur fuisse interpretatus & declarasse, quem in modum esset locus intelligendus. idem faciendum est in ceteris eiusdem

YYY 2 generis

generis locis, ut ubi ait Paulus, tradidit illos Deus in passiones ignominiae. & rursus, tradidit illo Deus in reprobam mentem, id est, permisit eos tradi, qui noluerunt agnoscere Deum. Hæc autem admonendi fuistis, tum quia semper germanus sacrarum scripturarum sensus quærendus est, tum ob eos, qui locis huiusmodi abutuntur ad astruendam suam de prædestinatione impiam opinionem. uoluntque Deum unam duntaxat humani generis partem elegisse seruandam, reliquos omnes abieciisse, quem errorem quia superioribus annis longiori disputatione confutauimus, & nullus uestrum, quantum scio, iam hoc morbo laborat, satis nunc fit, paucis hisce uerbis admonuisse. In parabolis ergo loquebatur Iesus, ne indignis proponerentur Diuina mysteria, & tamen digni haberent, quibus ædificarentur. ob hanc eandem causam & uetus lex per Moysen data, figurarum uelaminibus obtendebatur, ut dicere ausus fuerit Paulus, omnia illis sub figura contigisse. sic prophetarum dicta tantis obscuritatibus oblecta sunt, ne profani, necdum initiati, ea, quæ non intelligerent, irrideret, quod fuisset proijcere margaritas ante porcos quod ne fieret, admonuit apostolos Dominus. Est autem hæc parabola, id est, huius parabolæ interpretatio. semen est uerbum Dei, nam quemadmodum in terra seminatur corporeum semen, ut multiplicetur, & crescat, sic in hominum animos spirituale semen immittitur, ut fructum uberiorem ferant, quod si non fecerint, accidet illis, quod Paulus ad Hebræos scribens, per similitudinem de terra ait. Siquidem terra, quæ imbrem sæpius in se uenientem biberit, & protulerit herbam accommodam eis, quorum opera & colitur, recipit benedictionem à Deo. at quæ produxerit spinas, & tribulos, reprobata est, & maledictioni proxima, cuius exitus in combustionem est. at uerò animus, qui oblato Diuino semine, recusat præstare id, cuius causa iactum est in eum semen illud, maiori castigatione dignus est, quia data opera, & libero uoluntatis proposito id facit. Qui autem iuxta uiam, ij sunt, qui audiunt, deinde uenit Diabolus, & tollit uerbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. addit Mattheus. cum quis audit uerbum regni, & non intelligit, id est, non dat operam, ut intelligat. Fortasse ij sunt, qui hominum gloriam expetunt, sicut Dominus ait. quomodo potestis credere, cum gloriam alter ab altero accipiatis? nam reddere quidem honorem iubemur, cum Paulus dicat, cui honorem, honorem, quærere autem prohibemur. cum ergo dicat Dominus, eos non posse credere propterea, quod honorem mutuo acciperent, quærere ab hominibus gloriam, significatio est infidelitatis, & alieni à pietate animi, & cultu Dei, dicente apostolo. si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. quod si datam ab hominibus gloriam accipientes, ita condemnati sunt; ij, qui non datam quærunt, ineffabile profecto ferent iudicium.

cium. Quod autem hæc humanæ gloriæ appetitio impedimento sit, quod minus plenam quis fidem assequatur, ostendit Ioannes Euangelista, qui loquens de ijs principibus, qui non confitebantur palam Christum propter pharisæos, ne è synagoga eijcerentur, reddit causam, cur hoc facerent, & ait. dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei. neque uerò aliud uitium est potèntius, atque efficacius ad fidem in Deum extinguendam, atque impetrandum, ut quis à Deo recedat, quam hæc ambitio, & honorum appetitio, atque contentio, qui affectus in primis ad maxima quæque facinora aggredienda, à condito orbe, atque adeo ante fortasse orbem conditum impellere consueuit, cum enim antiquus ille nostri generis hostis hac gloriæ cupiditate se prius sine ulla instaurandæ ruine sue spe, miser perdidisset, hoc tanquam panchrestomachinamento usus, hominum genus, & in ipsis progenitoribus, & sæpius in eorum posteris perdere est conatus. Videte enim, quantam hoc uitium habeat efficaciam purgatissimæ illæ, atque acutissime angelicæ mentes, quibus nulla caligo, quæ frequentissimè mortales hebetat uisus, obducta est intuentibus, ut tam facile, quemadmodum nos, ignoratione falli possint, ubi hæc gloriæ cupiditas earum cogitationes inuasit, tam portentosa insania fuerunt occupatæ, ut ad summum rerum omnium auctoris æqualitatem accedere se posse sibi persuaderent, quare merita sane ausus tam temerarios secuta est uitio, ut quæstus cælum, ac Dei sedem gigantum more ascendere sint conati, in profundissimas abyssos demersi fuerint. Hoc instructi ipsi experimento, & agnita in sese huiusce pestis uis, nullum esse præsentius malum ad perdendum hominem intellexerunt, quare infelicis sceminæ cogitationi inseruerunt, fore, ut, si ligni illius à Deo interdicti fructu uescerentur, essent ueluti Dij, & hac huius appetitæ gloriæ tanquam esca, summam generi nostro perniciem, in ipso eiusdem generis exordio attulerunt. Hæc in prima hominum origine iacta fundamenta, mox in Adæ liberis iam tum crescere cœperunt. neque enim aliam ob causam in eadem fratris Chaimus incitatus est, quâ quod illum sibi à Deo anteferri intelligeret. deinde in tam ingens ædificium prouecta sunt, ut, si omnia, quæcunque superioribus omnibus seculis acciderunt, recensere libeat, maxima quæque mala, ac damna ab hoc uitio profecta inueniantur. hinc enim intemperans dominandi libido perpeuis calamitatibus populos, gentesque diuexauit. hinc innumera cædes, & quæque miserandæ, ut sæpe numero filij in parentum vitam grassati sint, & à quibus in hanc lucem fuissent æditi, eos luce priuarint. fratres mutuis se gladijs trucidauerint, non sanguini, non ætati ignotum sit. & à quibus feræ etiam ipsæ, natura extimulante abstinere consueuerunt, ab ijs homo animal ratione præditum, gloriæ facibus incitatus, non abhorret.

hinc

hinc in angustum coacti Christiani imperij fines, dum principes ipsi suam quisque gloriam, ut sibi persuadent, vel conseruare, vel augere contendit. interea illa ex gentibus primitiæ, fideique nostræ cunabula in ineriorum manus venerunt, & homines, pro quibus Christus mortuus est, tam innumeros, nostri principes, qui à Christo cognomen acceperunt, usurpare audent, hostibus esse ludibrio, præde, dilacerationi patiuntur, atque adeo committunt rem profecto, non fontibus, quos propheta postulat, defendam, sed torrentibus lacrymarum. Hinc immanes opes, infatigabilisque habendi cupiditas hinc monstrosa penes, dum splendore studemus, ædium structura, & in victu, cultuque luxuries. cum interim infinita inopum multitudo, esuriens, sine operimento, sine lare, ac foco, frigore, fameque conficitur. homines eandem sortiti naturam, quibus eundem solem illucescere, quos eadem spirabili aura, eisdem ex æquo elementis frui Deus opt. max. voluit, tanquam alterius generis animalia contemnuntur, illi ipsi, quos Dei filius Iesus Christus, Dominus, ac Deus noster, eo honore dignatus est, ut fratres suos appellauerit. O ueracordiam, O cimmerias tenebras. ij Christi fratres à conseruis suis, metu, ne quid humanæ gloriæ deperdatur, tanquam ignoti, atque adeo ueluti res nihili negliguntur. Qui si cogitarent, eosdem ipsos, quos idem omnium Dominus Christus hic fratres agnouit, in maximo illo omnium hominum, qui à mundi origine, ad illud usque tempus extitere, celeberrimoque conuentu, cum ipso Christo in gloria affuturos, profecto non hos, ut conseruos tantum vererentur, verum ut conciliatores colerent, per quos in beatæ illius uitæ, ac veræ gloriæ commercium introducerentur. Sed, ne à proposito deflectamus, non fuit satis huic vitio; corporea hæc, atque externa permiscere, atque confundere, nosque in illis diuexare, nisi id, quod in homine præcipuum est, suo fermeto corrumperet, ac labefactaret. nam quid est ingenij exercitatione præstantius? qua una in primis re Diuinum quid esse hominem intelligimus, cum eum tot artes, tot disciplinas cernimus excogitauisse. at, cum disciplinis omnibus scopus vnus, ipsa nimirum veritas proposita sit, qua sublata, homines, innumeros se in laqueos induere necesse est, ubi gloriæ studium animos obsederit, exigua mox, atque adeo nulla potius interdum ueritatis habetur ratio, cuius inueniendæ causa duntaxat in humanæ uitæ usum inuectæ sunt disciplinæ. Hinc tam multæ philosophorum sectæ, exque ita dissectæ inter se, dum efficere conatur unusquisque, ut ea, cui ipse addictus sit, cæteris antecellat. ut, si quis ante agnitos hosce philosophos lucis aliquid in se habuisset, illud etiam ipsum, lectis eorum disceptationibus, pugnarumque labyrinthis, cogatur amittere. tantum abest, ut quicquam inde ad ueritatem assequendam

quendam commodi adipiscatur. Atque utinam externæ tantum philosophiæ regionem hæc fera deuastauisset, nam ea res Christiano orbi utilitati, uel exiguo certè detrimento, ut qua non admodum egeamus, esse potuisset. sed cum in uineam Domini iam dudum inuaserit, decorem abstulerit, fructus perdiderit, ut pro dulcibus uinis labruscas iam, aut, rectius ut dicam, spinas proferat, quid posthac in re Christiana, cui propositum est, una ueritate ipso Deo niti, est expectandum? Quid scelerum non hinc longè amplius, quam à cæteris simul uitijis prodire est existimandum? quando, præterquam quod tam late patet, ac ingens uitiorum satellitium secum rapit, ut sunt contentiones, iræ, rixæ, dissensiones, hæreses, inuidiæ, ueneficia, rapinæ, homicidia, atque id genus multa, etiam uirtutibus abuti, atque illis ipsis crescere consuevit? quid non audaciæ hinc expectetur, quando (quod in rectis tantum factis uix licet) plerisque gloriari in malefactis, & in rebus pessimis exultare, & à scripturis didicimus, & nos etiam non raro experimur? Quid denique non sibi polliceri hæc pestis audeat, cum proposita Seruatori Christo Deo, ab ipso mundi principe, regnorum omnium gloria, non desperarit scelestissimus, fore ut oblata hac tanquam ossa, ei ad pedes adorandus accideret? Hi ergo sunt semen illud, quod iuxta uiam cecidit, qui audiunt, deinde uenit Diabolus, & tollit uerbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. inuolat Diabolus in eiusmodi hominum corda, & prius, quam germen ullum proferat, tollit hoc semen ab eis, nam qui ambitioni, & gloriæ appetitioni studet, si forte quid de Deo, deque ijs, quæ ad salutem æternam pertinent, audiat, nullum figit gradum in eo Diuinum semen, sed confestim à Diabolicis cogitationibus, quibus plenus est, auferitur, quod usu ipso experimur quotidie, cum uideamus eiusmodi homines omnium ineptissimos, retinendis Diuinis admonitionibus. est enim eorum cor, ueluti terra non subacta, neque mollita, ut solent esse loca circa uias, ubi ante, quam iactum semen foueri à terra possit, tollitur à uolucris. sic ab istis uerbum à Demonibus, ut non credant, neque feruentur. Nam qui super petram, hi sunt, qui, cum audierint, cum gaudio suscipiunt uerbum. & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. sic & Matthæus, qui autem super petrosam (inquit) seminatus est, hic est, qui uerbum audit, & continuo cum gaudio accipit illud, non autem habet in se radicem, sed est temporarius. facta autem tribulatione, & persecutione propter uerbum, continuo scandalizantur. Hi uocari possunt pusillanimes, pusillæque fidei, qui rectè comparantur petroso loco, qui non habebat multam terram, ubi semina quidè exorta confestim sunt, cum non haberent

habent altitudinem terræ, verum solè exorto exusta sunt, & quia non habent radicem, exaruerunt. videte verò quàm pulchrè illis hæc conueniat similitudo. semina, quæ in petrosa loca decidunt, propterea citius oriuntur, quòd non habent altitudinem terræ, in qua semen latens, tardius quidem pròdit, sed maiori cum fructu, quia radices altius figit, quæ alimentum abundè à terra haurientes transmittunt illud in calamus & spicam, & fructus inde copiosus sequitur. quæ res defuit, vbi petrosa terra est, in qua etsi vis solis granum citò germinat, deficiente tamen humore exurit, & arescit. idem ipsum vsu venit & ijs, qui pusillo animo & fide sunt. cernas enim multos verbum Dei alacri, ac prompto animo intra cordis penetralia admittere, & polliceri se ad omnia, quæ ab Euangelio præcipiuntur, præstanda paratos fore, verum vbi perturbatio aliqua, ac persecutio oritur, mox dant manus. hoc in gradu videntur fuisse apostoli, cum orta in mari tempestate, discipuli turbati excitauerunt Dominum, dicentes, Domine serua nos, perimus. quocirca rectè obiecit illis fidei pusillitatem, & dixit. quid timidi estis pusilla fide? & Petrus hæc inbecillitate laborauisse credendus est, cum ambulans super aquas, vidit ventum validum, & territus fuit. tunc enim & illi obiecit Dominus hanc fiduciam exiguitatem. & cum, licet pollicitus fuisset, se cum Christo & in carcerem, & in mortem iturum, ad ancillæ tamen vocem abiicit clypeum, & animi pusillitate cesit. Hæc nunc pusillanimitas in magna Christianorum parte viget, eorum etiam, qui se in Christiana philosophia aliquid profecisse sibi persuadent, & ei non parum esse affecti. nam factis ipsis declarant, se terræ petrosæ esse perfimiles, in qua in ipso germine feminis, totum exurit, & arescit. quanta verò fidei pusillitas in eis sit, ex eo liquet, quòd tametsi nullæ ingruunt nunc ab hostibus fidei persecutiones, non intentantur cruciatus, & mortes, minima tamen quavis in re pusillo sunt animo, neque audent egregium quicquam aggredi, quod veræ fidei constantiam arguat. Cernit quispiam proximum suum aliqua agere, quibus leges Euangelicæ manifestè contradicunt. non audet illum arguere, & illi obflistere, quamuis hæc ad eius spectet officium. nõ quòd vereatur, ne is, qui reprehenditur, et noceat, sed refugit illi displicere, ne que timet interea, ne tacendo Deum offendant, eiq; displiceat. quid hic faceret, si eo fuisset tempore, quo Christiani excarnificabantur, quo plura cruciatuum genera excogitabatur, quàm sunt humani corporis membra? Alius vltra victum, cultumque necessarium multa habet, quæ essent indigentibus impertienda, aurum, argentum, quæ ociosa in arca iacent, vestes, quas consumunt tineæ, triticum in horreo putrescit, vinum in cadis, nec tamen audet ea contingere, & committit, vt erugo potius, ac tinea, & reliquæ pestes omnia consumant, quam ita distribuat, vt Euange-

licæ

licæ præcipiunt regulæ. ij profectò non solum pusilla, sed nullius penè fidei sunt, qui factis ipsis declarant, se minimè credere Diuinis pollicitationibus, quibus promittit Deus non solum vitam æternam ijs, qui sua pro Christo relinquunt, aut tribuunt, verum etiam centies multiplicatam in hac ipsa vita mercedem, quibus item pollicetur, se effecturum, vt nihil desit, & se omnia necessaria subministraturum. tantum querant regnum Dei, & iustitiam eius. quid, si eo tempore fuissent, quo fideles omnium suorum bonorum direptionem æquo, atque adeo alacri, & læto animo ferebant, quid fecissent, si nunc in summa rerum tranquillitate, maximo cum suo commodo, non necessaria, sed superuacua largiri recusant? in ijs ergo iactum Euangelicū semen in ipso germine arescit, cum ob fidei inopiam, quoties generosum quid sese offert pro Christo faciendum, in ipso operis primordio deficiunt. at vera, & solida fides omnia vincit, omnes superat difficultates. hæc est (inquit) victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. quis est autem, qui vincit mundum, nisi qui credit, quòd Iesus est filius Dei? quid volunt hæc verba? nepe quòd, quicumque hanc fidem habet, nihil non pro Deo, & Christo eius audet aggredi. qui enim credit, Iesum esse illum Dei filium, quem pro generis nostri salute dedit pater, continuo verborum apostoli recordatur, cum ait. si Deus pro nobis, qui contra nos? qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non omnia simul cum illo nobis est donaturus? quid ei deesse potest, cui omnia promittuntur donanda? quare isti damna omnia, rerum omnium, & vitæ etiam ipsius iacturam pro nihilo putant, certò scientes, se meliorem habituros retributionem. scimus (inquit) quòd si terrestris domus nostra huius tabernaculi destructa fuerit, ædificatione ex Deo habemus, domicilium non manu factum, æternum in cælis. quis non libens mutet corruptibilibus incorrupta, & mortalibus æterna? hæc autem omnia non præstantur propterea, quòd pusillam habemus fidem, ob cuius exiguitatem nihil effcimus nostra professione dignum, quamuis alioqui libeat nobis cognomen à Christo acceptum retinere. Quod autem in spinas cecidit, ij sunt, qui audierunt, & à sollicitudinibus, & diuitijs, ac voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum. hoc tertium genus est eorum, in quibus semen uerbi Dei iactum, fructum non facit. & rectè comparantur terræ, quæ spinis scatet. sicut enim spinæ innascentes suffocant iacta semina, sic terrenarum rerum sollicitudines, & diuitiarum studium, & cæterarum rerum cupiditates obruant, siquid bonarum cogitationum interdum in animum immittitur, ut fructum ferre non possit. sollicitudines autem hic ex intelliguntur, non quas Paulus habebat, cum diceret. sollicitudo omnium ecclesiarum, sed quæ huius duntaxat

ZZZ

vita

uitæ causa suscipiuntur . quod apertius Matthæus , & Marcus uocant , sollicitudines huius seculi , quæ uulgo seculares appellantur , quo nomine intelligitur omnis sollicitudo , quæ , si etiam nihil in se habere uideatur eorum , quæ interdicta sunt , tamen non proficit ad pietatem , ac Dei cultum . nam hæc est sanctorum patrum definitio . quæ definitio si uera est , ut profecto est , quid miramur , si tam pauci sunt , qui fructum Euangelicū ferant , cum uestre omnes cogitationes , ac sollicitudines seculares sint , neque aliud curent , quàm ea , quæ ad hoc uitæ somnium pertinent ? ecquis enim est , qui centesimam sollicitudinum suarum partem ponat in eo , ut perueniat , quos in Christiana philosophia progressus fecerit ? quantum sibi in hoc studio desit ? quàm inerte res tanti momenti hæcenus tractauerit ? num in tuto suæ salutis negocia collocauerit ? si nunc migrandum hinc est , se t , quod omnibus accidere horis , ac momentis potest , quàm sit ad rationem uillicationis suæ reddendam paratus ? quam accuratè tabulas accepti , & expensi composuerit ? quàm sit autem absurda res has suscipere cogitationes , in quibus quotidie anxie uersamini , uel ex hoc uero facite coniecturam . admonet Christus , ut ne de ijs rebus quidem , sine quibus uiuere nõ possimus , cibo scilicet , potu , & uestimentis solliciti simus , & nos confirmat euidentissimis rationibus , cum proponit exemplum uolatilium , quæ cœlestis pater pascit sine ulla eorum cura , cum neque seminet , neque metant , neque congregent in horrea . proponit lilia , quæ cum nihil sint aliud , quàm fœnum , quod hodie est , & cras in clibanum mittitur , Deus tamen tam pulchrè uestit , ut ne Salomon quidem in omni gloria sua uestitus fuerit , sicut unum ex illis . quare debere nos sine sollicitudine esse , cum longè maiore simus illi curæ , quàm uola tilia , & flores , & tamen non ob necessaria solum ad uictum , & cultum , uerum etiam ob quæuis superuacua pleni sollicitudinum sumus , & cum ne horam quidè unam , qua hic uiuendum sit , certam habeamus , perinde tamen curis excruciamur hisce temporarijs , quasi longissimas ætates , aut semper potius nos uicturos esse certò sciamus . dum uerò his terrenis affectibus , & studijs occupatus est animus , nullum potest uerbi Dei semen in eo fructū ferre . *Addit & diuitias* , id est earum studium , esse , quæ suffocent Diuinum hoc semen , quæ in Matthæo , & Marco fallaces Diuitiæ appellantur . uerè fallaces , quæ ditare , ac felicem facere hominem pollicentur , sed inopem potius , atque infelicem faciunt . num tu diuitem eum unquam appellabis , cui semper plura in dies defunt ? nam rectè quidam dixit , inopiæ deesse pauca , luxuriæ multa , sed auaritiæ omnia , quandoquidem auaro tam deest , quod habet , quàm quod nõ habet . quodnam obsecro egetatis genus est infelicis , quàm ut cuiquam etiam quæ habet , desint ? iure ergo fallaces diuitias ueritas appellauit , cum contraria præsent , quàm polliceantur .

polliceantur . sic felicitatem promittunt , cum infelicissimos reddant homines . quid enim pecunioso , & auaro homine est infelicis ? pecunia ei ita dominatur , ut durior omnibus mancipijs seruitutem seruiat . nam mancipia etiam uilissima , post præstita obsequia , permittuntur cibum capere , & frui somno , eoque iucundissimo . at auarus non sinitur à crudelissimo suo Domino uel ipsa plerunque ad uitam necessaria capere . non delectant cibi , anxio & perturbato animo accepti . somni turbulenti & penè infomes . metuit fures , suspectos habet non solum seruos , sed uxorem quoque , & filios ipsos , sentit se ab omnibus odio haberi , à populo sibilari , omnes illum toruè intueri , tanquam communem humani generis hostem , quibus rebus cogi deberet mortem sibi consciscere , nisi unum , & exiguum sanè , si quis ratione uti uelit , solatium haberet , numeros scilicet in arca contemplari , à quibus non intelligit miser se magis pungi , & cruentari , quàm si nudus in medijs spinis uolaretur . Audiant hic , qui se Christianos profitentur , & nihil minus norunt , quàm Christū , diuitias hic ab ipsa ueritate spinas appellari , qui si uerè in Christum crederent , non minus eas auerfarentur , quàm nos contingere spinas timeamus . & quoties obuios habent pauperes , qui elemosynam petant , læti illis pecunias impertirentur , & leuari se spinis arbitrarentur , neque minus se illis debere in illo facto existimarent , quàm si quis in medijs spinis positum eriperet . quod si eum , qui te è spinis , quæ totum corpus suis punctiõibus cruentarent , liberaret , aut etiam mira quadam , ac Diuina arte efficeret , ut spinæ omnes illæ in suauissimos flores conuerterentur , qui & fouerent uulnera , & præterea suo odore mirificè recrearent , admirare re , ac plurimum te illi debere confitereris . cur non idem agnoscis in hoc negocio ? nam diuitiæ , dum eas detines , spinæ sunt , quæ animum tuum pungunt , & lacerant , at ubi eas in manibus pauperum collocas , continuo rose euadunt , ac flores . qui & inflicta à spinis uulnera sanabunt , & te ingenti fragrantia recreabunt . quin & ille odor usque ad cœlum perueniet , ac Deum ipsum delectabit , qui odorem bonæ illius fragrantie odorabitur . O uerè cæcas diuitias , ut rectè poetæ Plutum illum , quem diuitiarum Deum esse fabulantur , cœcum finxerint . quæ enim monstrosior excogitari cecitas queat , quàm , cum possit homo diuitijs frui in hac etiã uita feliciter , iucundè , suaq ; summa cum utilitate , & per eas æternam uitam adipisci , malit eas ita possidere , ut & in hac uita semper ærumnosè degat , & post mortem sempiternis pœnis tradatur excrucianus ? hæc profecto insania est , non tribus , sed centum Anticyris insanabilis . non ne satius est . dominum esse , quàm seruum ? imperare pecuniæ , quàm seruire ? utique confiteberis . cur ergo magis delectat seruire , quàm imperare ? reprehenditur ingenuus quispiam , qui amore ancillæ captus , seruus

eligat fieri, vt cupitis ancille amplexibus fruatur, sed venia aliqua dignus est, nam delectatur cum ea vitam agens, qui si eam ingenuam facere posset, ne seruus ipse fieret, libens faceret. tu verò seruus diuitiarum sciens, ac volens esse uis, in qua seruitute misera sunt omnia, cum possis liber esse & dominus, & in ea libertate felicissimè vitam agere? nunquam erigis oculos ad exempla eorum, qui dum, tanquam domini vterentur diuitijs, & vixerè beati, & immortalem hinc proficiscentes sui memoriam reliquerunt, quorum memoria in benedictione est? in memoria aeterna erit iustus (inquit) qui iustus? nempe is, de quo in eodem psalmo addit. dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi, cornu eius exaltabitur in gloria. quòd si tam hebetis, & ignaui es animi, ut ad tantum bonum attolli nequeas, terreat te saltem, quod de te dictum sequitur. peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet, desiderium peccatorum peribit. sicut enim iusti appellatione donauit eum propheta, qui in egenos quosque misericors est, quod & Dominus fecit, cum de eleemosyna loquens iustitiam eam appellauit, dicens. caue, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus. ita peccatoris vocabulo appellat eum, qui nulla misericordia in egenos commouetur, & nihil aliud, quam opes, & pecunias somniat. intuebitur ergo hic peccator eorum felicitatem, qui rectè, atque utiliter diuitijs fuerint usi, & sibi ipsi indignabitur, quæ indignatio quam acris futura sit, per id, quod sequitur, intelligitur. dentibus suis fremet, & tabescet. rabie quadam, & furore percitus seipsum excruciat, tantæ socordiae se damnans, quòd non viderit illud, quod tam clarè cerni poterat, licuisse, si sapienter uti voluisset diuitijs, summa cum iucunditate illis frui, & per eas perpetua in caelo bona, sempiternamque felicitatem comparare. contra nunc sua incogitantia accidisse, ut & nunquam verè sit illis in hac vita oblectatus, & ex earum abusu in aeterna Geennæ incendia relegetur. sed eiusmodi cogitationes, quæ nunc, si versari in illis paterentur, iuuare illos possent, nihil tunc eis proderunt. nam desiderium peccatorum peribit, & nihil reliquum erit aliud, quam sola, eaque sempiterna desperatio. Neque verò solum sollicitudines huius seculi, & fallaciam diuitiarum dicit suffocare hoc semen, sed voluptates etiam, quæ eneruare animum solent, atque omne robur ab eo auerre, vt rectè quidam inter externos sapientissimus voluptatem escam malorum appellauerit, quòd ea capiantur homines, velut hamo pisces. & hoc morbo maxima hominum pars laborat, dum non attendunt, quænam sit verè voluptatis, ac homine dignæ ratio, sicut qui veras diuitias ignorantes, falsas, ac deceptorias sectantur. nam plerique omnes aliam uoluptatem non norunt, quam eam, quæ communis cum pecoribus, & brutis animantibus est, indulgere genio, & ventri,

&

& ips, quæ sub ventræ sunt. & lætos dies appellant eos, quibus cantus, & citharas, & lyras exercet, & opiparè, ac splendide epulantur, & se in scortationes, atque adulteria bene penitus dant, neque intelligunt, decere hominis voluptates ab illis bestiarum esse separatas, alioqui audituri sunt. homo cum in honore esset, non intellexit. comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Et quidem, cum omnia vitia res indigna sint Christiano homine, tum voluptas, & deliciae contrariae in primis sunt huic professioni, cui cum proposita sit crux, & malorum permissio, turpissimum est, via penitus contraria ingredi. hos appellat Paulus inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est, (inquit) & gloria in confusione eorum, qui terrena sapiunt. nihil tam hebetat, ac obtundit mentem, vt plenus venter, & exæstuans. audirent saltem virum ethnici, qui hoc vitium taxans ait.

*Corpus onustum**Hesternis uitijs, animum quoq; prae grauat una,**Atq; affligit humo Diuinae particulam aure.*

cum verò hoc malum per se ingenium labefactet, multò deterius est ex eo, quod inde proficiscitur. nam post comestationes, & ebrietates sequuntur cubilia, & impudicitia, quæ vbi accedunt, in belluinam prorsus naturam homines transferuntur, vt non modo ea, quæ ad animæ salutem, verum ad ea etiam tractanda, quæ ad hanc vitam pertinent, sint ineptissimi. Cum ergo docuisset Dominus, quæ sint infructuosæ terræ genera, quæque impediunt, quò minus semen iactum fructificet, demum ad terram bonam venit, &, quænam ea sit, declarat dicens. Quod autem in terram bonam, ij sunt, qui in corde honesto, ac bono audientes, verbum retinent, & fructum afferunt in patientia. terra bona est, cor ab humanis affectibus, & terrenis perturbationibus vacuum, ac liberum. nam vbi primum ea vitia ab animo tollimus, quæ nos nostra culpa contraximus, nosque ipsimet sordidauius, & solum illud relinquimus, quod optimè ab optimo opifice creatum est, continuo Diuinum semen in nobis fructificat. verum, quia caro concupiscit aduersus spiritum, & perpetua inter vtrunque pugna est, magna est opus tolerantia, & fortiter in acie persistendum. ob hanc causam dixit, per patientiam fructum afferri. quare & alio loco ait. in patientia vestra possidebitis animas vestras. sine hac patientia non perseueratur, at nisi perseueremus, expectari nequit salus. qui enim perseuerauerit (inquit) usque in finem, hic saluus erit. hac insignes extiterunt omnes, quicūq; grati Deo fuerunt, patriarchæ, prophete, apostoli, martyres, ac reliqui, qui Deo placere studuerunt. per hanc patientiam, atque in tolerando perseuerantiam, præbuerunt isti tam admirandum sui spectaculum, vt non hominibus tantum, sed etiam ange-

li-

ORATIO QUADRAGESIMA TERTIA.

lis essent admirationi. Spectaculum (inquit) facti sumus mundo, & angelis, & hominibus. Infinita possunt exempla proponi, quam copiosum fructum semen hoc in bonam terram iactum ferat. sed unus nunc satis nobis sit, Diuinus uidelicet Paulus. intueamur enim, quam fuerit fecunda terra illa propterea, quod bona esset. magnam orbis terrae partem perambulauit, ut Christi Euangelium annuntiaret. ab Ierusalem (inquit) & circumiacentibus regionibus usque ad Illyricum impleui Euangelium Christi. at uero quibus cum sudoribus? in laboribus copiosius, in uerberibus supra modum, in carceribus abundantius, in mortibus frequenter. a Iudaeis quinquies quadragenas plagas, una minus accepi. ter uirgis caesus sum, semel lapidatus, ter naufragium feci, noctem, & diem in profundo egi. in itinere saepe, in periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore, & erumna, in uigilijs saepe, in fame, & siti, in ieiunijs frequenter, in frigore, & nuditate. praeter ea quae extrinsecus sunt, instatia mea quotidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum: quis infirmatur, & ego non infirmor? quis offenditur, & ego non uror? Quam obsecro adamantinum pectus esse oportuit, quod tantas superare difficultates potuerit? at haec omnia iccirco facile praestabat, quod terra erat a spinis libera, & purgata, neque quicquam animae illi inerat uitiosum, quod semen illud impediret, quod minus copiosum fructum ferret. Pudeat nos tam inertes esse, & propositis ita generosis exemplis tam frigide respondere, & demus operam, ut sublatis omnibus, quae fructificationem impedire consueuerunt, efficiamur bona terra, quae diuinum semen in eam iactum multiplicet, ac benedictionem a Deo consequi mereatur. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & potestas, & imperium, & nunc, & in omnia secula seculorum Amen.

ORATIO

ORATIO QUADRAGESIMA
QUARTA.



ESCIO, quantum ea Seruatoris parabola, quae superiori oratione proposita a nobis fuit, vos ciues mei affecterit, & quam accurate peruestigauerit unusquisque vestrum, quenam ex quatuor illis terrae partibus ad se pertineat: nam hoc ex proprijs quisque factis intelligere haud difficile potest. si ambitione, honorumque, appetitione tenetur. si ob inertiam, & exiguum in Christiana philosophia studium, nondum eam affectus est fidem, quae natum Diuini uerbi semen ad maturitatem perducere idonea sit si voluptatibus, & diuitijs, & terrenis sollicitudinibus, tanquam densis incrementibus spinis obruitur, & suffocatur, ne referat fructum. haec autem tria genera damnantur, cum fructu sint destituta. nam fructum ferat necesse est, qui seruari uult. cum uero, ubi gloriae appetitus est, & sui ipsius pusillitas, & voluptates, & diuitiarum studium, ibi, ipsius ueritatis testimonio, fructus ferri non possit, quid non metuerent debentque, qui ista in sese experiuntur, quae reprobam terram arguunt, & execrationi obnoxiam? & tamen, cum omnes ferè ab ijs malis obsideantur, nemo ferè est, qui exhorrescat tam periculosum uitae statum, & ab ea discedere studeat. Quod si ij, qui uni tantum ex his tribus partibus obnoxius est, Euangelico fructu destituitur, quid de ijs sentiendum est, qui a uitijs omnibus obsidentur, quae per tres illas terrae partes intelliguntur? Ex hac autem parabola facile colligitur, quam sit uera Seruatoris Christi sententia, paucos uidelicet esse, qui seruentur, cum ex quatuor terrae partibus, una tantum sit, ferendo fructui apta. quin & ea ipsa a tentatoris insidijs non est tuta. nam apud Mattheum post eam similitudinem, quam audiuiatis, proponitur alia, qua narratur, quendam seminasse bonum semen in agro suo, in quo nullum terrae uitium fuisse memoratur, & ecce dormientibus hominibus uenit inimicus, & superfeminauit zizania, id est, infelix lolium. quam ingens ergo studium adhibendum est parandae salutis nostrae, quando etiam postea, quam terram cordis nostri perpurgauimus, & sentes euulsimus, & aptam suscipiendo Diuino semini, & ferendo fructui reddidimus, metuendum est, ne ignauia, ac segnitie nostra, bonum, quod coeptum fuerat, uitiatur? quid non formidemus nos, qui nunquam securè dicere possumus, tam accuratè excoluisse terram nostram, ut ab omnibus uitijs affectibus sit perpurgata, si post adhibitum culturae laborem, adhuc superest, quod studiosè cunctueatur? atque hoc est, quod admonebat Paulus fideles. cum timore inquires,

& tremore vestram ipsorum operantes salutem, quod & ipse præstabat accuratissimè. etenim quæ inueniri poterat terra purgator, quam illa Pauli, cuius consuetudo semper in cælo erat, & in quo Christus potius viuebat, quam ipse viueret? & tamen vide, quid de se dicebat. ego (inquit) sic curro, non quasi in incertum, sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne, postquam alijs prædicauero, ipse reprobus efficiar. non erat quidem sibi conscius, quod vitiosum quippiam in sua anima resideret, sed studiosè cauebat, neque forte sordes sua fœcordia, atque inertia sibi illineretur. nos verò, qui multa semper vitiosa habemus, quæ euellamus, quæque, dum in nobis resident, impediunt, quò minus eum fructum feramus, qui à nobis requiritur, multò maiore vti disciplina deberemus. sed hoc non facimus, & ob hanc causam ager nostri cordis quotidie sterilior fit, dum steriles, & infœcundæ herbæ semper auferunt, & locum occupant, quem bonum semen tenere deberet. Et quidè inuitandi ad hanc curam essemus exemplo corporei agri, qui tantam cultoribus affert delectationem, vt reges olim, & maximi quique viri magis agri cultione delectarentur, quam reliquis artibus omnibus. quòd si primam hominum vitam, quam Diuine nos literæ docuerunt, inspiciamus, id ipsum Dei suffragio videtur fuisse comprobatum. qui vbi primum hominem condidit, in amœnissimo illum horto, quem Græci paradysum vocant, collocavit. posuit (inquit) eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum. tam ingenti opificio, cuius causa vniuersum hoc, quod aspectibus patet, fuerat factum, præcipuam hanc curam credidit, colendæ, & exercendæ illius terre, quam ei dederat inhabitandam. quòd nisi spiritualem intellectum in illa cultione adhibeamus, nihil dignum tam admirando opere, vt est homo, cogitabimus. per externam ergo culturam arborum paradisi, quæ & specie, & fructu miram afferebant iucunditatem, docebatur homo virtutes animi excolere, tanquam spirituales plantas, illis vesci, illis delectari, quæ sola vera iucunditas est. etenim, si hortum aliquem cernis varijs arboribus confutum, diuersis fructuum generibus ornatum, semper iuuat illum intueri, & quoties locum ipsum ingrederis, toties noua afficeris voluptate, quamuis eadem sint plantæ, & ijdem fructus, quos sæpe antea conspexeris, & quorum gustu toties fueris delectatus, quantam esse censes voluptatem, cum interior animi hortus pulchrè confitus est, & nouæ identidem plantæ consurgunt, noui semper fructus conspiciuntur? quicumque hunc hortum studiosè excoluerunt, ij nulla alia in re se occupari patiuntur. nam eiusmodi homines ob ingentem iucunditatem, quam à seipsis percipiunt, nihil cum populo cōtrahere amant, eius consuetudinem fugiunt, nihil eorum, quæ vulgus admiratur, curant. solitu-

do,

do, & recessus illis prouincia est. vernum eorum hortis tempus est semper, perpetui flores, perpetua viriditas. non hyems folia deicit, non estus exurit, vt verè paradysum incolere, à quo primogenitores nostri eieci fuerant, dici queant. quam verò sunt illi miserandi, qui nullum studium huic culturæ adhibent, sed illis accidit, quòd ait Salomon. per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleuerant vrticæ, operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat? quam fœdum spectaculum, intueri locum, vbi olim fuerit admiranda culturæ species, & quæ omnes ad sui contemplationem inuitare solebat, nunc desertum, sterilem, ac omni ex parte deuastatum? inde fit, vt ij, quibus hoc nialum accidit, ingredi in se, ac sese intueri exhorrescant, cum nihil ibi inueniant, nisi triste, & lacrymabile. quam obrem solitudinem fugiunt, & aliorum quærunt commercia, vt per fabulosas colloquutiones, & risus, & iocæ, damna interiora obliuiscantur, aut certè dissimulent. Et hæc quidem ob superioris parabola recordationem sint dicta, nunc ad Euangelicam historiam accedamus. Nemo verò, cum lucernam accenderit, operit eam vase, aut subter lectum ponit, sed super candelabrum ponit, vt intrantes videant lumen. Refertur hæc similitudo ad illud, quòd de terra bona dictum est. apostoli ergo, terra videlicet illa fructifera, quòd virtute præstantiores, eò magis etiam conspicui futuri erant. quare oportebat, vt circumspicius quoque agerent, & exemplo suo lucem rectè viuendi alijs præferrent. quòd apertius in Matthæo legitur, vbi Dominus apostolos docens ait. Vos estis lux mundi. non potest ciuitas abscondi, super montem posita, neque accendunt lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, & lucet omnibus, qui in domo sunt. sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est. hanc enim ob causam eliguntur, qui alijs præsent, vt suo splendore abigantur tenebræ ab inferiorum cordibus. alioqui sicut, si quis accensam lucernam occultaret, ne lucem præberet, rem faceret ociosam, sic vbi quis cælestè donum est assecutus alijs communicandum, oportet, vt eò ad commune beneficium vtatur, quòd si ociosum esse patitur, vt tanquam lucerna occultetur sub modio, rem indignam facit, & ab ea ratione diuersam, ob quam donum ei fuerat datum. iccirco & is, qui talentum acceptum, vt in eo negociaretur, occultauit in terra, & ociosum esse permisit, fuit reprehensus. Duo ergo admonentur apostoli, vt & donum sibi datum strenuè exercent, & eà circumspectione, ac sinceritate etiam in factis suis omnibus vtantur, vt meminerint, nihil eorum, quæ agerent, latere posse, quare adiecit. Non est enim occultum, quòd non manifestetur, neque absconditum, quòd non cognoscatur, & in propatulum veniat. Hæc eadem

A A A dem

dem alio loco admonentur apostoli. cum enim dixisset Dominus. caute vobis a fermēto pharisæorum, quod est hypocrisis, adiecit. nihil enim opertum est, quod non reueletur, neq; absconditum, quod non sciatur, quoniam, quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur, & quod in aure locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis. nam pharisæicæ imposturæ est, sermone simulare sanctitatem, à qua tamē factis ipsis longissimè absunt. at eiusmodi simulatio nō potest latere diutius, & necesse est, ut humanæ strophæ post paulò aperiantur, quibus intellectis, destruitur eorum auctoritas, qui illis utebantur. at Euangelica prædicatio, quæ tota nititur veritate, nisi habeat ministros ex omni parte synceros, & nulla pharisæicæ hypocriseos macula infectos, vim suam declarare non potest. quod manifestè cernitur in ijs, qui se Euangelicos concionatores profitentur, & tamē in illa concionandi professione nihil minus curāt, quam ut hæc veritas fidelium animis inseratur, quia ambitioni duntaxat, atque auaritiæ student, & dum nomen assequantur celeberrimorum concionatorum, & ex hac fama lucrum faciant, cætera non assis faciunt. inde fit, ut summa sit in populis veræ, ac germanæ Christianæ philosophiæ ignorantia, quam ignoracionem sequitur perditissima vita, ob hanc vnā causam, quòd mercenarij sunt, & non oues, sed pecuniæ, & gloriolæ captandæ studium, sunt ei cura. Et de ijs quidem sæpe conqueritur Paulus, & pseudoapostolos vocat, & operarios subdolos, & qui se apostolos Christi simulant. nunc verò eiusmodi hominibus plenus est Christianus orbis, & dum hic rerum status perseuerat, nihil maioris progressus in Euangelica vita est expectandum. Videte ergo, quomodo audiatis. quicumq; enim habet, dabitur illi, & quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab eo. Obseruate (inquit) quo affectu hanc cœlestem philosophiam accipiatis. nam qui habet, id est, tenet (in hac enim significatione, & apud Græcos, & apud nostros in vsu est) hæc semel accepta dogmata, & eorum dignitati studet pro viribus respondere, fit ei semper maiorum donorum accessio, & clariori quotidie lumine illustratur. qui verò non adhibet studium, ut cum Dei donis fiat accessio rectè factorum, etiam illud, quod tenere se putat, amittet. hoc vsu euenit scribis, & pharisæis, quibus credita erant eloquia Dei, qui super cathedram Moysis sedebant, & se populi magistros venditabant, profitentes se clauem habere scientiæ, duces cæcorum, lumen versantium in tenebris, eruditores insipientium, doctores imperitorum, habentes formam cognitionis, ac veritatis per legem. verum, quia non adhibebant vitam tantæ professioni consentaneam, sed imponebant alijs onera grauiora, neque cuiquam portabilia, quæ ipsi ne digito quidem mouere dignarentur, amabant primos accubitus in cœnis, primas cathedras in synagogis,

synagogis, salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi, factum est, ut, quod se tenere arbitrabantur, id est, sacrarum scripturarum intelligentiam, illud amitterent, essentque ad percipienda Euangelica dogmata cæteris omnibus ineptiores. Adhibenda est igitur in primis ei, qui docendis alijs sit præficiendus, vitæ, ac morum integritas, ut non solum anima, veluti mundum speculum, pura admittat dogmata veritatis, verum etiam ex virtute, & rectè factis auctoritatem adæpta oratio, in audientium corda penetret, ac ignitum Dei eloquium, ex ardenti corde profectum, eos, ad quos concionator verba facit, inflammet, ut dici de eo possit, quod de Seruatore Christo Euangelistæ dicunt, fuisse scilicet eius sermonem cum auctoritate coniunctum, & non sicut illum scribarum, & pharisæorum. Hæc autem quia nunc etiam ferè nostri qui concionatoribus, cernimus, aut nihil, aut parum admodum profici. quid enim Diuini spiritus habere possunt iij, qui concionandi officium arripiunt, cum nihil aliud quærant, ut dudum dicebamus, quàm gloriam, & pecuniam? in illis vrbibus concionari ambiunt, vbi vtraque ista conueniant. quoties me episcopo rogarunt præstantissimi viri, ac celeberrimi, dari sibi templum hoc cathedralis ecclesiæ, pro diebus sanctæ quadragesimæ, ad concionandum? nec pudebat eos profiteri, se honoris gratia hoc postulare. at vbi gloriæ appetitus est, quid synceræ prædicationis ibi esse potest? nunquam enim is, qui gloriam expetit, audientium vtilitatem quæret, sed id tantum, quo eruditus, & eloquens existimetur. quare oratorios flores venabitur. Platones, & Aristoteles introducet, ut tunc demum magnus iudicetur, cum nemo, aut quàm paucissimi ex omni conuentu intelligant, quæ dicit. sed nunc non erat his locus. quid enim subtiliores illæ disputationes, quas vix illi ipsi intelligunt, qui eas proferunt, vulgo profunt, cum tota ferè auditorum multitudo ex idiotis constet? quæ cum illuc conueniat vnā ob causam, ut legem Dei doceatur, & Christianis imbuatur dogmatibus, minima concionis pars est, quæ ad hoc faciat. Videte verò, quàm toto isti aberrent cœlo, & quemadmodum in eo plectantur, in quo peccant. dum enim ea via placere se putant, minus placent, quia quod auditores quærunt, non præstant. at verò semper oratorum eloquentiæ moderatrix fuit auditorum prudentia. omnes enim, qui probari volunt, voluntatem eorum, qui audiunt, intuentur. & hæc quidem est præstantissimi inter oratores sententia, quam isti, qui oratoriam artem profitentur, videntur ignorare. Ego sanè expertus non rarò sum, id semper accidere, ut vbi quis hunc sibi proponit scopum, velle duntaxat, aut certè in primis auditoribus prodesse, & in eorum corda Diuinum amorem, ac legis Euangelicæ

studium inserere, maximum illi assequantur nomen, & paucis annis eua-
dant celeberrimi. ita qui Deum, & eius gloriam quærit, atque animarum
salutem, reliqua omnia Deo volente illi adiunguntur. Qui verò hac ingre-
di via nesciunt, videntur nunquam ex animo esse contemplati illius mo-
rem, qui sua prædicatione cæteros omnes superauit. Paulum dico, à quo
vno discere poterant veram, & magnificam prædicandi artem. Ego (in-
quit scribens Corinthijs) cum venirem ad vos, non veniebam in subli-
mitate sermonis, aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Dei, non
enim me iudicavi quicquam scire in ter vos, nisi Iesum Christum, & huc
crucifixum. In celeberrima Græciæ vrbe, in qua erat ingens humanæ sa-
pientiæ eruditio, quo tempore crucis appellatio adhuc mundo erat res
tèrrima, & maximè abominanda, ita eam prædicabat, & tam ambitiosè
de ea philosophari delectabatur, perinde quasi nihil sciret aliud, nisi Ie-
sum Christum, & hunc in crucem actum. quòd si de sublimiori theolo-
gia, quæ ad Diuinitatem Christi pertinet, verba esset facturum, non pas-
sim id faciebat, sed selectione utebatur. sapientiam (inquit) loquimur
in ter perfectos. at quam sapientiam? sapientiam autem non seculi hu-
ius, neque principum huius seculi, qui abolentur, sed loquimur sapien-
tiam Dei in mysterio, quæ est abscondita. quòd si Diuina mysteria, quæ
concionantium esse debent propria, verebatur sine delectu in cætu Chri-
stianorum, atque in maiore conuentu proponere, quantum errant isti,
qui eas quæstiones in vulgus proponunt, quæ ociosæ prorsus sunt, & nul-
lam afferunt vtilitatem, atque interim ea prætermittunt, in quibus solis
esset immorandum? Et hi quidem hæc peccant, sed princeps horum er-
rorum causa sunt episcopi, qui cum legitimi pastores esse debeant, negli-
gunt officio suo fungi, & pastorale munus committunt mercenarijs. at
mercenarij, tamen inueniri fortè aliqua ex eis nonnulli possunt, qui ex
affectu annuntiant Euangelium Christi, plurimum tamen mercenarij
sunt, & vix fieri potest, vt ad verum pastorum affectum queant peruenire.
quando enim vnquam eò peruenient, vt animam dent pro ouibus Chri-
sti, cum, si spes lucri desit, non facillè inueniantur, qui officio concionan-
di fungi velint? Venerunt autem ad illum mater, & fratres eius, & non
poterant adire eum præ turba, & nuntiatus est illi, dictumque. mater tua,
& fratres tui stant foris, volentes te videre. qui respondens dixit ad eos.
mater mea, & fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt il-
lud. Idem scribunt Matthæus, & Marcus. Et veniunt (inquit) mater eius,
& fratres, & foris stantes miserunt ad eum, vocantes eum. & sedebat circa eum
turba, & dicit ei. ecce mater tua, & fratres tui foris querunt te. & respon-
dens eis ait. quæ est mater mea, & fratres mei? & extendens manum
suam in discipulos suos, vel, sicut Marcus ait. & circumspiciens eos, qui

in

in circuitu eius sedebant, ait. ecce mater mea, & fratres mei. qui enim se-
cerit uoluntatem Dei, hic frater meus, & soror mea, & mater est. Quos
hic appellat Euangelista Christi fratres more Hebræorum intelligit con-
sanguineos, ut sunt consobrini, atque eiusmodi. quæ dicendi morem, &
uos in quotidiana colloquutione soletis imitari, ut & consobrinos, & pa-
truelles, fratres uocetis. neque ullo modo locus hic pro eis facit, qui
impie arbitrati sunt, deiparam uirginem post editum filium Dei suscepisse
se alios filios ex Ioseph. quin, & parum pie quidam è Græcis, alioqui
præstantes uiri, & bene de Christiana philosophia meriti, opinati sunt,
beatam Mariam inani quadam gloriola permotam uenisse, ut illum à
doctrina ad se attraheret, ac ostenderet turbis, quòd ipsa illum, qui tantis
miraculis conspicuus erat, gubernaret. apage tã humiles de tanta matre
cogitationes, quam pro certo habendum est, ex quo tempore diuinitatè
habuit in se corporaliter habitantem, omnes homines & sapientia, &
omnium uirtutum perfectione antecelluisse. quin & ante quàm filium
Dei in utero conciperet, intelligere licet, quanta prædita fuerit prudentia,
ex ipsa Euangelicæ annuntiationis historia. quemadmodum, cum ea hi-
storia tractaretur, admoniti à me fuistis. quantam enim uitæ perfectionem,
quantamque prudentiam assecuta iam tum fuisse credenda est, quæ ad
cœlestis nuntij uerba, ac tam ingentia promissa non gestierit lætitia, &
tam circumspecta, ac plena sapientiæ interrogatione usa fuerit, quæque
nec temere crediderit, nec diuino oraculo incredula esse uoluerit. ad ho-
noricam illam salutationem suspensum animum tenuit, cum nihil de
se magnū auderet sentire. & cogitabat (inquit) qualis esset ista salutatio,
tantum non dicens. maior est hæc salutatio, quàm ut meæ exiguitati in-
telligam conuenire, & tamen cœlestis nuntij uerba non sunt spernenda.
Deinde cum angelus prosequeretur legationis suæ narrationem, atque
admiranda illa promissa tanti filij ex ea generandi in eadem cogitationum
grauitate perseuerauit, & nec fidem non habere uoluit diuinis pollici-
tationibus, nec assentiri, nisi certior fieret prius, quo pacto in illa genera-
tione seruet uirginitatem. in ijs profectò omnibus magnum illum Za-
chariam Ioannis Baptiste patrè superauit, qui hiscè medijs uti nesciens,
rem minimè factu possibilem iudicauit, quòd senex ex uxore proeuctæ
ætatis, ac sterili esset habiturus filium. In tam perfecta ergò uirgine, quæ
ante, quàm filium Dei conciperet, tanta fuit sapientia, post generatum
filium Dei, humile quicquam cogitare, & quod cū reliquis uulgi mulieri-
bus in gloriæ titillatione commune esse soleat, res profectò tanta Dei
matre est indignissima. quare credendū est eam cum ijs, quos hic Euan-
gelista Christi fratres appellat, magnam aliquam ob causam ad Iesum ac-
cessisse: & sicut in Cana Galilææ interpellauit filium propterea, quòd ui-

num

num in nuptijs deficeret, ut sua potestate eorum; à quibus fuerant inuitati, succurreret indigentia; ita nunc ob aliquorum impetrandam curationem adijisse; uidelicet commotam misericordia. Quòd uerò annuntianti adesse eius matrem, & fratres, qui uellent eum alloqui, ipse responderit: quæ est mater mea; & qui sunt fratres mei? non hoc ita dixit perinde quasi uel erubesceret uile genus, quod ipse sua uoluntate elegerat; uel matrem, aut consanguineos sperneret. neque enim hoc uult lex Euangelica, quin Paulus ita reprehendit eos, qui suis, & maximè familiaribus, ac domesticis prospicere negligunt, ut fidem eos abnegasse dicat, & esse infidelibus deteriores. sed respondit Dominus consentanea loco illi, ac tempori. cum enim Euangelicum negotium tractaret, nolebat illi negotio carnalem cognationem anteferri, quòd fecisset, si relicta illa prædicatione, eos audiuisset. tantique æstimandam ostendit ipsam de regno Dei tractationem, ut præ ea omnis humana dignitas, ac nobilitas nihil sit. quid enim maius excogitari in rebus humanis, ac præstantius possit, quam uirginem parere, & effici matrem Dei? & tamen uide, quid responderit Dominus illi mulieri, quæ sublata uoce in turba dixerat. beatus uenter, qui te portauit, & uerba; quæ suxisti. quinimmo beati (inquit) qui audiunt uerbum Dei, & custodiunt illud. nam ubi Dei cultus, & Diuina gloria queritur, non solum non fauendum est consanguineis in Diuini honoris contumeliam, sed eis summopere obstitendum. iccirco in Deuteronomio legimus, Mosen commendasse filios Leui his uerbis, qui dixit patri suo, & matri suæ, nescio uos, & fratribus suis, ignoro illos, & nescierunt filios suos. hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum serauerunt. nam in adoratione uituli conflatis tanto zelo inflammati fuerant pro Domino exercituum, ut quisque in strage, quam fecerunt, non aspexerit patrem suum, aut matrem, non fratres, non filios, sed reos quosque, & facinoris auctores citra personarum delectum interfecerunt. & quidem omnes de tribu Leui ab hoc contagio mundi fuerant, sed ipsi tam seruentes, ac zelo accensi fuere pro gloria dei, quòd etiam proprijs parentibus, ac filijs non pepercissent, si eos idololatriæ uitio contaminatos inuenissent. Hanc ergo ob causam dissimulauit se Dominus nosse & matrem, & fratres, ut nos doceret, omnia esse negligenda; ubi periclitari potest & honor Dei, & animarum salus. Verum quantum nos ab hoc scopo longè distamus? quantum nimirum distat ortus ab occidente. nam ubi carnis cognatio intertercedit, continuò facefsit omnis Dei non honoris solum, sed timoris etiam cogitatio. Diuina omnia,

nia, & humana confunduntur, excludunt animo Euangelica documenta, & factis ipsis declarant homines, se nihilo meliori conditione esse, quàm essent ethnici, qui Deum ignorabant. quòdque est detestabilius, ij, qui è clero sunt, magis sacrilegè, & maiore cum Dei ignominia in hac præcipuè parte peccant, quàm profani, primum enim totos ecclesiasticos proventus in consanguineorum usus conuertunt, ijs duntaxat exceptis, quæ in scorta, & prostibula impendunt, & quò maiores sunt ecclesiæ redditus, eò splendidiorem esse domum uolunt. deinde non contenti ipsi uiuentes consumpsisse Christi patrimonium, dant operam, ut nepotes, aut filios, quos nepotum nomine appellant, hæredes relinquunt, ut bona Deo dicata, in familiæ suæ hæreditatem transeant. Et hæc quidem reprehensione digna essent, si etiam ij, qui nepotes ecclesiæ successores parant, ita eos educarent, ut digni esse ecclesiasticis gradibus olim possent. nulla enim est tam præclara indoles, cui tutò fidendum prius sit, quàm diu experti eorum probitatem simus. nunc uero in eos conferunt hæc beneficia ecclesiastica, quos & certò sciunt nunc moribus esse perditissimis, & nullà secuturæ uirtutis fructum sperant. Audiant hic Seruatore Christum nullam carnis cognatione in negotio regni agnoscere, sed quid? circumspiciens eos, qui in circuitu eius sedebant, ait. ecce mater mea, & fratres mei. qui enim fecerit uoluntatem patris mei, qui in cælis est, hic frater meus, & soror, & mater est. hæc uina homini uerè Christiano agnoscenda esset cognatio, ut eos in primis agnoscamus, & eis faueamus, quos Dei præcepta seruantes intuemur. reliquos extraneos arbitremur tandiu, dum à uia Dei alieni esse uolunt, neque eos ad nos pertinere iudicemus, nisi quatenus danda opera est, ut, si fieri possit, ab errore uia suæ reuocentur. hoc enim studium nunquam est intermittendum. cætera eos maiore nobis cognatione coniunctos arbitremur, quò uirtute, & rectè factis sunt præstantiores, atque in Euangelica uia seruidiores. ex quo enim tempore didicimus, nos ciues cæli, & domesticos Dei per Iesum Christum effectos, & ipsius Christi fratres, ac cohæredes, una illa consanguinitas est attendenda. iccirco in ipsis nascentis ecclesiæ inijtibus, fideles cœperunt fratres appellari, & iure sanè, cum enim regenerati simus ex aqua, & spiritu sancto, & nouam, ac cœlestem natiuitatem assecuti, & nos esse mortuos dicat apostolus, nullam profectò aliam cognationem agnoscere deberemus, quàm istam. an tu fratrem potius appellabis eum, qui ex sanguinibus (ut Euangelicis utar uerbis) & ex uoluntate uiri natus sit, ac dierum paucorum spatio tecum uicturus, quàm

ORATIO QVADRAGESIMA QVARTA.

quam eum, qui tecum ex Deo habuerit generationem, & tecum in perpetuas eternitates in summa felicitate uersaturus? si utranque compares fraternitatem, ac cognationem, non ne hæc, quam solam æstimas tanti, fabulosa uidebitur præ ea, quam Christus introduxit? cur ergo non ad unam hanc oculos intendimus? cur semper pueri esse uolumus? cur non aliquid quando uiriles cogitationes induere incipimus? Videte uero, quam ingens damnum afferat, tam abiecto, & humi repente, atque angusto esse animo, & nunquam ad eam cognationem attolli, quam uel hic ex Euangelio audiimus, uel certè ipsa nobis natura commoustrat, qui enim solam carnis consanguinitatem obseruant, ij omnem non modo Christianam, uerum etiam humanam societatem dirimunt. nam eiusmodi homines, eos in primis, ac plenè solos curant, quos propinquiore cognationis gradu sibi conuictos agnoscunt, illis fauent, illis suas facultates relinquunt, alios perih de negligunt, quasi ad se nihil omnino pertineant, neque meminerunt, omnes homines unum genus esse, quod ut intelligeremus, noluit Deus homines ab initio, quemadmodum cetera animantia, plures simul è terra produci, sed unum duntaxat formauit, ex quo genus omne nostrum prodiret, ut agnosceremus, ex eodem, atque uno parente nos esse progenitos. quod si unum parentem habemus, ergo sumus omnes fratres. quod si ita est, cur in tam angustum redigis tuam cognationem, & communem consanguinitatem non agnoscis? unde fit, ut quæ in multos imperti debueras, paucis referues, in communis generis detrimentum. Quod si commune hoc genus in carnali cognatione obseruandum est, multo profectò magis id in spirituali est præstandum, quanto spiritualia carnalibus sunt præstantiora, & illa temporaria, hæc autem æterna. Qui fecerit (inquit) uoluntatem patris mei, qui in cœlis est, hic frater meus, & soror mea, & mater est. quantus honor, obsecro, est esse fratrem, aut sororem, aut matrem Christi? quis uestrum non suas omnes facultates impendat, ut terreni regis frater fieret? at non multo maiora conari deberemus, ut æterni regis Christi fratres liceret euadere? hæc identidem uersemus animo charissimi, atque ad hanc cognationem tota mente aspiremus, in qua & suprema nobilitas est, & æterna felicitas, quam utinam omnes consequamur. iuuante Domino nostro Iesu Christo cui, cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & potestas, & imperium, & nunc, & in omnia secula. Amen.

ORATIO

ORATIO QVADRAGESIMA QVINTA.



ACTVM est autem quodam die, & ipse ascendit in nauim, & discipuli eius, & ait ad illos. traiciamus in uerteriore ripam stagni, & soluerunt. nauigantibus autem illis, obdormiuit, & ingruit procella venti in stagnum, & complebantur, ac periclitabantur. Persecuturus Dominus negocium euangelizandi regni Dei, ad quod missus erat, iter faciebat, ut superius audiimus ex hoc Euangelista, per ciuitates, & castella. quare cum intercedebat stagnum aliquod, ut acceptæ naturæ humanæ œconomia seruaretur, nauigio utebatur. sed interea nolebat, occasionem marini itineris esse ociosam, ut & potestatem suam declararet, & discipulos redderet confirmatiores. hinc alio loco legimus, Dominum præcepisse discipulis, ut præcederent illum transfretum, permisitq; , ut in illa nauigatione nauis iactaretur fluctibus, & contrarium haberent uentum, ut demum ipse super mare ambulans, & ingressus nauim sedaret tempestatem, & ex utroque miraculo agnoscerent discipuli Christi maiestatem, qui alioqui hebetiores erant percipiendis eius admirandis factis, ac ita obtusi, ut, cum Dominus saturasset quinque millia hominum, ex quinque panibus, & duobus piscibus, ipsi, quemadmodum Euangelista narrat, non intellexerint. erat enim (inquit) cor eorum obcæcatum. at hæc omnia confirmandæ Euangelicæ ueritati seruiabant, ut demum agnosceretur, totum Diuina uirtute esse perfectum. qui enim audere potuissent homines tam crasse hebetes, ut miracula ante oculos posita non agnoscerent, subigendi orbis terræ prouinciam accipere, & introducendæ illius philosophiæ, quæ tum offensionis, tum ridiculo mundo erat, & qua nihil, neque maius, neque admirabilius excogitari poterat, nisi Diuinitus fuissent illustrati, & eam è cœlo uim accepissent, quæ humana facultate esset superior? si enim elegisset Dominus homines, humano ingenio, & arte quæsitæ eloquentia insignes, qui doctrinam hanc introduxissent, uideretur hoc totum fuisse humanum inuentum, neque Dei gloria clariuisset. ob hanc causam fugiebat Paulus omnem externum fucum, qui crucis gloriam obscurare posset, & dicebat. prædicatio mea non fuit in persuasorijs humanæ sapientiæ uerbis, sed in ostensione spiritus, ac uirtutis, ut fides uestra non sit in sapientia hominum, sed in potentia Dei. & alibi. habemus thesaurum hunc in uasis fictilibus, ut eminentia uirtutis sit Dei, & non ex nobis. Videte uero

BBB ingen-

ingentem Dei prouidentiam, ac sapientiam. voluit quidem, ut huius philosophiæ fundamenta hoc pacto iacerentur, & huius structuræ auctores essent idiotæ, & illiterati. uerum, ubi intellectum est, doctrinam hanc esse à Deo profectam, tunc eodem volente Deo, extitere præstantissimi homines, in omni externa philosophia eruditi, qui ex utriusque collatione ostenderent, quatum nostra illi antecelleret, ac præterea possent eos confutare, qui externa sapientia sibi placerent, & illorum errores suis ipsorum scriptis resellere. ita omni ex parte munita est Christiana professio. Ascendit ergo Iesus in nauim, ipse, & discipuli eius, & ait ad illos. traiciamus in ulteriorem ripam stagni. In his verbis, quibus suum cum discipulis suis consilium uideretur communicare, ingens declaratur Domini Iesu humanitas, atque erga discipulos benignitas, quod frequenter in Euangelica historia licet obseruare, ut iure dicere potuerit, discite à me, quod mitis sim, & humilis corde. nos uero à mitibus hisce moribus, & ab ipso filio Dei demonstratis sumus alienissimi, atque adeo ab illis abhorremus. cernas enim plerosque omnes, ubi paulò altiore gradu sunt, uix dignari inferiores mutua colloquutione. Et soluerunt. nauigantibus autem illis obdormiuit, & ingruit procella uenti in stagnum, & complebantur, ac periclitabantur. Quod dormierit quidem, mirandum non est, cum uerè naturam nostram accepisset, ac similis nostri esset per omnia, præter peccatum. quod autem eo dormiente procella uenti ingruerit, & commouerit mare, hoc eius prouidentia fuit factum, ut discerent fidere discipuli, & magistri potentiam apertius agnoscerent. at illi, qui nondum scirent, illum esse, qui in epithalamio dicit, ego dormio, & cor meum uigilat, fecerunt quod sequitur. Accedentes autem suscitauerunt eum, dicentes. præceptor, præceptor, perimus. Hæc eadem in quotidiana consuetudine usu ueniunt, cum enim aduersa aliqua nos premunt, uidetur nobis dormire Deus, quorum personam descripsit propheta, cum dixit. exurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem. quare faciem tuam auertis? obliuisceris inopiæ nostræ, & afflictionis nostræ? qui uerò sciunt, Deum perpetua uigilantia nos inspicere, dicunt. ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel. & quicumque hoc intelligunt, in medijs periculis sunt fidentiores de quibus scriptum est. iustus quasi leo confidens, absque terrore erit. talis erat Dauid, qui hac cogitatione munitus aiebat. Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector uitæ meæ, à quo trepidabo? & si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. Obseruandum uerò & illud est, cur maior hominum pars tum demum ad Deum accurrant, cum premuntur malis,

lis, qui non minore studio ad illum se recipere deberent, cum beneficijs afficiuntur, & cum prospera sunt illis omnia, idque duplici nomine, primum ut grati esse discerent, deinde ne in secundis rebus dissoluerentur, sed ita se gererent, ut ea felicitas Diuinæ gloriæ deseruiret. uerum id accidit propterea, quod seruire habemus ingenium, neque filiorum affectum scimus induere. germani enim filij tum maxime parentum meminerunt, & eis obsequi studiosius quærunt, cum maiorem erga se uident parentum beneuolentiam. cum præcipuus eorum scopus sit, parentibus in amore respondere. nos uero, qui non amore, sed metu agimur, & malis potius, quam beneficentia permouemur, tum in primis ad Deum accurrimus, cum ingruentia mala formidamus. & ob hanc causam Deus, qui suprema benignitas est, ut quibus licet modis nos ad se trahat, patitur, ut sæpe aduersa nos premant, & quasi marinæ procellæ naui illidantur, ut vel hoc pacto intelligamus, nos illius egere patrocinio, & eius meminerimus. cum occideret (inquit) eos, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo ueniebant ad eum. hoc de Israelitico populo dicebat, qui, cum tanto cū fauore, & Diuinæ potentia eos protegentis declaratione fuisset è seruitute Aegyptiaca liberatus, nesciebat tam ingentibus beneficijs gratus esse, ac Dei benignitatem laudibus celebrare, sed potius murmurationem pro gratiarum actione rependebat, neque agnoscebat Deum, nisi, cum percuteretur. Accedentes ergo suscitauerunt eum, dicentes. præceptor, præceptor, perimus. non est, quod miremur, discipulos excitasse Dominum, ut seruarentur. nondum enim integram habebant eius Diuinitatis notitiam. quare arbitrati sunt, illum nescire, quod fieret, quem si excitarent, credebant posse illum rebus afflictis succurrere. sed magis mirandum est, nos, qui Deum illum confitemur, & æqualis cum illo naturæ, atque substantiæ, tam esse omni fide destitutos, ut nullam in eum fiduciam habere uideamur? & non solum cum ingentes procellæ nos inuadunt, sed ad omnem leuis auræ flatum damus manus. quodque est damnabilius, multi nesciunt quidem ad Diuinum perfugium accurrere, sed accidit illis, quod in alia nauigatione usu euenit discipulis, qui uidentes Dominum super mare ambulantiem, putauerunt phantasma esse. sic isti, cum se colligere in humanis perturbationibus deberent, seque Euangelicis documentis munire, tunc in primis illa obliuiscuntur, & rem Christianam, tanquam phantasma quoddam, imaginarium quid existimant. Ecce enim, ut exemplo aliquo id ostendamus, maximo in periculo se esse arbitrantur, qui capitalem hostem habet, is in eo periculo tantum abest, ut ad Deum perfugiat, ut etiam ab eo plus, quam

alio quouis tempore abalienetur. tandiu enim à peccatorum exhomologesi, atq; à Diuinorum mysteriorum participatione abstinet, dum similitas illa perseverat. miserandâ profectò, & plusquam ethnicam cæcitate. atqui tum maximè conciliare sibi Deum debuerat, quæ præcipua est superandorum hostium uia. nam scriptum est. cum placuerint Domino uia hominis, etiam inimicos eius conuertet ad pacem. non saltem admonentur humanis exemplis? nam cernimus, ubi quis causam habet aliquam grauiorem, hunc quibus potest artibus dare operam, ut principem, uel iudicem, apud quem cognoscenda causa est, sibi conciliet. isti uerò, quò maiore sunt in periculo, maiora exercent odia, quibus à Diuino patrocinio fiant alienissimi. idem faciunt in corporeis morbis. cum enim doceantur à scripturis sacris, Deum propter hominum peccata morbos immittere, cum ad Diuinam opem confugere deberēt, & per exhomologesim, ueramque pœnitentiam morbi causam tollere, minimum hoc est, quod curent. quin exhorrescunt ad exhomologeseos nomen. O stoliditatem. O stupiditatem. rem illam formidant, quæ una incolunitatis assequendæ tutissimum perfugium est. & eam tum demum requirunt, idque coacti, cum prodesse nihil potest, ac malum eas vires recepit, ut remedia omnia sint superuacua. nam, etsi tunc quoque posset Deus illos incolunitati restituere, qui etiam à mortuis reuocare potest, non est tamen æquum, ut erga tam ingratos eiusmodi miracula exercentur. Quæ uerò negligentia in exhomologesi utuntur, eandem tenent etiam in ea vnctione, quæ extrema appellatur, quæ ex apostolica traditione, non ad animæ solum, sed corporis etiam salutem est instituta. de hac enim sic beatus Iacobus ait. infirmatur quis inter uos? accersat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei seruabit egrotum, & eriget eum Dominus, & si in peccatis fuerit, remittentur ei. quibus uerbis manifestissimè ostenditur, hoc esse remedium ad utriusque & animæ, & corporis salutem. & tamen tanta laborant homines cæcitate, ut ad eius vnctionis nomen exanimentur, tantum abest, ut inde sperent salutem. ita sublata prorsus è terra fides est. At ille excitatus increpauit uentum, & tempestatem aquæ, & cessauerunt, factaque est tranquillitas. ecce finem eorum, qui ponunt in Domino spem suam. ut rectè propheta dixerit. beatus uir, cuius est nomen Domini spes eius, & non aspexit in uanitates, & inanes iactantias. nam mirabiles quidem sunt elationes maris, sed mirabilior in altis Dominus. uerè turris fortissima nomen Domini, & qui ad eam accurrit, tutissimus est. nullus sperauit in Domino, & pudore suffusus est. quis enim permansit in mandatis eius, & derelictus est? si Deus pro nobis, quis contra nos? unum attendendum est,

est, ne cadamus animis, ne uel fidei pusillitas nos inuadat, quæ una impedimento esse potest, quo minus difficultates omnes superemus. nullam enim aliã ob causam Petrus, qui postulauerat, ut ambularet super aquas, & assecutus fuerat, in medio itinere defecit, nisi quòd cœpit difidere. uidens (inquit) uentum ualidum, timuit, & cœpit mergi. deficiente fide, mox defecit & uirtus, ac potentia ambulandi super aquas, id est, ipsa natura euadendi superiorem. nam sicut fides res est, quæ humanis rationationibus est maior, sic qui ei nititur, maiora & efficit, & assequitur, quàm ipsa hominis natura patiat. & cum tota Christiana philosophia fide constet, iccirco uoluit Dominus, ut signa, quibus hæc fides declaratur, agnitam à nobis naturam superarent. signa (inquit) eos, qui crediderint, hæc sequetur. in nomine meo Dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. super egros manus imponent, & bene habebunt. hæc nunc signa cum desint, arguimur, nos fide esse destitutos. At ille excitatus increpauit uentum, & tempestatem aquæ. sic & in psalmo. & excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à uino, & percussit inimicos suos. increpauit uentum, & aquæ tempestatem, tanquam rem sensu præditam. sic & cum socrum Simonis curauit, increpauit febrim, & febris dimisit illam. nam omnia, occulta quadam uirtute, neque nostræ intelligentiæ peruia, audiunt illum, & ei obediunt. in æternum (ait psaltes) Domine uerbum tuum permanet in cælo. in generationem, & generationem ueritas tua, fundasti terram, & permanet. ordinatione tua perseverant hodie, quoniam omnia seruiunt tibi. id est. perpetuo Domine, quicquid unquam fieri uoluisti, stabile erit in cælis. in generationem, & generationem constantia tua in promissis durabit. stabile esse uoluisti terram, & stabilis erit. quibus modis unumquodque subsistere uoluisti, usque in hodiernum diem subsistit. omnia enim obediunt imperio tuo. Dixit autem illis ubi est fides uestra? ecce hic inopiæ fidei ascripsit, quòd turbarentur. si enim credidissent, Dominum intelligere, quòd fiebat, & seruare illos posse, non oportuerat perturbari, cum scirent, se illi esse curæ. multò enim magis Deo fidendum est, quàm hominibus. at inter homines id accidit, ut si quis haberet principem, quem sciret sui amantissimum, & qui præterea sciret, quicquid sibi opus esset, ac posset necessitatibus omnibus eius subuenire, is nihil curaret, quicquid sibi accideret aduersi, cum pro certo haberet, principem suum sibi non defuturum. quòd si in principe homine hoc faceremus, cur non potius in principe Deo est faciendum, & proijciendum (ut admonet propheta) omne nostrum onus in eum? proijce (inquit) onus tuum in Dominum, & ipse te enutriet. Et Petrus apostolus. omnem sollicitudinẽ uestri

uesti proijcientes in eum, quoniam ipsi est cura de uobis. quod si tantę providentię curę sumus, quid attinet nos sollicitos esse de uobis, præsertim cū ignoremus, quod sit bonum nostrū, & plerunque ea postulemus, quę maiori nobis damno, quā utilitati sint futura? Sed dicit aliquis. ergo non est ad Deum in afflictionibus, ac molestijs nostris confugiendum? est profus, sed sine animi perturbatione, aut metu, nequid nobis desit. ut illa mentis ad Deum erectio nihil sit aliud, quā ut profiteamur, nos intelligere, omnem salutem nostram ab eo pendere, & sine eius patrociniō nihil nobis accidere boni posse, cetera illius & providentię, & sapientię, & bonitati relinquamus. hoc si efficere disceremus, in medijs mortibus essens tranquillissimi, cum sciremus, quod pretiosa sit, in conspectu Domini mors sanctorum eius. & mortem, quę alioqui extremum omnium terribilium ab alijs existimatur, esse iter ad summam, æternamque felicitatem. hoc intelligebat beatus Job, cum tantis calamitatibus pressus dicebat, etiam si me occiderit, sperabo in eum. tantum abest (inquit) ut tam multis, ac magnis pressus malis despondeam animum, ut etiam si me morti tradat, postquam mortem omne uotum cessat, ego ne tum quidem sperare desinam: cum sciam, eum posse me reuocare à mortuis, & in multo meliorem, felicioremque uitam restituere. sic tres illi pueri cum rex illis minaretur, nisi statuam auream adorarent, fore, ut in fornacem ignis mitterentur, responderunt. non oportet nos de hac re responderetibi. ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis; & de manibus tuis ò rex liberare: quod si noluerit, notum sit tibi rex, quod Deos tuos non colimus, & statuam auream, quam erexisti non adoramus. Videte non modo fidem, sed etiam charitatem in Deum. nam fidebant quidem posse Deum illos è regis manibus eripere, sed parati tamen erant, si Diuinum consiliū aliter decreuisset, mori potius, quā quicquid facere à Diuinis legibus alienum. Quicunque hoc affectu sunt, atque ita bene preparatum pectus habent, sine trepidatione semper degunt. nam, ut quidam sapiens ait, qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pauebit, quoniam ipse est spes eius. Timentes autem mirati sunt inter se dicentes. quis putas hic est, quia uentis quoque, & aquę imperat, & obediunt ei? Timorem hic intellige reuerentiam quādam, quam ex conspecto miraculo conceperunt. nā hic loquendi modus est scripturę sacrę familiaris, ut, cum demersisset Dominus Pharaonem, & exercitum eius, & obruisset aquis maris, uiderunt (inquit) Aegyptios mortuos super littus maris, & manum magnam, quam exercuerat Dominus contra eos. timuitque populus Dominum, id est, reueritus fuit Domini maiestatem. sic

in na-

in natiuitate Ioannis Baptistę, cum cernerent miracula, quę acciderant, factus est (inquit) timor super omnes uicinos eorum. &, cum Salomon iudiciū illud sapientię plenum fecisset, de duabus meretricibus pro uño infante litigantibus, sic scriptum est. audiuit omnis Israel iudiciū, quod iudicasset rex, & timuerunt regem, uidentes sapientiā Dei esse in eo ad faciendum iudiciū. Reueriti ergo sunt isti, & admirati, colligentes ex hoc facto, quā magnus censendus esset is, qui imperare, uentis, & mari posset, ac ei obediretur. quid enim tam furiosum, tam infrene, tam regi nescium, quā uentorum furor, & fluctuum exagitatio? at isti cum uñius imperio quiescunt, ingentem esse oportet illam potestatem, quę illis ita imperet, ut eius imperio obsecundent. Oporteret autem, & multum sane nobis conduceret, scire admirari Diuina facta, ex quibus & sapientiā eius, & potentiam, & bonitatem, ac paternam curam, quam circa nos exercet, liceret agnoscere, ex qua consideratione in eius amorē in dies magis inflammaremur, & in eum fides semper auferret. quid enim ab illa incomprehensa bonitate non expectemus, cum nostri gratia res omni admiratione superiores, & semper fecerit, & quotidie faciat? uoluit, ut ad uñius hominis uocem immutabiles cœli leges mutarentur, & inuariabilis ille siderum cursus præcipiente homine uariaret. cum enim iussisset Iosue, ut sol contra Gabaon non moueretur, & luna contra uallem Aialon. steterunt (inquit) sol, & luna, donec uicisceretur gens de inimicis suis. & stetit sol in medio cœli, & non festinauit occumbere spatio uñius diei. non fuit antea, & postea tam longa dies, obediēte Domino uoci hominis. admirandum uerbum. Deum hominis imperio obtemperare. hæc exempla quem non ament, ac fide impleant? sic ad eiusdem Israelis obsequium diuisum est mare rubrum, & Iordanis aquę sectę, ut sicco uestigio aquarum habitacula pertransirent. neque uerò ea duntaxat, quę raro facta sunt, admirari deberemus, sed ea, quę fiunt quotidie, plenissima sunt admirationis. uerum assiduitate quotidiana, & consuetudine oculorum assuescunt animi, neq; admirantur, neq; requirunt rationem earum rerū, quas semper uidēt, perinde quasi nouitas nos magis, quā magnitudo rerum debeat ad exquirēdas causas excitare. non intelligimus, plenum esse miraculi, quod cernimus quotannis, ex humore è terra accepto uité uas producere, & uinum fieri? hoc quid est aliud, quā uinum fieri ex aqua? eodem terrę humore, ac uis, & calore solis uinum tritici granum in calammum, & culmum, & spicam crescit, ut centies interdum multiplicatum semen reddat. exigua glans in terrā proiecta, in tantę arboris magnitudinem augetur. hæc omnia maxima sunt, & admirabilissima facta, quę si sci remus contemplari, multo esse fidentiores, consideremusque,

eum,

cum, qui quotidianis nos rebus suis mirabilibus curat, nunquam nostris defuturum necessitatibus, caneremusque cum propheta. sperent in te, qui nouerunt nomen tuum, quoniam non derelinquis querentes te Domine. &, sperate in eo omni tempore congregatio populi. effundite coram illo corda uestra, Deus adiutor noster in aeternum. Hęc fides, quę ex contemplatione admirabilium operum Dei generatur, pręparat, atque excitat homines ad omne opus boni, ut sine ulla hęsitatione unū illud cogitent, quo uidelicet pacto pręceptis Dei obtemperent, cętera fore illi curę. diceret enim quisque intra se. iubet Deus, ut esurienti cibum tribuam, potum sitienti, nudum uestiam, denique pro cuiusque necessitate mea impertiar. quid ergo prohibet, quod minus ista pręstem? nequid fortę mihi, ac liberis meis desit? at is securum me ab hoc metu reddit. quęritę, inquires, primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hęc omnia adiciuntur uobis. is, qui segetes in agro ex paucis granis multiplicat, idem efficere in horreo potest, & in ipsa farina; arca, quod declarauit in uidua illa Sarptana, quę diuino oraculo fidem habens, experta fuit exiguum farina; quantum pugillus capere poterat, fuisse satis alendo prophetę, & sibi, & toti familia; tandiu, dum demissa ę cęlo pluuia; terrę sua fecunditas redderetur. eiusmodi exempla si assidue ante oculos ponerentur, essemus ad omnia rectę facta, atque ad Euangelica pręcepta implenda expeditissimi. Et hęc quidem in nauī acciderunt: nunc uideamus, quid deinceps sit factum. Et nauigauerunt ad regionem Gadarenorum, quę est contra Galilęam, & cum de nauī egressus esset ad terram, occurrit illi uir quidam ę ciuitate, qui habebat Dęmonium iam temporibus multis, & uestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis. Matthęus, qui uidetur hanc eandem historiam scribere, cum pręmisisset, quod in nauī factum audiuius, adiecit. Cum uenissent trans fretum in regionem Gergesenorum, occurrerunt ei duo habentes Dęmonia, de monumentis exeuntes, seui nimis, ita ut nemo posset transire per uiam illam. Illic ergo duo fuisse describuntur, qui a Dęmonio essent occupati: sed fieri potest, ut fuerint quidem duo, sed unius tantum Lucas fecerit mentionę, qui ę duobus fuisset insignior. uel certę bis hoc miraculum factum est. Porro quod apud Matthęum legitur Gergeseni, apud Lucam uerō Gadareni, eadem uox est, quamuis diuerso modo pronuntiata. Occurrit ergo Domino uir iste, qui habebat Dęmonium iam temporibus multis, & ob hanc longi temporis obsessionem, magis miseratus est Dominus uirum illum, sicut & eum, qui ad probaticam erat, & triginta, atque octo annos morbo tenebatur, agnoscens, quod multum iam temporis illo morbo teneretur, elegit illum curandum, quamuis alioqui iaceret ibi multitudo magna languentium, cęcorum,

cęcorum, claudorum, aridorum. potuit etiam fieri mentio huius multi temporis, ut intelligeretur feritas huius Dęmonis, quem nullę aditurationes, & nulla sacerdotum uirtus eicere potuisset, ex quo intelligi magis potuit potestas Christi tam ingens, ut nullo negotio fuerit homo ille liberatus. Et uestimento (inquit) non induebatur. & hoc ad Dęmonis scuitiam declarandam pertinet, qui ueluti rabiem quandam homini iniiciebat, ac furorem. nam & furentium mos est, dilacerare sibi uestimenta, & ea a se abijcere. ob eandem causam neque in domo manebat. nam & hoc insanientes, ac furentes facere solent, sed cur in monumentis uersabatur? opinor ob immundos, & impuros Dęmonum mores. quare & in hac historia, & alibi immundi spiritus appellantur. fieri etiam potest, ut malitiosę hoc facerent, quod introducerent superstitiones, & erroris opiniones, quod scilicet morientium animę Dęmones euaderent, siue ut necromantię artem astruerent, qua homines facultati illi addicti, per mortuorum corpora, malorum Dęmonum opera uerentur. nam plenissima malitię est eorum natura, & generi nostro inimicissima ab initio, quod declaratum iam tum fuit, cum primogenitores nostri serpentis, in quo habitabat Dęmon, fraude, & astu eieci ę paradiso fuerunt, & mortales facti. Deus enim, ut in libro sapientię legitur, creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suę fecit illum. inuidia autem Diaboli mors intrauit in orbem terrarum. &, cum hoc certissimum apud Christianos sit, mirum tamen est, quo pacto, & quām facile homines ad res superstitionos, & in quibus Dęmonum fraudes delitescunt, potius accurrant, quām ad tutissimū, & pręsentissimum benignissimi Dei auxilium. & tam plenus est his superstitionibus nunc Christianus orbis, ut maxima pars relicto Deo ad eas confugiant, quare uideo esse maximę necessariū, de hac re aliquid dicere, pręsertim cū multi in hos errores debeantur imprudętes, ut ne intelligant quidem, quid peccent. qui si admonęantur, facilius res tam impias, tamque a uero Dei cultu alienas deuitabunt. nam qui ob ignorantiam peccant, minori negotio ab errore auocantur. sed, ne Euangelica historia intercідatur, hanc tractationem in extremam huius orationis partem relegabimus. Occurrit ergo Domino uir quidam ę ciuitate illa, qui habebat Dęmonium iam temporibus multis, & uestimento non utebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis. miserum spectaculum. hominem cer nere, uis Dęmonis ita exagitatam, ut nudus incedat, ac pro domo habitationem eligat sepulchrorum. neque dubito, unum quęnque uestrum solo auditu exhorrescere. multo uerō magis fuissetis commoti, si hoc ipsis oculis effectis intuiti. sed res multo miserabilior quotidie ante oculos uestros uersatur, & nemo commouetur, tantumque abest, ut quisquam,

uel exhorrescat, uel doleat, uel miseretur, ut multi eo spectaculo etiam defectentur. Habet hæc ciuitas quàm plurimos, qui ab infinitis uitijs, atque peccatis, tanquam à Demonum legionibus obsidentur, omnibus uirtutibus, ac rectè factis nudos per urbem incedentes, & nemo tantum malum obseruat, aut miseratur. & hi etiam eligunt sepulchra, in quibus habitent, relicta ac spreto domo. nam Christiani hominis domus esse debet sua cuiusque conscientia, quam ædificet, curet, mundet, ornet. cuius protectione, & continua habitatione, id est, eius examinatione, ab ingruentibus quotidie uitiorum procellis, tanquam ab æstu, & pluuia, & uentis defendatur. at isti ab ea recedentes, sepulchra malunt habitare. at quanam ea sunt? doceat nos propheta, cuius uerbis fidem habere non dubitabit. de eiusmodi enim hominibus loquens ait. sepulchrū patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant, uenenum aspidū sub labijs eorum: quorum os maledictione, & amaritudine plenum est. etenim quæ sepulchra patentia tam graue olent, quàm illorum ora, qui suis fetidissimis blasphemijs Deum, & sanctos eius in cessant? qui spurcissima, & plena lasciuijs uerba, non proferunt, sed tanquam nimio uino, sic fœdis cogitationibus pleni, euomunt? nam ex abundantia cordis os loquitur. sepulchra habitant, qui, sicut audistis ex propheta, linguis suis dolosè agunt, & in quotidiana sermonis consuetudine, nihil aliud, nisi fraudes meditantur, & quibus artibus proximū quèque circumueniāt, ut uerè adiectum sit uenenum aspidum sub labijs eorum. neque enim magis uenenate serpentum lingue letales sunt, quàm horum colloquia. quæ præter fraudes, & dolos, plena etiam esse dicit idem propheta execratione, & amarulentia, quæ omnia deberent homines peius odisse, & abominari, quàm aperta sepulchra. & tamen non est, qui ista curet. quin plures reperiuntur, qui se illis socios præbeant, quàm qui auersentur. atqui eiusmodi homines deteriores sunt patentibus sepulchris. illa .n. præter graueolentiam, & tetrum aspectum nihil faciunt damni. at ij. & hæc ipsa secum habent, & præterea contagio inficiunt audientes, & ueluti pestilentia quædam sunt, quæ totam urbem peruat, & tam ingens malum non cauetur. & siquidè ea pestilentia, quæ inficere corpora solet, audiretur in hanc urbem ingressa, mox præficerentur, qui cauerent, ne latius serperet. in hac uerò spiritali peste, quæ tantò pluris esset æstimanda, quantò maius est animi damnum, quàm corporis, nulla habetur cauendi ratio, sed uagatur liberè, ac nemine prohibente omnia inquinat, & corrumpit: ita omnibus in rebus, quæ ad animæ salutem pertinent, sumus inertissimi. Is cum uidisset Iesum, & clamasset, procidit ante illum, ac uoce magna dixit. quid mihi tecum est Iesu fili Dei altissimi? obsecro te, ne me torqueas. uiso Iesu sensit potestatem se superiorè, & coactus fuit exclamari, neque id solum, sed procidere et ante illum, ut uel ab

inuito extorqueretur confessio maiestatis. quòd uerò id inuitus faceret, testantur uerba sequentia, cū uoce magna dixit. quid mihi tecum est Iesu fili Dei altissimi? tale quid fecit & ille immundus spiritus, quem superius memorauit idem euangelista. in synagoga (inquit) erat homo habēs spiritum Demonis immundum, & exclamauit uoce magna dicens. sine, quid tibi nobiscum est Iesu Nazarene? uenisti ad perdendum nos? scio te qui sis, sanctus ille Dei. hi ergo spiritus, ut impudentes quidem, & superbi insolescunt, & uidentur cū eo in iniriā expostulare, tanquā iniquè se cum agat, sed demū procidunt, & obsecrant, & maiestatem uenerantur, atque in hac parte modestius agunt, quàm plurimi, qui se tamen Christianos audent appellare. ij. n. multò impudentius agunt aduersus Christū, quàm Dæmones. illi. n. quærentur quidè, ut hic audiuius, sed nihil tamen proferunt blasphemū, quin eū potius laudant, & interea submittūt se, atque obsecrant. ij. uerò ita horrendis incessunt Christū blasphemijs, sine ulla adiecta, uel timoris, uel reuerentiæ significatione, ut manifestissimè se prodant Dæmonibus esse deteriores. Dæmones. n. credunt, & contremiscunt: isti credere se dicunt, & nullo eius iudiciorum metu commoentur. illi cū sint robore, ac uirtute maiores, atq; ad ferenda tormenta robustiores, non ferunt aduersus sese apud Dominū, maledicū iudicium. isti perinde quasi nunquam in terrificum illud iudicium sint uocandi, securi in omnia scelera feruntur, & omnium Dominatorè, abiecto omni & timore, & reuerentia, contemnunt, atq; adeo dilacerant, & conculcant. qui si nullam habere cum Christo necessitudinem omnino decreuerūt, dicerent saltem cum hoc Dæmone, quid mihi tecum est Iesu? & tacerent magna uerba, quæ Dæmon adiecit, fili Dei altissimi. nam illa proferre non possent. si. n. illum filium Dei altissimi uerè crederent, fieri non posset, ut eiusmodi blasphemie ex eorum ore prodirent. Sed quid uult Dæmon, cum ait. quid mihi rei tecū est? id faciunt Dæmones, quod tyranni solent, qui ubi aliquot annos, aut ætates, regnum, uel prouinciā occupauerint, putant ex illa uetustate possessionis, se iam legitimos esse dominos, & iure possidere, quod habent. sic isti, cum ab initio nostri generis fraude mala insperu in homines accepissent, putabāt, se iustè possidere, quod prius inuaserant. quare intelligentes, aduentum Christi ad hoc facere, ut suo regno exspoliètur, quasi iniuste secū fiat, hæc tāquā iniuriā cū eo expostulāt, & dicūt. qd tibi rei est nobiscū? cor iura nostra uiolas? cur pacificā tot iā annorū millibus possessionē turbas? nihil cause est. cur negociū nobis facestas. coactus aut fuit Dæmō adijcere uerba illa, fili Dei altissimi, ob suprēmā potētiam, quam in eo aduersus se sentiebat. neq; absurdum est, si quis opinetur, illum hoc dixisse, ut scientiæ sibi titulum uendicaret, à qua scientia uox ista Dæmon proficiscitur, ut sit *ὁ κύριος* quasi *ὁ κύριος*, id est, sciens. cum ergo in illa regione ignoraretur ipsius

Christi maiestas, ipse primus eum prodit, ut qui agnosceret, quod alij ne scirent. verum, quod eius etiam potentiam vehementer formidaret, facile liquet ex ijs, quæ adiecit. Obsecro te, ne me torqueas. & cur hoc dixerit, declarat Euangelista, cum addit. præcipiebat enim spiritui immundo, ut exiret ab hominè. ecce & hic immundum spiritum appellat, quia immundis, & impuris factis, ac cogitationibus delectantur hi spiritus, & cum ijs libenter versantur, qui ista amant. omnia enim pura, ac munda auersantur. Sed dicet fortasse aliquis. quid vult ergo, quod alibi legimus. immundum spiritum egressum ab homine, cum ambularet per loca arida, nec inueniret requiem, rediisse ad eam domum, unde exierat, & inuenisse eam scopis mundatam, & ornatam, quare ingressum habitasse ibi? at hunc locum, qui ab hoc ipso Euangelista ponitur, cum eò ventum fuerit, accuratius tractabimus. nunc satis sit tantum dicere, quo soluatür vestra dubitatio. Animæ virtutibus ditatæ, atque à vitiorum sordibus purgatæ, sunt veluti domus munda, & ornata. has occupare tentant mali Dæmones, non ut in illo earum ornatu deliciantur, & gaudeant, sed ut eum perdant, & sublatis virtutibus vitij fordident, ac suæ naturæ consentaneum habitaculum faciant. & ob hanc causam quod quis pluribus virtutibus nitet, ac maiores in rectè facta progressus fecit, eò grauiora bella in eum excitant, quàm in eos, qui minus studiosè quærunt in uia Dei esse perfecti: nam ubi maius bonum inueniunt, acriori torquentur inuidia, & sæuiunt acrius, ut bonum illud euertant: Frequenter enim arripuerat illum, & vinciebatur catenis, & compedibus custodiebatur, & ruptis vinculis agebatur à Dæmonio in deserta. hæc erat magis vrgēs causa, cur miseratione Dominus moueretur, ut miserum hominem à Dæmonis tam sæui potestate liberaret. reddit ergo Euangelista rationem, cur præciperet spiritui immundo, ut exiret ab homine, quod scilicet nimia sæuitia illum exagitaret. Videtur autem hic homo robusta prius fuisse natura, & valida corporis constitutione. & quamuis Dæmones, si eis permitteretur potestas, etiam in infirmiori corpore maxima efficere possent mala, & ingenteis uires ostentare, plurimum tamen agunt, pro subiecti corporis qualitate. quod euidentius cernitur, cum non corpora, sed mentes hominum à malis hisce Dæmonibus obsidentur. cernere est enim eos, qui prestantiori sunt ingenio, ubi primum fiunt, mentem à Dæmone occupari, & eius persuasionibus acquiescunt, multò sceleratiora facere, quàm ij, qui hebetiore sunt ingenio, quamuis & ipsi se peruersa sua voluntate in Dæmonis dederint potestatem. sed illis accidit res miserabilior, quàm huic, de quo nunc habetur sermo. hic enim habebat aliquos, qui eum, quantum poterant, cohibere conarentur. at isti, quò maiorem in eos Diabolus potestatem exercet, pauciores

habent;

habent, qui eos curent, ac prohibeant, ne quotidie fiant deteriores. Erit, exempli gratia, qui pessimis machinationibus maximam aliquam dignitatem sit assecutus. hic tantum abest, ut inueniat, qui tanti eius sceleris misereatur, ut maxima hominum pars, quò fuerit maior illa dignitas, quæ est adeptus, eò illum iudicet beatiorem. in eundem modum si quis suo astu, & vrsuris, & fraudibus, ex inope diues factus sit, quò euasit ditior, multò plures habet, qui eius felicitati (sic enim maximum malum miseri appellant) inuideant, quàm qui misereantur, & curent eum à miserima illa obsessione liberare. & hæc quidem fieri quotidie cernimus, & nemo uel miratur, uel commouetur misericordia. ita fit, ut maior sit pars eorum, qui à diabolo obsideantur, quàm qui ab eius potestate sint liberi. neque tamen hoc facile à quoquam intelligatur. Et ruptis (inquit) uinculis agebatur in deserta. ubi uidentur fuisse monumenta, in quibus manebat. neque enim in urbibus, multò uerò minus in templis sepulchra constituebantur, contra quem profanum abusum, & ipsis etiam ethnicis detestandum, satis sit in presenti, quod aliàs diximus. Interrogauit autem illum Iesus dicens. quod tibi nomen est? non hoc interrogat Dominus, quòd ipse nesciret, qui vocaretur, sed ut ij, qui aderant, intelligerent, à quàm ingenti Dæmonum numero uir ille obsideretur. sic in veteri testamento dicitur: Adam ubi es? quasi ignoraret Deus, ubi esset. & de Lazaro. ubi posuistis eum? Neque uerò locus hic facit pro ijs, qui putant, angelos siue bonos, siue malos, omnes habere sua nomina, quemadmodum homines, & ex hac opinione plura excogitant nomina, quibus inesse uolunt ingentem quandam vim, & hac occasione multas superstitiones introducunt, quæ nulla nituntur sacrarum scripturarum auctoritate. verum, si quis accuratè peruestiget, inueniet in scripturis sacris nomina angelis assignari, non pro ipsorum natura, sed pro qualitate ministerij, atque officij, quo utilitatis hominum gratia funguntur, quemadmodum latius alibi uobis demonstraui. sic immundorum spirituum quædam inueniuntur nomina, quæ illorum malitiam declarent. Diabolus à calumnia nomen habet, ut qui calumniari Deum apud homines ausus fuerit, quasi eis inuideret, ne, si ex ligno scientiæ uelcerentur, essent sicut Dij. Satan, id est, aduersarius, quòd omnibus, & Dei, & hominum rectè factis aduersetur. Belial, absque iugo. Beelzebub, Deus muscarum, ob sacrificiorum impuritatem, quibus delectatur. At ille dixit, Legio. & causam addit Euangelista, cur ita se uocauerit, quia scilicet intrauerant Dæmonia multa in eum. nam legio militare nomen, aliquot millium complectitur numerum. Et rogauerunt illum, ne imperaret ipsis, ut in abyssum irent, id est, in inferni profunda. nam abysus Græca vox est, & ponitur pro voragine quadam, ubi fundum nõ possit

fit contingi. appellat ergo infernum abyssum, ob immensam eius capacitatem, cuius meminuit Esaias, cum ait. Preparata est ab heri Tophet; etiam pro rege preparata, profunda, & dilatata. incendium eius ignis, & ligna multa. status Domini sicut torrens sulphuris succedens eam. Cum ergo scirent hi Dæmones, ignem illum sibi preparatum, timebant, ne illuc à Domino Iesu mitterentur. Heu miseriam ingentem nostram, & omnem prorsus amissum sensum, Dæmones, qui, ut dudum ex Petri apostoli sententia dicebamus, sunt robore, & virtute maiores, ad perferenda illa æterni ignis tormenta, ad eius nomen exhorrescunt, & homines, qui apud aculeum sine clamore ferre non possunt, ad illius ignis appellationem securi in vtranque, ut dicitur, aurem dormiunt. quanto esset melius nunc frequentissime versare cogitatione, & quotidie ante oculos ponere sempiterna illa incendia, quod presentissimum esset remedium ad ea deuitanda, quam negligentes, & supinos, neque vnquam ferentes, ista ad memoriam reuocare, improvisos in malum præcipitari sempiternum? Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte, & rogabant eum, ut permitteret ipsos in illos ingredi, & permisit illis. Apertissimum argumentum, nihil posse liberè aduersum nos vim vllam Dæmonum, cum ne in porcos quidem ingredi sint ausi, nisi Domino permittente. tantum timeamus Dominum, & eius mandatis obtemperemus, & omnis eorum potentia pedibus nostris subiecta erit. ecce (inquit) dedi vobis potestatem calcandi super scorpiones, & super omnem virtutem inimici. Sed cur petierunt ingredi in porcos? Dæmonum natura est, ut semper aliquid damni afferre querant hominibus, quare exhibant ægrè ab homine sine aliquo alio malo. Sed rursus cur permisit Dominus, ut id agerent? num ut eis gratificaretur? minimè omnium, sed mala Dæmonum voluntate in bonum est vsus. sicut enim permisit Satan affligere beatum Iob, ut probaretur viri iusti patientia; sic permisit, ut hæc Dæmonia in porcos ingrederentur, ut ex hoc miraculo præberetur occasio hominibus regionis illius agnoscendi Christum, si voluissent. Exierunt ergo Dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos. ecce qualis sit Dæmonum grata habitatio. is, qui æqualitatem altissimi amebat, sua superbia deiectus ad eam humilitatē fuit, ut pro magno munere habeat, si eiectus ab homine, in porcos ingredi permittatur. fugiamus superbiam charissimi, tantorum malorum parentem, & sectemur animi submissionem, quæ efficit, ut homo, alioqui puluis, & cinis, in cœlum transferatur, & par angelis fiat. Et impetu abiit grex per præcepsum in stagnum, & suffocatus est. eundem assequuntur finem, quicumque carnis lasciuia, suillum in morē, & ceteris vitijs operā dant, & eorum anima Dæmonum est per totam vitā habitatio. nam demum præcipientes feruntur in
æterni

æterni ignis stagnum, vbi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Porro ut viderent, quod acciderat, ij, qui pascebant, fugerunt, rumoreque nuntiauerunt in ciuitatem, & villas. hanc enim ob causam permisit Dominus, ut Dæmones in porcos ingrederentur, & grex totus præcepsum ferretur in stagnum, ut excitarentur ad rei nouitatem, & ad Euangelicam prædicationem inuitarentur, Exierunt autem, ut viderent, quod factum erat. Videntur ij, quem admodum rei euentus demum declarauit, sola curiositate fuisse permoti, ut & ij faciunt, qui ad verbi Dei prædicationem acciti, veniunt quidem, at cum nullo audiendæ veritatis affectu, sed sicut cum in forum veniunt, audituri circumforaneum aliquem locuturum. nam ij nullum prorsus referunt fructum. Et venerunt ad Iesum, & inuenerunt hominem sedentem, à quo Dæmonia exierant, vestitum, ac sana mente, ad pedes Iesu, & timuerunt. Obserua signa, quibus agnosci possit, hominem, qui prius à Dæmone obsidebatur, esse ab eius potestate liberatum. nam quod in huius corpore vsu euenit, idem ipsum in anima accidit, quæ à peccato ad iustitiam se contulerit. hic homo, dum obsideretur à Dæmone, agebatur furens huc, atque illuc, nunc liberatus sedet. antea abiectis vestimentis nudus ferebatur, nunc vestem habet. prius insanus, nunc sana mente. tunc in sepulchris habitabat, nunc sedet ad pedes Iesu. vbi ergo videris hominem, qui, dum à malo Dæmone possidebatur, nudus erat omni virtute destitutus, & veste spoliatus, quam in baptismo acceperat, & tanquam inter cadauera mortuorum, sic inter omnia vitiorum genera versabatur, & loca amabat, in quibus talia exercentur, ut lupanaria, telonia, cauponas, ebrietatum, & lasciuiarum habitacula, postea reuersum ad pœnitentiam contraria omnia facere, quiescere ab omnibus sceleratè factis, uirtutibus, tanquam honestis uestibus ornari, & ea agere, quæ sanum hominem deceant, ad pedes Iesu iacere, illius misericordiam, ac peccatorum ueniam cum lacrymis, & summa cum humilitate petentem, hunc certò scias uerè à Dæmonis imperio fuisse liberatum. at uerò, qui post, non factam, sed fictam, & simulatam per exhomologesim peccatorum pœnitentiam, rursus paucos post dies ad eadem, & plerunque grauiora peccata relabatur, pro certò habeto, nunquam Dæmonem integrè ab eo recessisse, sed in eius anima id fieri, quod in corporibus obsessis accidit, ut interdū Dæmon agere in eis cesset, factis quibusdam uexandi interuallis, & post paulò ad eandem redit uexationem, pro dolor. hæc à me sæpius admonemini, & neminem, aut certè quam paucissimos rem tanti momenti audire comperio. Nuntiauerunt aut illis etiā, qui uiderant, quò sanus factus esset is, qui agitabatur à Dæmonio. Videbāt quod eij, qui exierāt è ciuitate, quanta esset in hoīe, qui antea à Dæmonio uexabatur, facta mutatio, sed nesciebāt, quo pacto
id ac-

id accidisset. pastores ergo, qui hoc viderant, sunt eis Euangelistæ, & nar-
rant, id Domini Iesu virtute, atque imperio esse factum. Et rogauerunt
illum omnis multitudo Gadarenorum, vt discederet ab ipsis. Non hoc fe-
cerunt eo affectu, quo Petrus dixit. discede à me Domine, quoniam ho-
mo peccator sum. & humilis ille Centurio. Domine non sum dignus, ut
intres sub tectum meum. sed quid? quia magno (inquit) timore tene-
bantur. videntur timuisse, ne quod grauius malum sibi ex eius præsentia
accideret. fortasse enim grauiorum sibi scelerum erant conscij, neque
vllò discedendi ab eis tenebantur desiderio. Ipse autem conscensa na-
ui reuersus est. non dantur cœlestia dona recusantibus. quare sua de mo-
re vsus mansuetudine, nihil indignatus, quod eum non inuissent, neq;
doctrina Euangelica instrui postulauissent, reuertitur, vnde fuerat profe-
ctus. Rogauerat enim illum vir, à quo Dæmonia exierant, vt cum eo es-
set. sed remisit eum Iesus, dicens. redi in domum tuam, & narra, quæ-
cunque tibi fecerit Deus. Reddit rationem Euangelista, curis, qui à Dæ-
monio fuerat liberatus, non simul ascenderit nauim cum Iesu, & secutus
eum fuerit, dicitque, postulasse quidem illum, vt sequeretur, cum ob amo-
rẽm, quo iam erga Iesum affectus erat, ob ingens acceptum beneficium,
tum fortasse etiam metu, ne post Domini discessum. rursus Dæmonium
facesset illi negocium. sed noluit hoc Iesus, vt prodesset opinor suæ ci-
uitati, narrando magnificum Christi opus, ac potentiam, effugata ab eo
Dæmonum legione. quare iussit, vt rediret in domum suam, & narraret
quæcunque fecisset illi Deus. Et abiit per totam ciuitatem, prædicans,
quæcunque sibi fecisset Iesus. Præceperat illi Dominus, ut narraret, quæ
fecisset illi Deus, vt nos doceret, in omnibus factis nostris, non debere
nos quicquam gloriæ nobis vindicare. at ille prædicauit, quæcunque fece-
rat sibi Iesus. sed non discessit à præcepto. nam ipse Iesus erat etiã Deus.
& is, qui nullam sacrarum scripturarum habebat eruditionem, beneficij
accepti memor, prædicator efficitur. Qua in recernere potestis, quam iu-
stè ego saepe ex hoc loco sim conquestus, quod nullum mihi in Euangeli-
co negotio præbetis auxilium, perinde quasi nihil ad vos ista pertineant,
cum oporteret, vnumquenque vestrum esse Christi præconem, & ea sal-
tem, quæ hic auditis, illis prædicare, qui sua negligentia vobiscum huc
conuenire contemnunt. sic enim fieret, ut paucis annis vestra ciuitas
Christianos mores induere inciperet. Sed video, me longius, quàm pu-
taram, produxisse orationem, vt exiguum horę spatium reliquum sit ad
eam materiam tractandam, videlicet de superstitione, quam in hunc
locum reieceram, ne Euangelica historia intercideretur. quare ea, quæ
fufius tractari potuissent, breui oratione complectemur. quod fortasse
erit

erit vtilius, ut ipsa dicendi breuitate, ea, quæ dicentur, facilius memo-
ria retineatis. Omnis uirtus inter duo uitia locum tenet. quare & reli-
gio, id est, Dei cultus, qui etiam pietas appellatur, duo habet uitiosa ex-
trema, impietatem, ac superstitionem. sed impietas facilius intelligitur,
ac propterea caueri minori negotio potest. at superstitio, quæ religio-
nis, ac pietatis imâgine quadam coloratur, ita plerunque imponit multi-
tudini, ut quod est sceleratissimum, plenum religionis interdum esse ui-
deatur. id quod & in alijs uirtutibus usu euenit. nam audacia, ac timor.
uitia sunt uitiaque contraria fortitudini, quæ uirtus est. sed multi fallun-
tur, dum audaces sunt, & fortes uolunt appellari, quoniam audacia quo-
dam modo fortitudinem imitatur. sic prodigalitas æquẽ uitium est libe-
ralitati contrarium, ut auaritia, sed inueniuntur, qui sine iudicio pro-
fundant opes, & ob hanc causam liberales se esse arbitrantur. at auari-
tia contrarium uitium, cum longius distet ab imagine liberalitatis, mi-
nus facile decipere potest, ut uideatur liberalitas. In hunc modum hac
in re, qua de agimus, impietas, quæ omnem Dei cultum negligit, & auer-
satur, apertè intelligitur esse pietati, ac religioni inimica. superstitio ue-
rò fallit propterea, quod pietatem uidetur æmulari. iccirco de hac una
nunc estis admonendi. Superstitio ergo est uitium, quo circa diuinum
cultum erratur. & eius quatuor sunt partes. Diuinitio, idololatria, mi-
nus debitus ueri Dei cultus, & obseruatio quarundam rerum, & actio-
num, & temporum, & locorum. Diuinitio est, quam exercent arioli, aru-
spices, augures, necromantici etiam, qui per mortuos diuinare se pollicen-
tur, siue per Dæmones, qui personas mortuorum assumunt, quæ res ma-
ximè est religioni contraria. Idololatria, id est, simulachrorum cultus,
dum scilicet alij, quàm Deo diuinus cultus exhibetur, peccatum apertissi-
mum est, neq; admodum multa eget admonitione, ut agnoscat. sed
duæ, quæ sequuntur partes fallere magis homines possunt. quarum una
est, cum exhibetur quidem cultus uerò ipsi Deo, sed modis, quibus id
fieri non debet, cū inde cultus ipse fiat, uel perniciosus, uel superuacuus.
scriptum est enim. ueri adoratores adorabunt in spiritu, & ueritate. at
cultus perniciosus est contra ueritatem, cultus superuacuus recedit à spi-
ritu. est autem cultus perniciosus contra fidei ueritatem, non solum si
quis nunc Iudaicis cœremonijs Deum coleret, Christum in carne ventu-
rum significantibus, sic enim uideretur credere, uel fateri, Christum non
dum uenisse, cum figuris adhuc ueretur, quæ ueniente ueritate cessare de-
buerunt, uerum etiam si quis falsas sanctorum reliquias colendas propo-
neret, aut uotiuas statuas, siue imagines in templis offerret, quæ miracu-
la aliqua facta significant, quæ tamen facta non sint, uel lucri, uel alterius
rei gratia, ut scilicet inde prouocati alij ad talia offerenda concurrant,

& emanant. & ij enim superstitionem falsi cultus Diuini introducunt, perinde quasi nostra mendacia Diuino honori aliquid addant, cum potius maximam irrogent iniuriam Deo, qui cum summa sit veritas, patronum illum faciunt falsitatis. sicut enim in periurio ex ipsa rei natura inducitur Deus quasi testis falsitatis, quamuis ille, qui peierat, non credat Deum falsum testari; ita hic superstitiosus vtitur, tanquam colendo Deum, falso cultu ex ipsa illius cultus natura, quamuis sciat, id Deo minimè placere, neque eius animus sit, Deum, sed tantummodo homines fallere. Superstitio autem, quæ Diuinum cultum uitiat, non ex eo, quòd perniciosus sit, sed superuacuus, est, cum quid in eo sit, non habens ordinem ad interiorem cultum, qui est cultus spiritus. quocirca quæcunque actiones, seu iocunditates, quæ solum ad exteriora utiles sunt, ad superfluum cultum spectant, atq; ad superstitionem. & si quidem in hac parte contemptus, aut scandalum desit, aut damnum in nimio sumptu, non ita graue peccatum est. sed multa in hoc peccantur à pluribus, qui celebrando aliquo solenni Diuini alicuius die, ingentes sumptus faciunt, & quæ in usu pauperum deberent impendere, in festiuam lætitiã insunt. hæc .n. est prorsus damnanda superstitio, & quæ ipsos Diuos, quos se putant colere, uehementer offendat. multò uerò sceleratius peccant ij, qui choreas, & tripudiã introducunt, & putant, se tum demum solennem diem facere, cum illum bacchanalibus efficiunt quàm simillimum. Quartum uerò superstitiones genus, quæ circa obseruationis uersatur, plura habet mēbra. prima est superstitio obseruationum eius artis, quæ notoria appellatur, qua certa ieiunia, & preces fiunt, secundum instituta illius artis, ut acquiratur scientia, quadam in animum infusa. hæc autem damnatur propterea, quòd occultam habet initam societatem cum Dæmone, ex cuius instituto ista seruantur. idq; inutiliter. neque enim Dæmonum uirtus est, scientiam animis nostris infundere. Altera est superstitio, cum utuntur homines herbis, lignis, animalibus, imaginibus, carminibus, ritibus ad aliquid faciendum, ut ad sanandum dolorē capitis, sistendū sanguinem, medendum vulnus, & eius generis alia. in his .n. frequentissimè admiscuntur uana quædã, ac superstitiosa, quæ tacitam declarant Dæmonum inuocationem, quod ex multis indicijs deprehenditur. primo ex adiuncta aliqua conditione uana, quasi necessaria, ut si ponatur uirtus in uerbis sacris, dum tamen scripta sint in tali pelle, aut tali hora, aut à tali homine, & ijs similia, quæ nec ad Dei cultum spectant, nec recta ratio illa admittit, hæc enim uana Diabolus apposuit, ut sua sacra. Deinde ex adiunctis rationabilibus, tanquam naturalibus, ut si ad effectus naturales adhibeantur characteres, qui aliquid significant. referuntur enim eiusmodi characteres, qui nulla naturali ratione nituntur, ad Dæmones, qui ipsos intelli-

gunt

gunt. Tertio ex adiunctis nominibus ignotis, uel absolutè, uel, ad quid pertineant, ignoratis. hoc enim Dæmonum est opus, penè manifestum. Quarto ex excellentia effectus, qui inde speratur, quia scilicet fertur ultra uirtutem agentium naturalium, ut nosse secreta cordium, sanari statim hominem, aut equum, ceteraq; eiusdem modi. hoc autem intellige, quantum ad medicinalia, seu naturalia pertinet. Quinto ex uanitate effectus, exempli gratia, quædam sacra uerba dicta, mouent annulū super filum, & eiusmodi uana. ex hoc .n. ipso, quòd uanus est effectus, constat, hanc Diuinam non esse uirtutem, sed Diabolicam, quæ non assistit uerbis sacris, sed sacrificio, quod sibi fit, dum ipse illis uerbis honoratur. gaudet enim honorari uerbis, & rebus sacris. quod ita esse, facile ex eo deprehenditur, quòd ubi non habetur fides, non efficitur id, quod adhibita fide solet sequi. fuere .n. qui ad conuincendam eiusmodi Diabolicam institutionem, accepto filo, & annulo, protestati sunt, se uersum illum è psalmo, quem isti superstitiosè adhibent, dicturos, ut sacrū Deo uero, ad quem à propheta dirigitur, & non tanquam institutum ad mouendum annulum, & cum hoc animo uersiculum illum dixissent, non est motus annulus. ex quo agnoscere quibus potest, tunc Diabolus mouere annulum, cum uersus ille dicitur ei, quemadmodum ipse instituit. dicit autem ei tacita intentione, quicumque dicit, etiam iocando, illum, ut habentem uim ad mouendum annulum, qui uim illam nō habet, nisi ex pacto olim inito cum Dæmone, & similia idem iudiciū esto. Sexto ex falsis adiunctis, ut quòd Christus febre laborauerit, aut aliquo alio dolore, & eiusmodi nugis comperi ego multa conscripta, quibus pro preces uti consueuerunt plurimi, quæ cum, ubicunque reperire potui, dilacerauerim, quia tamen uereor, ne apud aliquos res tam profanæ, atque à uera fide alienæ adhuc detineantur, iubeo sub excommunicationis pœnâ, ut quicumq; huius generis scripta habent, aut qui habeant, sciunt, mihi denuntient quàm ocysimè. talia .n. plena sunt mendaciorum, & Diabolus pater mendacij est, quem admodum ueritas ipsa Christus docet. Proximus huic modus addi septimus potest, quando adiunguntur apocrypha, siue incerta. mirum est .n. quo pacto incerta maiorem à Deo uim habeant, quàm certa, rursusque quòd sanctis uiris, quibus Deus credidit secreta sapientiæ suæ, & uirtutem potentia suæ in miraculis, & sacramentis, & curam animarum, quibus promisit notitiã omnis ueritatis, secretas has sacrorum uirtutes negauerit, & uetulis, ac cuiusq; generis hominibus hæc cōmunicauerit. quare eiusmodi incerta saltem ut suspecta cauenda sunt. Quòd si falli non vis, nemini in materia incantationum credas: quia uidetur fieri non posse, quin aliqua superstitio saltem in modo dicendi interueniat, ut dicere orationem Domini-

DDDD 2 cam

ORATIO QVADRAGESIMA QVINTA.

cam ad aures equi . hoc enim constat esse superstitiosum . & similitum eadem est ratio . sed redeamus ad partes superstitionis . Tertia superstitio est obseruationum ex præfagijs futurorum , siue bonorum , siue malorū , quæ propter incidentia concipiuntur , ut , si sternutare cōtingat surgentē , redire ad lectum . si exeuntem domo impingere ad hostium , redire domum , & huius generis infinita , quæ uanissimè obseruantur , cum nullum habeant uel rationis , uel Diuinarum scripturarū fundamentum . Quarta superstitio est , obseruationum in uerbis , aut rebus sacris portandis , dicendis , utendis , adiunctis aliquibus conditionibus non malis , quarum ratio nescitur , ut patientes spasmus neruorum , pro remedio utantur annulo confecto ex primo numismate oblato Christi cruci in parasceue . quantum enim apparet in rebus eiusmodi , superstitio interuenit , quoniam uanæ conditiones apparēt , quæ fundamentum ex scripturis non habent . Quoniam autem multa peccari uideo in ijs , quæ collo suspenduntur , admonendi omnino estis , quæ sint necessaria , ut sine peccato , ac suspitione superstitiōis fiant . primum enim necesse est , ut ea nomina , quæ scribuntur , non sint incognita , sed nota . multi enim confingunt quedam Hæbraica nomina angelorum , quæ non intelligentibus metuenda , & ueneranda uideantur . Deinde nomina illa sancta sint , aut Euangelij , aut scripturæ sacræ , aut aliquorum sanctorum . tertio ne cum uerbis illis sacris permisceantur characteres præter signum crucis . quarto ne inseratur quippiam uanum , aut falsum . quinto ne in scribendo , aut suspendendo , aut portando , obseruetur quicquam superstitiosum , sicut cum creditur , minus ualere scripta ante Euangelium , uel alio die , uel per puerum uirginem . hæc nisi concurrant , quicquid fit , superstitiosum , est . Hæc quam potuimus breuissimè de superstitionis materia tractare operæ pretium duximus , ut sciat unusquisque uestrum religionem à superstitione separare . quod non solum , qui inter Christianos pij sunt , uerum etiam qui inter ethnicos fuerunt prudentiores , fecerunt . à quibus ij , qui totos dies precabatur , & immolabant , ut sibi liberi sui superstitites essent , superstitio si sunt appellati , quasi reprehensione digni essent , qui ob nimium huius uitæ studium , anxie Deum precarentur , ac uota fecerent . quare nos , quibus tanta ueritas patefacta est , uel hoc uno exemplo pudeat , ob momentanea ista commoda esse superstitiosos , & discamus uerū , ac ueri Dei cultum querere , atque ab uno eodem illo Deo bona omnia sperare , & dicere cum propheta , qui id fuerat expertus . mihi autem adhærere Deo bonum est , ponere in Domino Deo spem meam . cui est gloria , & magnificentia , & potestas , & imperium , & nunc , & in omnia secula seculorum . Amen .

ORATIO

ORATIO QVADRAGESIMA

S E S T A .



TACTVM est autem , cum rediret Iesus , excepit illū turba , nam omnes expectabant eum . Vide , quanti referat , expertum esse Domini Iesu suauitatem , ac benignitatē . turba illa , quæ sæpius loquentem eum audierat , & ignito eius eloquio fuerat inflammata , auidè illum expectabat , quare aduenientem læta excipit . at Gadareni , qui nullū illius prædicationis gustum fenserant , tantum absfuit , ut eum exciperent , ut etiam rogauerint , ut ab eis discederet . idem ipsum & nunc usu uenit . cernimus enim , eos , qui inter uos cœperunt Euangelica prædicatione delectari cupidè expectare diem , quo habetur concio , & hilari uultu episcopum locuturum excipere : eos uerò , qui spiritualibus hisce epulis nō sunt affueti , illas auersari , ac fastidire , & cum ad concionem ære campano inuitantur , nihil minus cogitare , quàm de uerbi Dei auditione . quos miserari sanè uehementer oportet , ac multò magis , quàm eos , qui ob stomachi infirmitatem cibum capere non possunt . illic enim sola corporis salus in periculo est , hic uerò animæ , quæ una æstimanda est . signum enim est manifestissimum , eiusmodi homines longius à salute distare , cum dicat ipsa ueritas . eum , qui ex Deo fit , uerba Dei audire , eos uerò , qui non audiunt , minimè ex Deo esse . quo in malo cum maximam uestræ ciuitatis partem uersari uideam , quàm tristi me esse animo oportet ? atque ob hanc causam sæpius ista ex hoc loco sum conquestus , si fortè saltem per uos ad eorum aures tantum ipsorum malum perueniat , & tandem aliquando corrigantur . tandiu enim in magnis errorum tenebris uestra ciuitas uersabitur , dum pars uestri maior ab hac luce ueritatis erit aliena . interea uos imitamini hanc turbam , & alacres excipite Iesum , cū ad uos uenit . quoties enim cunque uerbum Dei ex hoc loco uobis proponitur , toties redit ad uos Iesus . Nam is est uerbum patris . Et ecce uenit uir , cui nomen Iairus , & ipse princeps synagogæ erat . acciditque ad pedes Iesu , rogans eum , ut intraret in domum suam , quoniam unica filia erat ei ferè annorum duodecim , & hæc moriebatur . Mattheus hanc describens historiam , dicit , illam iam mortuam fuisse . cum Iairus eius pater uenit ad Iesum , sic enim ait . ecce primas quidam uenit , & adorauit eum dicens . filia mea modò defuncta est , sed ueni , & impone manum tuam super illam , & uiuet . uerum hoc nihil de

de historiae ueritate, & euangelistarum fide imminuit, sed maiorem potius illis arrogat fidem, cum ueritatis sibi conscij, satis esse arbitrabantur, summam rei narrare, tamen in ipsa narratione non ad amussim eorum inter se uerba quadrarent, atque hoc manifestum argumentum est, illos non ex composito scripsisse, sed unumquenque seorsum, de alterius scripto ignorantem. quæ res maximam arrogat euangelistis auctoritatem, qui, cum alter de alterius descriptione nescirent, in tota tamen historia summa tam fuerint concordēs. Princeps erat hic synagogæ. princeps quidē ferē Iudæorum in fensi erant Domino Iesu propterea, quod salutaria monita audire recusabant, & salubres admonitiones suam esse calumniā arbitrabantur. hæc enim est summa diuitum infelicitas, ut quod maioribus bonis à Deo fuerint ditati, eò sint Diuinæ beneficentiæ magis ingrati. rem profectò multis lacrymis prosequendam. etenim quid excogitari absurdius potest, quàm ex maiori Diuinorum beneficiorum copia, maiori erga Deum uti ingratitude? sed Deus, qui semper benignè nobis facere cogitat, non eos statim perdit, quin potius uias excogitat, quibus respiciant, & errorem agnoscant suum. quare aduersis interdum, paterno affectu, tanquam uerberibus eos cædit, ut qui Deum per rerum prosperarum successum agnoscere neglexerant, adhibita castigatione respiciant. solet enim Diuina prouidentia contraria curare contrarijs, quæ admodum & Paulus de cœconomia introductæ prædicationis crucis loquens ait. quia in Dei sapientia mundus per sapientiam Deum non cognouit, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credētes. Sed adhibendū est nobis studiū, ut, cū aduersa immittuntur, intelligamus, utilitatis nostræ gratia totum fieri, alioqui quod maximi boni esse occasio debuerat. id in nostram conuertimus perniciem. intueamur Pharaonem, qui ijs percussus fuit plagis, quæ adamantina quæuis pectora molli-re, ac frangere potuissent, uerum quia in dies obduratior fiebat, sola dāna suo uitio ex eis reportauit, & denum in eadē obstinatione perdurās, rubri maris undis cum suo exercitu fuit obrutus. at Dauid, quoties ob aliqua errata percutiebatur à Deo, continuo se submittebat, fatebatur peccatum, ueniam postulabat, atque eo pacto cū Deo redibat in gratiā, & maiora post illam animi submissionem ei munera addebantur. sic Israelitarum populus, cum sapius ob offensum Deum darentur in captiuitatem, clamabant ad Dominum, & mittebat eis liberatorem. clamauerunt (inquit) ad Dominum, cum affligerentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos. Potuit ergo & huic principi synagogæ Diuina dispensatione accidisse, ut filia, quæ illi erat unica, in uitæ periculum ueniret, atque hac occasione crederet in Iesum, quod summum omnium bonorum fuit, quæ assequi potuisset. quare æquo semper animo ferenda ad-

uersa

uersa sunt, cum ex eis multò maiora nobis, quàm ex secundis, bona soleat proficisci. Venit ergo princeps ille synagogæ, & accidit ad pedes Iesu, rogans eum, ut intraret in domum suam, nondum enim Diuinitatem Christi agnoscebat, qui etiam absens solo uerbo incolumem reddere poterat filiam. sed cur non obiecit illi fidei imperfectionem, sicut obiecit illi aulico, id est, ex regis aula, qui cum rogaret Iesum, ut descenderet, ac sanaret ipsius filium, respōsum ei fuit, nisi signa, & prodigia uideritis, nō creditis? erat ille ex vrbe Capernaum, quæ magna incredulitate laborabat, quod & olim obiecit ei Christus, quod multa fecisset in ea miracula, pro quorum magnitudine, & numero, minimè in fide responderet. quare dum respondere videtur illi aulico, toti ciuitati obijcit incredulitatem. non .n. dixit vnus numero, nisi uideris signa, sed, nisi uideritis signa, & prodigia, non creditis. solebat .n. Dominus interdū de uniuersis loqui, quauis ad unum, aut paucos sermonē habere uideretur. ut, cū dixisset quidā, se attulisse filiū, quæ discipuli Iesu curare nō potuissent, uisus quidē est presentibus tantum loqui, præsertim discipulis sed tamē totā Iudæorū gentem taxans dixit. O generatio incredula, quādiu uobiscū ero? quādiu uos patiar? hæc ergo potuit esse causa, cur tūc ita dixerit, in hac autē causa non incidebat eiusmodi occasio. Rursus quæras, cur nō dixit, uade, filia tua uiuit, sicut dixit illi ex aula regia viro? sciebat inter eundū futurū aliud miraculū, quod mox audietis. deinde permisit interea filiā mori, ut, cū accessisset, inueniret mortuam, & ex maiori miraculo fides in illū augeretur. Addit præterea causam Euangelista, cur moueri magis potuisset Dominus misericordia, quoniā vnica filia erat ei ferē annorū duodecim, & hæc moriebatur. obseruauimus .n. & alibi, nō quoslibet sine delectū Dominū uel sanasse, uel à mortuis suscitasse, sed summa id cū dispensatione, ac personarū habita ratione fecisse. ita hoc loco adductus magis est, ut uitā huic puellæ restitueret, paternū affectū miseratus, cū vnica hæc ei esset, atq; ad duodecim annorū ætatē peruenisset, ut paulò post viro esset collocanda, atq; ex ea nepotū sibi fructū expectaret, qua in re magis illius gētis erat miserandū, quod ex lege per Moſen data promittebatur Israelitis bona tēporaria inter quæ bona, filiorū, ac nepotū successio fiebat plurimi. nōdum .n. regni cœlorū, & futuræ illius æternæ uitæ nomē uulgatū fuerat, & ignoscendum erat, si hisce huius uitæ bonis, ac cōmodis propensius affecti erāt. at nobis probro est, cum admoneamur identidem, nos hic esse hospites, & peregrinos, atq; adeo exules, si exilij cogitationē patriæ curis anteponamus. Verū inter eundū turbæ coarctabāt eum. hoc dixit Euangelista propter narrationem, quæ sequetur, cū dicet Dominus, quis me tetigit? mira enim est huius Euangelistæ in scribendo prudētia. Et mulier, quæ sanguinis profluuiō laborauerat ab annis duodecim, quæ in medicos impēderat

omnem

omnem substantiam, nec ab ullo potuerat curari, accessit retro, & tetigit fimbriam uestimenti eius, & confestim sistebatur fluxus sanguinis eius. Non debet carere mysterio, quod mulier hæc tot annis fluxum sanguinis passa sit, quot habebat annos archisynagogi filia, ut uidelicet mulier ista tum inciperet morbo illo laborare, cum filia principis synagogæ nata est. filia huius principis est synagoga Iudæorum, quæ tum initium accepit, cum populus gentium, qui per hanc mulierem designatur, multo deterius habere cœpit, & quasi fluxum sanguinis, id est, uitæ diminutionem pati. nam vita hominis scripturæ sacræ testimonio, in sanguine est. Deus enim, qui genus nostrum, quamuis contumax semper ac rebelle, nunquam deseruit, cum cerneret nationes, ac gentes magis in dies à veri Dei cultu deficere, elegit primū Abraham, à quo selectus populus vnus proficisceretur, penes quem seruaretur uera Diuinitatis agnitio, donec ueniret ipse Dei filius, ex eadem gente secundum carnem profectus, qui toti omnium terrarum orbiluce ueritatis explosis tenebris afferret. uerū, quia futurum erat, ut populus ille, qui ex duodecim filijs Iacob auctus erat, ut & huic numero duodecim isti anni responderent, ob incredulitatem esset reiiciendus, & eodem, atq; vno tempore gentes, quas diximus toto hoc tempore tanquam in profluuiio sanguinis fuisse, sanandæ per fidem, atque ad incolumitatem reuocandæ, rectè quo tempore filia archisynagogi moritur, hæc mulier curatur. quæ etiam appositè dicitur impedisse, in medicos omnem substantiam suam, nec potuisse ab ullo curari. quandoquidem, ut beatus Petrus dixit, de Domino Iesu loquens, non est aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri. quid enim aliud erant omnes huius mundi sapientes, quam medici quidam, qui curandorum animorum scientiam profitebantur, & gloriabantur suam philosophiam mederi animis, inanes sollicitudines detrahere, cupiditatibus liberare, pellere timores? & tamen quid tandem effecere? quis eorum, non dico prouincias, & regna, quod nostri fecerunt, sed oppidulum vnum ad rectam vitam perducere sua prædicatione, ac philosophicis documentis potuit? quin & ijdem ipsi magna ex parte parum suæ professioni vita, ac moribus respondebant. quoties enim quisque philosophorum inueniebatur, qui esset ita moratus, ita animo, ac vita constitutus, ut ratio postulareret, qui disciplinam suam non ostentationem scientiæ, sed legem uitæ putaret, qui que obtemperaret sibi ipsi, & decretis suis pareret? videre erat alios tanta leuitate, & iactatione, ijs ut fuerit non didicisse melius, alios pecuniæ cupidos, gloriæ non nullos, multos libidinum seruos, ut cum eorum vita mirabiliter pugnaret oratio. iurè ergo consumpserat mulier omnem substantiam suam in medicos, nec quicquam ab eis curationis acceperat. ad Domini autem Iesu contactum fimbriæ; integram sanitatem

tem recepit, fimbria extrema est uestimenti pars. quid autem erant apostoli, nisi extremi hominum, piscatores, telonarij, rudes, idiotæ, tabernaculorum fabricatores, & quedam, ut rectè Paulus dixit, reiectamenta huius mundi? & tamen per hos ecclesia ex gentibus fuit congregata, & ex animæ, quæ omni morborum genere tam multis seculis ita laborauerant, ut nulla philosophorum, & sapientium huius seculi remedia curationem ullam afferre potuissent, per has uestimenti Christi fimbrias perfectæ sanitati fuerunt restitutæ, ut Græci, ac barbari, sapientes, & insipientes Euangelicæ prædicationi sese sua sponte subiecerint. hæc sunt admirabilissima omnium, quæ post conditum orbem facta unquam fuerunt, aut fieri in futurum possunt, & ea iam peracta cernimus. & hæc magna opera Domini nescimus admirari, ac propterea tam exiguos, atque adeo tam nullos potius in Christiana philosophia progressus facimus. uerè enim in nos dici conuenit, quod Iudæis Seruator Christus obiecit. regina (inquiens) Saba surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam, quia uenit à finibus terre, ut audiret sapientiam Salomonis, & ecce plus quam Salomon hic. quam multi enim sunt hæc ætate, præstantissimi ingenio, qui illud ingenium tota uita exercent in ijs studijs, & artibus, & facultatibus. quæ inuentæ ab hominibus sunt, & hanc è cœlo allatam philosophiam ita negligunt, ut minimum sit, quod de eâ cogitè, & tamen se profitentur Christianos, quod magis est admirandū, quodq; maioris proculdubio illis erit condemnationis occasio. Sanatur ergo hæc mulier tactu fimbriæ uestimenti Iesu, idque eò tempore, (uidete enim quam aptè hic historiæ contextus seruiat mysterio) quo ipse Iesus accedebat ad curandam filiam archisynagogi. missus enim erat, ut ipse testatur, ad oues perditas domus Israel, sed factum est ut obiter, & tanquam in ipso agendi itinere, ob eorum incredulitatem, gentes præterperant sanitatem. Pulchrè uerò post sanatam mulierem redditur uitæ etiam filia archisynagogi. nam, quemadmodum Paulus ait, cum plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israel saluus erit. sed missa interim horum mysteriorum interpretatione, ad solam historiæ contemplationem, quæ non minus utilitatis afferet, reuertamur. Mulier, erat obnoxia profluuiio sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos impenderat omnem substantiam, nec ab ullo potuerat curari, accessit retro, & tetigit fimbriam uestimenti eius, & confestim sistebatur fluxus sanguinis eius. Magnitudo, & uirtus curationis ex morbi magnitudine intelligitur, qui duodecim annorum spatio perdurauerit, & nequis neglectum fuisse morbum suspicetur, ac propterea minimè curatum, tantam ait adhibitam fuisse diligentiam, ut omnes facultates in medicos insumperit, quamuis ab ullo mediocrum curari non potue-

rit. Non sunt damnandi, qui suis in morbis, & egritudinibus medicos accersunt, quandoquidem quidam sapiens ait. honora medicum, propter necessitatem enim creauit illum Dominus, sed reprehenduntur, qui totum affectum suum in corporeis remedijs ponunt, cum contra potius minimum esse deberet, quod à corporeis medicamentis caperetur præ eo, quod esset à Dei benignitate expectandum. quare idem uir sapiens sic enim ait. fili, in tua infirmitate ne despicias temet ipsum, sed precare Deum, & liberabit te. ob hanc causam scriptura reprehendit Asa regem alioqui inter pios Iudæorum reges numeratum, quod, cum dolore pedum uehementissimo laborauerit, in sua infirmitate non quæsierit Dominum, sed magis in medicorum arte confusus sit. contra ingentem Ezechias præ se tulit pietatem, qui, ut Hebræorum historiæ memorant, cum ad eius usque tempora perduraret liber, quem ferunt Salomonem scripsisse de omnium morborum remedijs, cernens homines maiorem in eo spem salutis ponere, quam in Deo, iussit librum illum comburi, maluitque, re tam uehementer utili suam gentem priuari, quam committere, ut eo seruato fides in Deum immineretur. Illud etiam hoc loco est obseruandum, quam simus inertes ad animæ salutem perquirendam. quis enim est, qui, non dico totam substantiam, sed insignem aliquam suarum facultatum partem impendat, ut animæ incolumitatem adipiscatur, at pro corporis comparanda salute nullis parcitur sumptibus. corpus ægrotum, quod neque certo scitur, num illis remedijs sanandum sit, aut si sanetur, certe paulò post, uelis, nolis, resoluendum in puluerem est, tanto tamen cum sumptu paucos hosce dies, quibus uicturum est, seruare curamus. animam uerò, quam certo scimus sanandam, si adhibere studium uolumus, & eius sanitatem, ac uitam perpetuò duraturam, ita negligimus, ut non modo sumptus ullos pro eius curatione facere nolumus, uerum etiam (quod profectò omnia monstra superat) sponte oblata remedia reculemus, atque adeo eos oderimus, qui curare uelint. quid obsecro est in hominis uita utilius, quàm ut erroris sui quis admoneatur? quando sine monitoribus nemo ferè agnoscit animi sui morbum, quo laborat, minimè enim sibi quisque notus est, & difficillimè de se quisque sentit. uerum, si quæras, nemo in sensu odio habetur, quàm is, qui uitia reprehendit, multo què id magis, si seueritate aliqua, auferendi erroris gratia, uti cogitur. & siquidem corporum medicus, ferrum adhibet curando alicui uulnèri, gratiam habet ægrotus, & laboris mercedem profert, tantum abest, ut medico succenseat. id si episcopus in curandis animi morbis faciat, ac seueriori censura, tanquam ferro utatur, implacabiles in eum iras concipiunt iij, qui gratiores illi esse debuissent. hoc sane su-

nè supremæ stultitiæ iudicium est: quod & Salomon admonuit, cum dixit. qui odit increpationes, insipiens est. & alibi. qui abiicit correptionem despicit animam suam, qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis. Accessit retro, & tetigit fimbriam uestimenti eius, dicebat enim intra sese, ut scribit Matheus, si tantum tetigero uestimentum illius, ero salua. & confessam habebatur fluxus sanguinis eius. magna est uera fidei uis, quam si haberemus, omnia atlequeremur. ad fimbriam Seruatoris contactum mox secuta est salua. neque uerò solum in uestimenti Seruatoris hoc miraculum factum est, sed uoluit, ut in discipulis eius maiora miracula ostenderentur. nam Pauli sudaria, & femicincta deferebantur à corpore eius super infirmos, & recedebant ab eis morbi, & spiritus mali egrediebantur. & in Petro accidit, ut ad eius umbram corporis sanarentur ægroti. Et ait Iesus, quis me tetigit? uolebat Dominus, mulieris fidem agnosci, ut eam alij imitarentur: uerum si mulierem ipse accessisset, iussisset què, ut, quod factum fuerat, confiteretur, uisus fuisset querere hominum gloriam. quare morem eorum imitatus est, qui uelut aliquid ignorantes interrogant. nam, qui fieri potest, ut mulierem ignoraret, quæ eum tetigerat, cui ipse ignoratam ab alijs tribuisset sanitatem. sed, ut diximus, hoc loquendi more est usus, ut alijs id innotesceret, quod solus ipse, ac sanata mulier intelligebat. Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant. præceptor, turbæ te constringunt, & affligunt, & dicis, quis me tetigit? discipuli adhuc rudes, & qui minoribus etiam in rebus rude ingenium demonstrabant, non intellexerunt, quid uellet Dominus illis uerbis. quare Petrus in primis, qui quauis in re feruidior erat, miratus est, quod, cum undique premeretur à turbis, interrogauerit, quis se tetigerit. Interea mites Domini mores intueamur, qui sine ullo fastu ingrediens, premi se, & constringi à turbis patiebatur. nos uerò, ubi quibus nostrum plus aliquid habere, quàm cæteri, sibi persuadet, intercedere uolumus spatium, quo ab alijs disungamur. satellites, & custodes corporum constituimus, qui & præcedant, & sequantur. nos inquam puluis, & cinis, & multò quid deterius, ac magis abominandum, nunquam ad filij Dei mores contemplandos attolli-mur, qui tamen ob hanc causam uenit ad nos, & nostram accepit naturam, ut ueram, rectamque uiuendi rationem diceremus. discite (inquit) à me, quod mitis sum, & humilis corde, & tam ingrati sumus, ut omnia potius, quàm illius doctrinam nosse uideamur. Et dixit Iesus. tetigit me aliquis. nã ego noui uirtutè à me exisse. non quæro (inquit) eos, qui me cõprimunt, sed qui tangunt. premebant turbæ inter eundè, at hoc erat potius exiguæ in Dñm Iesum reuerentiæ argumentũ. at hæc mulier

reuerita maiestatem, contenta fuit tetigisse simbriam uestimenti eius, vt salua fieret. idem ipsum & nunc accidit. infinita hominum turba constringunt, & affliant Iesum, sed pauci tangunt. omnes se Christianos esse profitentur, & factis ei aduersantur. hoc quid est aliud, quam veluti comitari in itinere Christum, atq; interea illum premere, atque affligere? infinitus est sacerdotum numerus, vt eadem hora, eodem in templo, in omnibus interdum altaribus simul Diuina mysteria celebrentur. quod si quæras, inuenies, tantum sacerdotum numerum confluisse ob solam pecuniæ spem, quæ si defuisset, ne vnus quidem aduentasset. hi profectò non tangunt Iesum, quamuis in illo sacrificio corpus eius contrectent, sed comprimunt. concurrit ad templum populus, impletur templum, quod esse deberet indicium accedentium ad Iesum, & illi se adiungentium, vt eius contactu sanarentur: verum quid illi faciunt? nugantur, rident, deambulant, faciunt domum Dei domum negotiationis, & speluncam latronum. ij quid aliud sunt, quam turbæ, quæ Iesum non tangunt, sed premunt, & affliant? Quo ergo pacto agnosci potest, qui sint, qui illum tangant? ij, quibus id accidit, quod hic ait Dominus. aliquis me tetigit. quo id indicio nosti? nam ego (inquit) noui virtutem à me exisse. vbi ergo quis toto corde, ac sincero animo, & integra fide accedit ad Iesum, continuo Diuinam eius virtutem in se experitur, & celesti aliquo munere ditatur. atque hoc signum est, hunc tetigisse Iesum. Quæramus charissimi tangere Iesum, non comprimere, si fructum ex hac professione nostra, qua nos profitemur esse Christianos, referre volumus. nihil in hac urbe cerno nisi vitia, & peccata. auaritiam, superbiam, inuidiam, scortationes, adulteria, cædes, direptiones, oppressiones viduarum, ac pupillorum. nemo Iesum quærit. quod si quis quære uideretur, non ob Iesu amorem, sed ob proprium commodum facit. omnes, quicumque ijs, atq; alijs vitijs obnoxij sunt, nunquam meminerunt Iesu, nisi cum temporarij alicuius boni indigent, tunc cateruatim ad eum confluunt, atq; arctius premunt, quam turbæ illæ, quarum hoc loco ab Euangelista fit mentio, ubi uerò aliquid, quod ad eius gloriam pertineat, faciendum est, relinquitur solus Iesus, nemo quærit eum tangere, sed tantummodo afflictere. Obseruandum & illud est, quod ait. noui virtutem à me exisse. sicut & alibi legimus, uirtus ab illo exhibit, & sanabat omnes. hoc de nemine alio, quanta sit cunque sanctitate præditus, dici potest, nisi de Domino Iesu. cæteri enim ab illo tanquam fonte accipiunt, quod dent, ut rectè Ioannes ille præcursor Domini dixerit. omnes de plenitudine eius accepimus. iccirco sancti omnes, cum miracula edunt, non habent, quod glorientur, cum uirtus illa non ex se, sed à Domino Iesu proficiscatur. quod sapientissimè intellexit apostolus

Petrus,

Petrus, qui, sanato eo, qui claudus fuerat ex utero matris suæ, cernens Iudeos in re tam noua admirari eius potestatem, amouere studuit hanc eorum mentibus opinionem, & dixit. viri Israelitæ, quid admiramini super hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra uirtute, aut pietate effecerimus, vt hic ambularet? Deus Abraham, & Isaac, & Iacob, Deus patrum nostrorū glorificauit filium suum Iesum, & per fiduciam nominis eius, hunc, quem uidetis, ac nostis, consolidauit nomen ipsius, & fides, quæ per eum est, dedit ei integritatem istam in conspectu omnium uestrum. Videns autem mulier, quod non latuisset, tremens uenit, ac procidit ante pedes eius, & ob quam causam tetigisset eum, indicauit ei coram toto populo, & quemadmodum confestim sana fuisset. Cur ita tremefacta est beata hæc mulier? timuit, ne furti argueretur. cum enim audiuisset Dominum dicentem. quis me tetigit? uerita est, ne conueneri uellet, quod furto surripuisset sanitatem. nam furti arguuntur, qui aliquid surripiunt domino non requisito. hoc igitur metuens, sponte confessæ est, quod fecerat, quodque inde fuerat consecutum. censes inueniri in hac urbe tota mulierem tantæ religionis, quæ etiam in rectè factis timeret redargui? mulier hæc rem fecerat summa laude dignam, quam & ipse Dominus commendauit. uerum ad illa Domini uerba, quis me tetigit, maluit Seruatoris uoci credere, quam sua consciëntia fidere. nunc uerò, si, exempli gratia, cum ad Christi nuptias celebrandas omnes inuito, præsertim mulieres, cernens eas non eo studio Christum ornare, quo sua corpora ornant, reprehendero, quod parum contulerint, indignabuntur. ratè oportuisse, me eas laudare potius ob id, quod fecissent, quauis exiguum, quam reprehendere ex eo, quod defuisset. uerum, si Euangelicam hanc mulierem imitari uellent, si etiam, quantum oportuerat, contulissent, uerèri deberent, ne minus factum à se esset, quam decuisset, atque hoc pacto & in ipsis rectè factis submissè se gererent, & ad maiora præstanda animarentur. At ipse dixit ei. confide filia, fides tua te saluam fecit, uade in pace. primum adimit timorem, quo eam correptam uiderat. deinde docet, vt exemplum alijs credendi præberet, quid ex sua fide esset consecuta. fides (inquit) tua te saluam fecit. at quo pacto fides mulieris saluam eam fecit, cum dudum audierimus uirtutem exisse à Domino, quæ nimi rum sanitatem contulisset? fides mulieris dicitur seruasse eam propterea, quod fide opus est, vt quis celestia dona assequatur. sicut ex bonis operibus dicimus hominem iustificari, tametsi Dei benignitati iustitia omnis nostra, & salus sit ascribenda, quia sine illis non datur. ueluti si quis medicus curaturus ægrotum, admoneat, oportere eum medici præceptis obtemperare, si sanari uelit, quod ubi præstiterit accuratè, tunc potest ei medicus dicere, tua te obedientia seruauit, quod uidelicet nisi obediuisset

obediuisset, medici remedia nihil profuissent. & hæc quidem inter eundem acciderunt, nunc ad priorem narrationem Euangelista reuertitur. Adhuc illo loquente, uenit quidam à domo principis synagogæ, dicens ei. mortua est filia tua, noli uexare magistrum. Hoc ad fidei imperfectionem pertinuit. uidentur. n. isti arbitrati quidem fuisse, potuisse Dominum curare puellam, quamuis morbo grauissimo laboratam, & tam magno, ut iam morti esset propinqua, & in hac re posse plus aliquid Dominum, quam medicos, qui negant desperatis esse adhibendam medicinam, idq; ex Hippocratis sententia. at ubi eam mortuam uiderunt, nihil superesse posthac spei iudicauerunt. quare hæc modestia cogitauerunt uti, ut occurrerent uenienti, & admonerent principem synagogæ; ne pateretur tantum magistrum frustra laboris iter subire. Hôs imitantur ij, qui sua imbecillitate Diuina opera metiuntur, & tunc despondere incipiunt animum, cum humana omnis industria nihil habet, quod addere possit. quod contra faciendum esset, ac tantò maiori spe erigenda ad Deum mens, quò minus humanæ superest spei. attendenda. n. est Diuina omnipotentia, cui omnia sunt peruia, ac difficillima queque facillima. qui cum omnia ex nihilo fecerit, multò magis ea, quæ sunt, uel conseruare, uel instaurare potest. hoc autem ueræ fidei indicium est, ubi quis grauiori in periculo firmiorem habet animum, quam quo tempore omnia illi in tuto esse uidentur. Iesus autem audito hoc uerbo, respondit patri puellæ. noli timere, crede tantum, & salua erit. Non patitur nos Dominus tentari supra id, quod possumus, ut ait Paulus. ecce enim, accesserat cum fide archisynagogus, postulans filia sanitatem, quæ iam moriebatur, superuenit repentina tentatio nuntij è domo eius, qua fides illa, ut minus perfecta, nutare potuisset. Dominus ergo tentationi illi, cui archisynagogum cernebat esse imparem, benignè succurrit, atq; adiicit animos. noli timere, inquit, id est, ne cadas animo, neq; metuas, ne postea quam mors filia nuntiata est, desperata sit eius salus, nihil à te est adhibendum præter fidem; cætera curæ mihi erunt. sic & alij cuidam dixit, si potes credere, omnia possibilia sunt credèti. nostræ ergo incredulitati ascribendum est, si multis donis priuamur, quæ proculdubio assequeremur, si solida, ac certa fide accederemus ad Deum. postulet (ait beatus Iacobus) cum fiducia, nihil hæsitans. nam qui hæsitat, is similis est fluctui maris, qui uentis agitur, & impetu rapitur. neq; n. existimet homo ille, se quicquam accepturum à Domino. Et, cum uenisset in domum, nõ permisit intrare secum quenquam, nisi Petrum, & Iacobum, & Ioãnem, & patrem, ac matrem puellæ. Si omnes fuisset intrare, quotquot uenerant, uisa fuisset ostentatio, at eiusmodi Diuina opera non sunt ostentationis gratia facienda. quare ex alijs neminem admisit, nisi patrem puellæ,

puellæ, ac matrem, quos suscitationi filia eorum interesse, erat consentaneum. & ex suis, id est, discipulis, ne omnes quidem accepit, nisi tres illos, quos maiorum rerum inspectores, ac testes esse uoluit. ij sunt enim, quos etiam admisit, cum in monte transfiguratus fuit, quos & seorsum accepit, cum imminente crucis, ac mortis tempore precaturus erat patrem. Flebant autem omnes, & plangebant illam. at ille dixit. nolite flere. non est mortua, sed dormit. Matthæus ita scribit. cum uenisset Iesus in aedes primatis, uidissetque tibicines, & turbam tumultuantem, dicit illis. secedite, non est mortua adolescentula, sed dormit. Ferunt in funere uirginum tibias adhiberi solitas. & eo etiam tempore mors uirginum modulatione tibiarum honestabatur, quo princeps uidebatur gloria, relinquere semen in Israel. quanto nunc id magis faciendum est, cum laudantur eunuchi, qui se propter regnum cælorum castrauerunt, & prædicatur, uirgines secuturas agnum quocumque ierit? prohibet autem Dominus flere propterea, quòd non esset mortua puella, sed dormiret. exiguum enim illud spatium, quo mortua iacuit, somno potius, quam morti fuit simile. quòd & nos sine dubio faceremus in charorù mortibus, si meminissemus, eos paulò post ad immortalem uitam esse reuocandos. Et deridebant eum, scientes quòd mortua esset, irridebant illi, existimantes Dominum loqui de dormitione somni, perinde quasi ipse crederet eam dormire, neque intelligebant, quorsum illius uerba tenderent. quòd & nunc etiam multi faciunt, qui ea, quæ non intelligunt, cur, & quo animo fiant, calumnijs infectantur. sed hæc eorum irrifio fuit miraculi confirmatio. cum. n. iccirco irriderent, quòd certò scirent, illam esse mortuam, testes certi erant, quòd eam Dominus non à somno, sed à morte excitauisset. ita omnia, etiam quæ calumniandi gratia fiunt, Diuina seruiunt gloriæ. sic sepulto Domino adhibuerunt inimici custodes, qui demum resurrectioni illius perhiberent testimonium. Ipse autem eiectis foras omnibus, apprehensa manu eius clamauit dicens. puella, surge. nihil fecit amplius, quam qui uis faceret, qui quempiam profundo somno oppressum excitare uellet, ut intelligerent, verum fuisse, quòd dixerat, puellam dormire, id est, non maiore negocio à morte, quam à somno se illam excitaturum. Et reuersus est spiritus eius, & surrexit cõtinuò. eadem anima in suam corpus redijt. nam reueri, est ire ubi prius fuerat. neque solum dixit, spiritus, sed spiritus eius, qui scilicet paulò ante recesserat. quòd autem ait, continuò eam surrexisse, ostendit, non solum uitam, sed vires etiam fuisse pariter redditas, quæ maioris miraculi fuit accessio. Et iussit illi dari cibum. hoc ad ueræ resurrectionis euentiam factum fuit, sicut & cum ipse Dominus surrexit à mortuis, cum cerneret discipulos adhuc de eo, quem uiuum cernebant, dubitare,

re, num esset spiritus, quem cernerent, iussit afferri cibos, & coram eis accepit cibum, vt veram esse resurrectionem declararet. Et stupuerunt parentes eius, at ille praecepit eis, ne cui dicerent, quod factum erat. Merito quidem obstupuerunt parentes Diuinum miraculum: verum, quia consequens erat, vt id, quod mirabantur, praedicarent, iussit, ne id vulgaretur. ut nos disceremus humanam gloriam fugere, atque in id vnum incumbere, vt Diuinae gloriae inseruiamus. Duo in hodierna sancti Euangelij historia miracula audiuius, vtraque fide impetrata: qua inuitare nos debent, vt postulemus augeri nobis fidem, quod & discipuli a Domino petierunt. quod si impetrare volumus, nulla compendiosior via est, quam vt Deum diligamus toto corde, tota anima, tota mente, omnibus viribus, & proximum nostrum, sicut nos ipsos. tunc integram habebimus erga Deum fidem. at quo pacto? id experiris in mutua consuetudine, quo enim quis maiore erga aliquem charitate affectus est, eo magis illi fidit, & sibi omnia de eo pollicetur, & vbi de fiducia illa aliquid imminuitur, id fieri non potest sine diminutione charitatis. vnde enim censes tanta nos fidei inopia laborare, nisi propter hoc, quod nimium in hac Dei, & proximi dilectione deficimus? quam dilectionem si haberemus, auderemus omnia summa cum fiducia postulare, & ea assequeremur. quod vt certius credas, audi, quid apostolus Ioannes dicat. charissimi, si cor nostrum non condemnet nos, fiduciam habemus erga Deum, & quicquid petierimus, accipimus ab eo, quoniam precepta eius custodimus, & ea, quae sunt placita coram eo, facimus. ecce hic apertissime docemur, fiduciam illam, qua quicquid petierimus, sumus accepturi, inde proficisci, quod Dei precepta custodimus, & quae sunt ei placita, prestamus. & recte sane. cum enim dicat beatus Iacobus, fidem sine operibus mortuam esse, quid ex re mortua boni est expectandum? non ne oportet nostram fidem, si placitura Deo est, atque ab eo, quae vult, impetratura, praestantius aliquid habere fide Daemonum? hoc quis dubitet? at Dæmones ita certo credunt, vt etiam contremiscant, quod in multis hominibus, qui Christum confitentur, non inuenitur, qui dicunt, se in Christum credere, & nullo eius timore permouentur. at tam ingens illa Demonum fides nihil a Deo impetrat propterea, quod charitate est destituta. Opus ergo est ea fide, quae (quemadmodum ait Paulus) per dilectionem operatur, si uolumus assequi a Deo, quaecumque cupimus. hoc bonum, nisi per nos fiet. assequi quiuis potest, iuuante gratia Domini nostri Iesu Christi, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & potestas, & imperium, & nunc, & in omnia secula seculorum. Amen.

O R A T I O

O R A T I O Q V A D R A G E S I M A

S E P T I M A.



Onuocatis autem Iesus duodecim, dedit illis potestatem, & auctoritatem super omnia Dæmonia, & ut morbos sanarent, & misit illos, praedicare regnum Dei, & ut sanarent infirmos. Elegerat Dominus, quemadmodum ex hoc ipso Euangelista iamdudum audiuius, ex omni discipulorum numero, duodecim selectiores, quos & appellauit apostolos, nomen officio consentaneum, quod scilicet mittendi essent per orbem omnium terrarum ad annuntiandum regnum Dei. nam apostolus Græca uox a uerbo ἀποστέλλω deducitur, quod est mitto. hos inquam elegerat, qui ei frequentius ceteris assisterent, & quam uis integrum Euangelizandi negotium post resurrectionem suam erat eis mandaturus, cum dixit. eantes in mundum uniuersum, praedicate Euangelium omni creaturae; uoluit tamen eos etiam ante, quam ab eis discederet per acceptam a nobis naturam, assuescere huic praedicationi, & minori primum negotio praefecit, vt ad maiorem prouinciam capessendam essent demum aptiores. nam misit nunc eos tantum, ut in Iudeorum gente praedicarent, quod aperte cernere licet in Mattheo, ubi sic habes. Illos duodecim emisit Iesus, & praecipit eis dicens. in uiam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne ingrediamini, sed ite potius ad oues perditas domus Israel. cum enim essent inuidi Iudei, & arbitrarentur, Deum omnium ad se solos pertinere, quem errorem reprehendens Paulus aiebat. num Iudeorum tantum Deus? nonne & gentium? si in ipso praedicationis initio ad praedicandum gentibus illos misisset, fuissent indignati, quam eorum indignationem ob istam ipsam causam uidere est in Actis apostolorum, eamque tam acrem, ut etiam ad persecutionem in apostolos excitandam prouocarentur. hoc sciens Dominus, praecipit discipulis, ne in uiam gentium abirent, quae nimirum gentes simulachrorum culturae dedita erant, nec ullum habebant cum Iudeorum cultu commercium. iussit etiam, ne in Samaritanorum ciuitates ingrederentur, qui quamuis uiderentur & ipsi uerum Deum colere, illum tamen cultum minimè syncerum habebant, neque erant ex genere Israelitarum, sed hac, quam breuiter dicam, occasione in illas ciuitates introducti. Cum Iudei post scissum Israel a domo David, nolent a peccatis recedere, praesertim a uitulorum adoratione, quos Iero-

FFFF boam

boam fecerat, tradidit illos Deus in manus diripiētū, donec projiceret eos a facie sua, translatusq; est Israel de terra sua in Assyrios, pro quibus adduxit rex Assyriorum de Babylone, & alijs regionibus gentē aliam, & collocavit eos in ciuitatibus Samariæ, qui possederunt Samariam, & habitauerunt in vrbibus eius. cumq; ibi habitare cepissent, non timebant Dominum, & immisit in eos Dominus leones, qui interficiebant eos, vt ex hoc discerent, permisisse Deum populum suum captiuum abduci, non quod eos tueri non posset, sed propter eorum peccata. nuntiatumq; est regi Assyriorum, hoc illis propterea accidere, quod ignorarent legitima Dei, qui in illa regione coli solebat. quo audito præcepit rex, vt ducerent vnū ex sacerdotibus, quos inde captiuos abduxerant, qui iret, atque habitaret cum eis, & doceret eos legitima Dei terræ. cum ergo venisset vnus e sacerdotibus ijs, qui captiuo abducti fuerant de Samaria, habitauit in Bethel, & docebat eos, quo pacto colerent Dominum. verum, cum prius essent assueti cultui simulacrorū, vnaquæque gens fabricata est Deum suum, & cum Dominum colerent, Dijs quoque suis seruebant, iuxta consuetudinem gentium, de quibus translati fuerant Samariam: ij ergo Samaritani adhuc extabant, neque ob cultus, & generis etiam inæqualitatem, Iudæi illis contuebantur, sed habebant eos pro immundis, atque abominandis, vt cum aliquem perditæ vitæ dicere vellent, appellarent Samariten. vnde, cum vellent contumelia afficere Dominum, vocarunt eum Samaritanum. Cur ergo (dicit aliquis) Dominus ipse, cum iter faceret per Samariam (tota enim regio illa nomen accepit à metropoli, quæ Samaria appellabatur) prædicauit Samaritanis? fuit illa dispensatio quædam, sicut & filiam Chanaanæ mulieris alienigenæ curauit, quamuis dixisset, se missum non fuisse, nisi ad oves perditas domus Israel, & non esse bonum sumere panem filiorum, & projicere canibus. nam mulieris fides, ac preces hoc impetrauerunt. idem ipsum meruerunt Samaritani, quorum multi cum credidissent (vt habes apud Ioannem) ob solum mulieris testimonium, demum exijt obuiam ei ciuitas, & rogauerunt eū, vt apud se maneret. quare ob illam eorū fidem, & preces inuitantium, non decebat, vt eos sperneret, sed mansit ibi duos dies. neq; reliquit Iudæam, vt se ad Samaritanos transferret. sed ne apostoli quidem post acceptam à Domino potestatem vbique prædicandi, repente ad gentes se transfulerunt, neque prius Iudæorum gentem reliquerunt, quam ab eis expellerentur. Vobis (inquit Paulus Iudæis loquens) oportebat primum loqui sermonem Dei, sed quoniam repellitis illum, & indignos vos indicatis æterna vita, ecce conuertimur ad gentes. Cum ergo conuocasset duodecim, dedit illis potestatem, super omnia Dæmonia, & vt morbos sanarent. Cū regnū Christi spirituale esset (nam

regnum,

regnum, inquit, meum non est ex hoc mundo) huius autem regni hostes sint Dæmones, iustum erat, vt aduersus eos auctoritas, ac potestas in primis daretur apostolis, vt, cum ab obsessis corporibus eos eijcerēt, agnosceretur, hanc prædicationem verè humanum genus à Diaboli potestate liberare, & animas ab eis hactenus obsessas in veram libertatem vindicare: cum fortis armatus (inquit) custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet. vbi verò fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius aufert, in quibus confidebat, & spolia eius distribuit. sic & sanandi morbos corporum facultatem dedit, vt ab eis ad morborum animi sanitatem perueniretur. quæ virtus multò est maior, quam sanandorum corporum. quamuis hoc, quantum video, à paucis intelligatur. si enim quis vestrum Dæmonem ab obsesso corpore expelleret, summa esset apud omnes admiratione, atque opinione sanctitatis. at multò excellentiora potest vnusquisque vestrum, si velit. vbi enim cernis proximum tuum ab avaritia, odio, carnis lusciniua, ambitione, cæterisq; vitijs, ac peccatis detineri, da operam, vt tuis consilijs, adhortationibus, increpationibus, vitæ exemplo, ab eis reuocetur, & tot ab eo Dæmonia expulsi, à quot vitijs fuerat occupatus. & tantum bonum, ac rem tam honorificam nemo æmulatur. at hæc sunt illa charismata præstantiora, quæ iubebat Paulus fideles æmulari. hæc maiorem, ac tutiorem præbent gratæ, & probatæ Deo mentis, atque cum illo coniunctæ significationē, quam vbi quis ab obsessis corporibus eijcit Dæmonia. nam hæc, atque his similia reperiuntur fecisse etiam ij, qui condemnabuntur, & eijcientur à Christo. multi (inquit) dicent mihi in illo die. Domine, Domine, non ne in nomine tuo prophetauimus? & in nomine tuo Dæmonia eiecimus? & in nomine tuo multas virtutes edidimus? ac tum confitebor illis. nunquam noui vos, discedite à me, qui operamini iniquitatem. at uerò spirituales hæc curationes adhibere eorum proprium est, qui legem Dei accuratè seruant, atque in Dei, ac proximi cuiusque dilectione continuos progressus faciunt. & ij nimirū sunt, qui agnoscentur à Christo, & in illius cœleste regnum admittentur. hæc sunt, & utiliora, & tutiora miracula, & quæ vnusquisq; nostrum, vt dicebamus, edere potest sine periculo, atque adeo cum maximo & suo, & aliorum fructu. Quod uerò ait, Dominum dedisse illis potestatem super omnia Dæmonia; opinor esse intelligendum, super omnia Dæmoniorum genera. nam diuersa ea esse, atque iccirco non uno modo expelli, facile colligitur ex uerbis ipsius Domini, qui alibi dicit. hoc genus Dæmoniorum nõ eijcitur, nisi per orationem, & ieiunium. cum enim Diabolus, & angeli eius ex eis sint, qui olim cum beatissimis illis in cœlo spiritibus versabantur, & tunc ibi diuersos ordines sortirentur, ij, qui præstantiorem gradum

FFFF 2 tenebant,

tenebant, ubi primum deiecti è cœlo fuerunt, deteriores, ac sceleratiores etiam cæteris extiterunt. quo enim quis maiore naturæ dignitate est præditus, si eam vitiat, multò est ante alios pestilentior. cum ergo varia sint Dæmoniorum genera, & vires eorum diuersæ, rectè Dominus generatim dedit eis auctoritatem super omnia Dæmonia; quæ non solum diuersas habent vires, sed diuersa etiam inter se distribuunt officia in perniciem nostram. vt alij vitio superbix præfint, alij auaritiæ, alij ambitionis, alij gulæ, ac ventris, & lasciuix carnis, vt, quod vnus non potest, plures simul iuncti assequantur. quod ita esse ex visionibus, ac reuelationibus, quæ sanctis interdum viris factæ fuerunt, facillè adduci possumus, vt credamus, reperimus enim, à fide dignissimis auctoribus scriptum, significatum olim fuisse cuidam sanctissimo viro, exeunte anima è corpore, obuio illi fieri choros Dæmonum, suo quoque ordine. chorum eorum, qui superbix præfunt, & disquirere, quid de suo in ea inueniat. item chorum spirituum detractionis, & scrutari, si quando oblocuta sit, neque egerit poenitentiam. occurrere Dæmones scortationis, & perquirere, num de suis voluptatibus, quid in ea inueniant. alius item visione quadam raptus, & eductus è corpore, vidit maxima malignorum spirituum certamina, qui crebris accusationibus improbi, iter illi cœleste interdicerere contendebant, narrabatque, quanta fraudis solertia Dæmones facta eius, & superuacua, ac ociosa verba, & ipsas etiam cogitationes, quasi in libro descriptas repeterent. Et hæc quidem esse maximè credibilia, certiores habemus Euangelicam historiam, in qua legimus Dominum dixisse. venit princeps mundi huius; & in me non habet quicquam. quòd si inuestigare ausus fuit Dominum illum, qui tantum abest, vt peccatum fecerit, vt ipse sit, qui abstulerit peccatum mundi; quid nobis faciendum esse credendum est, qui à planta pedis vsque ad verticem scædati peccatis sumus? sed opinor, hos Dæmones in maxima hominum huius ætatis parte, non multum laborare oportere, ad probanda eorum vitia atque peccata, cum tam multa, tam crassa, & aperta sint, vt ipsa se sua sponte prodant, neque vilo Dæmonum labore aut astu opus sit ad ea redarguenda. O cæcitate, O tenebras. degunt homines toto æuo vsque ad senectam in peccatis, sciuntque, se nunquam dignos fructus poenitentix fecisse, qui profus necessarij sunt ad venturam iram declinandam, si Ioannis Baptistæ prædicationi fidem volumus habere, & securi dormiunt in vt ranque aurem, neque vnquam tam formidabiles illius temporis angustias ante oculos ponunt. horror me inuadit, & extra me cogor fieri, cum nostram (de mei enim similibus loquor) contempler stoliditatem, ac stupiditatem. verè semper pueri, qui puerilia duntaxat quædam, tractare nouimus, grauias autem, & quæ sola versanda essent animo, prorsus

sus negligimus. & si quidem in iudicium uocandi essemus, ubi de aliqua pecuniæ summa, multò uerò magis de uita esset agendum, omnem moueremus lapidem, nihil inexploratum relinqueremus, ne caderemus de causa. ubi uerò agitur uel æterna salus, uel æterna mors, nihil omnino agimus. habemus hos peruigiles hostes, qui nunquam dormiunt, & dies, noctesque; insidiantur saluti nostræ, nos uerò tantum abest, ut eorū insidias cauere studeamus, ut etiam nosmetipsos adiutores ad ea, quæ suggerunt, patranda præbeamus, atque adeo eorum plerunque consilia anteuertamus, ut soli ad nostram æternam perniciem, illis minimè impellentibus, fatis, abundeque; idonei simus. Hæc sunt ergo Dæmonia, super quæ dedit Iesus discipulis potestatem, & auctoritatem. quod fuit iudicium maximæ Christi potentix, qui non solum ipse haberet in eos imperium, uerùm etiam suis discipulis eandem facultatem fuerit impertitus. Et misit illos, ut prædicarent regnum Dei, & sanarent infirmos. Matthæus sic ait. profecti, prædicate dicentes, appropinquauit regnum cœlorum. infirmos sanate, leprosos mundate, mortuos suscite, Dæmonia eiicite. Prædicatio regni cœlorum res erat mundo noua, neque antea audita, quæ nisi signorum, ac prodigiorum attestacionibus fuisset confirmata, quis ei fidem habuisset, quando inter tot, ac tam manifesta miracula nihilò tamen minus insurrexit contra eam mundus tam impiè, & crudeliter, ut, quicumque interfecissent eius prædicatores, existimarent, se obsequium præstare Deo? utrunque autem fieri iubet, ut scilicet & prædicarent, & miracula ederent, ut alterum alterius ueritati attestaretur, & per signa, ac prodigia declararetur Diuina uirtus, ac potentia, quæ in illis esset, & per prædicationis synceritatem, quæ nihil in se haberet, nisi sanum, & solidum, agnosceretur, illa miracula à Diuina potestate proficisci. alioqui reperti sunt, qui multa miracula Dæmonum ministerio fecerint, sed eorum prædicatio, & doctrina nihil habebat sani. quod indicabat, ne miracula quidem eorum esse à Deo. Et ait ad illos. nihil tuleritis in uiam, neque uirgam, neque peram, neque panem, neque pecuniã, neque binas tunicas habeatis. Cur hoc Dominus iusserit discipulis, apertius colligi potest ex Matthæo, apud quem sic legimus. gratis accepistis, gratis date. nolite possidere aurum, neque argentum, neque æs in crumenis uestris, neque peram ad iter, neque binas tunicas, neque calceamenta, neque uirgam. nam dignus est operarius cibo suo. Cum. n. dixisset, ut, quod gratuito accepissent, id est, Diuino munere, gratuito etiam darent, & mox adiecerit, ne possiderent aurum, neque argentum, prohibet, ne ex Euangelica prædicatione ditari quærent, & eam prædicationem efficerent instrumentum negociationis. quòd si respondissent. quo ergo pacto uiuemus? adiecit. dignus est operarius cibo suo, id est, non deerunt

deerunt vobis alimenta, & quæcunque ad victum sunt necessaria, quare non erit vobis necesse cogitare de crastino, & in posterum recondere. Hoc autem fuit maximè factu necessarium. cum enim Euangelium doceat, humana omnia pro nihilo habere, & omnem affectum ita ad comparandum regnum cœlorum conuertere, vt ne de ijs quidem, sine quibus non viuitur, solliciti simus. quid enim tam ad vitam necessarium est, quàm victus, & cultus? & tamen vide, quid omnibus, qui profiteri Euangelicam philosophiam cupiunt, dicat Dominus. nolite solliciti esse dicentes, quid edemus? aut quid bibemus? aut quo operiemur? cum hæc inquam ita sint, si apostoli possidere quicquam horum voluissent, ac contraria suæ prædicationi fecissent, non fuisset illis fides habita, sed existimati fuissent impostores aliqui, ac seductores. at verò cum gentes cernerent, apud quas prædicabant, nihil illos prorsus humanarum facultatum expetere, neque aliud quicquam, si terrena commoda spectes, præter labores, ac persecutiones ex ea prædicatione reportare, hæc erat maxima occasio persuadendi, dogmata illa, Diuina veritate niti. quis enim tam stultè delirus est, qui eligat orbem omnium terrarum peragrarè, atque in quotidianis mortibus versari, sine vilius, neque parui, neque magni fructus spe? at gloriam (inquit) assequabantur, eamque tam ingentem ex miraculis, quæ edebant, ut Dij interdum sint crediti, & ex ista spe gloriæ, omnia incommoda pro nihilo putabant. fatemur, magnam habere vim hanc gloriæ appetitionem, vt reperti sint, qui eius adipiscendæ gratia, non modo opes, ac facultates neglexerint, sed etiam sese certè morti obiecerint. verum & in hac parte contemplare huius philosophiæ magnitudinem, quæ omnibus humanis affectibus superior est. accidit olim hæc occasio, vt Paulus, & Barnabas Dij crederentur ob editum miraculum, & iam parata erant, quæ illis fierent sacrificia. & appellabant Barnabam Iouem, summum scilicet Deorum. Paulum verò Mercurium, quod ipse esset dux sermonis. nam fingunt poetæ Mercurium esse Deorum interpretem. illi verò in tanti honoris cardine vide, quid fecerint. vbi hoc audierunt apostoli Barnabas, ac Paulus, cōscisis vestibus suis insilierunt in turbam, clamantes, ac dicentes. viri, cur ista facitis? nos quoque iisdem, quibus vos, obnoxij malis, sumus homines, annuntiantes, vt ab istis vanis conuertamini ad Deum viuum, qui fecit cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt. cum ergo cernerent gētes, ad quas hanc prædicationē afferebāt, eos, & diuitias, & honores etiā Diuinos recusare, facile adducebātur, vt crederēt, hæc verè à Deo esse doctrinā. atq; hoc in causā erat, cur tā ingentē fructū ferrent. & nunc etiam idem fieret, si huius generis instrumēta reperirētur. sed, cū ij, qui hoc funguntur munere, tantū abest, vt auerferentur diuitias, & honores, vt ea etiā expetāt, nihil mi-

rari

rari debemus, si nihil, aut certè perparum proficitur. vide verò, quàm inuersa omnia sint. reprehenduntur, qui lucri, aut honoris gratia euangelizant, verum hoc interim præstant, ut habeat populus, qui illis annuntiet verbum Dei. quid enim? (ait Paulus) attamen quouis modo, siue per occasionem, siue per ueritatem, Christus tamen annuntiat. sed quid de ijs dicemus, quæ maxima pars est, ad quos tamen prædicandi Euangelij officium in primis pertinet, qui honores quidem, & ecclesiasticas dignitates, & immanes proventus, quibuscunq; possunt artibus, sibi vendicant, & nunquā prædicandi munere funguntur? & miramur, Christianas res tam ire perditum, cum ij, qui rectæ vitæ duces esse debuerant, non modo non id præsent, sed plerunq; omnium penè iniquè factorū sint magistri? quodq; est sceleratius, illi ipsi, qui pluribus ecclesiasticis fructibus facti sunt ditiores, qui etiā ob hanc causam plus laboris deberent impendere, minus ceteris, faciunt. nā passim cernas, eos, qui pinguiorem habent episcopatū, aut canonicatū, aut quēlibet aliū ecclesiasticū gradū, officium, quod ipsis debetur, per mercenarios exercere, paruissimo illis dato stipendio, reliquo toto ipsi fruente indulgent genio, & nihil minus, quàm animarū salutē curāt, p quibus tamē Christus Dei filius mortuus est. tandiu verò, dum res Christiana ita se habet, Euangelicum negociū iacebit sine fructu propterea, quod ab eo ordine discesserunt ministri Euangelij, quem hic audiuius à Domino fuisse institutum. Videte verò, quàm exactam Dominus ab Euangelij ministris exigat paupertatem, & omnium rerum abdicationem, vt nolit eos, non modò pecuniam, sed ne panē quidē secū ferre. Quod verò ad virgā, & perā pertinet, intelligitur prohiberi omnia, quibus fidere solent homines, vel alimētis, vel defensionis gratia. alioqui apud Marcum permittitur virga, cui scilicet defessi inniti possent. quam ob causam eodem loco etiam sandalia permittit ob pedum offensionem, ne illa offensione impedirentur ad iter. sic cum dicit, neque binas tunicas habeatis, intelligendum est, cum una satis esse possit, alioqui frigidiores inueniuntur regiones, in quibus duæ vix satis sunt tunicæ. sensus ergo Euangelicorum verborum est, vt super uacua omnia amputentur, in quem sensum & illud Ioannis Baptistæ accipiendū est, cū dixit. qui habet duas tunicas, det vnā nō habenti, & qui habet escas, similiter faciat. quæ tamē verba meminisse debetis. ciues mei turbis fuisse dicta, & hominibus, qui nō è clero, sed ex populo essent. nā ecclesiastici quidē viri, & quibus prædicandi Euangelij munus creditū est, perfectiores esse debent. uerū ne vos quidē eritis excusabiles, si præter victū, & cultū, eūq;, qui Christianū hominē deceat, thesaurizare vobis thesauros in terra volueritis. nā ecclesiasticorū error nihil vobis ad defensionē, & excusationē proderit, si vos officio defueritis vestro. vnusquisq;

enim

enim onus suum portabit. Et in quancunque domum intraueritis, illic manete, & inde ne exeatis. Matthæus sic scribit. in quancunque ciuitatem, aut castellum intraueritis, interrogate, quis in ea dignus sit, & ibi manete, donec exeatis. Vide, quàm circumspecto iudicio prædicatori uerbi Dei uersandum cum alijs sit. ingrediebantur ciuitates, in quibus neminem uocant, & tamen iubet, ut peruestigent, qui in eis sint melioris famæ. nam duo bona ex hoc proficisci poterant, unum, quòd ex illa cum bonis consuetudine bonum & ipsi nomen seruabant. alterum, quòd probitas in ijs etiam, qui nondum crediderant, aptiores eos reddebat ad fidem, quæ illis prædicabatur, suscipiendam. quod in illo Centurione Cornelio cernere est, qui cum ante fidem Christi acceptam, precationi & eleemosynis operam daret, ita idoneus uisus fuit, cui hæc ueritas aperiretur, ut angeli ministerium ad hoc opus perficiendum adhibitum fuerit. Iubet præterea, ut in quamcunque domum introierint, in ea manent. & hoc est, quod alio loco ait. nolite transire de domo in domum, cum ne eum, à quo iam hospitio accepti fuissent, contemnere uideantur, tum ut conuiuorum delicias uitent. nam ubi quis recens aliquem accipit hospitio, aliquantò accuratius tractare eum solet, quàm si diutius apud se maneat. quare mutare quotidie hospitia, nihil fuisset aliud, quàm epulis, ac uentri indulgere, quod est ab Euangelica professione alienissimum. quare alio loco admonuit discipulos Dominus, dicens. caute, ne grauentur corda uestra crapula, & ebrietate. Et quicunque nõ receperit uos, exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerem è pedibus uestris excutite, in testimonium aduersus illos. tale quid fecit Paulus in Actis apostolorum, qui cum testificaretur Iudejs, Christum esse Iesum, contradicentibus eis, ac blasphema loquentibus, excussis uestimentis dixit ad eos. sanguis uester super caput uestrum, mundus ego posthac ad gentes uadam. per quam uestimentorum illic excussio, & hic pedum, uidebantur significare, se nihil de eorum temporarijs bonis accepisse, ita ut etiam puluerem, qui sibi de eorum ciuitate adhæsisset, extergent in eos, & solum sibi superesse laborem, quem ob eorum curam salutis suscepissent, quem declararet excussio pulueris, quem ex itineris labore contraxissent, quod erat testimonium aduersus illos, qui gratis oblatam salutem recusauissent. addunt autem Matthæus, & Marcus terrificum uerbum, quod adiecerit Dominus. amen dico uobis tolerabilis erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm ciuitati illi. scitis enim ciuitates illas Sodomam, & Gomorrham ob ingens scelus suum fuisse consumptas, demissa è celo ignis, ac sulphuris pluuia, qua pœna quid excogitari horribilius potest? oportet ergo ingens esse peccatum, quod eam pœnam in die iudicij superet, qua Sodomitæ sint

sint plectendi. at hoc peccatum est, quòd apostolorum prædicationem non receperint. quod cum ita sit, vereor ego sanè, ne maxima huius ætatis hominum pars maiori castigatione digna sit, quàm isti, qui hic dicuntur grauius iudicium subituri, quàm Sodomitæ, & Gomorrhæi. reprehenduntur isti, quòd sermonem Euangelicæ prædicationis noluerint recipere, sed multò grauius peccant, qui post tantam agnitam ueritatem in quotidianis peccatis uersantur, & fidem, quam profitentur, magis in dies scelerata sua uita sordidant. melius enim fuisset illis (ut ait beatus Petrus) non agnouisse uiam iustitiæ, quàm ubi cognouerunt, conuerti ab eo, quod illis traditum fuit, sancto præcepto. nam, si, postea quàm refugerunt ab inquinamentis mundi, per agnitionem Domini, & Seruatoris Iesu Christi, tamen ijs rursus inuoluti superantur, facta sunt illis postrema priora primis. quid? quòd quàm plurimi ne refugerunt quidem seruo unquam? intuemini enim, quo pacto nunc educuntur Christiani, & inuenietis, rem ita se habere, ut dicimus. regenerantur per baptismum infantes, at tunc non intelligunt, quid fiat. ubi uerò adolescere incipiunt, non ante imbuuntur doctrina Christianorum dogmatum, quàm in omnes se uitiorum, & peccatorum sordes dederint. qui uerò ex animo resipiscant, paucissimi sunt, cuius rei manifestissimum argumentum est, id quod sæpe à me dictum, sæpius etiam est repetendum, quòd ubi redire quis ad cor uidetur uelle, nullam unquam insignem aliquam mutatæ uitæ præbet significationem. sequitur quidem ecclesiæ morem, quæ semel saltem per annum iubet fieri peccatorum exhomologesim, & Diuinorum participationem mysteriorum, sed hoc facit, non affectu ueræ pœnitentiæ permotus, sed ut uel aliorum consuetudinem sequatur, uel metu potius, ne excommunicationis nota inuratur. quod ita esse ex duabus rationibus quibus intelligere hoc potest. primum, quòd præter illam anniuersariam cæremoniam confitendi peccata, nihil de priore uita immutatur. nam auarus de sua illa parandarum opum rabie nihil immittit, sed anget eam potius. qui carnis lasciuiam sectatus hætenus fuerat, priores scortationes, & adulteria repetit. qui honorum, ac dignitatum appetioni addictus erat, eandem ambitionem tenet. qui inimicum aliquem habuerat, eadem, quæ prius, seruat odia. qui murmurationibus, & obloquutionibus, & detractionibus assueuerat, idem euadit, qui antea fuerat. hæc apertissima indicia sunt, nihil immutati prioris animi, ac uitæ. Deinde, si, cum te Deum offendisse peccando animaduertis, uerè, & ex animo pœnitet peccauisse, cur annum expectas ad agendam pœnitentiam? quæ tibi ratio hoc persuadet, ut offensum Deum intelligens, usque ad pascha peccati differas confessionem? an dubitas adhuc in tam euidentibus signis, quæ stultus quibus intelligeret, nescire te profus, quid

ORATIO QVADRAGESIMASEPTIMA.

fit pœnitentiam agere, qui nullos vnquam tota uita feceris dignos fructus pœnitentiæ, quos ex Euangelio dudum audiisti esse ad uenturam iram fugiendam necessarios? non intelligis, quàm periculoso in statu res uersentur tuæ? Quare ne miremini ciues mei, quod dudum dixi, uereri me, ne grauius iudicium subeamus, quàm fuit illud Sodomæ, ac Gomorrhæ. nam, si factæ illis fuissent quotidianæ illæ admonitiones, quæ uobis fiunt, aut egissent pœnitentiam, aut minora peccauissent. at hæc ciuitas habet toto anno, qui eos erroris sui admoneat, & nihilo tamen minus obturant omnes aures suas in morem aspidis surdæ, quæ non exaudit uocem incantantium, & uenefici incantantis, sapienter. Hi tam absurdi mores, tamq̃, ab Euangelica doctrina alieni, me uehementer angunt, & metuere faciunt, ne non solum in futura uita æternis ignibus tradamur cruciandi, quanquam hoc supremum malorum est, uerum etiam in hac ipsa, cuius commoda pluris facimus, quàm uel æternam felicitatem, uel æternas pœnas, declaret Dominus insignibus aliquibus flagellis, quantum à uia Dei discesserimus. quanquam hoc esset optandum, ut temporarijs potius afflictionibus castigaremur, quàm pœnis traderemur cruciandi sempiternis. sed multo erit melius dare operam, ut per ueram pœnitentiam utraque fugiamus, & præterea per recte facta peccata priora operientes, à benignitate Dei uitam æternam impetremus. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & potestas, & imperium, & nunc, & in omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO

ORATIO QVADRAGESIMA

OCTAUA.



Gressi autem circuibant per castella euangelizantes, & curantes ubique. Compendiosè de more Euangelista narrat, quid fecerint apostoli. ubi uidere est, Euangeliorum scriptores ab omni ambitione alienos. qui si reprehendi possent, essent potius reprehendendi, quod multa, eaq; insignia prætermiserint, quàm quòd operam dederint, ut nihil eorum omitterent, quæ ad hanc historiam pertinerent. Audiuimus ex Mattheo dixisse discipulis Dominum, ut in illo prædicandi negocio infirmos sanarent, leprosos mundarent, mortuos suscitaret, Dæmones eijcerent: neq; dubitandum est, eos ista omnia præstitisse, & tamen tam multa, ac tam insignia miracula Lucas uno uerbo complectitur, cum ait, curantes ubique. hoc maximum est indicium hominum, qui & conscij sibi essent ueritatis, quam prædicabant, & tantam se rerum copiam habere scirent, ut nihil referre existimarent, si multa, etiam data opera dimitterent. quod non facile in alijs historicis inuenias, qui, si quæ scribendo laudare uolunt, non ea solum, quæ certa sunt; scribere curant, sed uenantur, si qua præterea inuenire possint, quæ ueri aliquam similitudinem habeant, quæ appingant. Hæc uellem eos, qui ex uobis in sacrarum literarum studium se dant, accuratè obseruare. multum enim ad Euangelicæ historiæ maiestatem agnoscendam obseruationes istæ conferunt, atq; ad pietatem augendam. Audiuit autem Herodes tetrarcha omnia, quæ fiebant ab eo. Hic est Herodes, filius alterius Herodis, qui occidi iussit pueros in Bethlehem, & in omnibus finibus eius. mali corui malum ouum, qui, sicut pater eius cædem infantium patrauit, sic ipse ad saltatriculæ postulationem uirum illum interfecit, quo propheta maior inter natos mulierum non surrexerat. quo autem pacto fuerit tetrarcha, declarauimus, ubi Lucas quatuor tetrarchiarum facit mentionem, quarum uni præfuisset Herodes. peruenit autem ad eum fama Iesu, cum non solum ipse Iesus, uerum etiam discipuli eius latius spargerent Euangelicæ prædicationem, & miraculis inciperet ea prædicatio coruscare. quare opportuno loco Euangelista huius facti meminit, cum scilicet dixisset, apostolos egresos circuisse per castella euangelizantes, & curantes ubique. Videamus uerò, quid ad eius famam Herodes iste uel dixerit, uel fecerit, & inueniemus nullum genus hominum esse ineptius ad salutem sibi parandam, quàm principes, & eos, qui humanarum re-

rum pompam ambiunt. dum enim illa externæ dignitatis gloria intumescunt, & se quasi terrestres Deos arbitrantur, satis sibi illam de se opinionem ad felicitatem esse putant, unde uel nihil curant optimi, ac sanctissimi cuiusque famam, uel postremi sunt, qui eam audiunt, & ne tum quidem sæpenumero quicquam proficiunt, sed solam adhibent curiositatem, non studium comparandæ uirtutis. ecce enim hic audit famam Iesu, & admiranda illa, quæ ab ipso fiebant, neque dubitandum est, potuisse illum audire nouam prædicandi rationem, & nomen regni cælorum, ac regni Dei, quod identidem repetebatur, atque adeo quod erat & scopus, & summa totius Euangelicæ illius prædicationis. neque tamen ad illud tam nouum, tamque admirandum regni cælorum nomen audis eum quicquam permoueri, ut qui in terra regnare contentus esset, neque unquam eiusmodi viri cogitant, omne, quamuis maximum, ac longissimum imperium nihil à fabulis distare, quæ in scæna agantur, si cum eternitate conferatur, ad quam omnes post hoc huius uitæ somnium fumus accerfendi. Audiuit ergo hic Herodes omnia, quæ fiebant ab eo, & hæsitabat, eo quod diceretur à quibusdam, quod Ioannes surrexisset à mortuis, à quibusdam uero, quod Elias apparuisset, ab alijs autem, quod propheta quispiam ex antiquis surrexisset. Obserua quod dicebam, solam in eo fuisse curiositatem. hæsitabat ob id, quod diceretur, quempiam surrexisse, neque peruestigabat, quamnam esset eius prædicatio, si forte ex ea lucri aliquid facere posset. maximè omnium reges, ac principes, & quicumque celsiore aliquo in gradu collocati sunt, nouitatibus delectantur, quæ illos detineant, ut dies illis transeat iucundius, aut minore cum tædio, quod solatium nisi haberent, essent omnium miserrimi. cæteri enim, qui artibus, ac studijs aliquibus sunt occupati, ita diem transigunt, ut etiam solstitialis, nedum brumalis, breuissimus illis videatur, dum uel arte sua, ac studio delectantur, uel præmij, quod inde expectant, spe alliciuntur, uel utroque etiam. at miseri isti, ac uerè miseri, & omnibus hominibus mea sententia miserabiliores, nulla alia re nisi curiositatibus queunt pasci. nam uitæ uoluptates, ac delicia, in quibus per totam uitam nutriuntur, non patiuntur, eos serijs rebus operam dare. quis enim illis locus est ad grauiora, ac celsiora, & præstanti homine digna tractanda? contemplare totum diem, quo pacto illum traijciant, & hoc esse uerissimum inuenies. surgunt mane, id est, post tertiam, & eò amplius horam ab ortu solis. ab illa hora ad prandium cum non multum temporis intercedere possit, oportet exerceri in prandium, si corporis incolumitati, cui in primis studetur, uelint inferuire. interea paratur mensa, uenit capiendi cibi hora, accumbunt, ducitur bona temporis pars in epulis. post epulas, cantus & ioca (neque enim ea

hora

hora serijs rebus apta est) quæ bonam diei partem secum auferunt. cum è mensa surgunt, memores sibi etiã cœnandū esse, ut iam accepti cibi cœquantur, uel ludis, uel uenationibus rursus exercentur in cœnam. uenit uespera, cœnandum est, eadem est cœnæ ratio, quæ fuit, & prandij. ut & in cibis capiendis multum horæ insumatur, & post cibos, cantus, iustus, ioca adhibeantur. post multum noctis spatium tradunt se sopori, & cum multa crapula, atque ebrietate sint grauati, neque facillè indomitum queant despumare falernum, non satis est reliquum noctis illi despumationi, nisi bona diei pars addatur. quinetiam cum è somno surgunt, mens adhuc pressa est ob corpus onustum hesternis uitijs, (ut ait quidam poeta) qui animum quoque prægrauat unã. Atque affigit homo diuinæ particulam auræ. ut, si etiam quis uelit graue aliquid, ac principe dignum cogitare, minime possit. mitto scortationes, cæteraque lasciuia facta, quæ multò magis, quam epulæ, suffocant animum, ut suillã potius, quam humanam ducere uitam agnoscantur. Hæc est suprema principum; & eorum, qui se magnos, ac cæteris præstantiores arbitrantur, felicitas, cui uos interdum soletis inuidere. qui si hæc, quæ dixi, bene penitus animo affigeretis, iudicaretis profectò, nullum uitæ statum magis esse homini fugiendum. quid enim excogitari infelicius potest, quam eam uitam agere, in qua nunquam, aut quam rarissimè, & præterea difficillimè quisquam ad se redeat, ac meminerit sui, atque intelligat, quamnam inter hominem, & cætera animantia esse debeat differentia? Desinamus ciues mei tandem aliquando esse pueri, & eam ueram, ac solam magnitudinem iudicemus, ubi quis uirtutibus diuitem animum habet, atque ea facit, quibus Deo gratus sit, & cõmuni hominum generi proficit. quo fit, ut & in hac uita felix degat, & celebrem famam ad omnem posteritatem proroget, ac demum perpetua in cœlo ab immortalis Deo felicitate donetur. Verum, ut ad historiam redeamus, uidendum est, quid causæ esset, cur quidam tam uaria opinarentur de Christo, ut eum existimarent esse, uel Ioannem, uel Eliam, uel quemlibet alium ex uetustioribus prophetis. Videtur, hanc uulgi fuisse opinionem, eorum præsertim, qui minimè Christi prædicationi assueuerant. nam illi, qui eius doctrinam uerè percepissent, aiebant. hic est uerè propheta, qui uenturus erat in mundum. imperitum ergo uulgus, cuius natura est, nullam certam ueritatem sequi, sed potius suarum opinionum inuentis delectari, somnia sua proferebant, & illis tanquam ueris adherescebant. quod & nunc usu uenit. plures enim multo sunt, qui apocrypha, & nulla sacrarum scripturarum ueritate nitentia, charius amplectuntur, quam ea, quæ certò scimus à Christo, & prophetis, & apostolis tradita. & ij ferè sunt, qui studijs omnibus, præterquam sacrarum scripturarum lectione,

aut

in auditione delectantur . ex enim solæ idoneæ sunt & veritatem inferere humanis mentibus , & ab eis errorem auferre . & ob hanc causam admonebat Dominus eos , qui volebant illum credere esse Christum , vt se ad scripturas reciperent , scrutamini (inquit) scripturas , ipsæ enim testimonium perhibent de me . Eiusmodi ergo vulgares homines , cum ob quærendi negligentiam nescirent cogitare , fieri posse , vt is esset , qui à Deo per Moysen , & prophetas alios fuisset promissus , & cernerent tamen magnifica eius facta , quæ à mortali hominè nunquam patrata fuissent , opinati sunt , quempiam magnorum olim virorum , in vitam fuisse restitutum , qui plura posset , quàm ante mortem quisquam potuisset . & alij Ioannem quidem cum putabant , qui à mortuis surrexisset , atque hæc faceret , non quòd Ioannes legatur fecisse signa , dum viveret , sed quia sciebant , eum fuisse maximæ sanctitatis virum , & recens erat illius memoria . nuper enim fuerat interfectus , & cum opinio quorundam fuisset , potuisse illum esse Christum , ij fortasse , qui ista opinabantur , arbitrati sunt Ioannem à mortuis surrexisse , vt qui esset Christus , quem à morte detineri fas non esset , & tanquam qui post resurrectionem esset potentior , miracula edere , quæ antea non edidisset . De Elia verò obseruanda sunt verba Euangelistæ . non enim dixit , alios dicere , quòd Elias surrexisset , sed quòd apparuisset . sciebant enim , illum non mortuum , sed viuum translatum , quemadmodum in libris Regum legimus , & expectabant illum venturum , & instauraturum omnia , quòd & futurum est , vt ipse Dominus dixit discipulis , cum illum de Elia interrogarent . quare credebant ij nunc Eliam apparuisse , & venisse ad res Iudæorum perditas instaurandas . Et ait Herodes : Ioannem ego decollauis . quis est autem iste , de quo ego talia audio ? Matthæus videtur diuersum quid dicere , sic enim scribit . audiuit Herodes tetrarcha famam de Iesu , & dixit pueris suis . hic est Ioannes Baptista , ipse surrexit à mortuis , & ideo virtutes agunt in illo . sed potuit vtrunque esse , vt scilicet primum dubitauerit , deinde in eam demum venerit opinionem , quòd is esset Ioannes , qui surrexisset . Verum dicet fortasse aliquis vestrum . qui potuit Herodes in illam venire opinionem , quòd Ioannes surrexisset à mortuis , cum discipuli eius cadauer quidem sepelissent , sed sine capite ? nam Herodias caput habuit , quòd certissimè credendum est hostilem mulieris animum non reddidisse discipulis Ioannis , si etiam illud postulauissent . cur ergo prius , quàm hoc iudicaret , non quæsiuit ab ipsa Herodiade , vbi caput , Ioannis Baptistæ posuisset , quo inuento intellexisset , non

non esse illum Ioannem , quem interfecerat , qui surrexisset à mortuis ? at hoc illud est , quòd dudum dicebam , nesciunt reges , ac principes , qui terrena duntaxat curant , in præstanti vlla re diutius immorari , & ex ea fructum capere . quòd ita esse , facillè ex eiusdem ipsius verbis , quæ à Matthæo recitantur , cernere licet . obserua enim , quid dicat . hic est (inquit) Ioannes Baptista , ipse surrexit à mortuis , & ideo virtutes agunt in illo . Quid ais scelereste ? credis Ioannem illum , quem ita impiè ad saltatriculæ postulationem , & adulteræ persuasionem interfecisti , surrexisse , & ab eo suscitari mortuos , ac tot virtutes agi , neque vereris , ne te Diuina ultio disperdat , quæ tanti hunc fecerit , vt eum & à mortuis suscitauerit , & tanta edendi miracula dederit potestatem ? hoc non formidas ? non expauescis ? tantum verò abest , vt ex hoc terrearis , ut etiam penè videaris gloriari , quòd eum interfeceris . Ioannem (inquit) ego decollauis . vide , quid faciat arrogantia , & aliquid se esse ob humanam potentiam arbitrari . Et quærebat videre eum . quam ob rem ? ob solam curiositatem , quemadmodum etiam fecit , cum Pilatus remisit Dominum ad Herodem . tunc enim gauisus est ualde (inquit) Herodes uiso Iesu . tenebatur enim multo iam tempore cupiditate uidendi illum , eo quòd audiret multa de eo , & sperabat , se signum aliquod uisurum ab eo fieri . hæc eius cupiditas ab hoc iam tempore cœpit , in qua quid vellet , ex recitatis verbis nosse licet . sperabat (inquit) se signum aliquod uisurum fieri ab eo . quasi nihil à præstigiatoribus illum differre existimaret , qui & ipsi in admiratione sunt ob curiositatem , qua intuendis eorum præstigijs homines delectantur . non quærit , quæ nam sit eius doctrina , atque ex ea melior fieri . quare , cum cerneret Dominum Iesum inanibus illius postulationibus , & appetitionibus non respondere , spreuit eum cum exercitibus suis , ac illud indutumque veste splendida , nimirum derisus gratia , remisit ad Pilatum . Et hæc quidem obiter ab Euangelistæ de Herodis opinione , quam haberet de Christo , sunt dicta . nunc reuertitur ad priorem narrationem , & ait . Et reuersi Apostoli narrauerunt illi , quæcunque fecerant . Vide & hic , quanto compendio quàm multa complectatur , neque enim dubitandum est , Apostolos ea edidisse miracula inter prædicandum , quorum edendorum facultatem à Domino accepissent , videlicet sanandi infirmos , mundandi leprosos , suscitandorum mortuorum , eijciendorum Dæmonum . & tam ingentia miracula sub uno verbo concludit , dicens . narrauerunt

runt, quecunque fecerant. Et assumptis illis fecesfit seorsum, in locum desertum ciuitatis, quæ vocabatur Bethsaida. Pulchrum exemplum, ad quod imitandum tam inertes, sicut & in alijs omnibus, sumus. spirituale quidem negocium apostolorum fuerat, quod exercuerant prædicando, uerum, quia in illo prædicandi officio uersandum erat inter homines, in qua consuetudine non potest non aliquantum distrahi animus, iccirco oportet, ut uerbi Dei prædicatores secedant interdum, seque ad solitudinem referant, ubi cum Deo colloquentes ab eo accipiant, quod rursus alijs impertiantur. cuius rei exemplum ut Seruator Christus nobis daret, is, qui nullius horum egebat, ut qui esset omni ex parte perfectissimus, sæpe in solitaria loca se recipiebat, in quibus præcæretur patrem. quod si ijs, qui semper spiritualibus officijs addicti sunt, opus habent recessu, ac solitudine, quanto magis hoc est illis necessarium, qui tota die terrenis negociationibus, & huius uitæ curis occupantur? at hinc minus, quam ceteri uti hoc perfugio sciunt, nunquam ad se redeunt, ut peruestigent, num rectè se in suis factis gerant, quod esset, & superiorum errorum agere poenitentiam, & in ijs, quæ deinceps agerentur, esse circumspiciendos. in hominibus enim id usu euenit, quod in agris licet animaduertere. nam agricolæ non singulis annis perpetuo opere agros fatigant, ut quotannis fructum ferant, sed cessare eos faciunt, & ex illo interuallo, ac requiete fiunt fecundiores, & copiosiores ferunt fructus. sic si uos à uestris terrenis occupationibus interdum cessaretis, & quotidiana illa rerum huius uitæ studia intermitteretis, multò feliciter res nobis cederent, etiam quod ad hanc uitam pertinet. etenim hoc pacto iustus degeretis, & maiora semper contingeret consequi à Diuina liberalitate beneficia. quod contra nunc uobis accidit, dum enim nulla cogitandi de uobis, deque uestris factis seponitis tempora, multa & imprudentes, & scientes peccatis, ex quo crebra uos flagella, & Diuinæ castigationes identidem premunt. Quod cum cognouissent turbæ, secutæ sunt illum, & excepit eos, & loquebatur illis de regno Dei, & eos, qui curatione indigebant, sanabat. Duo hic licet obseruare, & pium turbarum studium, ac sollicitudinem quærendi Dominum Iesum, & ipsius Domini benignitatem, ac charitatem. turbæ, quæ quotidie habebant eum, quia tamen gustauerant suauitatem prædicationis eius, nequibant illud interual- lum, quo aliquantum secedebat, æquo animo ferre. uerè enim, ubi quis semel in animi interiora admittit Diuina eloquia, & gustauit eorum suauitatem, durum ei uidetur, ab illorum iucundissima consuetudine auelli, & maior illi semper eorum fames crescit. de illis enim scriptum est, qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient. rursus Domini mansuetudinem intueamur, qui quamuis cum discipulis paulisper fecesisset

fecesisset quietis gratia, non indignatur, neque illis obijcit importunitatem, sed excipit illos, & suæ Diuinæ prædicationis pascit alimento, & eos sanat, qui indigent curatione, ut doceret, nostram philosophiam non uerbis solum, sed factis etiam constare debere. uerum ex hac loci solitudine alterius beneficentiæ accessit occasio, quam iam audietis. Dies autem coeperat declinare. & hic quoque admirari licet huius beatæ turbæ affectum, & uestram negligentiam. isti non recusant & in desertum proficisci, & pernoctare etiam in illa solitudine. quam animi alacritatè intelligentes discipuli fecerunt, quod mox dicemus. uos uerò minus alacriter exitis domo, ut huc summo cum ocio, ac sine ullo labore conueniatis, quod si usque ad meridiem, nedum ad uesperam esset expectandum, quot esse censetis inter uos (nam aliqui reperti interdum sunt, qui hanc animi præparationem secum ferrent) qui expectarent? quamuis certò scirent, se, ubi hinc recessissent, habere domi paratum conuiuium. at hæ turbæ in locis desertis erant, & carentibus hospitio, quò possent diuertere, & declinante iam die, nihil minus uidebantur cogitare, quam de capiendo cibo. Et accedentes duodecim dixerunt illi, dimitte turbas, ut euntes in castella, uillasq; uicinas diuertant, & inueniant escas, quia hic in loco deserto sumus. Bonum magistrum boni discipuli imitantur. solliciti & ipsi sunt pro turbis, ne, dum audiendo uerbo Dei intenti sunt, aliquid in penuria corporei alimenti paterentur. quod & nunc pro nobis facerent & ipsi, & reliqui sancti Dei, si nos uehementiori affectu in hanc philosophiam incumbere cernerent. quò enim ardentius Diuina quæreremus, eò maiore cum sollicitudine ipsi curarent, ne quid nobis ad usum huius uitæ necessarium deesset. Ait autem ad illos. uos date illis, quod edant. non hoc dicit, quòd expectaret, eos sua industria præparaturos, quo tot millia hominum pascerentur, sed ut eos expergefaceret, ac redderet capaciosiores eorum, quæ fierent. cum enim audirent, dici sibi, ut ipsi darent turbis, quod ederent, uenerunt in cogitationem sibi non adesse idoneum panum numerum, ut ex hoc demum intelligerent miraculi magnitudinem. sic & apud Ioannem, qui sicut & alij omnes euangelistæ hoc miraculum scribit, legimus Dominum interrogasse Philippum. unde ememus panes, ut edant isti? hoc autem dicebat (inquit) tentans eum. ipse enim sciebat, quid esset facturus. At illi dixerunt. non sunt nobis plus quam quinque panes, & duo pisces, quod nihil aliud erat, quam dicere, id, quod habemus, non est idoneum pascendis illis. sicut & apud Ioannem habes. est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces, sed hæc quid sunt inter tam multos? sed interea contemplare alacrem discipulorum ad benignè faciendum animum. uide enim quid addant. Nisi nos eamus, & emamus

in omnem hunc populum escas. Certum est, neq; Dominum, neq; beatum illum apostolorum chorum quicquam habuisse, nisi si qua à pijs hominibus offerrentur, & tamen totum illud parati erant impendere in turbarum alimoniam. cernebant. n. tam ingentem multitudinem sine maximo sumptu ali minimè potuisse, iccirco addit. Erant. n. ferè uiri quinquies mille, intellige, præter mulieres, & pueros, ut Matthæus ait, qui fortasse non minorem æquabant numerum, ut ex hoc magnitudo signi agnosceretur. Ait autem ad discipulos suos. facite illos discumbere in singulo discubitu quinquagenos, atque ita fecerunt, & fecerunt omnes discumbere. Voluit Dominus, qua erat benignitate, non solum illos pascere, sed etiam ciuilitè accipere, quantum loci conditio patiebatur. quare iussit eos quodam ordine per contubernia collocari, quod exemplo nobis esse debet, ut, cum indigentibus benignè facere uolumus, id officiosè etiam faciamus. discipulorum quoq; puram, ac sine disquisitione obedientiam licet intueri, qui tametsi nescirent, quid facturus esset (quod ita esse certissimum est, cum post factum miraculum, nentum quidem intellexissent, quemadmodam memorant euangelistæ) tamen confestim obediunt, neq; disceptant, aut dijudicant, quasi ociosè, ac superuacue hoc imperet. de huiuscemodi Deus per prophetam dicit. in auditu auris obediuit mihi. quàm multos censetis nos priuari bonis ob hanc unam causam, quòd nescimus obedire, & nostris plus cogitationibus fidimus, quàm cœlesti imperio, à quo si regi nos pateremur, euaderemus beatissimi? nunc uerò sumus pueris quàm simillimi, quibus suæ magis placent appetitiones, quàm uel parentum, uel magistrorum consilia. sic nos existimamus, tunc solum res nostras, & opes, & honores augeri posse, cum eorum studia terrenis opinionibus metimur. qui si ad Diuinæ uoluntatis regulam omnia dirigeremus, & ea, quæ per euangelicas leges nos admonet, sequeremur, multò nos ipse & ditiores, & honestiores efficeret, quàm nosmet ipsi nos facimus, quemadmodum & pueri multò præstantiores euadunt, cum se à maioribus regi sinunt, quàm si suæ uoluntati, suisq; appetitionibus relinquuntur. immo uerò, si sua sequantur desideria, eunt perditum, quod & nobis semper accidit, licet ob tenebras, quibus sumus nostro uitio circumfusi, id minimè intelligamus. Acceptis autem quinque panibus, & duobus piscibus, sublatis in cœlum oculis, benedixit illis, & fregit, distribuitq; discipulis, ut apponerent turbæ. Accepit ipse in manus & panes, & pisces, quia ab ipsius uirtute proficisci debebat illa earundem rerum multiplicatio, quare ipse etiã eis benedixit. quòd uerò sustulit in cœlum oculos, non hoc fecit, quòd ipse potestatem non haberet augendorum panum, & piscium, sed, præterquam, quòd omnia referebat ad patrem, ut doceret nos, ut cum cibum

sumus

sumus accèpturi, qui in primis nobis est ad uitæ conseruationem necessarius, grãtias Deo agamus, cuius munere, ac benignitate uiuimus, & nutri mur. qua in re uideo maximam uestri partem peccare, qui quò splendidiore instruitis conuiuia, eò minus recordamini & ante, & post acceptum cibum gratias Deo agere. quin pro gratiarum actione tam multa in ipsis conuiujs peccatis, ut uideamini id dare operam, ut certetis maleficientia Diuinam superare beneficentiam. & tam perditos mores nemo est, qui obseruet, aut castiget. parentes castigare filios nesciunt, ut qui eadè ingressi sint uia. filij. ea, quæ à parentibus didicerunt, sequuntur. atque ita emendandi erroris nulla est uia, dum ab eiusmodi cœlestium exemplorum contemplatione tam estis alieni, quàm hactenus fuistis. Hoc autè admonere fuit apprimè necessarium ob ea, quæ in hac parte grauissimè peccatis. non cernitis, quàm sit detestandum, ea ipsa hora, qua Dei beneficijs fruimini, magis esse erga eum ingratos, quàm reliquo penè tẽpore? si. n. obseruetis, quæ in conuiujs fiunt, ijs præfertim, ubi Diuinorum munèrũ maior est copia, inuenietis rem ita se habere, ut diximus; cum enim ipsa tam uaria ciborum, ac ferculorum appositio inflammare animum deberet, ad laudandum tam largum benefactorem, ad gratias illi agendas, ad referendam cogitationem ad inopiam pauperum, quos Christus fratres appellauit, qui omnium rerum egeni sint, ipsi uerò opipare epulentur, neq; saltem fragmentis, quæ mensis superant, eorum leuare indigentiam dignentur. horum omnium oblitum, crapulæ, & ebrietati indulgent, non contenti ea duntaxat accipere, quæ alendo corpori sint satis. ubi autem multo mero incaluerunt, Deus bonæ, quæ bacchanalium imago, quàm omnis prorsus Christiani hominis forma sublata. is magis laudatur, qui plures facetiã, quàm tamen Paulus detestatur, & scurriles nugas afferre in medium sciat. cum lasciuia aliqua dicuntur, tunc cachinni excitantur maiores, qui omnes huiuscemodi pestilentes sermones affiguntur animis, & post paulò in actum prodeunt, nam mores bonos colloquia corrumpunt mala. & eius generis conuiuia, scortatio num, & adulteriorum sunt quædam seminaria. mitto blasphemias, quibus tremendum Dei nomen, & Christi eius, quod ipsi quoq; Dæmones perhorrescunt, impetitur. mitto crimina, & iurgia, quæ ebrietas suscitatur, ut nonnunquam ad vulnera, & cædes perueniatur. atque hæc omnia eo fiunt tempore, quo copiosius homines Diuinis fruuntur beneficijs. neque metuitis, ne uel ob hoc unum flagitium grauiora flagella vos maneant, quàm ea, quæ olim in deserto Israëliticum populum percusserunt? illi enim murmurarunt quidem aduersus Deum, sed tum, cum arbitrabantur defutura sibi ad victum necessaria, quod tamen peccatum grauisissima ultione fuit castigatum. nostri uerò tum ma-

HHHH 2 ximè

ximè in Deum ingrati, & iniurij sunt, cum copiosiore sentiunt erga se Dei beneficentiam. tollite, quaeso, barbarum morem, & discite aliquando ad Euangelicas leges facta uestra dirigere. Et comederunt omnes, & saturati sunt, & sublatum est, quod superfuit illis, fragmentorum cophini duodecim. Ioannes sic scribit, ut autem impleti sunt, dicit discipulis suis, colligite, quæ superfuerunt fragmenta: collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerant ijs, qui comederant. Ad maiorem miraculi euidenciam, quod scilicet illa quinque panum multiplicatio abundè superpetierit ad alendam, & explendam illam multitudinem, uoluit, ut etiam tam multa fragmenta superessent. neque minus mirum fuit, quod tot superfuerint sportæ, quot apostolorum numerum æquarent, quod omnino ipsius Christi uoluntate factum fuit, ut singuli suum cophinum implerent, quò tenacius facti memoria eorum mentibus insideret, qui futuri erant, & doctrinæ, & miraculorum Christi annuntiatores, quo proposito scopo, non fuit opus, ut amplius superesset. Quod si ad uitam, & mores instituentos referre uelis, & hic etiam habes unde erudiaris, ut scilicet temporaria bona ita tractemus, ut, cum id acceperimus, quod ad victum, & cultum est necessarium, reliquum non sinamus perire. at quo pacto perit? quoties ad huius mundi opinionem sumptus facimus, neque ad Euangelicas leges, ac regulam eos metimur. qua etiam in re multa peccantur. si enim spectes, quibus in rebus insumant homines suas facultates, inuenies plura esse, quæ pereant, quam quæ utiliter insumantur. cum enim apostolica sententiâ sit, ubi quis victum, & cultum habeat, debere illum ijs esse contentum, contemplamini, quam uehementer in hoc erretur. nam minimum est, quod in victum necessarium, cultumque impenditur præ eo, quod in pompas, atque inanem iactantiam miserè disperditur. non sumus contenti honesto indumento, nisi addamus eum splendorem, qui alios superet; & ex quo præstantiores alijs uideamur. domum uolumus, non quæ ad habitationem sit satis, sed quæ magnificè nos habitare ostentemus, & gloriam inde apud homines comparemus. & ne singillatim omnia attingam, plura multò sunt, quæ uestra stultitia pereunt, dum erroris opinionem magis sequi libet, quam Euangelicam doctrinam, quam ea, quæ ob necessitatem insumuntur. neque prætermittendum est, cur, quemadmodum ex Ioannis Euangelio liquet, sola panum fragmenta dicantur superfuisse, non autem piscium. hoc uideatur factum ob hanc causam, quod satis erat ad ostendendum miraculum, ita abundè pastam fuisse tam ingentem multitudinè, ut etiam duodecim cophini fragmentorum superfuerint ex quinque panibus, qui iussi fuerant in turbas distribui, ut necesse non fuerit superesse etiam frag-

fragmenta piscium. Quod si altius mysterium contemplari libet, hoc esse in causa potuit, quod per panes intelliguntur dogmata, & mysteria fidei, per pisces uero, qui quasi condimenta sunt panis, præcepta charitatis. dogmatibus ergo saturamur quidem, sed superant adhuc, quæ hic plenè percipere nequimus. at ijs, quæ de charitate præcipiuntur, nunquam saturari possumus, nedum ut queant superesse. nunquam enim tantum quis amat, quantum illi est amandum. non decuit ergo, ut pisces superessent, quos omnes edere iubemur, cum præcipitur, ut ex toto corde, tota anima, tota mente, omnibus uiribus diligamus Deum, & proximum nostrum tanquam nos ipsos. quod etsi non præstamus, id tamen ut præstemus, imperatur. at panum esus integer, id est, dogmatum curiosior peruestigatio etiam prohibetur. nam scrutator maiestatis, ait Salomon, opprimetur à gloria. Et hæc quidem de hoc à Seruatore Christo turbis instructio conuiuio apposita à nobis sunt, ut aliquid & nos degustaremus, neque inanes prorsus, atque impasti dimitteremur. in quo illud postremo obseruandum est, nostræ utilitatis gratia, quantum boni afferat hospitalitas. ecce enim parati erant discipuli pecunias, quæ oblata Christo fuerant, & ex quibus uicitabant, impendere in panes, quibus tanta aleretur multitudo. Dominus autem effecit, ut non solum seruari illis pecunia, sed etiam ut panum quantitas uehementer multiplicaretur. hæc miracula quotidie experiuntur ij, qui hospitalitatem exercent, quæ si obseruare scirent auari, & qui nulla in pauperes commouentur misericordiâ, essent, saltem ob lucri cupiditatem, cæteris omnibus liberaliores. quid enim excogitari lucrosius potest, quam centies multiplicatum fructum in hac ipsa uita assequi? quod scænoris genus monstruosius inuenitur? & hoc deesse non potest, neque enim mentiri ueritatem possibile est, quæ hoc est pollicita, nec tam certè pollicitationi fidunt homines, tamque opulenta. O supremam nostram infidelitatem. malunt homines pecuniam, & aurum, & argentum committere erugini, quam curare, ut Euangelico hoc scænore multiplicentur. quare & debitas suæ stultitiæ pœnas luunt. nam prius moriuntur, quam ullum ex eis fructum retulerint, & relinquunt ijs, qui ea in uoluptates, & huius uitæ somnia disperdunt, cum suo, & eorum, qui ea sibi reliquerunt, salutis detrimento. neque enim culpa vacant ij, à quibus ea fuerunt relicta, qui cum certò scire possent, hæredes suos præuè usuros, maluerunt facultates suas deceptoribus, tanquam gladium in furiosi manu relinquere, quam ibi reponere, ubi frui in æternum illis licuisset. Hanc tam supinam recordiam, quaeso, ciues mei deponite, & discite rectas inducere cogitationes, quæ & huius uitæ statum tranquilliorẽ uobis comparèt, & præmia concilient sempiterna. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre,

& spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & potestas, & imperium, & nunc, & in omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO QUADRAGESIMA

NONNA.



Et factum est, cum solus esset orans, erant cum illo & discipuli. interrogauitq; illos, dicens. quem me dicunt esse turbæ? Ecce iterum exemplum uicisitudinis, quæ uerbi Dei concionatoribus esse familiaris debet, ut post prædicationem se ad orationem recipiant, id quod & apostoli postea diligentissimè obseruauerunt, cuius rei exemplum habes in Actis apostolorum, ubi cum turbatio quædam orta esset ob uiduarum ministerium, quæ negligi uiderentur, duodecim illi consuluerunt, ut eligerentur uiri spectatè probitatis septem, quibus delegaretur hoc negocij. nos uerò (inquiunt) deprecationi, & ministerio uerbi incumbemus. Postquam ergo satiauit turbas, & spirituali alimento, & corporeo etiam cibo, illis dimissis precatoni se dedit, quæ peracta discipulos, qui soli cum eo relictis fuerant, interrogauit, quem se esse dicerent turbæ. cur hoc? quid intererat, hanc facere interrogationem? non ne ipse hoc sciebat, qui non modo nôset, quid dicerent homines, uerumetiam quid cogitarent? necesse ergo est, ut hæc facta sit interrogatio instruendorum discipulorum gratia, ut magis in ueritate confirmarentur, & agnitione ipsius Christi. neque simpliciter dixit, oportet uos maiorem habere mei agnitionem, quam turbæ, sed restitit rem orditur, quod erat maioris & sapientiæ, & modestiæ etiam. sic cum Samaritanam mulierem docere uoluit, quibusdam usus est gradibus, ut primum ab ea peteret aquam ad bibendum, quam tamen sine mulieris ministerio habere poterat, & in ea aqua aliquantum philosopharetur, ac demum ad maiora mysteria tractanda perueniret. Interrogauit ergo discipulos dicens. quem me dicunt esse turbæ? at illi responderunt, & dixerunt. Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij uerò, quod unus propheta de antiquis surrexerit. causam diuersarum eiusmodi opinionum in superiori oratione exposuimus, ut non sit necesse nunc eadem repetere. Dixit autem illis, uos autem quem me esse

me esse dicitis? Turbæ quidem (inquit) ita sentiunt, uestra uerò quænam est super hac re sententia? uos enim æquum est esse prouectiores, & propius quam turbæ accedere ad ueritatem. quo exemplo docemur, curæ nobis esse debere, ut eos, qui subiecti nobis, & nostræ crediti sunt curæ, temptemus, atque experiamur, quibus possumus artibus, ad quem peruenerint gradum. ex illo enim experimento, non modo ipsi agnosceremus, quid profecerint, quod scire omnino necessarium est, si rectè eos regere uolumus, ut sciamus, quod cuique remedium sit adhibendum, uerumetiam hæc illi uia experrecti plerunque intelligent, quid sibi desit, atque ad progrediendum magis incitabuntur. Non cernis, eundem esse morem eorum, qui & grammaticen, & cæteras disciplinas docent? neque enim contenti sunt magistri ea lectione, qua auctorem aliquem sunt interpretati, quamuis omnia dixerint, quæ ad illius auctoris interpretationem uidebantur necessaria, nisi interrogent præterea discipulos, explorentque, num ea, quæ audierunt, perceperint intelligentia, atque ex ea interrogatione plus proficiunt plerunq; quam ex ipsa lectione, dum, uel, si respondere sciunt, ad maiorem progressum animantur, cernentes se ob hoc à magistro laudari, uel, si minus attenti fuerunt, ac propterea interrogationibus nesciunt respondere, castigati præceptoris reprehensionibus, exuunt priorem inertiam, & fiunt reliquo tempore attentiores. Has ego interrogationes non semel singulis annis facio, ut explorem, quot, quantosque unusquisque uestrum in Euangelicam philosophiam progressus fecerit, quæ interrogationes, nisi adhibita à me primis, ipsis mei episcopatus annis fuissent, uereor, ne lectiones hæc meæ, & sanctorum Euangeliorum interpretationes omnes inanes fuissent futuræ. quenam uerò fuerunt istæ interrogationes? cum uos ter singulis annis, & quater inuito, ut in medium afferatis pecunias, quibus Christi fratres, præsertim qui ægrotant, inuentur, quid hoc est aliud, quam fidem uestram, ac pietatem in Deum explorare, ut sciam, quibus mihi uis ingrediendum sit, & num laudibus, aut reprehensionibus indigeatis, atque ut nosmet ipsi uos agnoscat, & uel intellecta uestra inertia, illam auferatis, uel siquid generosè interdum à quopiam uestrum factum est, ad maiora semper aggredienda animetur. Illud præterea accidit, quod in scholis usu euenire cernimus, ut æmulatio, ac mutua concertatio stimulos addat, dum superare sese inuicem pueri conantur, aut certè esse alijs inferiores nolant. huius rei exemplum habemus apud Paulum, qui Corinthijs scribens, & de hoc ipso cogendæ eleemosynæ officio loquens ait. uestrum exemplum prouocauit plures, quia scilicet, dum ingentem animi promptitudinem præ se tulissent, ea fama dimanauit ad alias ciuitates, & pro-

& prouincias, quæ post & ipsæ hoc exemplo animabantur ad benignè ac liberaliter præstandum. Hæc itaque, vt dicebam, veluti interrogationes quædam, primum effecerunt, ut ipsimet agnosceretis, multa vobis ad profectum deesse, quæ ignorabatis. nam mea hæc prædicatio quid est aliud, quàm quædam lectio? quam sine adiecta interrogatione, vnusquisque vestrum intelligere sibi persuadebat. at ipsa eorum, quæ hic dicuntur, intelligentia non nisi ex factis agnoscitur, quæ facta vbi adhiberi cepta sunt, tunc explorare licuit, quantum in spiritali intelligentia quisque profecerit. deinde æmulatio non parum & ipsa profuit. nam in ea, quæ primo anno facta est, oblatione ob Christi nuptias, vnus tantum modo fuit, qui aurum obtulit, reliqui argentum, & æs. verum postea ad illud vnus exemplum quàm multi nummi aurei fuerunt à vobis oblati? Fuit ergo necessaria hæc Domini interrogatio ob discipulorum vtilitatem, ex qua, quid sit consecutum, audiamus. Respondens Simon Petrus dixit. Christum illum Dei. Petrus, vt cæteris feruidior, vel in aliorum omnium condiscipulorum persona hoc dixit, vel fortasse, quia primum illi fuerat reuelatum, quemadmodum apud Matthæum legimus. cum enim dixisset Petrus. tu es Christus filius Dei viui. respondens Iesus dixit ei. beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cælis est. quibus verbis ostendit, Petrum, id quod dixisset, non ab humana doctrina accepisse, quod appellatione carnis, & sanguinis intelligitur, sed Diuinitus fuisse sibi reuelatum, quod non simpliciter esset Christus, quemadmodum appellare solet scriptura, cum ait. nolite tangere Christos meos, sed Christus ille Dei. iccirco adiectus fuit articulus, vt ille Christus intelligeretur, quem præcipuum expectabant Iudæi, quem & Moses ipse pollicitus fuerat. prophetam, inquiens, suscitabit vobis Deus de fratribus vestris similem mei, id est, qui nouam legem vobis afferat, quemadmodum hanc ego vobis veterem tuli. Cum ergo Petrus reuelatione summi patris edoctus ista dixisset, fuit hæc non exigua reliquorum discipulorum confirmatio, & instructio, ad pleniorum Christi maiestatis agnitionem. & præterea fuit hæc aptior via ad docendos eos, quàm si dixisset, ego sum Christus ille. hoc enim pacto habuit quodam modo testimonium à patre, cum Petrus ex reuelatione Dei patris illa dixisset. At ille comminatus illis præcepit, necui dicerent hoc, dicens. oportet filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus, & principibus sacerdotum, & scribis, & occidi, & tertia die resurgere. Cur apostolis Dominus sit comminatus, necui hoc dicerent, in causa erat, ne, si hoc fuisset vulgatum, impediretur humani generis redemptio, quæ per eius passionem, & mortem fuerat facienda. sed non omnia ita aperte dicit, nam reseruabantur suo tempore declaranda. neque ve-

rò

rò ob hanc duntaxat causam illos hoc admonet, sed ut etiàm anteuerteret, ac præpararet illorum animos, vt, cum ista euenirent, minus offenderentur. si enim post istas prædicationes offensi in eius morte fuerunt, quid non fecissent, si nihil horum unquam fuissent admoniti? etenim cum crederent, eum esse Christum illum, in lege promissum, de eius regno potius, quàm de morte cogitabant, præsertim cum Iudæorum opinio esset, Messiam suum non moriturum. quod declararunt ij, qui, ut Ioannes narrat, dicente Domino, oportere exaltari filium hominis, responderunt. nos audiuius ex lege, quod Christus manet in æternum, & quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis? cum itaq; hæc eorum esset opinio, nisi præuenisset Dominus admonendo, quod esset multa passurus, ac demum occidendus, multò magis fuissent offensi, cum ista accidissent. Vt autem hæc rectius dicerentur, non dixit, oportet me multa pati, sicut supra dixerat. uos quem me esse dicitis? sed tanquam de altero loqueretur, dixit. oportet filium hominis multa pati. quem admodum & apud Matthæum de hac eadem re loquens, eodem loquendi more usus dixit. ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & scribis, & condemnabunt eum morte. cur autem se filium hominis appellaret, aliàs ex hoc loco uobis declarauimus. Opportunum autem fuit, ut non solum diceret se passurum, uerum etiam à quibus, nempe à senioribus, & principibus sacerdotum, & scribis, quorum alteri ob dignitatem, & gradum, alteri ob legis peritiam, quam profitebantur, insignes erant, & magna apud populum præditi auctoritate. ubi uerò cum potestate iungitur etiàm opinio peritiæ, ac scientiæ, arbitrantur pleriq; omnes, id, quod ab eis fit, rectè fieri. decuit igitur, ut admonerentur etiam, quoniam essent ij, à quibus esset ista ob illorum erga se odium, inuidiamq; passurus. nihil enim prætermittendum est magistro, quod ad discipulorum ædificationem, & confirmationem pertineat. sapientissimè autem etiam resurrectionis fecit mentionem dicens, & tertia die resurget. ne nimis caderent animis, & humana aliqua tentatio illis oboriretur, quæ desponderet animum faceret, ac referre pedem. idem ipsum facere solebat, quoties de sua morte, eis loquebatur, id quod diuersis Euangeliorum locis est animaduertere. Hic mos seruandus & à nobis est, ut quoties sese offert cogitatio crucis, & patiendi pro Christo, meminerimus, qui futurus sit finis crucis, nempe resurrectio, & beata immortalitas. si fuerimus (inquit Paulus) socij passionum, erimus & consolationis. & alibi, si insatiati facti sumus illi per similitudinem mortis eius, nimirum & resurrectionis participes erimus. ecce & Diuinum apostolum & his, & alijs præterea locis terrori passionum addere leuamen consolationis. Dicebat autem ad omnes. si

III quis

quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Quæ nam est ista adiectio? & quid ad superiora attingit? pulchrè hoc adiecit, docens, oportere eos, non solum non expauescere ob ea, quæ audierant ipsi Domino euentura, sed etiam eosdem ipsos paratos esse ad eadem subeunda aduersa, & mala perpetienda. si quis (inquit) vult post me venire, quod idem est, ac si diceret, meus esse discipulus, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. hæc Seruatoris Christi verba, quæso, mecum diligentissimè obseruate. nam omnibus verba facit, vt ex Euangelio audiuiistis. dicebat, inquit ad omnes. atque illud primum scire vos arbitror, neminem posse felicia illa promissa, quæ Christianis fiunt, assequi, nisi fuerit Christi discipulus, id est, sub eius disciplina vitam agat, illiusque doctrinam sequatur. videamus ergo, quid hic à nobis requiratur, ac deinde contemplemur, quid horum præstemus, & continuo intelligemus, quo in statu res nostræ versentur. iubetur homo Christianus, qui iccirco hoc cognomen circumfert, quòd profitetur, se Christi doctrinam amplecti, abnegare semetipsum, & tollere crucem suam quotidie. quod præceptum omnem secum affert perfectionem, ut omnes terrenos affectus quibus abijciat, & vel quæcunque caro suggerit, vel ad quæ mundus inuitat, qui velit ire post Christum, & illum sequi. Appetit caro voluptates, & delicias, at hæc homini Christiano sunt respuendæ. castigandum corpus, ac seruituti subijciendum, cauendæ comessationes, & ebrietates, quia ab ijs iter est ad cubilia, & impudicitias. inuitat mundus ad honores, & dignitates, ad parandas pecunias, ex quibus vitæ huius splendor sequatur, sed Christus iubet ab ijs abstinere, & ipse se horum exemplum præbuit, ac regium honorem fugit, & tam arctè paupertatem fuit amplexatus, vt, cum vulpes foueas habeant, & volucres cæli nidos, is non haberet, vbi caput reclinaret. mundus ignominiam arbitratur, si quis Iesus, duplo non ulciscatur inimicum. Christus verò quid? ne resistatis malo, sed quisquis impegit alapam in dexteram tuam maxillam, porrige ei & alteram. & qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, permittite ei & pallium. & qui te adegerit ad miliarium vnum, vade cum eo duo. & rursus. diligite inimicos vestros, benedicite maledicentibus vobis. benefacite ijs, qui oderunt vos, & orate pro ijs, qui ledunt, & insectantur vobis. videamus ergo, quid horum à nobis fiat. nos omnia carnis commoda querimus, neque solum necessaria, verum etiam superuacua, cibis, & potibus vsque ad crapulam, & ebrietatem indulgemus, omne studium adhibetur, vt quis ex paupere fiat diues, & ex diuite quotidie ditior, vt ex mediocri, & honesta domo fiant

palatia,

palatia, vt agri, vineæ, oliueta duplicentur, & quadruplicentur, atque, ut Esaia verbis vtar, vt coniungatur domus domui, & ager agro copuletur, vt non sit terminus loci. tantum verò abest, vt quis erga eum, qui se læserit, imperatam à Christo mansuetudinem exerceat, vt nihil minus, quàm de hoc cogitetur, perinde quasi nihil de Christiana doctrina ad eorum aureis peruenerit. Hæc apertissima sunt, nec obscurari possunt, & quæ vosmet ipsi, qui ea facitis, negare non audebitis. vbi est ergo illa sui abnegatio, quæ Dominus Iesus à nobis requirit, si post eum ire velimus? quam abnegationem quantam esse oporteat, audiamus, quid alibi dicat. qui amat patrem, aut matrem supra me, non est me dignus, & qui amat filium, aut filiam supra me, non est me dignus. & alibi. si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, & præterea animam suam, non potest meus esse discipulus. & quisquis non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus. is amat patrem, & matrem, filium, & filiam plus, quàm Christum, qui ita illis afficitur, vt modo eis gratificetur, nõ vereatur ea facere, quæ certò scit Christi legibus aduersari. at hæc passim, & quotidie fiunt. unum, aut certè præcipuum est, quod patres exquirunt, non ut filios Christi legibus instruant, nam hæc vel nulla, vel minima est cogitatio, sed quo pacto eos ditent opibus, & honoribusaugeant. quod nihil est aliud, quàm querere doctrinæ Christi contraria, & plus amare filios, quàm Christum. Quod verò ad odium pertinet, inueniuntur quidè filij, qui parentes oderunt, sed non propter Christum, si videlicet consulant ea, quæ Christi legibus sunt inimica, sed cum suis appetitionibus non obsequuntur. rursus parentes oderunt filios, non tam eos, qui à Diuinis præceptis recedunt, quàm qui, dum studijs Diuinis operam dare volunt, & se ab hisce temporarijs, & caducis rebus seiungere, ac æternis assuescere, augendis facultatibus non incumbunt. oderunt viri uxores, quæ filios auocare à mundi cupiditatibus tentant, nec sinunt eos, mundi huius curis sese bene penitus implicare. atque ita interfa omnia sunt, ut, si Christianorum facta contemplare, nihil eorum, quæ hic præcipit Christus, obseruetur. Nisi verò his terrenis affectibus imperemus, quo pacto præstare licebit, quod post sui abnegationem addi iubet, vt scilicet tollat quis crucem suam quotidie, & sequatur Christum? nõ semel, aut bis iubet tolli crucem, sed quotidie, quod nihil est aliud, quàm semper esse paratum ad damna, contumelias, probra omnia, mortem denique ipsam pro Christo perferendam. cum enim crux non modo crudelissimè, sed teterrimè etiã sit mortis genus, crucis appellatione maxima quæq; mala comprehenduntur. at quo pacto maximis perferendis pro Christo aduersis paratus erit ille, qui ne ea quidem perferere vult, quæ

sine incommodo præstare potest? sunt plurimi diuites, quibus præter ea, quæ ad vitam degendam sunt necessaria, multa superflua. cernunt ij plures fame, siti, frigore confici, sine lare, sine foco errantes, neque dignantur tantis miserorum necessitatibus occurrere ex eo, quod illis est superuacuum, hos tu quo animo paratos censes fore, si ingrueret impiorum persecutio, ad perferenda pro Christo tormenta, & mortem, si mortis instar habent, quod sola natura ipsa extimulante deberet esse iucundissimum? nam ea, ad quæ facienda natura inuitat, dum fiunt; non modo difficultatem nõ pariunt, verum etiam, nisi fiant, est molestissimum: quid autem est magis naturæ nostræ consentaneum, quàm beneficentia, & humanitas, quæ vt intelligatur debere esse hominis propria, ab ipso homine nomen accepit? at ea, quæ naturæ propria sunt, cum iucunditate fiunt. nam risus, quia hominis proprius est, ita libenter exercetur, ut ab eo prohibere hominem qui velit, rem molestissimam faciat. cogimur enim quodam modo à natura ipsa ad risum. quid autem est, quod impellere nos, & vim quãdam adhibere magis debeat, vt benignè præstemus, quàm vbi naturæ nostræ consortes egere contemplamur? si ergo ea non facimus pro Christo, ad quæ ipsa inuitat sua sponte natura, quo pacto crucem ferre parati erimus, rem naturæ inimicissimam, & quæ solo nomine hominem terret? Cernitis, qui sit rerum nostrarum status, atque conditio, & quàm simus à nostra professione alieni? & tam periculosum statum non est qui desleat, aut expauescat. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet illam, qui uerò perdiderit animam suam propter me, is saluam faciet illam. Ponit hic ante oculos & fructum, qui Euangelica præcepta seruantes sequitur, & damnum, quod manet contemnentibus, vt & contemplatione expectati boni animemur ad ferendam crucem, & metu mali, quod imminet ijs, qui hanc doctrinam negligunt, non recusamus Euangelicis legibus obtemperare. animam autem hic appellat vitam, quæ hic agitur, & ait, futurum, vt, quicumque amore temporaria huius vitæ recusauerit aduersa pro Christo pati, ac propterea humanis hisce commodis, ac voluptatibus frui maluerit, hanc ipsam tam vehementer amaram demum perdat, cum scilicet in æternum ignem damnatus conijciatur, qui uerò momentaneo hoc viuendi spatio frui non curauerit, modo Christi præceptis obtemperet, hoc enim est, animam suam perdere propter Christum, is saluam faciet animam, æterna felicitate donandam. qua in re stoliditatem nostram licet admirari. plurimi enim sunt, & quantum licet obseruare, maxima hominum pars, qui & hoc ipso tempore animam, id est, vitam perdunt, sed quia id pro Christo non faciunt, & hic, & in æternum illam amittunt, quo quid vel stolidius, vel miserabilius queat excogitari? verissimumque reperitur, quod

vulgari

vulgari iam prouerbio dicitur, plures esse Diaboli martyres, quàm Christi. & profecto ita est. quàm multa enim perpetiuntur, qui cogendis pecunijs, qui comparandis honoribus student? quos labores, quæ pericula subeunt? quin & certe morti sese interdum obijcere non verentur: quare perdunt, ut dixi, & hic animam, dum continuis laborant calamitatibus, quæ plerunque ipsa morte sunt molestiores, & quia hoc pro Christo non faciunt, non illud assequuntur, quod hic Dominus suis pollicetur, vt demum saluam eam faciant. quod quàm ingentis sit desipientia, ostendit Dominus ex ijs, quæ sequuntur, verbis. Quid enim proficit homo, si vniuersum mundum lucretur; se autem ipsum perdat, aut iacturam sui ipsius faciat? audiant hæc, qui pro minima quaque re dant animam, & eam in peccata præcipitant. quid cogitari maius possit, quàm non totius terræ solum, quod per se maximum esset, cum id nulli, quamuis potentissimo monarchæ assequi vnquam licuerit, sed mundi vniuersi, quo cælum quoque ipsum comprehenditur; fieri dominum? & tamen nihil illi profuturum dicit, qui tantum lucrum, cum suæ ipsius animæ detrimento faceret. hoc si Christiani principes cogitarent, qui magnum quid arbitrantur, si, non terram totam, quod nemo sibi polliceri nisi stultus audet, sed quotam eius partem suo imperio, aut regno addant, non ita facile ad bella incitarentur, atque ad vexandos populos cum suæ salutis certissima, si intelligere vellēt, iactura. quàm enim ridiculum est, tot populos, ac prouincias exagitare, & res humanas confundere, vt puncti vnius particulam acquirant, cum hic ex ipsius veritatis ore audiant, nihil proficere hominem, si lucretur vniuersum mundum, & se perdat, ac sui ipsius iacturam faciat? quantò ergo minus proficit, qui, vt ipsius mundi, non punctum, sed, vt dicebam, puncti particulam acquirat, seipsum, ac tam multos secum perdit? nam, si omniam consensione terra cum hoc vniuerso collata, instar puncti tenet, neque vllus vnquam totam illam potuit occupare, necesse est, ut pro huius puncti parte aliqua laborent, qui hac regnandi appetitione tenentur. & quantæ stultitiæ est, pro re tam exigua æternæ se mortis obijcere periculo? Sed his verbis addamus, quod est apud Matthæum. vbi eum dixisset, quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur; animæ uerò suæ detrimentum patiat, adiecit: aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? nam in temporarijs huius vitæ damnis, cum sarcire damnum aliquod volumus, commutatione alterius rei id facere possumus, & vitæ sæpe redimitur pecunia, nam, vt ait Salomon, redemptio animæ hominis diuitiæ eius. & apud Iob. pellem pro pelle, & omnia, quæ habet homo dabit pro anima sua. at in hoc negotio ne totius quidem mundi pretio redimere se quisquam poterit. & tamen tanta in re miseri mortales

tam

tam sunt supini. Ite nunc ciues mei, & in hac continua uestra parandarum opum cupiditate insanite. neque .n. minor est uestra, quam eorum principum, quorum nunc feci mentionem, insaniam, & tantò fortasse maior, quantum uidetur maiore reprehensione dignus is, qui unius oboli gratia mortem oppetere non recusat, quam is, qui ob mille nummos aureos idem facit. nam uos minimæ cuiusque pecuniolæ gratia, aut ob exigui honoris fumum non ueremini toties Deum offendere, quoties se offert occasio. & tante rei, quanta est anima, iacturam facere. hoc profectò est hominum, qui uideantur, nunquam audiuisse Christum ex Euangelio loquentem. nulla tam parui momenti res est, pro qua cælum, & terram non moueatis. hinclites, contentiones, dissidia, odia, ininicitia, & uulnera plerunq; , ac cædes. & , quæ ne ob totius quidem mundi lucrum facienda fuissent, minimi lucelli gratia facitis. Nam qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum uenerit in maiestate sua, & patris, & sanctorum angelorum. Siquis fortè minus intellexisset, quænam esset illa iactura, quam facturi essent ij, qui alia, quam Christus doceret, ingrederentur uia, hoc adiecit, quòd scilicet uenturus sit deum, in maiestate sua, & , quemadmodum addit Mattheus, redditurus unicuique secundum opera sua. quod autem ait. in maiestate sua, & patris, & sanctorum angelorum, sic accipiendum est, in illo aduentu se declaraturum maiestatem suam, & gloriam, quam à patre habet, & qua equalis est patri, & sanctorum angelorum ministerium affuturum, qui & ipsi illius maiestatis erunt testes, quoniam illorum gloria Christi gloriæ inseruiet. Obserua autem loquendi modum. primum de se loquitur, cum ait, qui me erubuerit, deinde tanquam de altero loquens ait. hunc filius hominis erubescet. quia scilicet adiecturus erat, cum uenerit in maiestate sua, & patris. ubique nos docens, cum magnificè quicquam dicturi de nobis sumus, oportere id omni cū modestia fieri, & semper fugiendam esse iactantiam. Et fortasse ad hæc Domini uerba, omnes, qui huc conuenistis, arbitrabimini singuli, nihil ad uos pertinere has minas. dicit enim unusquisque uestrum apud se. nunquam se Christum erubuisse, neque eius uerba, cum palam se Christianum profiteatur, & hoc cognomine ita gloriatur, ut, si quis illum non esse Christianum diceret, esset hanc iniuriam ferro ulturus. ego uerò contrarium uereor, maximam scilicet uestri partem erubescere sermones Christi, quod adeo sic cognoscite. Didicistis ex apostolo Paulo, regnum Dei non esse in sermone, sed in uirtute. quod autem Christum palam profiteamini, non hoc fit ex eo, quòd Christum ametis, sed quia tam honorificum est nunc eius nomen, ut, cum inter Christianos uersemini, ignominia sit ijs, qui illum non confiteantur. quòd si hæc confessio ex uero, & sincero in Christum affectu profici-

proficisceretur, daretis proculdubio omnem operam, ut, quæcunque ille in suis Euangelijs cum factis, tum uerbis docet, seruarietis, & in eorum obseruatione etiam gloriaremini. nunc uerò contraria cernimus. nam erubescitis illius paupertatem, humilitatem, patientiam, charitatem imitari. ille ob supremam paupertatem non habebat, ubi caput reclinaret, vos diuitijs satiari nò potestis, & nihil est, quod magis erubescatis, quam esse pauperes. hoc quid est aliud, quam factis Christum erubescere? ille mitis erat, & humilis corde, at apud uos summi dedecoris loco est, affectum iniuria cedere, & eam equo, ac miti animo ferre, neque intelligitis, hoc quoq; esse Christum erubescere? ille tanta charitate nostrum genus est persecutus, ut animam suam pro nobis, qui eramus inimici, daret, ac probrosissimam crucis mortem perferret, nos uerò tantum abest, ut inimicos diligamus, ut sepe ipsi etiam amici odio à nobis habeantur. hæc omnia profectò indicant, nos Christum, atque illius sermones erubescere. & nemo nostrum expauescit, neque apud se unquam cogitat, quanti terroris plena hæc uerba sint, quæ hic audiuius, cum ait. qui me erubuerit, ac sermones meos, hunc filius hominis erubescet, quemadmodum solent domini erubescere, confiteri quempiam fuisse eius seruum, qui sceleratis suis moribus, ac perdita uita dedecori fuerit ipsi domino. atque id fiet, cum uenerit in maiestate sua, & patris, & sanctorum angelorum. Quare incipiamus, obsecro, tam crassos errores agnoscere, & expurgamur, ac pudeat nos, hæcenus tanti magistri, ac Domini sermones erubuisse, & discamus posthac gloriari non in carne, sed in Christo, atque in eius uitæ imitatione, ut, cum in illa gloria, ac maiestate uenerit, de qua hic loquitur, non solum nos non erubescat, neque dicat, nescio uos discedite à me operarij iniquitatis, sed potius optatissimam illam uocem audiamus, uenite benedicti patris mei, possidete paratū uobis regnum. quod utinam omnes assequamur, iuuante eodem Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & potestas, & imperium, & nunc, & in omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO QVINQVAGESIMA.

DICO autem vobis verè, quòd sunt quidam hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei. Hæc verba ex superioribus pendēt, sed quia lucem accipiunt ex ijs, quæ mox dicentur, malimus ea cum sequentibus coniungere, atque efficere, vt huic orationi, principium dent. Dixerat Dominus, fore, ut qui erubuerint eius doctrinam suscipere, ipse etiam erubescat fateri, se eos nosse, cum uenerit in maiestate sua. at uerò cum discipuli nihil vnquam aliud in Domino conspexissent, nisi supremam humilitatem, in cultu, & victu, atque externa corporis specie, potuerant nõ intellexisse, aut fortasse etiam, ut qui nondum perfecti essent, suboriri eorum cogitationibus nescio quid humanæ infirmitatis, num illa verborum magnificentia in actum aliquando esset proditura. quare, vt fidentiores eos redderet, ac fidem faceret, ea, quæ dicerentur, non esse sola verba, sed omnia verè euentura, hoc adiecit, quod audiuitis, tantum non dicens. magna quidem sunt hæc, quæ dixi, & quæ ob eorum magnitudinem minus credibilia videri possint multis, sed efficiam, neque ita multò post, vt verissima esse agnoscat. ante enim, quàm eorū quidam, qui hic stant, finem huius vite faciant, aliquod huius rei experimentum capient. illud autem, gustare mortem, Hebræa locutio est, pro eo ac si diceremus, sensum mortis non percipient. nam gustatus vnus è sensibus est, quare & alio loco sensui oculorum res eadem datur, vbi de Simeone dicitur, quòd responsum, accepisset à spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini. quod verò ait, donec videant regnum Dei, apertius dicitur ab alio euangelista, qui ait. donec videant filium hominis venientem in regno suo, id est, in ea maiestate, qua rex maximus, atque omnium Dominus agnosceretur, quod quando acciderit, & quo factum fuerit ordine, statim describit Euangelista, & ait. Factum est autem post hæc verba ferè diebus octo, & assumpsit, Petrum, & Ioannem, & Iacobum, & ascendit in montem, vt oraret. Matthæus sic scribit. & post dies sex assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelsum seorsum. non est autem, quod miremur, Matthæum sex dierum meminisse, Lucas verò octo. nam Matthæus sex duntaxat intermedios dies accepit, Lucas verò primum, & postremum annexuit. atque iccirco videtur apposuisse particulam illam, ferè, id est, circiter, quasi attigerit quidem octauum diem, quamuis non totus pertransisset post facta verba illa. assumpsit autem Petrum, & Ioannem, & Iacobum, quos tanquam cæteris perfectiores,

res, grauiorum factorum testes secum accipiebat. fuerant etiam primi, qui fuissent ad apostolatam uocati, & secuti essent Iesum. ascendit quoque in montem, eumque, ut Matthæus ait, excelsum, & seorsum ab alijs, & cæterorum hominum consuetudine, vt oraret, per hoc docens, non posse nos rerum Diuinarum contemplationi facillè operam dare, dum inter turbas, & hominum frequentiam uersamur. nam, quod ait Paulus, uolo uiros. orare in omni loco, sustollentes puras manus, non est huic contrarium, quod dicimus. neque enim negamus, posse hominem quouis in loco atollere animum ad Deum, & illum precari, sed tamen multum interest, non animo solum, uerum etiam corpore ab humanis tumultibus esse separatam. cum enim tanta sit animi cum corpore colligatio, quantam unusquisque nostrum experitur, dum in mutua consuetudine cogitur animus quodam modo per sensus progredi, atque extra se fieri, minus potens est ad sese colligendum, quæ sui collectio in precatone est in primis necessaria. accedit hic præterea, quòd facienda erat admiranda illa transfiguratio, quam estis audituri, & ob hanc causam electus est non solum mons, sed mons excelsior, ut liberius exerceri mysterium posset, atque ut esset occultius, ne impediretur mors, & crux, per quam facienda erat nostri generis redemptio. quanquam ex ipsa loci positione etiam docemur allegoricè, oportere eos, qui sublimiorum rerum frui contemplatione uelint, ab humiliorum, atque humi repetitum cogitationum consuetudine atolli, & quasi celsiorem in locum, ac gradum ascendere. Et sanè habent Christiani copiosissimam facultatem id assequendi, si uelint: sed malunt in imis uallibus, atque inter feculentas lacunas uersari, quàm in admirandas Euangelicæ philosophiæ speculas aliquando conscendere. quod si non ob aliud, certè ob iucunditatem, quæ maior multò ex ijs capitur, quàm ex omnibus terrenis uoluptatibus, facere deberetis. ascendamus enim in hunc montem, & ea, quæ ibi facta sunt, toto animo, atque omni mente intueamur, atque ita rem se habere, ut diximus, manifestissimè deprehendetis. Et facta est, dum oraret, species uultus eius alia, & uestitus eius albus, & refulgens. Hoc miraculum factum fuisse scribit Lucas in ipsa orandi actione. cum enim ad precandum, nos damus, tum maximè coniungimur Deo, & ea coniunctione efficiamur Deiformes. qui enim adharet Deo, ait Paulus, vnus efficitur cum eo spiritus. ac propterea reperiuntur, qui dum attentius precatone incumbunt, ita feruntur intimis affectibus in Deum, ut ipsa corporis claustra transiliant, atque interdum corpus ipsum eorum è terra sublaturum, ac suspensum in aere cernatur, ipsis id minimè aduertentibus, atque in ipsa facie Diuinum quid reluceat, quod declaret illam animi cum Deo coniunctionem. nam & lux illa, qua sancti fulgebunt sicut

sol, ab ipsa animæ glorificatione proficiscetur, quæ diuinis splendoribus illustrata, claritatem illam cum corpore communicabit, et animæ fulgor redundabit in corpus, Matthæus ita scribit, & transfiguratus est ante eos, & resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut lux. quod transfiguratus est, Græca dictio habet, μεταμορφώσατο, id est emutauit formam, vnde vox illa metamorphosis deducta est, iam Latinis notissima, ob illas humanorum corporum transformationes in alias figuras, quas innumerās penè fixerunt poetæ, ad quas allusit apostolus Petrus in sua epistola, vbi locuturus de hac admiranda filij Dei metamorphosi, vt ostenderet, hanc non esse fabulam, quemadmodum illæ poetarum, sed rem certissimam, dixit. non enim arte compositas fabulas secuti, sed præsentiam, notā fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem, & præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis. in illa ergo transformatione resplenduit facies eius sicut sol, & vestimenta eius facta fuerunt alba sicut lux, id est, in modum lucis vestes etiam effulserunt. nam in luce candor quidam est, cui albedinis appellatio dari solet. quod autem vestimenta etiam alba euaserint, id fuit ex totius glorificati corporis maiestate, à quo lux illa proficiscens, & ipsa quoque vestimenta occupabat. vt enim sudor è corpore egrediens, vestes sudantis madefacit, sic lux illa è glorificato corpore egressa, vestes implebat. In hac autem transfiguratione impleuit Dominus, quod octo iam ante dies futurum prædixerat, fore scilicet, vt quid de illic stantibus, non gustarent mortem, donec viderent filium hominis venientem in regno suo. vt fidem haberent eius verbis, quibus dixerat, se venturum in maiestate sua, & patris, & sanctorum angelorum. In illa etiam transfiguratione didicimus, qualis futurus sit corporum nostrorum status in resurrectione, & quam gloriam sint habitura, de quibus Seruator ipse dixit. fulgebunt iusti sicut sol in regno patris sui. & Paulus de hac ipsa re loquens dixit. Seruatore expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui transfigurabit (ecce & hic metamorphoseos appellationem) corpus nostrum humile, vt conforme reddatur corpori suo glorioso. quanta autem est hæc dignitas, vt corporis nostri gloria similis glorioso Christi filij Dei corpori sit futura? quanta verò est nostra cum inertia, tum ingratitude, qui tantis promissis bonis tam frigidè respondeamus, atque ad eò qui contraria facta tam profuixæ beneficentiæ rependamus? tractare nos, non vt fideles seruos, sed vt charissimos fratres est paratus, vt cohæredes eius simus, quod fratrum est proprium, & tantam negligimus liberalitatem, & pro beneficiis reddimus impia, & scelerata facta, quis nostrum non dico optare esset ausus, sed somnare potuisset has diuitias hæreditatis? vt fulgerent humilia hæc, & corruptionis plena corpora sicut sol. atque ad tam admirandam

randam adipiscendam felicitatem nullo studio permouemur. si quis medendi artem professus, diceret, se habere remedia, quibus centum quis annis sine vilo corporis incommodo viueret, reperirentur, qui maximam suarum facultatum partem petenti medico darent, si alia via remedium illud habere non possent. at verò pro æterna incolumitate, & ea præterea specie, que solem æquet, comparanda, nullum laborem, nullos sumptus impèdimus. quas censes daturos esse pœnas illos ex nobis, quicumque recusauerint factis Christiano homine dignis hæc beatas assequi pollicitationes? O' monstrosam cæcitatem. O' tenebras Cimmerias nostras. O' perditum seculum. non rapimur admiratione tantarum rerum, quæ omnem superant admirationem. ecquis enim nostrum est, qui vel ipse cogitare, vel filios identidem admonere delectetur, vt cogitent, quàm sit ingens hæc nostra philosophia, & quantæ felicitatis plena? qui in tanta deliciandi copia sciat deliciarum? fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum. & quidem cum omnes deberent iusti speciei assequendæ teneri desiderio, tum mulieres in primis, quæ summum bonum videntur arbitrari corporis pulchritudinem, in huius spectaculi admirationem totas rapi oporteret, etenim quæ species solis pulchritudini potest æquari? at ea species vobis proponitur, si secundum Euangelicas leges viuere velitis, quodque est maximum huius felicitatis additamentum, hanc pulchritudinem in æternum estis habituræ. nunc verò videte vestram stultitiam, dum vestras potius cogitationes, quàm Christi præcepta sequi vultis. non enim solum æternam illam speciem amittitis, verum etiam præsentem hanc, & temporariam. quo pacto? audite. ab ipsa adolescentia incipitis genas pingere, atque vt i fucis, qui paulatim consumit carnes, vt rugæ prius faciem arare incipiant, quàm senectus adueniat, quæ rugas afferre secum solet. non ne satius multò esset, ab ijs fucis abstinere? nam hoc pacto & tardius senescerent facies vestræ; & spes esset æternæ illius, quæ sola vera est, adipiscendæ pulchritudinis. hæc autem tam crasse peccatis, quia nunquam hoc Euangelico speculo vos vt delectat, in quo vno vera species, & vera turpitudine ostenditur. nam in corporeis vestris speculis est deceptio, quæ veri hominis formam nequeunt indicare, sed tantum superficiem hanc corporis reddunt, vbi propria non est hominis imago. quid? quod ne superficies quidem sincera redditur? nam, cum ad speculum acceditis fucata, ac pictis genis, non vestra facies est, quæ illic apparet, sed aduentitium quid à vobis inductum, neque pudet vos vestræ stultitiæ, ut vobismet ipsis imponatis, & vos esse id, quod non estis, vobis persuadeatis? præterea non agnoscitis, nimirum supinam esse

uestram hanc stultitiam, quæ non intelligitis, eos, qui vos ita fucatas inuentur, scire, non esse illam uestram speciem, sed peregrinam & aduenturiam, quod si uestram non esse sciunt, ne vos quidem pulchras esse queunt credere: ita miseræ & hanc, quam tanti facitis, formam perditis, & admiranda illa, atque immortalis sine ulla ratione uos priuatis. Simul illud & uiris, & mulieribus esset considerandum, quanta humanis corporibus sit habenda reuerentia, & quanta cum custodia seruanda esset eorum integritas, & castitas, quæ tanto honore dignanda sint, ut glorioso Christi corpori sint futura conformia. hæc si à uobis interdum cogitentur, & uestre dignitatis uosmet admoneretis, nõ esset tantis, tamque multis sordibus infecta uestra ciuitas, neque tot per totam urbem prostribula reperirentur. Et ecce duo uiri loquebantur cum illo, qui erant Moses, & Elias, qui uisi in maiestate, dicebant excessum eius, quem completurus erat Ierosolymis. Opportunum fuit, & necessarium etiam ad plenam fidem faciendam, quod Iesus esset Christus ille Dei, quem dudum confessus fuerat Petrus, ut alia quoque signa adhiberentur præter illam sui corporis glorificationem, quorum unum fuit hæc horum duorum uirorum præsentia, alterum ipsius patris uox. & hi duo quidem uiri locupletissimi esse potuerunt testes Christi maiestatis, & dignitatis. nam Moses, qui Hebrææ genti legem tulit, maximus habebatur apud eos, qui si ad Christum uenit, ipso aduentu fatebatur, illum se esse maiorem, ac præstantiorem. at Mose maior ab Israelitis non expectabatur, quam Messias, id est, Christus, quem Moses ipse, ac reliqui prophete venturum esse prædixerant. cum itaque cernerent discipuli hunc Moysen ad Iesum uenisse, euidentis argumentum fuit, Iesum esse Christum illum Dei. Sic Elias inter prophetas celeberrimus, qui priuilegio donatus fuerat nulli alij dato, ut uiuens curru igneo raperetur in cælum, qui expectabatur, ut olim ueniret, ac restitueret omnia, tanquam alter legislator, cum & ipse affuit, Christo, testimonium sua præsentia præbuit, quod ipse esset omnium maximus, qui à lege, & prophetis, cuius utriusque rei Moses, & Elias figuram præberent, fuisset promissus, & qui futurus esset iudex uiuorum, ac mortuorum, cum hi duo illi astarent, quorum alter uiuus, alter esset mortuus. Qui nisi in maiestate (inquit) dicebant excessum eius, nempe mortem, & exitum è uita, quem completurus erat in Ierosolymis. sicut enim lex, & propheta prædixerant passurum esse Christum, sic æquum fuit, ut ij duo, qui legem, ac prophetas referrent, de hæc eius passione cum eo loquerentur, quod ad confirmandos etiam discipulos pertinerebat, ut postea cum fieret, non mirarentur, quod à præstantissimis hisce uiris audierat fuisse faciendum. magnis enim oportebat cælestem hanc philosophiam niti fundamentis, ut aduersus inferi portas incon-

culsa

culsa perstaret. Petrus uero, & qui cum illo erant, grauati erant somno. per hoc declaratur, longiori spatio orasse Dominum, ut non potuerint discipuli tam perseuerare diu in oratione: quare longiori intercedente mora, somno lumina victa dederunt. Experfecti autem uiderunt maiestatem eius, & duos viros, qui stabant cum illo. cum uisio illa, & transfiguratio fieret, discipulorum in fide confirmandorum gratia, oportuit, ut ante expergerent, quam uisio illa finiretur. quare perseuerabat adhuc illa uultus species, & eadem duorum cum Domino collocutio, ut esse testes suo tempore possent eorum, quæ ibi & uiderent, & audiissent. Et factum est, cum discederent ab illo, ait Petrus ad Iesum. præceptor, bonum est, nos hic esse, & faciamus tria tabernacula, unum tibi, & unum Mofi, & unum Eliæ, nesciens quid diceret. Ingens est Diuinæ contemplationis gustus, ut qui semel illius suauitatem expertus sit, non facile ab ea se auelli patiat. quare nihil mirum, si Petrus illius admirandæ uisionis dulcedine illectus, & illo tantorum uirorum congressu delectatus, optabat, ne inde discederetur, sed fierent ibi tabernacula ad habitandum, in quibus tamen tabernaculis nihil de se, ac socijs cogitabat, satis arbitratus, si Domino, & duobus illis Mofi, & Eliæ honoris gratia fierent habitationes, sibi enim sufficere, eo frui, quod uideret, atque audiret. cætera paratus erat, & solis æstum, & pluriæ molestias, & omnem cæli intemperiem sustinere. & profectò ita est. ubi semel quis Domini suauitatem degustauit, incommoda omnia pro nihilo illi sunt, alioqui quo pacto potuissent martyres Christi tot, tamque exquisita tormentorum, & cruciatuum genera perferre non solum æquo, & forti animo, uerum etiam alacri, ac læto? erant & ipsi similes nostri, eisdem, quibus & nos obnoxij affectionibus, sed inuictos illos efficiebat, quod intimis sensibus perceperant Christianæ ueritatis maiestatem, cuius amore, & contemplatione inflammati, pœnas omnes ita pro nihilo putabant, ut eas ne sentire quidem uiderentur. Hoc de Petro sentire, honestius mihi uidetur, quam quod hoc dixerit metu eorum, quæ dudum audierat à Domino esse euentura. quæ tamen opinio à uiris non exigui nominis profecta est: quam si sequi uelimus, censendum est, hæc illum dixisse, ut Dominum à morte, quam passurum se prædixerat, auocaret, tantum non dicens. ne discedamus de monte, maneamus hic, ut crucem, & passionem effugiamus, habemus Eliam adiutorem, si inuaserint nos Iudæi, ignem deducet è cælo, & sicut duos illos quinquagenarios comburet. habemus Moysen, qui tot, & tantas gentes perdidit. Sed nesciebat, ait Euangelista, quid diceret, id est, non intelligebat, id, quod diceret, longè esse diuersum ab ijs, quæ Diuinum consilium facienda esse decreuerat. illa enim in monte illo commoratio, ijs tantum, qui ibi aderant, fuisset delectationi, sed impedita fuisset

fuiſſet humani generis redemptio, & omnia illa myſteria, quæ non terram modo, ſed ipſum etiã cælum illuſtrauerunt, & quæ effecerunt, vt multò fieret illuſtrius nomen Ieſu, quàm ſi in eo monte permanſiſſet. ex perſeſſione enim crucis donatum illi fuit nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quòd Dominus ſit Ieſus Chriſtus. Neque verò in his verbis, ubi dicitur, Petrum neſciuiſſe, quid diceret, in obſeruatum relinquendum eſt, quantos oporteat feciſſe progreſſus, eos, qui rectè de ſpiritualibus rebus ſint iudicaturi. Petrus inter apoſtolos primus, qui vnus, & primus fuit è tribus, qui electi fuerant, ut inſpectores eſſent huius admirandæ metamorphoſeos, poſtulabat rem, quæ ad Diuinarum rerum contemplationem pertineret, & tamen neſciebat, quid diceret. hoc admonendi fuiſtis ob eos, qui in hac etiam urbe reperi interdum meo tempore ſunt, qui ad res ſpirituales diſcutiendas ſatis eſſe arbitrantur, ſi ſpiritualem uitam profiteantur, & ex eorum numero ſint, qui neſcio quid amplius faciant, quàm reliqua multitudo conſueuerit. ij, quicquid ſomniant, ſanctum, & ſpirituale, & irreprehenſum arbitrantur, atque ita ſuis cogitationibus fidunt, ut etiam epiſcopum regere ſe idoneos cenſeant, tantum abeſt, ut ab eo ſe regi patiantur. hoc in illos conuenit, quod externus quidam de ijs, qui ſtudijs literarum operam dant, loquens ait. nihil ſcilicet peius eſſe ijs, qui paulum aliquid ultra primas literas progreſſi, falſam ſibi ſcientiæ perſuaſionem imbuerunt ſed experti demum ipſi met ſunt, plus in ſe fuiſſe temeritatis, quàm ſpiritus, nolite (ait Ioannes apoſtulus) credere omni ſpiritu, ſed probate ſpiritus, num ex Deo ſint. Hæc autem illo loquente facta eſt nubes, & obumbravit eos. Matthæus appellat nubem lucidam, atque hoc etiam non ſine myſterio. cum enim in ueteri lege diceretur, Deum habitare in nube, in quam ingrediens Moſes loqueretur cum Deo. ut oſtendere tur, Dominum Ieſum nihilo eſſe patre minorem, factum fuit, ut hic cum his prophetis ingrederetur in nubem, & eam lucidam. lex enim uetus figuras uarijs obſcuritatibus inuolutas continebat, ut eſſet tenebroſa aqua in nubibus aeris. at in noua lege lux ueritatis patefacta eſt, & inclinantibus umbris aſpirauit dies. Timuerunt autem, in trantibus illis in nubem. noue enim quælibet res terrorem incutere conſueuerunt. Et uox facta eſt de nube, dicens, hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite. Maius demum additur teſtimonium, ipſius uidelicet patris. ſi teſtimonium hominum accipimus (ait Ioannes) teſtimonium Dei maius eſt. quoniam hoc eſt teſtimonium Dei, quo teſtificatus eſt de filio ſuo. quare merito adiecit. hunc audite. nihil eſt enim aliud, cui tutò credere homo poſſit, quàm ubi Diuina auctoritas intercedit. Omnis homo mendax,

dax, ait pſaltes. ac propterea humana omnia dogmata, atque ab hominibus excogitata, nihil certi, ac ſolidi habent, cui tutò fidere poſſimus. omnes quicumque ante hunc uenerunt, fures fuerunt, & latrones, ſed eos omnes non audierunt. at ubi uenit ipſa ueritas, Dei filius, Dei uirtus, & Dei ſapientia, continuò à ſolis ortu, & occaſu, ab aquilone, & mari accurrerunt homines ad hanc ueritatem audiendum, & exiguo annorum ſpatio in omnem terram exiuit ſonus hanc prædicantium, & in fines orbis terræ uerba eorum. Et dum fieret uox, inuentus eſt Ieſus ſolus, ut ſcilicet intelligerent, uocem illam non de Moſe, neque Elia, ſed de Ieſu eſſe locutam. Matthæus idem dicit, ſed explicatius. ſic enim ait. cum hæc audirent diſcipuli, prociderunt in faciem ſuam, & territi ſunt uehementer. & accedens Ieſus tetigit illos, dixitque. ſurgite, & ne timeatis. ubi uerò ſuſtulerunt oculos ſuos, neminem uiderunt, niſi Ieſum ſolum. ecce uerūque Euangeliftam obſeruaffe uocem illam factam, cum duo illi diſceſſiſſent, nequa relinqueretur dubitatio, de quo uox illa eſſet locuta. Et ipſi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quicquam de ijs, quæ uiderant. nam hoc illis præceperat Ieſus, ut in Matthæo habes, qui ſic ait. & cum descenderent de monte, præcepit illis Ieſus dicens, nemini dixeritis uiſionem, donec filius hominis à mortuis reſurgat. ſi enim hanc eius maiestatem, quam & oculis perſpexerāt, & uoce patris è cœlo demiffa audiuerant, inuulgaffent, & credita fuiſſet, non eſſet ſecuta Chriſti mors, ac noſtra redemptio. ſi enim cognouiſſent (ait Paulus) nunquam Dominum gloriæ cruci affixiſſent. ſatis fuit tunc confirmaffe diſcipulos, atque oſtendiſſe, poſſe credi ea, quæ dudum dixerat futura de ſuo aduentu cum poteſtate, ac maiestate, cætera reſeruabantur declaranda poſt omnium rerum conſummationem, quæ ad acceptam à nobis naturam pertinebant. Vidimus mentis, ac fidei oculis admirandum ſpectaculum, & non fabuloſam, ſed ueram metamorphoſim, quam non ſolum in Seruatoris Chriſti corpore factam, uerum etiam in noſtris ipſorum corporibus faciendam certa fide tenemus. his uellem ſpectaculis ciues mei aſtueſceremus, quæ ueras, ac ſolidas incunditates ſecum afferunt, ac præterea uilitatem maximam, qua nulla eſſe maior poſſit. quid enim obſecro maius hominum intelligentia complecti queat, quàm hominem, qui Chriſti legibus obtemperauerit, habiturum corpus plenū gloriæ, quæ gloria ab animæ dotibus profecta in corpus, totum hominem efficiat in æternum feliciffimum? hæc inquam ſpectacula optarem, ut quotidie ante oculos haberetis, his ueſtros aſtueſceretis filios, non ijs ludicris, quæ nihil aliud quàm & temporis, & pecuniæ iacturam ſecum afferunt, id quod ſuperioribus diebus maximo meo cum dolore audio accidiſſe. cum enim ſunambuli quidam in forum ueniſſent,

venissent, qui se ludiera quædam facturos essent polliciti, ad hanc famam tota accurret civitas, & tot horas, quot ludus ille perduravit, in eo spectaculo sunt immorati, idque Dominico die, qui in hoc vnum ab ecclesia Christi ex Dei præcepto fuit institutus, vt in eo Diuinis rebus daretur opera, & meditentur homines in lege Domini, atque hæc Diuina philosophia accuratius, quàm reliquis diebus tractaretur, quibus temporarijs negocijs, ac curis estis occupati. Videte verò quàm multa in hac parte peccaueritis, primum Deo dicatum diem in plus quàm profanas res insumitis, quod nihil est aliud, quàm ridicula quæque Diuino honori anteferre. deinde ij omnes, qui ad illa iocularia spectanda conuerant, quam audio totam penè ciuitatem fuisse, nullo neque tubarum, neque campani æris sono acciti venerunt, non solis æstum, neque vllam cœli intemperiem aliam veriti. ijdem, cum Diuina verba tractanda sunt, & ea spectacula ante oculos ponenda, quæ cœlum ipsum, & cœlestes illas mentes in sui admirationem rapere sint idonea, accersuntur, non semel, sed iterum, ac tertio ingenti campano ære, ut non sub diuo, sed in templo. non stantes, sed sedentes. non tota die, sed vna hora, pastorem suum loquentem audiant, & ea tractantem, quæ non vtilitatem modo maximam, verum etiam voluptatem multo maiorem, quàm humani omnes ludi, secum habeant, & maxima pars venire negligit, atque adeo respuit, & contemnit. Accessit præterea aliud malum, quod pecuniam non exiguam funambuli illi à vobis acceperunt, vt ad insana illa spectacula admitteremini. O monstruosam ingratitude. Christus vobis offert gratis spectanda, atque audienda Diuina sua mysteria, & contempnit, veniunt impostores, & schenobata, & in eos pecunias frustra impenditis, atque adeo disperditis, quodque omnes superat ingratitude numeros, eas pecunias, quæ vobis anima ipsa, quemadmodum factis declaratis, sunt chariores, sine fructu projicitis, cum vero Christus eas à vobis, non dono, sed mutuò postulat, centenariam usuram pollicens, nusquam reparias teruncium; omnes inopes, ac sine pecunia sunt. hæc profectò non Christiani hominis, sed plusquam ethnica mentis signa sunt, & eius, qui nunquam de futuro iudicio, de æterna felicitate, de æterno igne fieri verba audierit. Meminerimus venturum hunc filium hominis, in ea maiestate, cuius in hac transfiguratione imaginem quandam repræsentauit, & redditurum vnicuique secundum opera sua: quid quæso respondebunt ei isti miseri, cum obijciet eis, quod gratis oblatam salutem, eamque æternam contempserint, quod maluerint pecuniam, quam ab ipso Christo rogabantur, ut in eius fratres impenderent, in res vanas, & ludicras perdere, summa cum nominis Christi ignominia, cui tam ingratoram vicem rependant, ut, cum ipse pro eis animam profuderit, illi ne exiguam quidem

quidem pecuniam pro eo velint impendere, atque adeo illam disperdant potius, quàm Christo dare patiantur. Hæc cum è fulgentissima illa maiestatis suæ sede Christus eis obijciet, cum vallatum cernent exercitibus angelorum, qui ad eius viciscendam iniuriam erunt parati, quid miseri dicturi sunt, aut facturi? Hæc sunt charissimi spectacula, quæ singulis diebus, atque adeo horis, ac momentis, & vobis, & filijs vestris sunt ante oculos ponenda, in ijs diutius immorandum, quæ & maiore vos afficient iucunditate, quàm puerilia ista, & felicitatem vobis sunt paratura sempiternam. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & potestas, & imperium, & nunc, & in omnia secula seculorum. Amen.

O R A T I O Q V I N Q V A G E S I M A

P R I M A.



FACTVM est autem sequenti die, descendentes illis de monte, occurrit illi turba multa. Non est turbarum, ac multitudinis ascendere in montem, vbi visiones Dei conspici solent. turbas autem hic appello, non rusticos, aut idiotas, qui ob imperitiã subtilioribus disputationibus minus apti sunt. nam hæc philosophia, vt sæpe diximus, etsi maxima est, ac Diuinissima, ita tamen facta est Diuino consilio, vt omne hominum genus, omnis sexus, quæuis professio illius esse capax posset, sed eos in primis, qui quamuis externa hac eruditione sint insignes, animo tamen, & cogitatione terrenis in rebus, ac studijs toti occupantur, neque vnquam, aut certe quàm rarissimè de Diuinis rebus consueuerunt philosophari. huius ergo generis homines non possunt cum Christo, eiusque discipulis in montem ascendere, & sublimiora spectacula contueri. sed ne illi quidem à Domino despiciuntur, sed ipse ad eos descendit. neque id mirum. hanc enim ob causam non de monte solum, sed è cœlo descendit, & totum hominem, excepto peccato accepit, vt quem in sua maiestate contemplari nequiueramus, in natura nostra positum, atque ad eam sese demittentem liceret intueri. ex qua demissione secutum est, quod hic quædam quasi sub figura fuit factum, vt turba multa, atque infinita hominum multitudo ex toto orbe omnium terrarum ad eius fidem confluxerit.

L L L L O c c u r r i t

Occurrit ergo illi turba multa descendenti de monte, id est, humanis se aspectibus offerenti. cum enim diuina nobis munera sese offerunt, alacritate vtendum est, & tanquam eis occurrendum. alioqui, si oriente sole, & suos nobis radios proferente, nos in domorum penetrabilibus, clausis ianuis, ac fenestris omnibus delitescamus, nihil nobis ille eius in nostrum hemisphæriū accessus proderit. vnde enim cēsetis tam ingenteis tenebras nostra ætate Christianum orbem obsidere, nisi quòd huic luci nobis oblatae occurrere non studemus? Et ecce vir de turba exclamauit dicens, magister, obsecro te, respice ad filium meum, quia vnicus est mihi, & ecce spiritus apprehendit eum, & subito clamat, ac discerpit eum cum spuma, & vix discedit ab eo dilanians eum, & rogauit discipulos tuos, vt eijcerent illum, & non potuerunt. Obseruemus primum diuina iudicia. habebat hic unicum filium, & tamen permisit eum Deus tam crudeliter a dæmonio uexari. alius multos habebit filios, & nihil eiusmodi vlli eorum accidet. hæc autē diligentius mihi tractanda sunt propter vos, quorum gratia hic conciones omnes à me habentur. atque inter ea, quæ vos diuexare magis solent, est liberorum cura, & casus varii, qui circa eos accidunt. sunt inter vos, qui tenues habent facultates, & ingens est illis filiorum numerus. alij ditiores sunt, & vnum duntaxat habent filium, atque adeo nullum interdum. alius validos omnes, alius imbecillos. & hæc omnia summa Dei prouidentia aguntur, quam qui non cogitant in blasphemias erumpunt, aut murmurationes, quæ parum à blasphemia distant. videte verò hominum stultitiam, quæ ob nullam erga Deum reuerentiam oriri solet. cernunt quotidie medicos corporis, qui ægrotos multos curandos suscipere, vni adhibere asperiora remedia, alij leuiora. hunc ferro, & igni interdum, illum leni unguento curare, & nemo, vel ægrotantium, uel eorum, qui illis astant, vel conqueritur, vel miratur. quamobrem? quia fidunt medici peritiæ, & arti, censentque, illum rectè iudicare, & ea, quæ adhibet remedia, esse ad salutem necessaria. & hac quidem erga hominem vtimini reuerentia, qui quamuis artem illam profiteatur, peccare tamen multa potest. aduersus Deum verò, quem non pij modo, verum etiam ij, quos Paulus sine Deo appellabat, iustissimum fatentur, & sapiētissimum, adde & optimū, tam faciles sunt homines ad murmurandum, & querelas aduersus eum excitandas. hoc supremæ est impietatis, & tamen sæpissimè in tā impios errores inciditis propterea, quòd illius iudicia nunquam ex animo discitis reuereri, & nihil ab infantibus distatis, qui censent, eo duntaxat tēpore se à parentibus amari, cum delicias eis faciunt, odio verò haberi, cum cæduntur. atqui tunc eos maximè parentes amant, cum adhibent castigationes. Desinamus ergo aliquādo esse pueri

sensibus,

sensibus, cogitemusque, Deum omnia, quemadmodum ait propheta, in sapientia fecisse, & semper facere. dat copiam liberorum egentibus, vt experiantur, Deum esse, qui eos pascit. dat paucos, uel nullos ditioribus, aut etiam datos aufert, dum cernit, eos, qui in diuitijs sibi placent, ad Geennam filios suos, atque ad Dei contemptum educare. dat validos, qui parentes iuuent. dat imbecillos, quos scit illa corporis valentia in suam, & proximorum perniciem abufuros. hæc, & huius generis alia si cogitemus, erimus modestiores, & pro murmurati onibus, quæ tam frequentes nunc in ore hominum versantur, discemus grati esse, atque agere gratias ei, qui nostræ salutis multò est studio sior, quam nos ipsi, & benignè semper nobis facit, sed nos multa sæpe optamus, quæ si præstarentur, futura essent perniciosissima. Illud præterea contemplare, quam hostiliter spiritus illi mali nostrum genus insectentur. apprehendit (inquit) eum, & subito clamat, & discerpit eum cum spuma, & vix discedit ab eo, dilanians eum. quid censetis eos facturos, cum plenā in eos, qui ad æternum ignem damnandi erunt, exercebūt potestatem? & tamen ij sunt, quorum consilijs, ac persuasionibus maxima hominum pars obsequuntur, & eorum potius, quam Dei faciunt voluntatem. O tenebras, quam ingentes offusæ sunt humanis mentibus. hæc vna contēplatio efficere deberet, ut eorum viam auerfaremur, atque ob hanc causam permittit Deus, plerosque ab eis ita diuexari, vt accuratius eos obseruemus, & intelligamus, quam stultum sit, tam capitalium hostiū insidias summo studio nō cauere, atque adeo illorū interdū uti familiaritate. nā omnes superstitiones, quibus magis, quam pietati plurimi vestrū operā dant, pessimorū spirituū horū inuenta, atq; ad vos decipiēdos instrumenta sunt. Vide verò in quam crassos errores incidat minimè purgatæ mentes, neque id intelligant. quid. n. atinebat dicere. rogauit discipulos tuos, vt eijcerent illū, & non potuerunt? non satis erat precari magistrū, vt curaret eius filiū, sine vlla discipulorum vel cōmemoratione, uel taxatione? cogitare debuerat, uel se, uel ipsum filiū in causa esse, cur non eiecerint, non culpā in Christi discipulos reijcere. ita plerique omnes etiā tunc, cum rectè se loqui arbitrantur, imprudentes frequentissimè peccant. id quod ego non parum sæpe in meis ciuibus experior, qui dū pleni terrenis cogitationibus, toti in illis versantur, ea & loquuntur, & respondent, quæ summa reprehensione sunt digna, & tamen ipsi ea existimant omni ex parte irreprehensa. quorum exempla præstat tacere, nequis, si ad singularia ueniretur, quamuis tacitis personarum nominibus, conqueratur se fuisse notatum. Respondens autem Iesus dixit. O generatio incredula, & peruersa, usque quòd ero apud uos, & patiar uos? cernis, ut reprehensionem transferat,

non in discipulos, sed in ipsam Iudæorum nationem? cum enim audis, ò natio, aperte intelligis gentis ipsius infidelitatem, prauitatemque reprehendi. duo autem in eis reprehedit, infidelitatem, & puerilitatem. ad infidelitatem pertinebat, quòd fidem non habebant Christo, cuius & aduentum, & aduentus signa tam sæpe prophetæ prædixerant, quæ si Iudei, præsertim scribæ, & pharisei obseruare voluissent, & prophetarum studio sine odio, atque inuidia assidue incumbere, quemadmodum admonerat eos Christus, cum diceret, scrutamini scripturas, ipsæ enim testimonium perhibent de me, proculdubio illum agnouissent, & credere in eum potuissent. Puerilitas verò, id est, vitæ, & morum prauitas, ab ipsa infidelitate oriebatur. vbi enim rectam quis fidem non tenet, ne vitam quidem synceram habere potest, quod in hæreticis & huius, & esuperiorum ætatum cernere est, qui maiori plerunque crudelitate in catholicos grassati sunt, quàm ethnici ipsi, & simulacrorum cultores. quin & ipsa eorum, qui se catholicos profitentur, deprauata vita, ex minime syncera, minimeque solida fide proficiscitur. si enim maximam nunc hominum partem interrogas de Christianorum dogmatum ueritate, nihil ferè aliud respondere norunt, nisi quòd profitentur, se ea credere, quæ catholica credit ecclesia, quod summæ inertix, atque socordix indicium est, dum nullum seponunt tempus peruestigandis tam admirandis mysterijs. nullo affectu in eorum contemplationem, & amorem rapiuntur, quare necesse est, vt tam informem fidem etiam deformis uita comitentur. Vocat ergo hic Dominus Iudæos nationem infidelem, atque puerilem, dum ob dogmatum fidei negligentiam, etiam prauam agebant vitam illi ipsi, qui se aliorum magistros profitebantur. amabant primas cathedras in synagogis, primos accubitus in cœnis, salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi, neglecta Diuinæ legis meditatione. hæc enim mutuo sese consequuntur, ut exercitatio Diuinorum studiorum integritatem vitæ secum rapiat, & eorū neglectus etiam rectè factorum negligentiam pariat. Quod verò ait, quouique ero apud uos, & patiar uos? tacite significat id, quod paulò post secutum fuit, ut Iudæorum gens in incredulitatem laberetur, quòd nihil aliud fuit, quàm Christum ab eis discedere, atque ad gentes transire, Adhuc filium tuum huc. hinc licet intelligere, illam Domini reprehensionem non fuisse ob gentis odium factam, sed quòd doleret, illam suo vitio esse relinquendam. debueram, inquit, iandudum uos deserere, & nimium penè est, quòd uos sero, cum sitis populus dura ceruice, & incircuncisi corde, & auribus, neque tamen desino benignè uobis facere. quare huc asser filium tuum. Cum adhuc autem accederet, lanianit illum Dæmonium, & dissipauit. cernebat Dæmonium illud, sibi esse ad Christi imperium exeundum, atque iccirco tanquam

tanquam os horum hominum, omnis vires exercuit, vt ante discessum quanto posset malo illum afficeret. eadem feritate vtuntur Dæmones aduersus hominum animas, cum eos cernūt uelle ab eorum potestate ereptos ad Christum redire. tunc enim grauiores in eos excitant pugnas, varijque tentationibus, tanquam machinis oppugnant, vt ab optimo instituto auocentur, quare tunc maiore vigilantia standum in acie est, & non solum illi Dæmonum conatus pertimescendi, sed pro certo indicio accipiendum hoc est appropinquantis salutis. ob hanc causam aiebat quidam sapiens. fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. cum enim homo eam uitam agit, quæ Dæmonibus placet, tentationes non sentit propterea, quòd ipse sua sponte sceleratam uitæ operam dat, ut tentatore non indigeat, cum pacificam habeat tentator possessionem. verum ubi aduertunt mali Dæmones prædam è manibus esse eripiendam, tunc machinas omnes admovent, ne sibi, quod possident, auferatur. Increpauit autem Iesus spiritum immundum, & sanauit puerum, & tradidit patri suo. Dicit fortasse aliquis, non ne spiritus ille immundus uolente Deo inuaserat puerum? proculdubio: si enim ne in porcos quidem legio illa Dæmonum intrare potuit, nisi permittente Christo, multò minus sine Domini auctoritate in homines habent potestatem. cur ergo Iesus hunc increpat? reprehendit deprauatum eius animum, & male affectam erga homines uoluntatem. non enim torquent homines, ut Deo obediant, sed odio, quod & in homines, & in ipsum Deum habent. sic in prophetis reperies, Deum conqueri, quòd gentes, quæ captiuum duxissent Iudæorum populum, crudelius eum tractauissent, quàm ipse uoluisset, quamuis Deus ipse eundem populum in hostium manus tradidisset. in eundem modum iudices, nò solum cum iniqua iudicia exercent, sunt reprehendendi, uerum etiam si, dum iuste quempiam castigant, id cum odio faciunt, & uiscerandi, ac lædendi appetitu. Sed quoniam & Matthæus huius miraculi meminit, uideamus, quid & ibi dicatur. Cum uenissent (inquit) ad turbam, accessit ad eum homo quidam, flectens illi genua, & dicens Domine miserere filij mei, quoniam lunaticus est, & miserè affligitur. nam sæpe cadit in ignem, & sæpe in aquam. Appellat lunaticum, quamuis esset correptus à Dæmone, quod manifestum est, cum in eadem historia dicitur. increpauit illud Iesus, & exijt ab eo Dæmonium, & sanatus est puer ex illa hora. Cur ergo uocauit eum pater lunaticum, & non potius uexatum, vt erat, a Dæmonio? Scimus, & catholica ecclesia fatetur, superiora corpora agere in inferiora. hoc cum sciret Dæmon, obseruabat uel plebilunium, uel alium aliquem lunæ statum, quo corpus illud grauius afficeret, vt uel torqueret grauius, aut perderet; uel certè argueret opera

Dei ueluti in malum nostrū facta, & damnum, quod Dæmonium inferret, non ab ipso, sed à superioribus corporibus illatum uideretur. at multi è nostris deteriores introducunt opiniones, quàm ipsi Dæmones, ut uelint, cœlos, & sidera, non modo in corpora, sed in ipsos quoque animos potestatem exercere, & liberos animi motus stellarum arbitrio esse subiectos, qua opinione nihil potest esse homini perniciosius. sic enim iniquè facta nostra omnia cœlis, aut potius cœlorum fabricatori Deo accepta referētur, & nobis persuadebimus, nos coactos trahi ad peccatum, atque iccirco impune peccare. sed de his fusius alibi disputauimus, nunc uideamus, quid addat Matthæus, quod à Luca prætermisum fuit. Tunc accedentes discipuli ad Iesum seorsum dixerunt. quare nos non potuimus eijcere illud? Acceperant antea potestatem, & auctoritatem super immundos spiritus. cum ergo non potuerint hunc eijcere, non iniuria magistrum interrogant, cur hoc acciderit, ne forte sua ipsorum culpa tam ingens donum amisissent: quò enim maiora quis dona accipit, eò studiosius cauere debet, ne sua inertia, atque socordia, quæ ab ingratitude solent proficisci, eis priuetur. nihil enim est, quod magis exsiccat fontem Diuinæ liberalitatis, quàm ingratitude. neque id solum in spiritualibus bonis accidit, uerum etiam in tēporarijs: nam frequentissimè, ac penè quotidie cernimus, homines, quibus dederat Deus opes ingentes, & facultates, & honores, paucos post annos mutata conditione eadere abiectissimos eam solam ob causam, quòd Diuinis beneficijs ingrati, eisdem beneficijs in Dei contumeliam, à quo ea acceperant, abutuntur, & illas opes, quas cum suæ naturæ consortibus communicare debuerant, malunt in terrenas appetitiones disperdere, quàm muneratori Deo ulla ex parte gratificari. Oporteret ergo nos in omnibus, quæ in nos collata à Deo sunt, siue ea spiritualia sint, siue temporaria, dare operam, ut Deo grati simus, ac semper uereri, nequā fiat nostra culpa, ut acceptis bonis priuemur. hunc si metum ante oculos habuerimus, erimus erga proximi cuiusq; curam multò studiosiores, quam hactenus fuimus, ob quorum indigentiam leuandam maiora nobis, quàm alijs sunt, donata. Seorsum autem interrogant Dominum discipuli. nam omnia tempus habēt, neque profuisset, coram alijs hæc interrogare. nam profani homines, neque sacris rebus initiati, plerunque in ijs, in quibus ædificari debuissent, offenduntur, quod fuisset admonendi propterea, quòd nullam plerique omnes habent temporis, aut loci, aut personarum rationem, ex qua obseruantia multa mala inter uos sapissimè oriuntur. Iesus autem dixit illis, propter incredulitatem uestram. Nondum enim plenam illā fidem affecuti fuerant, qua quæuis miracula patrare possent. iccirco alio loco petierunt à Domino, ut sibi augetur fides. Amen quippe dico uobis, si

habeati,

habeatis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, demigra hinc illic, & demigrabit, neque quicquam impossibile erit in uobis. Sinapis granum, quemadmodum alio loco ait Dominus, minus est omnibus feminibus, quæ sunt in terra. ut ergo ostenderet, quanta sit fidei vis, atque potentia, exemplo paruuli grani docet, minimam quanque fidem, modo uera, & sincera sit, maxima quæque assequi posse. ex qua re facile nos argui possumus, nullam habere fidem, qui tantum abest, ut montes, rem immotam, & sensu carentem loco mouere ualeamus, ut equos, & mulos, animalia quæ sponte sua locum mutant, si obstinatius resistent, non uerbo solum, sed uix calcariibus compellere ad ingrediendum simus idonei. at hic audis, minimam fidem posse montes transferre. Sed oriri potest cuiuspiam uestrum dubitatio, cur, cum hic dicat Dominus, potestatem transferendorum montium minimæ etiam fidei dari, Paulus omni fidei hoc miraculum attribuat, cum ait. si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam. sed loquitur ibi Paulus ad hominum phantasiam, qui ex montis magnitudine, ac mole, fidei magnitudinem metiuntur. Sed magnum omnino est, quod adiecit, neque quicquam impossibile erit in uobis. sicut & illi, qui dixerat, siquid potes, adiuna nos, misertus nostri, respondit. si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. & profectò ita est. quid tam magnum, quàm soli imperare, ut cursum suum sistat? & tamen fides rem tantam est affecuta, obediente Deo uoci hominis, ut ait scriptura. uidete, quid ad Hebræos scribat Paulus, quàm multa, eaquæ admirabilissima fides confecerit, quoties ipsam rerum naturam immutauerit, & eam suo arbitrio gubernauerit. hanc unusquisque nostrum assequi potest, si in leges Euangelicas bene penitus se det, quibus seruandis ea certa spes, certaquæ fides comparatur, cuius & hic, & alijs locis fit mentio. Sed hoc genus non egreditur, nisi per orationem, & ieiunium. Cur ergo dudum dixerat, ob eorum incredulitatem id illis accidisse? respondendum est, fidem quidem & hos, & cæteros spiritus eijcere, sed priuatam, ac peculiarem huius generis Dæmoniorum curationem esse precationem, & ieiunium, perinde quasi dixisset, imperfectionem quidem fidei impedimento fuisse, quòd minus Dæmonium illud eijcerent, sed præterea quædam esse Dæmoniorum genera, quæ præter fidem peculiare etiam quid adhuc requirant. cum .n. ecclesiasticorum, præstantiumque uirorum sententia sit, ex omnibus eorum spirituum generibus, qui in cœlo essent, plurimos decidisse, & effectos Dæmonas, naturæ quidem uis adhuc in eis seruatur, quæuis sit deprauata uoluntas, & pro uel qualitate, uel quantitate uirium, quas possident, humanæ uires sunt intendendæ. hæc autem duo, precatio, & ieiunium quoddam inter se commercium habent, & alterum alteri opitulatur, ut homo in spiritualem quandam

naturam

naturam ascendat, qua aduersus hos spiritus lucam habeat aptiorem. sicut enim crapula, & ebrietas suffocant animum ac mentem deprimunt, ut attolli se ad quicquam excelsius, & homine dignum nequeat, sic contra, ubi primum homo sobrietati operam dat, ac uentris edacitatem temperantiae legibus constringit, continuo in libertatem vindicatur animus, qua praecleara omnia aggredi idoneus fit. praecipuum uero liberi animi officium esse debet precatio, quae in primis hominem cum Deo coniungit, atque ad eum trahit, ut recte magnus Dionysius orationem comparet aureae catenae, quae a caelo ad terras demittatur, quam qui apprehenderit, & per eam conetur ascendere videatur quidem ipse catenam ad se trahere, sed re uera is ab ea in caelum trahitur. ubi uero quis Deo appropinquauit, atque ad eius peruenit familiaritatem, nihil mirum est, si in hos immundos spiritus accipiat potestatem, eosque ab obsessis corporibus eiiciat. Rursus non est, quod miremur, si tam pauci reperiantur, qui hac potestate uti valeant, cum paucissimi sint, quibus geminae haec virtutes sint agnitae, & qui eas exercent, quae non modo ad pellendos a corporibus Daemones, sed multo magis ad eos ab animis fugandos aptissima sunt instrumenta. quae res tanto maioris est utilitatis, quantum anima corpori antecellit. quare ob hanc in primis causam freques esse deberet ieiunandi, & precandi exercitatio, ut anima a Daemonum obsessione esset libera, quae obsessio semper damno est hominibus, at illa corporum non ita: cum plerumque ob animae salutem uexanda corpora Daemonibus tradantur, quemadmodum Paulus scortatorum illum Corinthium tradidit Satanae in interitum carnis, ut spiritus saluus fieret in die Domini. & tam necessarie curae nullum studium impendimus, quin potius plerique omnes comestationibus, & ebrietatibus pro ieiunio, nugis, & inanibus colloquutionibus pro precatione vacant. Clamat apostolus Petrus. sobrii estote, & uigilate, quia aduersarius uester Diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quarens quem deuoret. & rursus. uigilate in orationibus. & Seruator ipse. uigilate omni tempore orantes. & alibi. uigilate, & orate, ut non intretis in temptationem. & caue, ne grauentur corda uestra in crapula, & ebrietate. & nemo tam salutaria, tamque necessaria monita obseruat. replentur superuacuo cibo omnes, & potu, totas noctes, atque adeo optimam dici partem stertunt, & tempus, quo uigilant, ita perditum infumitur, ut dormire praestaret, & cum hac inertia, & desidia, in qua per totam vitam degunt, regnum sibi caelorum audent polliceri. haec non siccorum consilia, sed uinolentorum somnia sunt; terreni regni uel adeptio, uel possessio non nisi maximis laboribus haberi potest. regnum uero caelorum stertentibus, atque ociosis esse donandum existimabitis? ne quae scio ciues mei in tanti ponderis rebus

bus tam pueriliter desipiamus, sed sanis consilijs incipiamus assuescere, & meminerimus, non coronari nisi qui legitime certauerit, quod est tota uita in acie stare, pugnareque uiriliter. nam militia est uita hominis super terram, in qua pugnandum est noctes, & dies. at in pugna nemo est, qui somno, & desidia, & uoluptatibus operam det. sic ergo stemus, & tunc certam salutis spem polliceri nobis licebit. iuuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & potestas, & imperium, & nunc, & in omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO QVINQVAGESIMA
S E C V N D A.



STUPEBANT autem omnes super magnificentia Dei. Res erat noua, tanta cum auctoritate imperare Demonibus, & rerum nouitas parere admirationem solet. cum uero non solum esset res noua, uerum etiam magnifica, & Diuina, ut omnem hominum genus rapere in admirationem possent ea, quae Dominus faciebat; merito stupebant omnes super magnificentia Dei. atque utinam & nos admirari disceremus hanc rerum maiestatem, quam in sacris hisce Euangelijs inuenire possunt omnes, qui attentius ea obseruant. omnia enim Euangelica & uerba, & facta miracula sunt, & summa digna admiratione, atque illud in primis quod plerique omnes tantum abest, ut admirentur, ut etiam, qui hoc non obseruant, in eo offendantur. quod uero illud est? filium Dei, qui est sapientia patris, in quo sunt omnes thesauri sapientiae, & scientiae absconditi, ad tam humilem praedicationem se demisisse, ad quam nemo unquam descendere hominum esset dignatus. quod si quando altius aliquid esset attingendum, raro hoc faciebat, atque ita submisit, ut interdum cum una muliercula, magnis, & grauibus de rebus philosophari non recusauerit. haec sunt omni admiratione, ac stupore dignissima, quae si obseruauerimus, non minus ea miraremur, quam sunt admirati illi, qui uiderunt eum quatruiduanum mortuum suscitauisse. Quare, si optatis aliquos in hac philosophia progressus facere, discite ista admirari. sed hoc tandiu assequi uobis non licebit, dum terram admiramini, atque ad temporaria lucra attoniti asfidetis. si quis enim uestrum repente ingentem, ac minime speratam hereditatem, aut maximam dignitatem assequeretur, tota ciuitas raperetur in admirationem. at haec diuina miracula, & quae sola miraculi appellatione digna sunt, nemo scit admirari ob eam, quam dixi causam, quod ter-

renis hifce fomnijs toti additi estis. Sed omnibus miratibus super omnibus, quæ faciebat, dixit ad discipulos suos. ponite vos in auribus vestris sermones istos: futurum est, vt filius hominis tradatur in manus hominũ. Videtur, turbas in primis eẽ admiratas, nã discipuli, nõ erat, cur tã uehementer admiraretur ob ea, quæ Dñs ita magnificẽ faciebat, cũ scirent, atq; adeo iam essent cõfessi, illũ filiũ esse Dei, qui omnia posset. quod aut ait, super omnibus, quæ faciebat, intelligere possumus non modo de ijs, quæ alijs locis, atque alio tempore fecisset, verũ etiam, quæ tunc fieri contigisset, licet vnus tantum sit facta mentio. nam meminisse potestis, vos alias fuisse admonitos, Euangelistas multa prætermittere, neque esse eis propositum, omnia de Domino Iesu scribere, sed aliqua duntaxat, quibus fides in illum introduci in mundum posset. Permittens ergo Dominus turbas admirari, accersit discipulos in terea, quos non erat necesse hac in re diutius morari, & iubet, vt, quod dicturus esset (nam melius, opinor, sic interpretabimur, quã si dicamus, vt quidam volunt, eum voluisse, vt ea, quæ tum fecisset, recordarentur) diligenter memoriã mãdent. hoc enim est, ponere in auribus. nam per aures accipimas ea, quæ postea memoriã commendantur. his autem verbis significauit, rem, de qua locutus esset, maximi esse momenti, ac ponderis, is enim est communis loquendi mos, vt, cum insigne aliquid, & quod maioris sit, vel utilitatis, vel periculi, dicturi sumus, prius moneamus, vt, quod dicimus, diligẽter obseruetur. quid aut hoc est? futurum est, vt filius hominis tradatur in manus hominũ. Hoc identidẽ illos admonerat, vt præmuniret, quo minus offenderentur, cũ accidisset: si. n. post tot admonitiones offensionẽ tamen passi sunt, cum captus fuit Dominus, & morti traditus, multo profecto periculosius fuissent offensi, nisi eos multo antea monuisset. Sed obseruandum illud est, cur post illã omnium admirationẽ addiderit hæc verba. illud mihi videtur in causa fuisse, quod, cũ discipuli cernerent magnifica Christi facta, quæ oēs in admirationem traherent, omnipotentem eũ crederent, & qui imperare toti naturæ posset. q̄ si admoniti nos fuissent, quæ essent in eum euentura. vbi euenissent, vertiginem quandã essent passi, atque ita consilij inopes fuissent, vt nihil aliud, quã cogitationum confusio quædam reliqua eis esset, quæ fidem omnẽ adimere potuisset. sed, cum hæc ante Domini mortẽ aliquoties ab eo audiuisent futura, & si repentino casu attoniti, relicto eo fugerũt, potuerũt tamen in se reuerfi, hæc Domini monita ad memoriã reuocare. Fuit ergo hæc tacita quædam admonitio, perinde quasi diceret. magna quidẽ sunt ista, quæ facio, atque eius generis, vt ostendam, omnia posse me, verũ scire vos velim, me multa ab hominibus esse passurum. in quam sententiã hæc Dominum dixisse, facile ex alio huius Euangelistæ loco conijcere licet.

cet. dudum. n. cum interrogasset discipulos, quem se esse dicerent, & Petrus respondisset, Christum illum Dei, vide quid addat. at ille (inquit) cõminatus illis, præcepit, ne cui dicerent, dicens. quia oportet filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus, & principibus sacerdotum, & scribis, & occidi. At illi ignorabant verbum istud, & erat absconditum ab illis, vt nõ intelligerent illud. & timebant eum interrogare de hoc verbo. Quid erat difficultatis in his Domini verbis, cum ait. futurum est, vt filius hominis tradatur in manus hominũ, vt dixerit Euangelista, illos ignorasse verbum istud, quodque esset absconditũ ab eis? neque. n. putandum est, illos dubitauisse ob id, q̄ nõ dixerit, ego, sed filius hominis. nam erat familiare illi, ita se appellare, & hunc loquedi morẽ norant discipuli. quid etiã obscuritatis habet, hominem posse ab hominibus pati? opinor ergo, hanc fuisse causam & ignorationis, & absconditæ rei. credebant, illum esse filium Dei, cernebant eius omnipotentiam, sperabant illum esse redẽpturũ Israel, & regnaturũ tẽporario regno, aliorũ regum more. at hijs rebus omnibus contrarium est, q̄ is, à quo tã magnifica sperarentur, tã humiliter, tãq; abiectẽ ab hominibus sit tractandus. nesciebãt verò mysteriũ rerum consecutarum, q̄ scilicet post crucem, & mortẽ tum maxime esset regnurus. nã & si alio loco audiuisent ab eo, q̄ esset tertia die resurrecturus, multo minus hoc intelligebant, quãdo & post resurrectionẽ, cum dixissent mulieres, se visionem angelorum vidisse, qui dicerent illum viuere, visa sunt illis deliramẽta verba illa. hæc igitur erat causa, cur perplexi ignorabant, quo pacto res tam inter se cõtrariæ stare simul possent. Et timebãt eũ interrogare de hoc verbo. ob reuerentiã opinor magistri, cuius & honoris, & dignitatis maxima eẽ habẽda à discipulis ratio. nã, & si superius interrogare ausi sunt, cur ipsi nõ potuissent eijcere Dæmoniũ, hoc iure fecerunt discẽdi causa. atq; hoc semper discipulis licet: q̄ si interdũ interrogant ea, quæ tunc scire non expedit, admonentur à magistro, vt cũ Dominũ interrogarunt, num eo tẽpore esset instauraturus regnũ Israelitis, quia hoc ad illos non pertinebat, respondit. non est vestrũ nosse tẽpora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. at hic non inueniebant causam, quam obrẽ libera interrogatione vterentur. si. n. ei proposuissent illam rerum contrarietate, quã dudum dicebamus, vereri poterant, ne nimis essent in rogando temerarij. & fortasse recordabãtur, quod ante acciderat Petro, quẽadmodum à Matthæo scribitur. cum enim ostendere cõpisset Dominus discipulis suis, quod oporteret ire Ierofolimã, & multa pati à senioribus, & scribis, & principibus sacerdotũ, & occidi. abducens eum Petrus, cõp̄it increpare illum dicens. propitius esto tibi Dñe, nõ erit istud. at Dñs cõuersus dixit Petro. uade post me Satana. offendiculo es mihi, quia nõ sapis ea, q̄ Dei sũt, sed ea, quæ hominum.

minum. hæc, inquam, fortasse recordantes, in hunc sermonem descendere verebantur, nequid inde sibi reprehensionis oriretur. Intrauit autem cogitatio inter eos, quis eorum maior esset. Sunt inter theologos non ignobiles, qui censent, in hanc cogitationem uenisse discipulos eo, quod Dæmoniacum illum curare nequuerint, dum singuli diceret, quod non ob suam, sed alterius imbecillitatem, puer ille sanatus non fuerit. atque inde orta sit lis, quis eorum esset maior. verum, si inspiciamus, quo pacto hanc eandem rem describant etiam alij Euangelistæ, aliam huius conuersionis causam possumus assignare. Matthæus post descriptam Dæmoniaci illius, cuius & Lucas mentionem fecit, curationem, & post Domini uerba, quod tradendus esset in manus hominum, adiecit de tributo, cum scilicet Dominus dixit Petro. vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens, da eis pro me, & te. & mox ibidem sequitur. in illa hora accesserunt discipuli ad Iesum dicentes. quisnam maior est in regno cælorum? quasi coniecissent, ex eo, quod par census pro Domino, & Petro esset datus, Petrum inter alios futurum maiorem. sed cum non auderent hoc aperte eloqui, sic generatim loquebantur, inquirentes, quis eorum esset maior. verum, quoniam neque Lucas, neque Marcus huius tributi meminerunt, alia præter hanc potuit huius inquisitionis esse causa. sed uideamus primum, quid scribat Marcus, qui & ipse ponit uerba eadem, quod scilicet tradendus esset filius hominis in manus hominum, & occidendus, deinde ait. & uenerunt Capernaum. qui, cum domi esset, interrogabat eos, quid in via tractabatis? at illi tacebant. siquidem in via inter se disputauerant, quis eorum maior esset. fieri ergo potuit, ut, cum audissent discipuli, magistrum interficiendum, cœpissent, tanquam minus perfecti adhuc, uenire in hanc cogitationem, quisnam eorum post mortem magistri esset alij præficiendus. hoc enim est maximè uerisimile. Quod uero aliqua ambitionis titillatio animos eorum inuadere potuerit, ex eo colligi non difficile licet, quod, cum, ut audistis ex Marco, interrogasset eos Dominus, quid in via tractauissent, tacuerunt, tanquam sibi conscij, rem fuisse reprehensione dignam, quam tractauissent. & fortasse, cum illud tractarent, non intelligebant uitium, sed ad Domini interrogationem cœperunt intelligere, quod antea non animaduertent. neque uero admirari quisquam debet, hanc cogitationem in apostolorum animos uenisse. nam primum adhuc imperfectionis aliquid in eis residebat. deinde non erat cuiusquam mens inuadendi principatus, sed curiositas potius quædam illa fuit, optare scire, quis eorum hanc fortiturus esset dignitatem, ut maior inter cæteros haberetur. permisit autem Dominus, ut exigua hæc tentatio illos inuaderet, ut cauendi maioris erroris esset occasio.

casio. at opportunum admonendi tempus nactus Dominus, nihil rem distulit, docens nos, debere hac uti erga subiectos nobis prouidentia, ut non expectemus, dum uitia augetur, sed in ipsis initijs ea extinguamus. nam plerunque inutilis fit medicina, cum morbi ob diuturnitatem euaserunt robustiores. cernimus arbores, quæ nunc immensis radicibus terræ adhærent, quo primum tempore plantatæ fuerunt, uirgas fuisse, quæ tunc leui manu euelli potuissent, nunc uero fortissimis opus est machinis ad illas deiciendas. atque hoc est, quod in parentibus uehementer reprehendo, qui si filios in ætate teneriori castigaret, ac minima quæque eorum uitia obseruarent, non haberent eos, ubi adoleuerunt, ita contumaces. non enim repente fit homo sceleratus, sed ab exiguis initijs paulatim crescit. non cernis flumina, quo pacto fiant magna? nam ubi ortum habent, exigui riuuli sunt, sed collectis per spatia aquis multiplicantur. Vides puerum ad ludendum acrius affici. incipe in puerilibus illis ludis eum cohibere, & morbus ille in maiori ætate curatus erit. uides eum gladiolo delectari, & cultro incipere minari, uerberibus illum coerce, quorum postea memor, à uulneribus, & cædibus abstinebit. uirga, atque correctio tribuit sapientiam, ait Salomon, puer autem, qui dimittitur uoluntati suæ, pudescit matrem suam. & rursus. erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ. nunc uero parentes ipsi fouent in his uitijs filios, & in eis se exercendi præbent occasiones. cum illis ludunt, & iocantur, neque cogitant, quod ait alius quidam sapiens. lacta filium tuum, & pauentem te faciet, lude cum illo, & contristabit te. nihil enim in utranque partem ita ualet, ut educatio, quæ si negligatur, nihil sperandum est boni. si diligens cura illi adhibeatur, tota reliqua uita eundem seruabit tenorem. institue puerum (ait Salomon) iuxta uiam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Cum autem omnium uitiorum initia obseruanda sint, tum illud ambitionis maximè omnium. nam uix intelligitur, dum surrepit, & cuius mentem semel occupauerit, omnia corrumpit bona, & in omnia præcipitat scelera. At Iesus uidentem cogitationem cordis illorum, apprehendit puerum, & statuit illum iuxta se, & ait illis. quicumque receperit puerum hunc nomine meo, me recipit. & quicumque me receperit, recepit eum, qui misit me. nam qui minor est inter omnes uos, hic erit magnus. Ut rem magis ante oculos poneret, apprehendit puerulum, & statuit eum in medio eorum, ut in illius ætatis contemplatione discerent, quo pacto gererent. nam cur hunc puerum accerserit, apertius ex Matthæo discimus, qui sic ait. aduocans puerum, statuit illum in medio eorum, & dixit. amen dico uobis, nisi conuerfi fueritis, & efficiamini sicut pueri, non intrabitis in regnum cælorum. puerorum mos est, ambitioni minimè studere, & uacare malitia, honores,

res, ac dignitates non appetere, laesos citò obliuisci iniuriarum, nemini struere insidias. vult ergo, ut, quod illis ratio ætatis confert, ipsi uirtute affequamur, ut illius ætatis simplicitatem, atque innocentiam imitemur. sed nos contrarium facimus. nam quod in eis laudabile est, negligimus, quod verò imperfectum est natura, imitamur. pueri enim ob ætatis imbecillitatem, tractare quicquam magnum nesciunt, sed puerilia tantum cogitant, & in eis versantur. atque hæc illis non vitio dantur, sed naturæ imperfectioni ascribuntur. at viros, & qui integra iam ætate sunt, puerilia duntaxat tractare animo, & in eis dies, noctesque versari, hoc supremæ stultitiæ est, & maxima dignum castigatione. non ne puerilem rem iudicaretis, si quis in duarum horarum fabula ita laboraret, ut omnium facultatum iacturam faceret? proculdubio. sed cum tota hæc uita, si cum æternitate conferatur, non horarum, sed momenti instar sit, pro hac ipsa uita, ut in ea gloriosus quis uiuat, ita sollicitum esse, ut æternitatis damnum faciat, non ne omnem puerorum stultitiam superat? & hanc peruersitatem reprehendit Paulus, cum Corinthijs scribens ait. fratres nolite esse pueri sensibus, sed malitia pueri sitis, sensibus uerò perfecti. quibus uerbis uult, ut, quod ad malitiam pertinet, pueros imitemur, quorum simplicitas carere malitia solet, uerum prudentia, atque intelligentiã uiriles induamus mores, & semper nobis digna tractemus. Nisi conuersi fueritis (inquit) & efficiamini sicut pueri, nõ intrabitis in regnum cælorum. definita sententia est, & quæ nullis indiget ambagibus quæstionum ad puerorum simplicitatem, atque innocentiam descendendum est ei, qui ingredi uelit regnum cælorum, & tamen quotuscumque est, qui hanc sententiam bene penitus cordi affigat? nam plerique omnes nihil minus cogitant. quàm ut sese demittant, & nihilò tamen minus omnes regnum cælorum sibi pollicentur. miram profectò huius ætatis hominum stoliditatem, ac stupiditatem, qui in tantæ summæ negocijs tam desipiant pueriliter. Quicumq; ergo humiliauerit se, sicut puer iste, hic est maior in regno cælorum. His uerbis respondet discipulorum interrogationi, qui rogarant, quisnam maior esset in regno cælorum, uel absolute, sicut Lucas ait, quis eorum maior esset. nam conlueuerat Dominus appellatione regni cælorum, non solum ipsum cælum accipere, uerum etiam reipublicæ Christianæ conuentum. uultis (inquit) scire, quis uestrum sit maior, & ob hoc me interrogastis. quibus respondeo, eum esse maiorem, qui se magis submiserit, & nihil plus sibi arrogauerit, quàm pueruli solent, seque infantem, & nulli usui aptum existimauerit. nam Christiana magnitudo à mundi magnitudine longè diuersa est, quemadmodum alio loco Dominus ait, cum discipuli de hac eadem re tractarent. reges (inquit) gentium dominantur

tur eis, & qui potestatem habent super eas, benefici uocantur. uos autem non sic, sed qui maior est in uobis, fiat sicut iunior, & qui princeps est, sicut qui ministrat. & mox sui exemplum præbens adiecit. nam uer maior est, qui accumbit, aut qui ministrat? non ne qui accumbit? sed ego in medio uestrum sum, sicut qui ministrat. O uecordiam nostram ingentem. filius Dei demisit se ad humilitatem nostram, ut discamus submissè nos gerere, & post tam admirandum exemplum audet puluis, ac cinis insolescere. Quicumque tantorum mysteriorum est conscius, ac tantæ lucis factus particeps, atque adhuc honores ambit, & præesse alijs appetit, is manifestè Christum factis negat, quem uerbis se nosse profiteatur. & sanè quo tempore humilitas uirtus esse non agnoscebatur, si reperiabantur, qui eam auersarentur, erant digni uenia. qui uerò intellexerunt, hanc tantam esse uirtutem, ut Christus Dei filius eam sibi fecerit peculiarem, & tamen illam negligunt, quam obsecro habebunt excusationem? sed redeamus ad huius Euangelistæ uerba. Quicumque receperit puerum hunc nomine meo, me recepit, & quicumque me receperit, recepit eum, qui misit me. Horum uerborum sensus is mihi esse uidetur. res contempta uidetur esse puer huiuscemodi. & quidem si huius mundi mores spectemus, ita est. sed quoniam hæc, quæ à me introducit philosophia cõtraria est communibus hominum opinionibus, non est à uobis referenda uestra cogitatio ad hominum opiniones, sed ad ea sola, quæ uos ego doceo. nam quæ magna hominibus uidentur, ea sunt apud Deum abominanda. quare obseruandus est potius honor, quo Deus hosce humiles afficit, quàm id, quod mundus sentit. tanti uerò apud me sunt, quicumque ita se abiecerint, atque demiserint, ut nihil ab hoc puero distare uideantur, ut si quis eos receperit nomine meo, id est, eo quòd discipuli sint mei, perinde gratum hoc habiturus sim, ac si me recepisset, qui uerò me recipit, nihil dubitandum est, quin patrè ipsum meum recipiat, qui me misit. Nam qui minor est inter oes uos, hic erit magnus. ecce magnitudinẽ, quæ una esse inter Christianos, & ab eis agnosci debet, ut quis ceteris inferiorẽ se arbitretur, & tũ demũ, aut potius tunc solũ erit magnus. hæc sententia ab ijs, qui fidẽ in Christũ profitetur, habenda sepe ante oculos esset, quod si fieret, pacatissimus, ac felicissimus esset Christianus orbis. uerum, quia contrarium fit, nihil neque tranquillitatis, neque felicitatis inter nos reperitur. ob eam. n. causam quòd magnos tunc nos futuros arbitramur, si nos alijs antepomur, neque inferiores unquã uideri patiamur, fit, ut omnia bellis, ac tumultibus, & seditionibus, & litibus, atque disidijs sint plena. Respondens autem Ioannes dixit. præceptor, uidimus quendam sub nomine tuo eijcientem Dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. Pia est, & ob hanc

hanc causam non contemnenda, illa non in docti viri sententia, quod scilicet, cum dixisset Dominus, eum, qui minor esset inter eos, magnum futurum, veritus sit Ioannes, ne arroganter, ac superbè egerit prohibèdo. nam prohibere aliquem à quapiam re, arguit, eum, qui prohibeat, maius quiddam de se sentire, quàm de eo, quem prohibet. quamvis prohibuissent, non vt inuidentes, sed indignum illum iudicantes, qui eiusmodi miracula ederet, cum neque Christum sequeretur, neque ab eo fuisset missus. Quamquam non necesse est, hanc Ioannis interrogationem à superiore Domini sermone pendere. neque enim Euangelicus contextus ita factus est, vt oporteat semper alterum ab altero pendere. Et ait ad illum Iesus. nolite prohibere, qui enim non est aduersum nos, pro nobis est. quo pacto? quia (ut est apud Marcum) nemo est, qui faciat virtutem meo nomine, & possit citò malè loqui de me. Obserua verò virtutem nominis Christi, vt etiam ij, qui eum non sequerentur, & indigni essent tanto munere, ad Christi tamen appellationem eijcerent Dæmonia. ij sunt, opinor, de quibus alibi dicit Dominus. multi venient in illo die dicentes. Domine, non ne tuo nomine Dæmonia eiecimus, & tuo nomine multa signa fecimus? tunc respondebo illis. non noui vos, discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Ob hanc causam multi & nunc sacerdotes, quamuis non omnino inculpata sint vita, virtute tamen nominis Christi, eiusmodi miracula edunt. Quare non admodum optandum est, ea facere, quamuis magnifica videantur, quibus patris adhuc quis possit in Geennam, atque in ignem æternum relegari, sed ea omni studio quærenda sunt, quæ verè hominem magnum efficiunt, & illa magnitudine, quæ ab ipso filio Dei commendatur, cuius iudicium tutissimum est, neque metus est, ne illud sequentes decipiamur. magnum esse dicit eum, qui se demittit ad alios, & aliorum minister efficitur, atq; vt hanc virtutem amplecti non dedignaremur, ipse sui exemplum præbet. ego (inquit) in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Filius Dei, is, cui cælum, terra, inferi flectunt genu, factor hominum, ad hominum ministerium se demisit. non veni (inquit) vt mihi ministretur, sed vt ministrem. & homo imitari Dei filium dedignatur. quæ Geenna idonea est, tanto sceleri castigando? quid absurdius, quàm relicto Dei consilio, vulgè sequi opinionem? unde enim censēs magnum eum esse, qui præsit alijs, & maiorem, quàm cæteri, potètiā exercere possit? non ne imperitæ multitudinis iudicium hoc est? cui prudentiores viri, etiā ethnici aduersantur, qui dicunt, virtutem obediendi naturā esse generosæ, educationisquæ philosophicæ. quodque, si inueniretur ciuitas, in qua omnes essent sapientes, maior esset contentio eorum, qui regi, quàm qui regere alios uellent. quod si prudentiores inter ethnicos hoc sentiant,

quàm

quàm pudendum est, eos, qui Dei filium præceptorem habent, agi multitudinis opinione, spreto tam salutaribus, atque à tanto magistro profectis documentis? Quare pudeat nos, vel serò tanti erroris, & demus operam, ut iuxta apostolicam doctrinam, honore nos mutuo præueniamus, & alter altero quisq; se indicet inferiorem, vt veram, & à Seruatore Christo commendatam magnitudinem assequamur. iuuante eodem Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & potestas, & imperium, & nunc, & in omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO QVINQVAGESIMA
TERTIA.



FACTVM est autem, dum complerentur dies assumptionis eius, & ipse faciem suam obfirmauerat, vt iret Ierosolymam, & misit nuntios ante conspectum suum, & euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum, ut pararent illi, & non receperunt eum, quia facies eius erat euntis Ierosolymam. Complebantur dies assumptionis eius, quia instabat tempus passionis, & mortis. sed usus est Euangelista vocabulo digno maiestate Christi. nam moriturus quidem erat, non tamen detinendus à morte, sed resurrecturus, & assumendus in cælum, uel, sicut ait Paulus, in gloria, cum scribens ad Timotheum ait. & manifestè magnum est pietatis mysterium. Deus manifestatus est in carne, iustificatus est in spiritu, apparuit angelis, prædicatus est gentibus, creditus est in mundo, assumptus est in gloria. Sed quæ sequuntur uerba, examinanda sunt diligentius. quid enim est, obfirmasse faciem, & præmississe nuntios, quem morem non facile inuenies fuisse Domino, quodque non susceperint eum, quia facies eius erat proficiscens in Ierusalem? Scimus Dominum multa sæpe & fecisse, & dixisse, quæ, dum agerentur, non tunc intelligebantur, sed sunt postea suo tempore declarata. ut, cum dixit, soluite templum hoc, & tribus diebus excitabo illud, & nonnulla eius generis alia. hic ergo uidetur significare, Dominum obfirmasse, id est, decreuisse olim in Ierusalem mori, & salutem operari in medio terre, idq; multò antea prædixisse per suos nuntios prophetas, sed hos nuntios non susceptos tunc fuisse. Sama

NNNN ritanis,

ritanis, id est, a gentibus, quia primum eligenda erat Iudæa gens, è qua Christus nasceretur. Si uerò solam literam spectes, sic exponi potest. cū Samaritani, qui erant inimici Iudæorum, cernerent Dominum offinas se faciem, ut iret in Ierusalem, non receperunt eum, fortasse indignati, quòd aliquot dies manere apud eos nollet. atque ob hoc ne hospitio quidem accipere illum uoluerunt, quia in re peccauerunt quidem. nam debuerant uti illa modestia, qua usi fuerunt, cum mulier illa Samaritana admonuit eos, ut irent, & uiderent hominem, qui ei dixerat omnia, quæ fecerat, & exierunt è ciuitate, & uenerunt ad eum, & rogauerunt, ut apud se maneret. Verum nunc accidit res multò maiori reprehensione digna, cum uenit ad hominum mentes Iesus, nec recipitur. præmittit nuntios, qui aduentum eius significant, nempe uerbi Dei prædicatores, & paucissimi illum recipiunt. is enim duntaxat recipit, qui ea, quæ audit, studet implere. Quamuis autem sciret Dominus, futurum, ut eum non reciperent, misit tamen nuntios ante conspectum suum, si non ob aliud, certè ut discipuli discerent patientiam, ac mansuetudinem, quòdque deuorandæ sint stultitiæ hominum, & miserendum potius, quam irascendum, quod facillè colligi potest ex eo, quod secutum est. Cum uisissent autem discipuli eius Iacobus, & Ioannes, dixerunt. Domine, uis dicamus, ut ignis è cælo descendat, & consumat illos, quemadmodum & Elias fecit? Obserua æmulationem feruidam, & zelotypiam quandam honoris magistri. & ob hanc fortasse causam, cum elegit duodecim, ut essent secum, scribit Marcus, Dominum imposuisse his duobus fratribus nomen Bonaerges, id est, filii tonitru. sicut enim tonitru feruor quidam uentorum est, qui inter nubes agitantur, sic hi feruido spiritu honoris magistri studiosi, armabantur in ultionem, non ferentes illum contemni. & præterea in ipso zelo (quod non minus est obseruandum) nituntur sacrarum scripturarum auctoritate. quòd si, cum pro Christi tuenda gloria faciendum quippiam est, Diuina oracula sunt consulenda, quãtò id magis præstandum esset in iis negociis, quæ coporeorum duntaxat commodorum gratia tractantur, ut semper referatis oculum ad Diuinam legem, & uideatis, quid, & quatenus secundum illam liceat? Viderant isti gemini fratres tantum magistrum contemptum, & nulla priuatæ rationis contemplatione, sed studio magistri, cui se omnia debere agnoscebant, iudicauerunt, hos contemptores dignos esse, in quos animaduertetur. & venit illis in mentem, quid olim fecerit Elias ob eundem zelum Diuini honoris. cum enim misisset ad eum impius rex quinquagenarium principem, & quinquaginta cum eo, qui illum nomine regis accerferent, dixissetque ille quinquagenarius. homo Dei, rex præcepit, ut descendas; respondens Elias dixit quinquagenario. si homo Dei sum, descendat

descendat ignis è cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. descendit itaque ignis è cælo, & deuorauit eum, & quinquaginta, qui erant cum eo. rursumque misit ad eum principem quinquagenarium alterum, & quinquaginta cum eo, qui locutus est illi. homo Dei, hæc dicit Rex, festina, descende. respondens Elias ait. si homo Dei ego sum, descendat ignis è cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. descendit ergo ignis è cælo, & deuorauit illum, & quinquaginta eius. Hoc Eliæ exemplum recordati discipuli, cogitauerunt, hanc eandem ultionem conuenire Samaritanis, ut, quemadmodum Elias studio diuini honoris, quem cernebat ab impio Rege, & eius ministris contemni, quinquagenarios illos, & eorum comites ita seuerè ultus fuit; sic isti igni è cælo uocato consumerentur, fidebantque, se idem ipsum impetraturos. Obserua uerò etiam modestiam, & reuerentiam erga magistrum. non prius audent hanc exercere castigationem, quam magistri sciant uoluntatem, qui mos seruandus & à nobis est. quamuis enim aliquid agamus, quod uideatur nisi scripturis sacris, uidentum tamen est, num rectè eas scripturas præsentis negotio accomodemus, quod nisi fiat, nihil profuerit sacras literas consuluisse. nam & hæretici putant se suas rationes tueri Diuinis auctoritatibus, sed falluntur propterea, quòd peruersas adhibent interpretationes. Erit aliquis, exempli gratia, qui carnis integritatè seruare decreuit. alius ei nuptias persuadebit, affirmans præceptum esse Dei, generare filios, cum dicat scriptura, crescite, & multiplicamini, & replete terram. & relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carnem unam. hoc falsò in hanc sententiam adducitur, alio qui aduersaretur illi loco, ubi dixit Dominus. sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cælorum, & quæ de uirginibus scribit Paulus Corinthijs. Sic, cum uenit alicui in mentem, eruerè sibi oculum, aut amputare manum, aut pedem, si nitatur illa Domini auctoritate, quæ ait. si oculus tuus offendit te, erue eum, & projice abs te, idem & de manu, & de pede, stultè facit. non enim hæc est loci illius sententia, quemadmodum alibi declarauimus. debemus ergo in factis nostris omnibus accurrere quidem ad diuinas auctoritates, sed curandum est, ut eas rectè interpretemur, quòd nisi faciamus, nihil illæ proderunt auctoritates, & digni erimus reprehensione, quòd & duobus hisce apostolis accidit. nam sequitur. Conuersus autem Iesus increpauit illos dicens. nescitis, cuius spiritus estis vos. filius enim hominis non uenit ad perdendum animas hominum, sed ad seruandum. Nondum intelligebant discipuli veteris, ac nouæ legis differentiam, multaque in ueteri lege concessa, quæ in noua corriguntur. ob hanc causam alibi dixit Dominus, se uenisse ad implendâ legem, id est, ut suam illi adderet perfectionem, & in eo

sermone dat etiam exempla. lex prohibebat adulterium, Euangelium uero etiam oculum impudicū. lex homicidium, Euangelium etiam iram, & animi commotionem. in lege dicebatur, oculum pro oculo, dentem pro dente. Euangelium iubet, ne quis resistat malo, & qui uis inimicum diligit, quem prius odisse uidebatur esse concessum. Recte ergo increpauit eos Iesus, & dixit. nescitis cuius spiritus estis uos. diuersus (inquit) esse spiritus uester debet ab illo, quem ueteres patres habuerunt, quāuis enim Elias illam ultionem fecerit, spiritu Dei, atque eius gloriæ emulatione actus, id illi tempori conueniebat. at lex, quæ à me introducit, aliam uitam, alios mores, eosque perfectiores postulat. neque enim ego ueni in mundum, ut perdam homines, sed ut seruem. hoc nomen meum Iesus sonat, quod iccirco imponi mihi uolui, quia hoc eram præstaturus. Hoc exemplum, & hæc doctrina esset sæpe Christiano homini ad memoriam reuocanda. præsertim cura iracundia animum mouet, & ad ultionem incitatur, tunc repetenda sunt hæc uerba, nescitis, cuius spiritus estis uos. habemus tam insigne exemplum ipsius filii Dei, qui tantum abest, ut ultus unquā fuerit hostem quempiam ut, cum inimici essemus, suo nos sanguine reconciliauerit Deo, & dederit, quemadmodum à propheta prædictum fuerat, faciem suam conspuentibus, & barbam uellentibus. qui quamuis peccatum non fecisset, nec inuentus fuisset dolus in ore eius, tamē cum maledictis impeteretur, nō rependebat maledicta, cum pateretur, non comminabatur. & demum pertulit peccata nostra in corpore suo super lignum crucis. hæc si in illa animi commotione identidem uersarem animo, euaderem ad ignoscendum propensissimi, neque tam acriter ad minimam proximi cuiusq; offensio- nem comoueremus, neq; de ulciscenda iniuria ita facile cogitarem. Et abierunt in aliud castellum. Cessit Dominus Samaritanorum iniuria, qui eum recipere noluerunt, & in aliud castellum se recepit. nihil autem est, quod tam declarat hominem esse Christianum, quā in iuriæ cedere, & eam ferre potius, quām ulcisci, & tam peculiare Christiani hominis munus non est ferre, qui exercere amet, & nihil minus, quā de eo cogitatur. Factum est autem ambulanti- bus illis in uia, dixit quidam ad illum. sequar te, quocunque ieris. quibus uerbis significabat, se integre discipuli officium implere paratum esse, quod animi optimè constituti indicium esse uidebatur, uelle perpetuum esse Domini comitem. & tamē uidete, quid ei Dominus responderit. Dixit illi Iesus. uulpes foueas habent, & uolucres cæli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet. Viderat, opinor, Dominus illius animum non ita præparatum, ut oportebat, neque interiorem affectum respondere magnificis ei uerbis. nam sequi Christum, quocunque iret, erat eius institutum

institutum perfectè assequi, & exactissimam Domini uitam imitari. atque is, qui se obtulerat secuturum, non uidebatur eoufque cogitatione processisse, ut facere paratus esset, quæ supra Dominus dixerat, si quis uult, post me uenire, abneget semet ipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. sed arbitrabatur satis esse, si ei comes fieret in itinere. fortasse uero hoc animo erat, ut ex ea sequela pasceretur à Domino, & sine labore uictum caperet, quemadmodum & nunc quā plurimi, atque utinam non sit maxima pars eorum, qui ad cœnobita se conferunt, & se religiosè uelle uiuere profitentur, sed in primis ad illud uitæ institutum excitulantur, non perfectioris uitæ studio, sed leuandæ sine labore famis gratia, dum fugiunt in sudore uultus sui pane uesci, & labore manuum uictum querere. at ubi quis hoc animo ad seruitutem Dei, aut rectius ad eum statum, qui, ut perfectius Deo seruiatur, principio fuit institutus, accedit, nihil unquā efficit illa dignum professione. Ob hanc ergo causam respondet huic Dominus, docetq; ut contempletur primum, quid magister ipse faciat, & tum demum de eo sequendo deliberet. uulpes (inquit) foueas habent, & propria latibula, tanquā priuatas domos, in quibus habitent, sic uolucres cæli suos habent nidos, in quos se recipiāt, at filius hominis etiam domo caret, neque tantū habet spatij, ubi caput suum reclinare queat. O monstrosam hominum insensibilitatem, & eorum præsertim, qui eam uitæ professionem recipiunt, quæ perfectius sequi Christum deberet, quæque Christo, atque eius apostolis successit, episcopos dico, atque omnem clerum. ad hos enim in primis pertinet Christi esse imitatores, & tamē nullum est nunc hominum genus tam ab eius imitatione alienum. omnes auaritiæ student, idq; ita anxie, ut nihil sit sacerdotali auaritia monstrosius. nullam aliam ob causam ascribi in clerum cupiunt, nisi ut ecclesiasticis fructibus, ac dignitatibus fruantur, quod ita esse, factis ipsis declarant, dum eam uitam agunt, quæ nō solum nihil Christianæ pietatis referat, uerum etiam quæ summum erga illam odium profiteatur, nunquam oculos referunt ad hæc uerba. uulpes foueas habent, & uolucres cæli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet. Aspice Domine Iesu è cælo, & uisita uineam istam, quam plantauit dextera tua, quam non externæ feræ, sed uinitores ipsi, quibus eam credidisti excolendam, tam fœdè deuastant, ut ipsi hostes nihil facere deterius possint. Ait autem ad alterum. sequere me. ille autem dixit. Domine permitte mihi prius abire, & sepelire patrem meum. dixit autem ei Iesus. sine, ut mortui sepeliant mortuos suos, tu uero uade, & annuntia regnum Dei. prior ille, qui se sponte obtulerat, non admitti tur. hunc autem, qui nihil postulat, uocat. norat enim Dominus, quæ esset in utroque horum interioris hominis constitutio. in hoc

hoc autem, quem hic vocat, erat quidem aliquid minus perfectum, sed quod tamē corrigi facillē posset. paratus erat ad sequendum, sed patris affectu tenebatur, cuius curam deserere verebatur, dum viueret. hoc. n. est, quod ait. permitte mihi primum abire, & sepelire patrem meum, id est, ut tandiu curam patris habeam, dum uiuit. vbi verò mortuus fuerit, ac traditus sepulturæ, continuò te sequar. quis nostrum hanc huius voluntatem non plenissimam pietatis esse iudicaret? Diuinum præceptum est, ut parentes honoremus, quo nomine intelligitur exactissimū obsequium, atque exquisitissima cura erga parentes exhibenda. hoc præceptum iste implere postulabat, & tamē vult Dominus, vt negocium regni Dei rebus omnibus anteponatur. qua in re venit mihi in mentē, quanto nunc in periculo sint res hominum, qui tam sunt ab hac huius regni cogitatione alieni, vt ei temporaria omnia commoda, etiam quæ cū iniustitia tractantur, non vereantur anteponere, tantū abest, ut illud bonis alioqui rebus præferant. quid enim est, quod non pluris passim, quàm regnum Dei æstimeretur? at Dominus hic vult, vt etiam parentum cura, cum tractando regni Dei negotio impedimento sunt, deferatur. sine (inquit) vt mortui sepeliant mortuos suos, tu verò vade, & annuntia regnum Dei. Multi quidem deserunt curam parentum, sed non regni Dei gratia, verū solo pecuniæ, & parandarum opum affectu, quarum studium parentum charitati anteponunt. qui verò ob regni Dei gratiā hoc faciunt, non facile inuenias. Sed accuratē obseruandum est, quod hic dicitur. sine, ut mortui sepeliant mortuos suos. appellat mortuos eos, qui huius tantū vitæ studijs operam dant, & nihil minus quàm de regno cœlorum cogitāt. quod si ita est, maxima uestri pars inter hos mortuos erit numeranda. cogitet enim vnusquisq; apud se, quantum in tota vita temporis det contemplandæ huic cœlesti philosophiæ, & regno Dei meditando. verè mortui. qui perpetuo somno obruti, quem omnes mortis esse imaginem confitentur, nihil præter somnia tractant, & cum ijs somnijs migrant, vt nunquàm se vixisse iurè dicere possint, quod quàm sit miserum, quis satis explicet? miserissimam profectò rem, per totam vitam esse mortuum, & ab hac temporaria morte ad illam migrare sempiternam. Mortuos quidem ait Paulus esse Christianos, cum ait, mortui estis, sed felix ea mors est, quam vita illa sequitur, de qua mox addit. & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. quo pacto? cum enim apparuerit Christus vita vestra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria. quare optanda est hæc mors, quæ eternam felicitatem, ac beatā perpetuò vitam est conciliatura. at illa mors, de qua hic Dominus loquitur, & per se est miserabilis, & ad multò miserabiliorem mortem transmittit. & tamen qui ita mortui sunt, se plus cæteris viuere arbitran-

tur.

tur. is. n. vegetiorem agere vitam, & ab alijs creditur, & ipse sibi persuadet, qui accuratius, & magis anxie huius vitæ negocijs implicatur. at hi sunt in primis, quos Dominus vocat mortuos. Sine, ut mortui sepeliant mortuos suos. tu verò vade, & annuntia regnum Dei. Audiant hæc viri ecclesiastici, ijs enim præcipuè annuntiandi regni Dei credita est cura. iubet hic Dominus, vt eiusmodi homines etiam patrem ipsum ignorent, quoties regni Dei negotio esse impedimento potest, & ij in primis consanguineorum commodis student, ut eos ecclesiasticis opibus ditent, ecclesiasticis dignitatibus honestent, idque summo cum regni Dei damno, & ecclesiarum, ac pauperum, qui ecclesiarum curæ sunt commendati, detrimento. regni Dei vobis annuntiatio credita est, non ecclesiarum expilatio, neque consanguineorum ditandorum studium. verè lupi sibi bovina pelle contra Dominicum gregem armati, & congregati aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Et ait alius. sequar te Domine, sed permitte mihi prius, ut dicam, vale, ijs, qui sunt domi meæ. ait ad illum Iesus. nemo mittens manum suam ad aratrum, & retro aspiciens, aptus est regno Dei. fieri potest, vt iste meminisset historiæ, quæ in libris regum legitur, cum Elias præcipiente Deo, vt ungeret Elissæum in prophetam, inuenit eum arantem, & accedens ad eum, misit pallium super illum, qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam, & ait. osculer, oro, patrem meum, & matrem meam, & sic sequar te. dixitque ei. vade, & reuertere. ad hoc fortasse exemplum petijt hic, vt prius renuntiaret domesticis, atque ita sequeretur. sed Dominus non ei concessit, vt ostenderet, quàm exactum studium adhibere debeat, qui semel Christianæ Philosophiæ se addixerit. ob hanc causam cum apostolos vocauit, nullam illi moram fecerunt, sed relictis & facultatibus, & parentibus, & consanguineis, secuti sunt eum. nam minimum etiam impedimentum idoneum est huic professioni maximum damnum afferre. quàm enim multi reperiuntur, qui perfectioris vitæ institutum sibi proposuerant, & folis, vel parentum, vel aliorum consanguineorum precibus, ac blandicijs superati ab eo proposito recesserunt? rectè ergo admonuit hunc Dominus, cum dixit, nemo, qui manum suam aratro admouit, & à tergo respexit, aptus est regno Dei. accepta est autè à re rustica similitudo. quisquis enim hanc prouinciā accipit exercendi se in Euangelicis dogmatibus, perinde est, ac si aratro admoueat manum, vt excolat terram, vt vberem afferat fructum. ob hanc causam Paulus eos, qui crediderant, appellabat Dei agriculturam, & Dominus ipse in suis parabolis verbum Dei semini comparabat, quod pro terræ qualitate, vel fructum afferebat, vel ipso fructu destituebatur. Hæc autem tria Domini re-

sponsa

sponsa tribus hisce facta, obseruanda unicuique nostrum essent attentissimi, atque identidem cogitandum quanti negocij sit Christiana professio. ideo alio loco ait Dominus. quis ex vobis volens turrim ædificare, non prius cogitat, sumptus si habeat ad perficiendum, ne postea, quam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes, qui viderint, incipiant illudere ei dicentes. hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare. & aliam adiecit similitudinem regis, qui cum alio rege sit pugnaturus, qui sedens prius cogitat, an possit cum decem millibus occurrere illi, qui cum uiginti millibus venit contra se. at ista nihil sunt nobis cordi, & perinde Christianam rem æstimamus, ac si res esset omnium facillima, & quæ nulla industria, nullis laboribus opus habeat. & tamen turris est construenda magna, atq; excelsa, de cuius ædificatione tam parum curamus, vt non modo de ea consummanda, sed ne de iaciendo quidem fundamento cogitemus. circumspicite enim eorum facta passim, qui se appellari Christianos volunt, si non ita est, si ab ipsa infantia usque ad senectam non ita pleriq; omnes viuunt, vt nunquam de hoc ædificio visi fuerint cogitare. quis se ad pugnam apparat aduersus illos hostes, qui peruigiles nocte, ac die nostræ saluti insidiantur? quis studium adhibet obseruandis suis factis, & uerbis, & cogitationibus? nos facti sumus, ager ille hominis pigri, & vinea veri stulti, de qua Salomon ait. vbi omnia repleuerant vriticæ, operuerant superficiem spinæ, & maceria, lapidum destructa erat. nunquam referimus oculos ad hoc fundamentum, quod tam pretiosum positum est, qui est Christus Iesus. neque curæ nobis est, vt tam egregio fundamento structuram consentaneam adhibeamus. proponit se hic Dei filius exemplum, quod imitari oportet, si illius esse volumus, & ostendit, se nostri gratia ita pauperem effectum, vt, cum animalia ratione carentia latebras suas haberent, & tanquam domesticilia, ipse non haberet, vbi caput suum reclinaret. quam afferent excusationem in terrifico illo iudicio ij, qui per totam vitam nulli alij resistunt, quam ut diuites fiant, aurum congregent, extruant palatia, vt optare videantur soli totam terram sibi vendicare? quid inquam sunt dicturi, cum statuentur coram maximo hoc rege Christo, qui tunc in sua maiestate erit conspicuus omnibus, & interrogabit, atq; adeo obijciet eis, cur puluis, & cinis imitari eum recusauerit, qui cum esset Dei filius, neq; arbitraretur rapinam esse se æqualem Deo, nostri tamen gratia exinanierit semet ipsum, in similitudine hominum constitutus, & omnium pauperimus fieri non recusauerit? tunc obstruetur os loquentium iniqua, neque locus erit excusandi excusationes in peccatis, & quicquid afferre in sui defensionem conabuntur, in eorum accusationem retorquetur, & condemnationem. dicent, se voluisse inter alios honestum gradum tenere?

tenere? respondebit iudex, non ita se docuisse, qui cum esset maximus, omnium se fecerit minimum, idq; ob salutem nostram, dicent, se liberis uoluisse consulere? audient, Euangelicam doctrinam præcepisse, vt ne parentes quidem ipsi, qui præ cæteris in primis curandi sunt, in regni Dei negotio sint aspiciendi. quid igitur reliquum erit, nisi vt audito verbo illo aspero, quod horret animus commemorare, mittantur in extremas tenebras, ubi erit fletus, & stridor dentium? Hæc velim charissimi, vt sepius commemoremus, de his cogitemus identidem, & hæc in quotidianis colloquijs tractemus, dum tempus adhuc corrigendi erroris superest: nam in inferno nulla est redemptio. exiguum hoc uitæ spatium impendamus componendis rationibus nostris, dum salutis spes est, & locus operandi, ne quæso tantam occasionem à benignissimo Domino oblatam negligamus, qui ideo expectat, ut respiscamus. non enim vult, quod ad se attinet, quenquam perire. quare dum tempus habemus, operemur bonum, ait Paulus, vt & pœnas illas terrificas, atque æternas euadere, & regni cœlestis felicitatem consequi liceat. iuante Domino nostro Iesu Christo, cui cum patre, & spiritu sancto est gloria, & magnificentia, & potestas, & imperium, & nunc, & in omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO QVINQVAGESIMA

QVARTA.



OST hæc autem designauit Dominus, & alios septuaginta. misitq; illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem, & locum, quo erat ipse venturus. Elegerat Dominus prius, sicut ab hoc ipso Euangelista Luca audiimus supra, ex omni discipulorum numero duodecim, quos apostolos vocauit, nunc septuaginta alios eligit. sed cur septuaginta? neq; enim credendum est factam fuisse hoc numero hanc electionem sine iudicio, atq; adeo sine mysterio, sicut & duodenarius numerus in apostolis eligendis seruatus est ob causas, quas suo loco, cum illam historiam tractarem, assignauimus. cur ergo septuaginta? venerat Dominus Iesus, ut suam legi adderet perfectionem. scimus verò omnia, quemadmodum Paulus ait, sub figura contigisse Hebræis: oportebat ergo has figuras im-

pleri.

Lu. 10.

pleri, vt veritas per Iesum Christum fieret, sicut Ioannes Baptista dixit. lex per Moſen data est, & veritas per Iesum Christum facta est. Legimus aut in libro Exodi, venisse filios Israel in Elim, vbi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ, & castrametati sunt iuxta aquas. vide te verò pulchra mysteria. Israelitæ figura fuerunt Christiani populi, qui verus Israel fuit, sicut à Paulo docti fuimus, cum ait, non enim omnes; qui sunt ex Israel, ij sunt Israel, neq; quia sunt semen Abraham; iccirco omnes filij, sed in Isaac uocabitur tibi semen, id est, non qui filij carnis, ij sunt filij Dei, sed qui filij sunt promissionis, recensentur in semen. sicut ergo populus Hebræorum venit in Elim, & ibi inuenit duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmas, & ex eis famem sedauit & sitim; sic Dominus Iesus populum suum nutriturus pane vite, & aqua sapientiæ salutaris, elegit primum duodecim, deinde septuaginta, quibus Euangelicum negocium, id est, spiritualis alimenti credita fuit cura. & sicut ex illis duodecim aquarum fontibus palmæ augefcebant, & vigorem capiebant, vt fructum ferrent; sic oportet, vt qui sua prædicatione populum Dei sint nutrituri, ab apostolicis fontibus hauserint, & vim acceperint, qua salutarem doctrinam populis dent, atq; ex ea nutriri, & crescere in salutem possint. alioquin quicumq; aliunde quam ab apostolorum & scriptis, & traditionibus accipiunt, pro fructu damnum afferunt, quod in hereticis manifestè cernitur, qui dum suis cogitationibus potius, quam ijs, quæ ab apostolica doctrina originem acceperunt, fidere uolunt, maximam populo Dei perniciem attulerunt. Itaque post hæc, id est, post duodecim apostolorum electionem designauit Dominus & alios septuaginta. fortasse verò non est ociosum, quòd Euangelista non dixerit, designauit Iesus, quo nomine, & Lucas, & ceteri Euangelistæ solent eum appellare. sed dixit, designauit Dominus. vt ostenderet, opinor, auctoritatem ista statuentis, vt qui Dominus esset nouæ legis instituendæ. qua voce vsus etiam fuit ipse Dominus, cum mittens duos ex discipulis, vt asinam, ac pullum acciperent, dixit. si quis vobis aliquid dixerit, dicite. Dominus ijs opus habet. Et misit (inquit) illos binos ante faciem suam, in omnem ciuitatem, & locum, quo erat ipse venturus. vt scilicet pararent viam Domino, sicut & de præcurſore Ioanne Baptista dictum fuerat. hoc autem etiam quotidie spiritualiter fit, dū verbi Dei prædicatores aduentum Domini in animam præueniunt, & viam ei præparant, vt aduenientem excipere anima aptius possit. nam ex auditu diuinæ legis præparatur mens, & afficitur, vt credat, & obediat Euangelio. fides (inquit) ex auditu est, auditus autem per verbum Christi. Sed cur binos? opinor, hoc fuisse factum, non solum vt alter alteri esset adiumentum, verum etiam vt doceret, ac præberet exemplum ijs, qui ministerio prædicandi

prædicandi verbi Dei præficiuntur, vt suæ vitæ secum testem aliquem semper habeant. cum. n. Christiano cuiq; conueniat, vt circumspectè agat, tum in primis hoc viris ecclesiasticis est consentaneum. quare oporteret, vt, cum vel iter agunt, vel in domibus alienis versandum illis est, nunquam soli hoc agerent, sed boni testimonij socium aliquem secum haberent. præterquàm enim, q̄ solitudo plerunq; occasionem peccandi præbet, si etiam quis summæ esset integritatis, suspicionem tamè multitudi ni præbet illa solitudo. sed nihil hac ætate res tanti momenti considerantur. nam passim videas clericos, & sacerdotes non modo interdium, verum etiam medijs noctibus solos liberè vagari vbicumq; voluerint, quæ licentia multorum vitiorum, ac peccatorum occasio est. Dicebat ergo illis. messis quidem multa, sed operarij pauci. rogate ergo Dominum messis, vt extrudat operarios in messem suam. Messem appellat populos. qui per verbi Dei prædicationem colligendi erant, quemadmodum & apud Ioannem legimus Dominum dixisse. non ne vos dicitis, adhuc quatuor menses sunt, & messis veniet? ecce dico vobis, attollite oculos vestros, & videte regiones, quoniam albæ sunt iam ad messem, id est, intuemini multitudinem Samaritanorum, & animas ipsorum ad fidem alacres, & promptas, quæ quasi regiones albæ, opus habent messoribus. sicut ergo, quòd maior messis in agris est, eo maior messorum numerus est necessarius, sic quòd plures sunt populi ad fidem vocandi, pluribus quoq; verbi ministris, tanquam messoribus est opus. sed quia pauci erant, qui hoc opus exercerent, cum dixisset, messis quidem multa, adiecit, sed operarij pauci. Videte verò ingentem in rebus tanti momenti hominū inertiam. in corporea messe, vbi maior cernitur colligendi tritici copia, plures etiam menses præparantur, in re spirituali augetur quotidie hæc messis, neq; vllum studium parandis operarijs adhibetur, quin ij, qui ad opus hoc parati sunt, primi sunt, qui prouinciam detrectent, quod nunc accidere maximo cum ecclesiæ Christi detrimento cernimus. nam illi ipsi, qui ad hoc ministerium electi sunt, minus hoc curant, quam reliquū hominum genus. Episcopi enim primi sunt, quibus mandata est cura in agro Dominico operandi, & tam alieni ab hoc officio sunt, vt vbiq; degerè malint, quam in suis ecclesijs residere, quo quid cerni monstruosius possit? non est ferè quisquam, qui in sua diocesi habitet, maxima pars urbem Romam, tanquam pro sua sede elegit, vt quid? vel ambitionis gratia, vel vt commodius suis appetitionibus obsequantur, quodq; est miserabilius, cum hic sit eorum scopus, tamè varias causas sibi prætexūt, quas valentes, & fortes arbitrantur, quæ tamè facilius, quam araneorum telæ dissoluuntur. verum, si æterna illis salus est curæ, non satis tutum est, eas duntaxat in medium afferre rationes, quæ veri quandam habeant

quidem similitudinem, sed prudentiorum aures minime implent; nisi præterea dent operam, ut ea rationes Seruatoris Christi iudicio, ante cuius tribunal sunt statuendi, comprobentur. Pingamus ergo, non me, sed illum esse, qui ista eos roget, cur scilicet neglectis gregibus, qui curandi ab eis fuerant, in vrbe Roma potius libuerit immorari. si quis hanc afferat excusationem, quam pleriq; omnes, ut fortissimam tuendæ consciëntiæ suæ loricam induunt, quæ ibi apostolicæ sedis commodis, atq; vtilitati feruiant; respondebitur, sanctissimam illam sedem iam etiam olim episcoporum vltimam esse consilijs, sed eorum definitus est numerus, ut adhuc tituli supersint eorum, qui episcopi cardinales appellantur, qui quàm sapienter, ac circumspectè ab ipsa apostolica sede fuerint instituti, vel ex eo vno liquet, quæ eorum episcopatus ita vrbi Romæ sunt proximi, ut sine ullo sui gregis detrimento, quisq; eorum, quoties fuerit opus, summi pontificis voluntati, & commodis queat inferuire. quæ cum ita se habeant, quam habebunt excusationem ij, qui præter illum numerum, in vrbe Roma, relictis suis episcopatibus, perpetuo degunt? neq; verò summi pontifices, qui pro tempore illi sedi præsumunt, uim unquam attulerunt ei, qui in suo episcopatu residere decreuisset. quæ si pontifices aliqui nimis interdum hac in parte nonnullis indulserunt, ea indulgentia apud Christum est uenia caritura, qui legitimos Romanæ sedis usus, non abusus consueuerit approbare. Dicit alius, se à suo abesse episcopatu propterea, quòd per alios stet, quòd minus suo fungi officio ualeat, & esse potentiores, qui facta episcoporum omnia impediunt, ijs obiciuntur ea tēpora, quibus ob persecutorum impiam feritatem uiuere episcopis non licebat, qui in quotidianis mortibus uersantes, suos tamen greges nunquam deferere patiebantur, cum quibus malis si ea conferantur, quæ nunc ueluti maxima pro excusatione afferimus, ista omnia puerorum lusum esse uidebuntur. Et profectò si mercenarij à Christo uocantur, non pastores, ij, qui uident lupum (quo nomine accipi debet supremum quodq; periculum) ueniētem, & fugiunt, cogitet unusquisq; nostrum sua facta, & iudicet, quo nomine sint appellandi, qui eas causas relinquendi gregis sui sibi pretextunt, quas iidem ipsi, qui eas afferunt, teste ipsorum conscientia, intelligunt esse leuissimas, cum grauisima quæq; pro tuendo Christi grege sint perferenda. Alios audiui olim ego in celeberrimo Tridentino concilio, in magno patrum conuentu dixisse, nullo se teneri scrupulo, si longius abesse à sua diocesi uelint, cum ibi uel uicarium, uel suffraganeum episcopum habeant, qui nihilò minus, atq; adeo plus, quàm ipsi, munere episcopi fungi sit idoneus. Hac in re primum nescio, an rationem hanc ante iudicem Christum proferre sint ausuri. uerum, si hoc fecerint, opinor eiuſmodi, aut certè non admodum dissimilibus uerbis esse illis respondendum.

respondendum. Si habuisses (dicit) mille, aut duorum, uel trium millium gregem ouium, quæuisses pro numero ouium idoneum pastorem, cui etiam pro meritis dignum assignaretur stipendium. dentur huic ergo centum aurei nummi. post paulò hic pastor alium inuenit nihilo se inferiore ad curam ouium, huic dat quinquaginta nummos aureos, ut totam gregis curam accipiat, reliquos quinquaginta in priuatos usus conuertit. quid tu hoc homini faceres, qui tua pecunia suo arbitrio, dum nulla in re tibi prodesset, abuteretur? si diceret, gregem tuum non minus ab eo curari, quàm à se curatus fuisset, responderes, totum centum aureorum numerum deberi illi, qui estum, & gelu ferens, curæ gregis inuigilaret, aut certè illos quinquaginta reliquos domino esse restituendos. quo enim iure meam pecuniam tibi gratis uendicas? Hæc faceres (iudex dicit) in gregis ouium negotio, & in meo grege curando non intelligis, multò hoc magis præstandum, ut, si is, quem tibi suffecisti, nihilò te inferior esset uirtute, & meritis, atque interdum maior, fructus illi omnes relinqueres, qui hanc præcipuè ob causam assignati ecclesijs sunt, ut, qui ecclesiæ seruiunt, habeant, unde pascantur. non ut temere, ac pro uoluntatis arbitrio dissipentur? non saltem uos docuerunt apes, quæ fucos propterea, quòd ignauum est pecus, à præsepibus arcent? Hæc, & his multò fortiora, & grauiora tunc proponentur, & nostrarum cogitationum somnia ueris rationibus refutabuntur, quibus fateri cogemur, oportuisse nos, uel episcopatu decedere, uel episcopi perpetuo fungi munere. si enim ii, qui noctes, & dies eandem semper incudem tundunt, & una illis est cogitatio sui gregis cura, se tamē tanto negotio impares fateri ipsa experientia coguntur, quantum illis est metuendum, qui toto tempore, aut maxima eius parte à gregibus suis absunt, quorum uocem suæ oues agnoscere non possunt, quam nunquam audierunt? cum uerò præcipuum episcopi munus sit pascere, non exemplo solum, uerum etiam uerbo, quo pacto implere hoc officium possumus, quicumque relicta nostra diocesi per alias urbes uagamur? non subit unquam animum, quanti Seruator Christus hoc fieri à nobis uoluerit, qui, cum id ipsum Petro mandaret, non contentus semel dixisse, ut suos agnos, & suas oues pasceret, tertio rem eandem repetere non recusauerit? quid illa uoluit repetitio aliud, quàm ut bene penitus pastores hoc affigerent animo, & toti in hanc prouinciam incumberent? cum uerò uideam, rem tantam passim negligi, & pro nihilo putari, uereor, ne dati simus in reprobam mentem, qui grauisimos, apertissimosque errores non intelligamus. Hæc non ociosum mihi uisum est commemorare, si fortè ob locorum uiciniam ad eorum aures ista perferantur, uel ab ijs, qui Christi honori inferuiunt, uel certè ab ijs, qui, dum

dum calumnias mihi struere putant, aliqua ex ijs, quæ hic à me dicuntur, Romam mittunt, & dum lædere me arbitrantur, ac meæ famæ derogare, me quàm maximè honestant. si ergo hæc mea uerba ad eos peruenerint, quæso, vt boni consulant, nam cupio eos æternum illum ignem euadere, quem si Dominus interminatur ijs, qui corporeo alimento pascere egenos neglexerint, multò certè magis in illum eos mittet, qui esurientes animas, quæ longo interuallo corporibus dignitate antecellunt, spiritali cibo pascere contempserint. vt mittam interea, fieri facile posse, ut Deus post longam patientiam, iustam etiam in hac ipsa vita, exerceat ultionem. sed ad Euangelicam historiam reuertamur. Mensis quidem multa, sed operarij pauci. rogate ergo Dominum messis, vt extrudat operarios in messem suam. Miretur fortasse aliquis, cur dicat, rogandum esse Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam, perinde quasi non sit curæ ijs, qui triticum in agris habent, colligendi illius suo tempore, ut non opus habeant alijs, qui moneant, multò uerò minus, qui precentur. sed his uerbis admonere nos uoluit Dominus, ut intelligamus totum hoc bonum esse duntaxat nostrum. nam corporeorum agrorum Domini non expectant monitores, ubi primùm colligendi tritici tempus appetit propterea, quòd lucrum omne ad eorum utilitatem cedit: at in spiritali messe contra est, nam nihil utilitatis hinc ad Deum redit, qui, quemadmodum ait propheta, bonorum nostrorum non eget. quare docendi sumus nos, vt bona nostra sollicitè quæramus, neque in rebus tanti fructus simus inertes, ac somniculosi. & tamè, quamuis ista nos admoneat, vt nostra nobis sint curæ, ipse semper est, qui mittit, atque adeo, ut ipsius Euangelistæ uocabulo utamur, extrudit, & impellit, vt in hanc messem eant. quod etiam per quendam prophetam ingrato populo obijcit, cum ait. propter hoc rupi prophetas, & occidi eos in uerbis oris mei, vt iudicia tua quasi lux egrederentur. quibus uerbis significat, se quasi rupisse prophetas assiduis concionibus ad populum per eos habitis. quem ad finem? vt iudicia (inquit) tua quasi lux egrederentur, id est, vt in inchoata iustitia persisteres, & progredere, atque ad consumationem peruenires. Hæc autem admonitio hoc præcipuè tempore Christianis hominibus est necessaria, qui tantum abest, vt postulent assiduis precibus à Deo, vt mittat illis messores, atque operarios, vt etiam missos auersentur. non cernitis in hac uestra urbe, ut reliquas nunc prætermittamus, ut maxima ciuium pars huius messis sit expers, dum toti affixi temporarijs negocijs, ac curis, minimùm, aut nullum potius quærendæ ex animo suæ salutis studium adhibent? Verum, ut ad illud reuertamur. quod ait, messem esse multam, sed operarios paucos, uerissimum etiam nunc est, paucos esse eos, qui operarij

uerè

uerè, ac meritò queant appellari, nam multi ex ijs etiam, qui se operarios profitentur, parum sincere agunt, & potius quæ sua sunt, querunt, nõ quæ Iesu Christi, atq; hinc fit, ut penè nihil in hac colligenda messe proficiant, qui si ex animo tractarent hoc negocium, cerneremus passim homines toto corde ad Deum reuerti, & non Christianos solum innouari, uerum etiam ethnicos ad fidem Christi conuerti. id quod euidentissimis exemplis hac ætate comperimus. nam ea regna, & insulæ Indorum, & Aethiopum, quæ nunc à Lusitanis classibus detecta fuerunt, superioribus seculis ignorata, nullo penè negocio ad fidem Christi accedunt, atque ita numerosè, ut quibusdam in regionibus ad ducenta millia baptizata fuerint exiguo temporis spatio, ut non uulgares modo uerum etiã ditissimi, ac nobilissimi, atq; adeo potentissimi reges in Christum crediderint, & tam ingens messis facta est, & fit quotidie ob feruidum opus, ac fidele ministerium quorundam operariorum, qui ex nostris, præsertim è Lusitania profecti illuc sunt, nulla temporarij lucri spe, sed solo acquirèdarum Christo animarum desiderio, quam ob causam mirum est, quantum proficiant, & quàm ingens ibi Christianæ religionis fiat incrementum. at operarij nostri nullum penè fructum ex sua operatione ferunt propterea, quòd nemo ferè est, qui sine ulla temporarij lucri spe, aut comparandæ gloriæ studio, aut utriusq; contemplatione annuntiet Euangelium Dei. quare nunc quàm maximè, si unquam aliàs, faciendū est, quod hic admonet Dominus. rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam, qui uerè operarii sint, non mercenarii, qui si mercedis appetitione trahantur, non corpoream, ac temporariam, sed æternam mercedem expectent. Quamquam plerunque populus in causa est, cur hac penuria operariorum laboretur, dum cœlestia hæc alimenta fastidiunt, & oblatos uerbi Dei cibos despiciunt, & toti terrenis negocijs occupantur, quod apertè ostendit Deus per prophetam Amos, qui cum ludæorum peccata, præsertim auaritiam reprehendisset, adiecit. ecce dies ueniunt, dicit Dominus, & mittam famem in terram, non famem panis, neq; sitim aquæ, sed audiendi uerbum Domini. at hæc famēs multò magis timenda est, quàm corporei panis esuries.

Dum scriberet Isidorus hanc Orationem, mox de more habiturus ad populum, importuna morte præuentus, imperfectam reliquit.

REGISTRVM.

* ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ. AA BB CC
DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO PP QQ
RR SS TT VV XX YY ZZ. AAA BBB CCC DDD
EEE FFF GGG HHH III KKK LLL MMM NNN
OOO PPP QQQ RRR SSS TTT VVV XXX YYY
ZZZ. AAAA BBBB CCCC DDDD EEEE FFFF GGGG
HHHH IIII KKKK LLLL MMMM NNNN OOOO.

Omnes sunt duerni, præter *. B. qui sunt quaterni.

VENETIIS, Apud Franciscum de Francischi,
Seneusem. M D L X V.

